Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

En damus tibi christianissime lector, Commentaria Bibliorum et illa brevia quidem ac catholica, eruditissimi simul ac pijssimi uiri Chuonradi Pellicani Rubeaquensis, qui & Vulgatam commentarijs inseruit aeditionem, sed ad Hebraicam lectionem accurate emendatam. Habes autem in hoc opere quicquid syncerae theologiae est. Ideoque si sapis ex ipso potius Sacrorum fonte, quàm riuulis Religionem ueram imbibe.

https://hdl.handle.net/1874/395916

Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- **de rug van het boek**
- **de kopsnede**
- **de frontsnede**
- **de staartsnede**
- **het achterplat**

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- **the spine**
- **the head edge**
- **the fore edge**
- **the bottom edge**
- **the back board**

IN OMNES
APOSTOLICAS

108
F
11



pelican
super

25.
e.

In febrib; spē offendens nat
tū. spasmū sternutacū. ·.65.

Opem aere nulli hoy hauchiē sle mp
nos ac ꝑdēr si aer hauchi nutrie hā q
vis sus. si ad eū offendic. ut trūcenu
spasmū sternutū hoy. nō sl q lacrī. tūm mouē
tes pectus magnā spasmū. si augmētes.
tūm alius nobis nilphice spasmū nocq; nisi
quos hauchi sle duobz mōs vel tribus
ens. nos nisus sle eū concedūt nēm. no
cessaq; nec alē gūdi. q hmodi aerib;
tis q q dū crebi hauchi alē nihil
ue p̄ posse concedi alē sōtq; nchus vitare
gūb; dromssibz. alē. q. cuncēdo offendi
ne ad rectā. alē magr sle. tūm vel offen. dū er
cūs cōtrēdi. hm quibz mobilis. vel alius cuq;
hauchi ab eod. mō. Ita si no cōs hmoi
ed offendi. si magr aer nr vel sue cuq; alī
ri. vel tūm vehī offenda malū hyppo. hic. C

In febrib; acutis spasmū et
visū. dolores fortes. malum

Oritur aūq; dolor ex spasmo ē. si ē spas
mus in neruis sensifer. aut pleuri dolorē
aut mūmū hūmoris cōburentis

Quibz; nefreticis sūpin.
mos non sanatur.

In pūis expulsis fecalib; et ob hoc regrit ni
cū sterlet grādis hūmoris ꝑ calore et cōmū
tucā sibi fomentū et ꝑ sibi exal
cubz ꝑ calore ꝑ vehemētiā expelli. hoc
cubz sio ventos venit debilitas natē et ꝑ
dolores et mordis diminutio. si in eis vehe
ment ꝑ hūa et caudā. ꝑ ꝑ ventū
et nefreticis nocūb; nō cōmodū. cauēs būgo
ut ꝑcedū et cor ne grauet ꝑdeat.

Quibz; vrine grosse et globo
se ꝑ pauce et non sine febrib; ul
cerado veniens ex hys minat

ouerunc uō cuha uenūc quib⁹
m ꝑ⁹ aut post ꝑnapū · aut
celerius ỹ postaliū hūc ·

Quod uenū ꝯ ſſō dicit uō ſuffic ỹpō ꝙ nubo
ſc adiūc magne oīēr nobis uredne aue ꝓuere
ꝯ uillaudie aue aue dūcere ꝙ ſtuſ in eo ſſpe
aue dūcā · uābe ſilias ſu quib⁹ libe loco cūbo
ſe ducmiⁿ huiuſſi ⁊ in ubſe ch uiorbi ⁊ ſuci
ri · ⁊ in ubſ uid dyo · ſſhūcre ꝯ uillaudie ſua · di
ūcere oīēr uredne ſlouū u · q⁹ ſſhūc
ꝓuere ꝯ ſſacē · uō mage ꝙ alq uī uidne ſſ ỹ ·
in huſ ubſe uō ſt uidne uredne ꝺ uenū pau
cū ⁊ ꝯ uillaudie ſc ꝑ ea reſpū in ſſhūc ſub · q uidō
uenūc in huſ reuuſ dicte · ſi uenū pauca ⁊ ꝯ
ſua dicre uō uidne ſſ ꝯ uidne ſu uenū ſu ſe · nēre
q ꝺ ſſhūdiā hūor ꝑ reuuc expelle · ſlū ⁊ ſſ uic
⁊ ſſ ſſ quſſ · uidn ponc ꝙ uidne ſſ uic
ne ſe · ad ſſ uc ſlaū · ꝙ uidne ſſ · uenū ne ſe · pi
uū · re reuuere ad ſſuillaudie ſi · q uobi uidne
dre ad redndū · ad ꝺ ad ⁊ ſſ ỹpo uidne uidne uſſ
ur ⁊ reuc ꝯ uc oīēr uobi ſſlū u · ī uico uobi
ſuc pū ꝑ uaū uic pauca ⁊ ꝯ ſſlū ⁊ ne · u
ſſdo · q ⁊ ſſ uō ſſ alia uic hou ſigū ⁊ ſſ · ⁊ ſſ ne
reuuu uic in uico uobi aut hu · digerūr ỹpo
ſſuſſ appar uō ⁊ luſ · Sic ꝑ ſſ uic ꝯ uſſ ⁊ pau
ca · u q ſſ ⁊ ſſ · ſlō · u · p reuuc rūnc ponc ⁊ cū
alq hūor ꝑ pluū pu ꝯ uenc · q aue reuuū dgſ
uccē ⁊ ꝑ uirū ſſ ſlē ꝯ ꝺ uen ⁊ ſ · a · plan · q
ab ỹpo ꝯ di · q ꝑ ſſ reuuc dne abſe uic ſſ ſſ ſſ
⁊ reuuſ · u ꝯ uſſ · q uic uſ ꝯ uedno ꝺ · r · ſſlo ·
ſſalq · a quo ꝺ · ſlū uen ꝯ uſſ · ſlō · ⁊ uccē ⁊ ne
ſſ · ne ſlū · q · q ꝑ ſua q uc uccē ꝑ ſſ poſſ · ⁊ uc
ſſ · ſlō · ꝑ uccē ⁊ ꝯ ne ſſ · ſlō · ⁊ uccē ⁊ ne
ſſ · ſlō · ⁊ uccē ⁊

Biblia et interpretes
K100 Fr. n. 11
Folio nº. 140.

Nº 37. p.

N ~~25. A.~~

108 F 11.

IN OMNES APOSTOLICAS EPISTOLAS, PAVLI, PETRI, IACOBI, IOANNIS ET IVDAE D. CHVONRADI PELLICANI

Tigurinæ ecclesiæ ministri Commentarij, ad collationem optimorum quorumq; interpretum conscripti & æditi, in usum theologiæ apostolicæ studiosorum.

Ex donatione Bucholti

PSAL. XIX.

In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terrarum uerba illorum.

TIGVRI IN OFFICINA FROSCHOuiana Mense Augusto, Anno M. D. XXXIX.

ACADEMIA RHENO TRAIECTINA

IN OMNES APOSTO-
LICAS EPISTOLAS, PAVLI, PETRI, IACO-
BI, IOANNIS ET IVDAE D. CHRYSOSTOMI PRAELICANI
Figuram caelestis militiae Commentatij, ad collationem Sept.
maestri quorumq; interpretum conscripti Oratij,
in vltimi theologiae apostolicae
studiosorum,

PSAL. XIX.
In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis
terrarum verba illorum.

TIGVRI IN OFFICINA FROSCHO-
riana Mense Augusto, Anno
M. D. XXXIX.

OMNIBVS SACRAE SCRIPTVRAE LECTORIBVS, PRAECIPVE VERO ECCLESIARVM DEI EPISCOPIS, FRATRIBUS in domino colendis & charis, Chuonradus Pellicanus, precatur Christum sapere, amare, uiuere & docere.

VAM PROPITIA DEI OPT. MAX. VOLVNtas prouidentiaq;, toti huic magno Collectaneorum operi, in tota Biblia congesto, adfuerit, uel ex felicissimo fine Tomi septimi colliquescit. Ego pro exhibita mihi domini gratia amplissima, toto corde quantas possum gratias ago, suppliciter orans, ut ficubi peccatum fuerit, ipse clementer cõdonet. Equidem per omnem propè uitæ meæ cursum, in ipsum inquam quinquagesimumquartum ætatis meę annum, ne semel quidem in mentem uenit, scribendum mihi quicquam in Canonicas maxime literas, quod in ecclesia ęderem, & tam docto sæculo proponerem. Fui quidem à puero, ut uerum interim fatear, sacris addictus lectionibus, & optaui semper, ut prodiret aliquis piè studiosus, qui in locum Glossæ ordinarię, nimium alioqui allegoriis refertę, ex optimis quibusq; interpretibus, siue expositoribus ueteribus & nouis, certiorẽ locupletioremq; expositionem diuini uerbi præconibus adornaret. Expectaui & obseruaui diligenter si quis prodiret, sed aliis occupati, quales & quando uolui prodijt nemo. Ergo quando nõ pauci uiri boni, docti & amici, ad hoc ipsum quod cœperam mecum priuatum studium, me incitarent, & primum extorsissent Tomum, iamq; ad alterius æditionem nihilo segnius urgerent, cumq; uiderem à domino mihi otium suppeditari, & seni iam qualescunq; concedi seruariq; uires, obsequutus sum amicis, adeoq; uocationi huic, quam omnino diuinam numinique placentem multas ob causas cogebar interpretari. Tanto autem tutius id tentare sum ausus, quanto id fieri facilius per me posse arbitrabar. Habebam enim multorum sanctorum theologorum scripta, neq; deerant Hebræorum Commentaria, in quibus ab adolescentia, licet nihil tale cogitantem, in hoc exercitasse uidebatur me dominus. Omnium ergo, quos assequi dabatur, scribentium piorum sensum & spiritũ, pro fide mea expendendo, ea quæ passim sacro canoni Testamenti utriusq; certius & exactius consentire iudicabam, & utilius legenda arbitrabar, simplicibus tantum, librorumq; plurium opportunitate carentibus, uel linguarum ignaris, selegi, exscripsi, & in Commentaria mea retuli: non quidem semper uerbotim omnia recensens, sed prout iudicio meo pium Lectorem abundantiorem ac sacratiorem fructum inde accepturum credebam. Quædam enim fusius tardita à sanctis, contraxi uelut in compendium: quæ obscuriora uidebantur, clarius reddere sum conatus: breuia quoq; alicubi, quamuis id quidem raro, ad expeditiorem sensum latius explicauit: ubiq; cupiens Lectori pio præbere aliquam occasionem sacratiora & absolutiora cogitandi ad ędificationem ecclesiæ. Videbam anxius ac dolens, doctissimos optimosq; ętatis nostræ uiros quosq;, magis quàm par esset cessatores in hoc instituto, explicandi scripturas, & ædendi: cuius, ut ex reliquis ipsorum studijs liquet, amplissimã alioqui ad id agẽdi gratiam accepisse à domino uidentur. Verum cernere erat interim simpliciorum in rure præsbyterorum conditionem nimis periculosam, qui prohibiti iamdudum prędicare Sermones mendicantiũ fratrum, Dormiq; secure, iussi autem à Christiano magistratu proponere ecclesijs uerbum domini, solum ac purũ, sacrosq; canonicos libros,

Euangeliorũ & epistolarum, quæ tamen nunq̃ integra didicerant. Quid, inquam, miseris istis sacerdotibus deesset, & quid prodesse ualeret, uidebã, & qua ratione illis succurri posset, pia solicitudine pioq; spiritu mecũ ipse cogitabam. Cui tam syncero instituto dominus prouentũ optatum ea ratione concessit, ut eius neutiquam nos pœnitere potuerit, pro hoc saltem tam periculoso reformationis & innouationis tempore. Certus sum autem propediem longe melioribus scriptis studiosis sacrorum prouidendum, quando ex probatissima scripturarum tractatione, nunc ferè ubiq; suscepta, tam illustria Commentaria successura sperentur, quæ quamlibet synceri conatus nostri operas longo sint interuallo superatura. Cuius specimen iam nunc quoq; præbent pijssimi & eruditissimi uiri, Heinrichus Bullingerus, & Theodorus Bibliander, suis libris aliquot æditis: qui tam in prælegendi quàm concionandi officio D. Huldrycho Zuinglio, uiro dei, dignissime succedentes, deo dante, longe aliquando absolutiora de suo producent, quàm nos ex multis collegerimus, ut subobscurari nostra studia illorum pietate & doctrina simul & eximia eloquentia, spe certissima nunc quoq; gaudeam, & quoad uixero bono publico tam immenso toto sim animo congratulaturus. Video enim, quod non sine maxima gratiarum actione diuinę bonitati dico, in Tigurina ecclesia nostra, iam tribus lustris maxima doctorum concordia, Christianissimam doctrinam, & sacri canonis explicationem exactissimam, iuxta linguarum sacrarum proprietates & phrases, tanta eruditione, secundo iam cursu, sic ad finem elaboratas, & excultam uineam domini Sabaoth, ut ipsissimam paradisum, tot iam annis, post grauem Babylonicam captiuitatem meam, inhabitasse, & apostolicæ scholæ comitijs interfuisse me credam: quicquid interim de nostris præceptoribus alij sentiant. Testantur nimirum testa buntur q̃ id scripta, quæ dei prouidentia non nostra uanitate prodeunt, & porrò prodibunt studio pijssimi minimeq; auari typographi. Nec cessabunt interim exactores & exceptores, ut quæ priuatim excipiuntur ex utriusq; sermonibus, charitati instãter rogantium non negentur. Quin iam quoq; ex Bibliandri ordinarijs prælectionibus, excepta certatim à studiosis auditoribus, certatim quoq; oppidorum agri Tigurini presbyteris aũidissime rescripta, nũc copiose extant in totum Testamentum uetus. Quæ omnia, si iam, illo eadem secundario incipiente, felici eiusdem cursu, pro officio suo iuxta Collegij nostri morem, exactius, ut spes est, fuerint annotanda, bone deus, quantus ecclesiæ nostræ fructus, & pię eruditionis profectus inde proueniet? Nec est ut causari debeant desides & ignaui, librorum multitudinem in sacra scribentium, quando diuinus spiritus suam cuiq; mensuram partiri cessabit nunquam: sed & fœcundissimus cum sit ager scripturę sacrę, non sine continuo & nouo fructu sanctitatis ac ueritatis excoletur, à pie eruditis uiris & erudiendis. Emimus pleriq; magno precio Lombardi multiplices Commentarios, & sperauimus ex ijs fructum amplissimum: multo certius sperabimus ex tam diuino ac sacrosancto uerbi diuini semine, syncere, fideliter, & non sine spiritu pietatis exculto, diuinos et sanctissimos fructus, in reformationem fidei & morum, saneq; doctrinæ penes electos: ut uberior sanctitatis fructus subsequuturus sit, per dei gratiam, quàm infelix illud lolium humanarum traditionum, scholasticæ q; uanitatis, errorum ac superstitionum in ecclesiam ingesserit. Quæ nunc iudicio spiritus agnosci cœperunt, improbari, explodi, eradicari, & reformari, inuitis inferorum portis, fauente autem & operante gratia dei opti maximi. Igitur post qualiscunq; tandem operis nostri absolutionem, hic nunc mihi monendi uidentur Lectores, in primis autem pij ecclesiarum pastores, & ministri Christi, quos iuuari cupio pro uirili, ut oblata tanta opportunitate proficiendi pro officio ipsorum, ad dei gloriam & ad cõmissarum eis animarum salutem ecclesiarumq; profectum, ea in uanum ne utantur, sed omni excusatione excusa, mordicus arripiant eam, atq; ita administrent, ut olim pastorũ principi & tremendo iudici, iusto & inexorabili cœlesti patrifamilias, de accepto talento credito ad usuram, rationem iustam reddere queant. Tum uero sacerdotes pro officio inquam suo pastorali & ecclesiastico digne agent, si Canonem sacrarũ scripturarum, cœlestia diuinaq; oracula, non tantum canonicis horis, ut solebant, aliquando legant, sed

multo

multo magis cum sano intellectu, spiritusq; unctione & iudicio, diligenter, assidue, attenteq; meditentur, ac plena fide deuotaq; mente traiiciant in affectum, auidoq; profi ciendi desiderio relegere sæpius contendant: inuenient proculdubio diligenti suo studio ampliora quàm uel nos uel ueteres indicauerimus. Non est enim nunc abbreuiata manus domini, quo minus spiritum intelligentiæ largiri queat, & cupiat quoq;, nec uis & uigor exhaustus est florentissimæ pinguissimęq; uineæ, locatæ ecclesiasticis, Canonicæ scripturæ fideliter excolendæ. Nec nobis tentandus est dominus, ut sine nostra quoq; diligenti opera, intellectum nobis diuinarum rerum è cœlis ac miraculose infundendum credamus, lectioni potius & meditationi insistendum. Oratio quoq; humilis ac deuota ex fide haud omittenda erit, sed præmittenda, & lectioni nonnunquam miscenda, pro spiritu fidei & sensu orthodoxo, ut scilicet illapsus diuini spiritus & unctio sacra intercedat & assistat nostro conatui. Affectus quoq; & facultas obsequendi per omnia uerbo dei inardescat, ne sensus humanus insolescat, uel affectus in uia mandatorum dei frigidior subsistat. In hunc siquidem finem constat à patribus institutum olim, ut qui uel ministrarent ecclesijs, uel essent aliquando ministraturi, statis quotidie horis sacros codices meditarentur, & explicari audirent. Psalmorum quoq; orationi, & unico ecclesiæ sacrificio, gratiarumactioni, incumberent: ut postquam ipsis ecclesiastica electio ad sacerdotalem statum obueniisset, regendiq; ecclesiam dei ministerium commissum esset, orthodoxam doctrinam fidemq; profiteri, probare, ac defendere ualerent. Hunc autem morem primitiuæ ecclesiæ quando inuertit & corrupit superstitio monachorum, ceremonialis, laboriosa, inutilis & uana cantio in collegijs ac monasterijs, statim quoq; expirauit cum uocum anhelitu spiritus pietatis. Vocum enim distractio, Musiciq; concentus affectati & nimij, notarum quoq; & artificij attentissima cura, sic præiudicauit sancto spiritui, ac internam meditationem, uerborum intellectum, expensionemq; prophetici sensus & apostolici ita cõturbauit & inuoluit, ut raro quid caneretur cogitatum sit, sed & cum temporis irrecuperabili iactura, studia sacra non mediocriter afflixerit: pietatis enim studia, religionis quoq; ueræ exercitia magis necessaria, impie pernitioseq; oppressere. Accessit quoq; spiritualis superbia, ac iactabunda fiducia meritorum, ex inutili illa uociferatione & studio sic colendi deum, pro quo mire se sanctificari credentes, nõ solum magnifice deum colere putauerunt, sed et pro alijs quoq; tam uiuis quàm mortuis suis benefactoribus, placare deum & scriptis ac uerbis iactarunt. Hinc uero religio illa uana, & religiosuli illi, mundo quasi necessarij uisi sunt, utpote sine quibus salus publica seruari constareq; nequeat: ita enim ipsi docere sunt ausi, Christianum diuitem neminem seruari posse, nisi qui uenditis omnibus quæ possedisset, diuitias suas Christo, hoc est ecclesiasticis istis personis, donasset. Nihil hic fingo, huiusmodi enim Theologiam haurire licet ex quatuor libris Timothei illius Saluiani ad Ecclesiam catholicam, toto orbe dispersam: qui cum extent in Antidoto ædito contra omnes hæreses, non est ut multis refricem: impostura sanè monachica. Quamuis unum ibi in tam uetusto authore mirabile cernitur, qui factum sit, ut purgatorium adeo diuitem quæstum & pœnarum in eo redemptionẽ, id est indulgentias, tam tarde excogitarint monachi, de quibus nihil ibi sacer is author cõmemorat. Hinc, inquã, liquet, quo fonte, quáue malitia hominum, ac temporis morumq; iactura omnis irrepserit in ecclesiam monastici in primis ordinis calamitas ingens, unde nobis prodierunt tot Romani Pontifices, improbis quibusdam artibus subintrantes, Episcopi quoq; alij potentes admodum, & glorioſi Abbates: totiusq; spiritualis status illius corruptela, impiaq; tyrannis. Opinio enim religionis & castimoniæ de monachis concepta, peperit immensas diuitias, diuitiæ honores, honor luxum, luxus impudẽtiam, impudentia audaciam, audacia tyrannidem, grauem quidem in fidelium corpora, sed multo pernitiosiorem in conscientias. Gratia autem deo, qui è tam portentoso errore, à tam graui superstitioſi timoris sopore, expergefecit uerbi dei studioſos, qui ex Antichristianæ tyrannidis uiolentia pios nunc eripit, & ueri luminis claritate, uerbo inquam suo, tenebras illas illustrat. Verbo siquidem ueritatis, hoc est Canonica scriptura, non cantata aut murmurata uel

organis modulata, sed simplicissime intellecta, ac inter se collata diligentius & fideliter, pureq; prædicata fidelibus, & persuasa cordibus certa fide, iam satis indicat ac iudicat falsitatem, damnatq; quicquid extructum est stipularum, fœni, & lignorum, super fundamentum apostolicum aureum, & super Christi petram immobilem. Iam nunc quoque dei gratia, ecclesia Christi uera, in spiritu sancto & in fide intellectuq; ecclesiastici & apostolici Canonis legitime congregata, toto orbe Christiano ad decernendum de falsis dogmatibus istis audit & intelligit omnia, quæ utrinq; producuntur uaria scripta, ex sacris propheticis & apostolicis libris, contra Romanos episcopos, aliosq; prælatos spirituales omnes, & omnem quoq; statum ecclesiasticum: qui tot sæculis per sanctos uiros admoniti in conciliis & extra, semper contumaciter reformari renuerunt. Audiuntur hodie copiose scriptis ac uerbis ubiq; illorum defensores, & ecclesiasticæ quam iactant libertatis strenui assertores, qui sibi uendicant contumaciter diui Petri quoddam patrimonium, ius Regnorum ac Comitatuum, tanto plerunq; fidelium sanguine propugnatum, toties infeliciter amissum & acquisitum. Iam, inquam, fidelium sententia, satis graui authoritate & consensu, eis potissimũ in locis, ubi prædicatio euangelij & sacri Canonis authoritas non contemnitur uel blasphematur, decernitur, & iuxta uerbum dei cõtra eosdem promulgatur, quod deijcit & damnat omnem illorum fastum, quæstum, & luxum, tanquam certissime antichristianum. Quum illud ipsum fortissimum dei uerbum, & Christus ipse dominus dominantium nunc quoq; ad iudicium ueniens, sententiam fert in suos hostes, ut malos male perdat, infideles agricolas, & seruos nequam: stupenda iustitia & prouidentia sua uniuersale iudicium anteuertens, quod & ipsum absq; dubio succedet tam in mortuos quàm in uiuos. Nõ est ergo ut aliud Concilium expectetur legitimum & catholicũ. Quandoquidem isti nunc accusati, notorie rei, deprehẽsi in perfidia contra Christum & euangelium suum, deplorati quoq; homines, in uero Concilio iuste necessarioq; damnandi sunt dignius & certius q̃ ut illorum prælatorum sit, uel esse debeat aut possit, pro se quæ sibi placeant aut prosint ferre sententiam æquam & sacrosanctam. Iam autem princeps mundi huius iudicatus est, iam quoq; cæci uident, surdi qui fuerant nunc audiunt, iam pauperes euangelizantur, iam stolidi bardiq; illorum Germani sapiunt, iam omnium regnorum populi Christiani, legem domini dei & Euangelium Christi sui domini nostri audientes & credentes, discrimen intelligunt inter uerbum dei & hominis, inter Canonicam scripturam & Canones Papisticos. Proinde in cõscientijs suis salui sunt, & tranquillo animo domino deo suo sese totos committunt: etiam oppressi tyrannide, & obmutescere coacti, deum interim inuocant, & tuti inhærent ipsius uerbo, promissis, & fidei. Audit illorum dominus & pater uota orantium pro gloria dei, sentit suorum iniurias, odit mendacium, ueritatem seruat, præcipitat quoq; potentes & superbos de sede, & humiles euehit. Iam itaq; uelint nolint insolentes Pontifices maximi, & glorioſi Abbates, fertur sententia totius ecclesiæ orthodoxæ & sanctæ, dei uerbo innixæ, in magno illo Concilio & uniuersali, spiritu & fide legitime congregato, iudicaturq; uere, libere, & iuxta diuini iuris Canonem, de Pontificis Romani usurpatis sibi iuribus & potestate. Audiuntur enim ubiq; acta partium, libelli accusationũ & responsionũ eius producuntur: deprehenditur & probatur, quod fuerit ausus is Pontifex, & ea sedes, temeritate nimia transferre imperia non sua, excommunicare pijssimos Cæsares, illudere regibus, inuadere principatus, committere prælijs populos, prælijs cruentissimis interesse & stipendijs procurare, indulgentijs item redimere, adserere sibi supremam potestatem in cœlestibus & infernis, interim quoq; se à nemine argui posse, etiãsi animarũ myriades orco transmittat, ualere illius potestatem, nõ apud uiuos modo, sed & apud mortuos in alio mundo. Contra quæ omnia si quis, uel angelus, aliquot iam sæculis mutire tentasset, anathematis sui larua, & ignium pœna damnasset, quamlibet alioqui sanctissimos dei seruos, & pietate claros. Sed hæc omnia ac longe sceleratiora facinora Pontificum clarius nunc passim leguntur & asseruntur, suorum quoq;, hoc est Papistarum, testimonijs, quàm ut multis nobis agenda hæc sint. At talia commemorare non instituera-

sed

sed spiritu nō falsa ingerente, talia tam horrenda syncere doleo admodum uera & comperta cognosci, & tam turpiter admissa. Ad nostros pios, humiles, aclegitimos pastores animarum conuertor, quibus hæc scribo, ut Canonicorum librorum lectioni, prēmissa oratione attenta & humili, simulq;, ut dictum est, interserta, pro dono spiritus sibi donando, etiam pro ecclesia orent, pro suo populo, pro euangelicæ ueritatis prospero cursu, pro uniuersalis ecclesiæ legitima reformatione, tanto tempore expectata ut ne, pro amouendis tot in ecclesia scandalis: ut ardenter quoq; hortentur fidelem populum ad necessarias preces & deuotas: ut, quandoquidem propter peccata populi deus facit regnare hypocritam, & ex subiectorum ingratitudine ac perfidia in deum & proximum, impios dominos ac prælatos ad tempus finit exercere tyrannidem, conuersi ad dominum deprecentur hanc grauissimam pœnam, orentq; spiritum ueritatis & pietatis donari ipsis per uerbum domini auditum & creditum ab ecclesia, & supplicibus in eadem episcopis. Ante omnia uero necesse est, ut in ipso episcopo sit iusta quoq; eruditio, mentis in diuina eleuatio, probatissimæq; externæ conuersationis & honestæ uitæ præ alijs maturitas & religio. Quandoquidem non sufficit priuatim domiq; sancte uiuere, nisi foris quoq; & in publico incorruptissimi sint mores & sermones. Non hic exigo pharisaicam, sed solidam, constantem ac germanam formam, & exemplar, quod commissis à deo sibi subditis & ouibus, quibus pascendis formandisq; prefectus fuerit, exhibeat. Nec sufficiet doctrina, oratione, exemploq; prēesse populo Christiano, quin prudenter opportunitatem obseruet oportet, ut familiari nonnunq̄ colloquio, fideli uisitatione, & exhortatione fraterna, priuata correctione, ad meliora cōuertat insolentiores, piorū soletur conscientias, & terreat cōtumaces, confortet dubios, reducat errantes, inobedientes ad aliorum exemplum traducat publice, nihilq; criminis publici dissimulando prætereat, quod aliqua ratione crediderit se posse cōpescere, ne cōtagione polluatur ecclesia. Docenda est igitur in ecclesia, ex uerbo dei Canonicisq; scripturis, uera in primis fides, & pœnitentia digna, cuius uigor succrescat & fructificet in opera deo grata, & uere sancta. Fidem, inquā, pastor doceat catholicā & apostolicis literis contentam & orthodoxam, nulla hæresis suspitione infamem. Id agat absq; ostentationis, iactantiæ aut uanitatis cuiuscunq; ulla nota, ardente autem affectu & zelo pietatis, testante pijssimum animum, & cupientē omnium maxime salutem animarum: quæ est spiritualium & sanctorum doctorum efficaciter persuadens diuinaq; rhetorica. Ea deniq; sola producat in medium, quæ pertineant ad iustitiam fidei obtinendam, ad uitæ emendationem spectantia, quæue solidam reddere possint & tutam conscientiam auditorum. Non obmittat autem à principio fidei symbolum ecclesiæ simpliciter proponere, ueluti neophitis in schola solius Christi & sacrosancti euangelij sui pure tradendi. Quid quoq; sperandum sit Christianis, quid à domino postulandum, ex oratione dominica. Addet quibus propositis in ecclesia perueniatur ad opera deo grata, præcepta in sacro Decalogo mandatorum dei, naturali etiam iuri conformia & innixa. Hic uero non est obmittendum aliqua ratione secundū decalogi præceptum æque digito dei scriptum ut alia nouem, & minime cancellandū, de non habendis uel sustinendis sculptilibus uel imaginibus, ad cultum qualemcunq; prostantibus, magno cum scandalo, nedum simplicium credentium, & superstitiose hactenus instructorum, quin & maxime etiam Turcarum ac Iudæorum: qui hoc nomine fatali odio semper ardent in Christianos, quos hac causa quoq; crudeliter exterminandos censent iustissimum. Quàm fuerit autem huiusmodi idolorum sacrilegium causa superstitionis grauissimę, morum quoq; corruptelæ, impostturarum & errorūm in fide & moribus, quis possit breuibus dicere? id uero quod à nobis passim in locis scripturæ proprijs non est dissimulatum. Fuisse enim huiusmodi idola, aptissima instrumenta hosti humani generis, nemo est qui nesciat. Quamobrem ubiq; deus, per omnium prophetarum ora & apostolorum, sedulo clamat, & paterne, ceu abominationes grauissimas prorsus eradicanda esse atq; delenda, iubet. Sic itaq; catholicæ fidei synceritas, obedientia deuota magistratibus, & benefica charitas, cum officio pietatis ad pares, docenda erunt, iuxta scripturas: simul

quoq; accedente religiosa ac matura conuersatione doctoris, in uerbis, factis, & habitu omni, quibus doctrinæ ueritas efficatius comprobetur. De familia quoq; sacerdotis religiose instituenda, ut sit speculum honestatis testimoniumq; doctrinæ ciuibus, sic est infigniter illi curandum, ne uel leuioris criminis accusatione reddatur notabilis. Verum prolixius hæc tractata suis in locis inuenies, præcipue in epistolis ad Timotheum & Titum. Addendum his quoq; uidebitur, non inutile ad cautelam, & pro euangelicæ prædicationis profectu animaduertendum diligenter, quod ubi pura adhuc non fertur, ob quorundam tyrannidem, perfecta liberaq; prædicatio ueritatis euangelicæ, & abusuum reprobatio: ibi, inquam, agendum est cautius, ut non tam quid non fieri posthac debeat prædicetur eorum quæ nunc usq; probauit qualiscunq; clericorum omnium abusus, quàm quid omnibus agendum modis uerbum dei clare & irretractabiliter proponat & iubeat: idq; tantum in affirmandis quæ persuadēda sunt, non statim damnandis quæ contraria in usu ueteri sunt uerbo dei. Facile enim ferri potest, & æquis audiri auribus in ecclesia quacunq;, si quis prædicet, & scripturarum authoritate comprobet, Deum unum solum adorandum, idq; in spiritu & ueritate: quod Christus dominus noster, unicus sit mediator, seruator, redemptor, & Pontifex summus, regens ecclesiam suam, præsens uirtute diuina & uerbo, qui tollat peccata mundi, agnus oblatus pro redemptione fidelium sufficiente, cui Christo domino credens, transeat ex hoc mundo per mortem ad uitam, ipsum esse ecclesiæ caput & fundamentum, & cætera de Christo ex prophetis ac apostolis, Carnem quoq; domandam abstinentia à uitijs, dum infestat: abstinentiam necessariam semper ab omni superfluo cibo potuq;, Humiliter confitenda peccata nostra, ei in quem peccauimus, Domino quoq; non uouenda, nisi quæ nouimus illi esse grata, nec nobis impossibilia, uel certum periculum secum trahentia, Opera bona etiam sanctorum, imperfecta esse, & peccato obnoxia, Beneficia circa nos dei prouenire nobis ex gratia & misericordia dei, Panem in cœna dominica esse corpus Christi & uinum sanguinem sacramentotenus: & cætera quædam non pauca. Quæ si quis per negatiuas tractare tentet alicubi, non solum non promouebit diu euangelicā ueritatem, sed periclitabitur prædicatio ueritatis, & non audietur, nihilq; proficiet ad salutem animarū, uel ad gloriam dei, qui uult doctores ecclesiasticos æmulari ne dum columbinam simplicitatem, sed & prudentiam serpentinam. Proderit quoq; ad ædificationem ecclesiæ, & ad abusuum necessariam reformationem non parum, si qui minister tantum est uerbi in ecclesia ubi auditur euangelium æquanimiter, habeat sibi familiares eos primores, prudentes, & beneuolos, qui persuasibiliores se accommodant uerbo dei, quibus cum de reformandis cōmode abusibus, de instituenda disciplina, amice in tempore commentetur: quorum quoq; authoritate, prudentia, fide, & constantia, bonum promoueatur, quod unius sacerdotis exhortatio sola non posset conficere. Cauendum quoq; modis omnibus pastori ab inerti otio, & à negotio quoq; uano & curioso, uidelicet, ut tempus quo ob corporis imbecillitatem literis & studio non potest incumbere, illud transigat honesto ac utili labore, ne ab occupatione otiosus obambulans frequentius, cum pusillorum scandalo male fit auditurus: multo minus conuiuijs, nisi omnino pro honestate ciuili necessarijs sese immiscat. Nihil inusitatum, notabile, precioſum aut curioſum, in corporis habitu uel uestitu ostentet, sed in omnibus sese amare simplicitatem, honesta ac matura conuersatione ostendat: eamq; modestiam sacerdotalem ex animo colere, usu ipso & oratione uera pariter & actione persuadeat, quo facile contra omnem luxum ac petulantiam huius uitæ, mundi quoq; uanitates & pompam, efficacius prædicando prævaleat, & se queat absq; aliqua reprehensione omni impietati opponere. Quia denicq; ueritatis quiq; præcones fideles & strenui, persequutionibus & odijs improborum in hoc sęculo sunt plerunq; obnoxij, & cruci grauissimę in hac uita expositi, eam à domino impositā, discant magnanimiter ferre, sed & per aduersa ac prospera, per gloriam & ignominiam in uia uirtutis & pietatis perseueranter properando cōtendant semper ad charismata spiritus perfectiora: ut etiam fideles subditos, ad patientiæ exemplar audeat & ualeat fortius inhortari,

hortari, ut & ipſi quoq; patientiam & obedientiam, tota uirili obſeruare & retinere con tendant. Sed nec obmittendum aut negligendum ſacerdoti fuerit, neceſſarium maxime officium in eccleſia, inſtituendi iuuentutem popularem, quorum ſe æſtimet, ut eſt, primarium patrem & inſtructorem, quos in timorem dei, in obſeruantiam mandatorum eius, in agnitionem ueræ fidei, ſtudio fideli introducere conetur, ut in diſciplina quoq; morali, in conuerſatione honeſta & politica, in tractabilitate humana, in ueritatis uerborum & operum obſeruantia nobili, multa cura eoſdem ab ineunte ætate inſtituere ſeſe obligatum meminerit. Cogitet etiam ſolicite, quantum tranquillitatis nedum iſta ſua eccleſia, ſed & ipſe quoq; olim ſenior habiturus ſit & iam ueteranus, dum inſtituti à ſe à puero boni ciues, ſuos ipſi ſubinde infantes ſuapte diligentia in omnibus bonis inſtituere & docere ualebunt, uolentéq; religioſius. Totum uero conetur pariter ad ædificationem eccleſiæ, cui præeſt, à qua quoq; perpetuam ſit, etiam in hoc mundo, laudem & gloriam reportaturus. Quis autem neſciat, uel poteſt negare, hęc omnia iam prædicta ſimplici forma & breuibus, pertinere ad munus ueri paſtoris, & eccleſiæ miniſtri epiſcopi, qui à paſcendo & ſuperintendendo epiſcopalis nominis dignitatẽ aſſequitur, ut nõ ſit opus cõſtitutionibus ſynodalibus hæc decernere, quę ius ipſum diuinum, uerbum dei, & apoſtolica traditio, certiſſime complectuntur & docent, quæ & in ſe continet epiſcopi nomen ac officium. Cui, ut dictum eſt, tantæ functioni ſi quis pro debito præpoſitus inuigilare tentauerit, ut oportet, ſatis nimirum operis ac laboris ſolicitudinisq; ſentiet & portabit, ut inerti otio nequaquam marceſcat. Vt autem nunc finiam, oranda nobis eſt ardenter & ſedulo, communibus piorum uotis, clementia dei, ut ea miſerante, contingat eccleſiæ, Cæſarem Reges ac Principes, Chriſtiano ſpiritu excitari tandem & extimulari, ut de reformando eccleſiaſtico ſtatu, quoniã id nunc poſſunt ac debent, ſic quoq; religioſe uelle incipiant, & quod neceſſariũ & cõmodum ſit fideli populo dei regendo in rebus & conſcientia, non expectetur diutius Papæ Cardinaliumq; ſanior mens & conuerſio, nimis diu ſperata, uanéq; promiſſa. Longe minore negotio tentabitur poſthac, Si epiſcopi, Principes eccleſiarum, & regnorum ſatrapæ, reclamante etiam Romano epiſcopo, Cęſari ac regibus ex officio, iuramento, ac feudis ſuis digne obſequẽtes, ſaluis ſuis omnibus iuribus, iuxta uerbum domini in ſuis adminiſtrationibus, quas à Chriſto ſe habere certiſſime credant & ab eccleſijs principum authoritate, nequaquam à Romano Pontifice (Cui nimium multa & diu permiſſa ſunt à Cæſare & regibus omnibus & pernitioſe delata) auxilio quoq; Regum inſtituant in ſuis diœceſibus, collegijs uel cœnobijs, Canonicæ ſcripturę expoſitores pios, honeſtos, doctos & eloquẽtes, qui iuxta uerbum domini eruditi, in eccleſijs parochialibus, fidem & opera uere ſancta aliquando docere poſſint, iuſtitiam & obedientiam, pietatem ueram, & rectiſſimum dei cultum: quiq; idonei ſint ac parati, ea quæ pure docent, conſtanter defendere, & ſanctis quoq; moribus, ut decet epiſcopos, conteſtari: quæcunq; etiam ſunt de officio paſtoris eccleſiaſtici iam prędicta, ſecum profundius æſtimare, expendere, & proſequi ſtudeant. Quibus certe, & ex eis maxime ſimplicioribus, quibus noſtra hactenus prodeſſe & placere potuerunt, hæc quoq; prędicti ſumus in fine operis, nulla prorſus alia ratione, cuius teſtis eſt dominus, quàm ut hæc omnia qualiacunq; ſcribentes, inſeruirent iſtis tantiſper, donec digniora ſacratioraq; & fundatiora pro eccleſiarum dei inſtitutione, in Sacroſanctum Canonem diuinarũ ſcripturarum, per fideliores ſuos miniſtros fuerint accepturi, quod præſtare dignetur ſua gratia deus pater cœleſtis. Cui cum filio & ſpiritu ſancto, uni deo, ſoli debetur atq; reddatur ab omni creatura omnis honor & gloria in omnia ſæcula ſæculorum, Amen. Tiguri Menſe Auguſto. Anno M. D. XXXIX.

IN APOCALYPSIM D. Ioannis, sacrosanctæ authoritatis & ecclesiasticum librum, luculenter, breuiter, solideq; scripsit his diebus doctissimus pñssimusq; sacræ theologiæ professor, D. Sebastianus Meyer, illustris ecclesiæ Berneñ. pastor, & doctor eximius: tanta eruditione & fructu, ut si scriptum illud inter sanctorum ueterum monumenta & libros inuenissem, ad uerbum eum huic quoq; nostro operi adscripsissem, ut aureum ac ornatissimum colophonem. Illud cum elegantibus typis excusum sit hoc anno Tiguri huicq; nostro per omnia similibus, pius & studiosus Lector facile comparabit, & implebit totius sancti Bibliorum operis absolutionem optatissimam. Quo toto in opere ueluti in felicissimo Elysio campo oblectare se poterit, sancti spiritus nectare & ambrosia reficiendus tota uita, alioqui misera, donec ad cœlestem, felicem, ac perpetuam tandem omnium bonorum uisionem & fruitionem pertingat, Amen.

EPISTOLARVM APOSTOLICARVM IN HOC VOLVmine series, unà cum paginarum, ubi singulæ initium habeant, Indice.

EPISTOLA			
Ad Romanos	2	II. ad Timotheum	545
I. ad Corinthios	177	Ad Titum	577
II. ad Corinthios	280	Ad Philemonem	604
Ad Galatas	332	Ad Hebræos	609
Ad Ephesios	365	Iacobi	681
Ad Philippenses	397	I. Petri	711
Ad Colossenses	417	II. Petri	739
I. ad Thessalonicenses	438	I. Ioannis	754
II. ad Thessalonicenses	454	II. Ioannis	785
I. ad Timotheum	463	III. Ioannis	788
		Iudæ	791

FINIS.

COMMENTARIVM
IN EPISTOLAM DIVI PAVLI APOSTOLI AD ROMANOS.

ARGVMENTVM EPISTOLAE.

OMANI, AD QVOS HANC PAVLVS misit epistolam Tertio excipiente dictatam, post utranq; ad Corinthios scriptam, primum male instituti à pseudapostolis, simul atq; pro sua prudẽtia fraudem senserant, resipuerunt: & in eo quod rectũ esse cognouerunt, perseuerabant: contra quàm Galatis usu uenerat. Erant enim in nascentis ecclesiæ primordijs, qui existimarent euãgelij gratiam peculiariter Abrahæ posteris promissam, nõ esse propagandam ad gentes prophanas, simulachrorum ac dæmonum cultui deditas, ut liquet ex Actis apostolorum. Erant rursus, qui non arcendas putarent, sed legis oneribus subijciendas, quasi Christus egeret adminiculo legis Mosaicæ, utq; euangelij gloriam Iudæi in suam gentem transferrent, prædicantes omnino non esse spem salutis etiã gentibus, nisi iuxta Moysi præscriptum circumciderentur. Quam tamen opinionem & litem Petrus & Iacobus apostoli & cæteri seniores, primæ Synodi authoritate composuerunt, decernentes ne gentes onerarentur lege Mosaica, tantum sibi à paucis temperarent. Sed & Paulus intelligens periculum esse, ne dissidio tam noxio magna ex parte periret euangelij fructus, & Christi gloria Mosaici nominis obscuraretur admixtu, hoc in primis agit ubiq;, ut legis ceremonias abroget & antiquet, omnemq; salutis adipiscendæ fiduciam in unum Christum transferat. Sicut autem Galatas acriter, sed tamen amanter obiurgat, quod essent in Iudaismum adducti: ita Romanos præmunit sedulo & instruit, ne à pseudapostolis, quos sciebat nusquam cessare, illaqueentur incauti, sed in recta doctrina, quam amplecti cœpissent, persisterent. Erat enim Romæ ingens Iudæorum numerus, cum quibus & Paulo postea multum fuisse negotij, testatur extremum caput Actorum. Miro autem consilio singularis artifex sermonem temperat inter Iudæos & gentes, dum studet omnes omnibus modis ad Christum pellicere: neq; uult, si fieri potest, quenquam omnino mortalium perire suo duci cui militabat. Itaq; nunc hos obiurgat nunc illos, nunc rursus erigit & solatur. Gentium supercilium deprimit, ostendens nihil illis profuisse, neq; naturæ legem, neq; philosophiam, cuius professione tumebant, quo minus in omne scelerum dedecus prolaberentur. Rursus Iudæorũ arrogantiam coërcet, qui legis fiducia perdidissent, id quod erat totius legis caput, fidem in Christum Iesum. Docens legis ceremonias antiquatas, & intellectum totius legis iam Christi doctrina euangelica declaratum, & promissiones impletas, & toti mundo saluatorem transmissum iuxta prophetarum oracula, quem legis umbræ significauerant fidelibus. Docens simul, ueros esse filios Abrahæ, qui fidem Abrahæ referrent: uere Iudæos esse, qui Christum, quem omnes prophetæ præcinuerũt, uenisse profiterentur: uere circumcisos, qui mentem haberent à fœdis cupiditatibus repurgatam; ueram iustitiam ac perfectam salutem citra legis auxi-

lia per euangelium ac ſolam fidem in Chriſto conferri ex æquo omnibus. Idq; docet tum exemplo Abrahæ, tum uarijs legis ipſius teſtimonijs. Et ad eum modum detracto utriſq; ſupercilio, adempta utriſq; fiducia, omnes æquat in negotio fidei euangelicæ. Ita gratulans ſaluti gentium, ut ſuæ gentis cæcitatem paterno deploret affectu, quamlibetq; excæcatos, fore, ut aliquando reſipiſcat Iudæorum natio, fide gentium iuxta temporis tractum prouocanda. Atq; hic traditur obiter uaria multiplexq; doctrina, de præfinitis ſiue prædeſtinatis, de præſcitis, de uocatis, de gratia & merito, de libero arbitrio, de diuino conſilio nobis inſeruitabili, de lege naturæ, de lege Moyſi, de lege peccati. Varij item allegoriarum fontes, dum duos facit Adam: alterũ quo naſcimur iuxta carnem mortales, alterum quo renaſcimur, immortales futuri. Duos homines, internum & externum: internum ſpiritui parentem, externum cupiditatibus & affectibus obnoxiũ. Quorum priorem aliquando ſpiritum appellat, poſteriorem interim corpus ſiue membra. Duplicem mortem, corporis & animi: tertiam quoq;, qua peccato morimur & peccandi affectibus. Triplicem item uitã, qua uiuimus corpore & animo, iuſtitiæ & innocentię, uel etiam peccato. Duplicem ſeruitutem aut libertatem, Iudaiſmum duplicem, & geminos poſteros Abrahæ. Duas partes Moſaicæ legis, carnalem, ueluti corpus: ſpiritualem, uelut animam legis. Baptiſmum quoq; duplicem, quo peccatis abluimur, & quo Chriſto commorimur, abdicatis mundi affectibus. Sepulturam duplicem, corporalem, qua triduo ſepultus eſt Chriſtus: & ſpiritualem, qua ſemoti à mũdi uitijs, requieſcimus in illo. Duplicem reſurrectionem, alteram quæ præceſſit in Chriſto, in nobis ſequutura: alteram qua nos à peccatis priſtinis rediuiui progredimur à uirtute in uirtutem, hac parte quoad licet futuram immortalitatem meditantes. Duplicem iuſtitiam, dei & hominum: iudicium duplex, dei & hominum: gloriam et laudem duplicem, apud deum & homines. His diſſertis, tranſit ad locum moralem. In primis adhortãs ad mutuam concordiam, exemplo membrorum corporis: & quoniam pax conſtare non poteſt ubi faſtus eſt aut liuor, obſecrat, ut obſequijs mutuis mutuum amorem alant foueantq;. Romanos, ut Iudæorũ infirmitatem ex diutina legis aſuetudine relictã, ferant: contrà Iudæos, ne gentibus in euangelij conſortium aſcitis inuideant, ſed illorũ fidem ac libertatem potius æmulẽtur. Et cum idem ſit omnium deus, idem Chriſtus, eadem gratia, idem præmium, omnes in unum corpus coaleſcant, neq; quiſquã ſibi arroget quicquam. Hic ſi qua dote præcellat aliquis, eam ad fratris opem accommodet. Atq; hunc locum uarie tractat, docens quales ſe præſtare debeant erga Iudæos incredulos, quales erga Chriſtianos ſuperſtitioſiores, ſiue ut ipſe uocat, infirmos, quales erga ſuperiores, quales erga inferiores, quales erga patres, quales erga principes ac magiſtratus ethnicos, ſed ſuo utcũq; fungentes officio, quales in proſperis, quales in aduerſis. Deinde rurſum laude Roman. mitigat admonitionis acerbitatẽ, & ſuã apud illos authoritatẽ prudẽter commendat, cõmemorans quanto plus cæteris promouerit in euãgelio Chriſti, declarat quanta teneatur illorum uidendi cupiditate, & ſpem facit ſui aduentus, cur eum differre cogatur, aperit, laudans ſpontaneam Macedonum & Corinthiorum in pauperes ſanctos liberalitatem, tacite & uerecunde Romanos ad æmulandum prouocans. Tandem poſt ſalutationum elogia, non frigide congeſta, Romanorum ſimplicitatem admonet, ne pſeudapoſtolorũ blandiloquentia fallantur. Nihil autem eſt omnium horum, unde non ad hæc quoq; noſtra tempora ſalutaris aliquid doctrinæ poſſit accõmodari. Adeo aũt non affectauit orationem arte humana compoſitã, ut eam ſibi fugiendam etiã duxerit, ne quid hinc decederet gloriæ crucis.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

AVLVS ſeruus Ieſu Chriſti, uocatus apoſtolus, ſegre i gatus in euangelium dei.

De nomine Pauli multa paſſim diſputãtur à plurimis. Satis conſtat gentilitium illi fuiſſe ab infantia nomen Saulis, quod in tribu Beniamin plauſibile habitum eſt, ob primum in Iſraelitica gente regem electũ à domino, cum eſſet innocentiſſimus & optimus rex, ante ſimultatem conceptam contra Samuelem in primis, deinde contra Dauidem, quem crudeliter ac perſeuerãter eſt perſequutus, & factus ex optimo peſſimus. Et Paulus quoq; ante Chriſti domini Dauidis filij glorificationẽ in cruce, probatiſſimæ cõuerſationis fuit phariſæus, Hieroſolymis ſecus pedes Gamalielis eruditus, iuxta ueritatem paternæ legis inſignis æmulator, ſtatim cœpit ad apoſtolorum prædicationem perſequi eccleſiam dei ad mortem uſq;, capiens & alligans uiros & mulieres. Id uero per ardentem & pium zelum, nõ tamen ſecundum ſcientiam. Haud aliter infeſto animo Chriſtum Dauidis filium Paulus hic perſequutus eſt, quàm Saul ille exoſiſſimum habens Dauidem ſanctum & electum à domino. Conuerſus autem ad dominum Ieſum Chriſtum, doctorq; gentium electus, & miſſus ad prędicandum euangelium gratiæ Chriſti, non legitur ex illo tempore Saulus communiter dictus, ſed Paulus, quemadmodum legitur in Actis 13. Saulus, qui & Paulus, ſpiritu ſancto repletus, &c. Mutato nomine Hebraico in Romanum: & gratius, apud quos inſignes quidam Pauli erant. Significare enim uoluit paruum ſe & exiguum coram mundo, & in apoſtolatus dignitate, qui eccleſiam fuerit perſequutus, & indignus qui nominetur apoſtolus, per quem tamen Chriſtus dominus maxima perfecerit & ampliſſima: euangelio enim gratiæ & ſalutis repleuit omnia, à Ieruſalẽ & circa, uſq; in Illyricum. Seruus.) Ex his ſeruis Paulus eſt, quos miſit homo rex, facturus nuptias filio, ut inuitarent multos. Sunt enim apoſtoli, quantum ad miniſterium, ſerui: quantum ad myſteriorum agnitionem, amici dicuntur. Plus autem eſt dicere ſeruum quàm miniſtrum. Seruus enim addictitius eſt, miniſter non item. Eximius autẽ ſeruus fuit domini, omnibus modis ſeruitutis, creatione, opere, fide & uita. Nominat autem ſe ſeruum Ieſu Chriſti) ut profiteatur ſeſe totum eſſe huius domini, eius tantum negotium agere, præter hunc nihil ſe noſſe, nihil prædicare, ſpirare, uel uiuere. Fuit quoq; ſeruus Chriſti, hoc eſt uerbi dei, ſapientiæ, iuſtitiæ, ueritatis & uirtutis, quæ Chriſtus eſt. Et Ieſum quidem opponit regibus & imperatoribus, quibus cæteri mortalium addicti erant. Et Chriſtum quoq; opponit Moſi, utpote euangelij annunciatorem, & non onerum legis, à quo ſit ſolo ſperanda, petenda & impetranda iuſtitia. Vocatus apoſtolus.) Vult ſe Apoſtolus hinc cõmendare Romanis, quia quæ in Chriſti & euãgelij negotio hactenus egit, omnia egerit domino ſic uolente & iubente, ad quæ ſatagenda uocatus ſit, nihil huiuſmodi præcogitans, nedum ambiens, qui infinita domini bonitate pertractus ſit, ut conſtitueretur in hãc apoſtolici muneris functionem, ut ſit apoſtolus, id eſt legatus, ad annunciandum peculiariter Iudæis & gentibus quoq;, ea quæ dominus iam per Chriſtum ſuum hominibus præſtare decreuerat. Nempe, ut omnibus huic euangelio fidem habentibus, daretur ciuitas beata in regno cœlorum, & Chriſti gratia quoq; & iuſtitia, ſanctaq; communio corporis Chriſti myſtici. Sicut ergo optima fide & ſummo ſtudio fungebatur legatione ſua, ſic quoq; cupiebat religioſe excipi ab omnibus, maxime autem à Romanis, ut dignus & fidelis apoſto

lus haberetur, & fructu ſancti ſtudij ſui non careret etiam apud illos. Quis enim non ſyncera uenératione ſuſcipiat, & prona mente audiat, quem deus certo ſuo decreto & ſpiritu huc adegit, ut prædicare cogatur, quod improbare prius maxime conabatur? Sicut enim Chriſtus Petrum impulit ad apoſtolatum circumciſionis ad Iudæos, ſic efficaciter quoq; adegit Paulũ, ut gentibus ſeſe exhiberet apoſtolum. Vt omnibus clarum eſſet, omnia eum ex dei ſpiritu agere, & contra pſeudapoſtolos, uere ſe à Chriſto iam glorificato uocatum eſſe, & in apoſtolatum adſertum, etiamſi uiuenti in carne Chriſto nõ adhæſerit. Segregatus.) Vult hoc uerbo ſignificare, ſe non temere accerſitum in hanc functionem, ſed ab æterno electum & deſtinatum, antequam eſſet in hanc lucem æditus, quia ab utero matris ſegregatus ſit ad hoc munus, antequam boni uel mali aliquid feciſſet, ut Chriſtum dominum prædicaret. Omnia enim pendent ab unius dei arbitrio, deſtinantis quæ condidit, & diſtribuentis unumquodq; ad ſuum munus ſempiterno conſilio ſuo. Huius ſegregationis quantum ad apoſtolatum ad gentes attinet, ſolennis executio facta eſt in eccleſia Antiochena, cum ſpiritus diceret, Segregate mihi Barnabam & Paulum in opus ad quod uocaui eos. In euangelium dei.) Publicam diuinæ beneuolentiæ & ſalutis annunciationem toti orbi inuulgandam, euangelij nomine ſignificat, quo, ſicut illi à deo donatum eſt, ita deum nobis non tam prædicat quàm exhibet in domino Ieſu Chriſto, qui cum patre unus eſt. Vnde & alibi id uocat Euangelium domini noſtri Ieſu Chriſti, quo æterna uita adminiſtratur uerbo, quo ſe deus ipſe nobis commendat & communicat in Chriſto Ieſu. Et his ſeſe Paulus titulis prudenter neceſſarioq; commendat Romanis, & munus ſuum ueris epithetis approbare ſancte ſtudet.

2 Quod ante promiſerat per prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis, de filio ſuo, qui factus eſt (ei) ex ſemine Dauid ſecundum carnem.

Euangeliũ iſtud dei, res eſt antiqua, publica ſalutis uniuerſalis promiſſio certa, ardentiſſimo patrum deſiderio digne expectata. Ab initio enim, ſtatim ut peccatum irrepſit in primum hominem malitia factioneq;, promitti cœpit humano generi, Gene. 3. ut ſemen mulieris contereret caput antiqui ſerpentis. Et per ſemen benedictũ reddentur diuinæ gratię participes omnes gentes terræ, Gen. 22. Et non auferetur ſceptrum de Iuda, & legifer de ſub pedibus eius, donec ueniat Meſſias felicitas & qui mittendus eſt, inq; eum gentes ſperabũt, Gene. 49. Per prophetas ſuos.) Referti ſunt prophetæ, non ſolum maiores, ſed & minores, promiſſionibus huiuſmodi euangelij. Iſaias enim, præter ea quæ de hac re eximia de Chriſto & eccleſia ſcribit cap. 2. 9. 11. & alijs ſparſim locis prædixit, à 40. cap. uſq; ad finem ſui libri de hoc potiſſimum agit Euangelio diuinæ gratiæ per Chriſtum exhibitæ: cuius prædicatio & fides poſt exaltationem crucifixi, in totũ mundum diffundenda erat: id quod omnes patriarchæ & prophetæ ardẽtiſſimis uotis ſem per futurum expectarunt, & prædicarunt tempore plenitudinis perficiendum.

In ſcripturis ſanctis.) Hoc nomine oms ſacroſancti canonis ſcriptores appellantur: ſunt enim certi interpretes uoluntatis diuinæ & ſolidæ ueritatis, ad animarum & fidei paſtum utilis, inſtincti à ſpiritu ſancto. Quamuis nonnunquam lex dei ſuo nomine appelletur, & Pſalmorum nomine Hagiographa, ut inde reliqui prophetarum priorum & poſteriorũ nomine nominentur. Quemadmodum & Lucas ait, Incipiens à Moſe & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus ſcripturis quæ de ipſo erant. Sanctæ uero dicuntur, quia non humano ſpiritu, ſed ſancto & diuino ſunt inſpiratæ, quo minus ethnicis quoq; præſagijs credere

dere cogamur, permixtis falsitatibus, & incertis authoribus famatis. De filio suo) naturali, proprio, consubstantiali, coæterno & coæquali, ante omnia sæcula æternaliter nato, qui sit deus de deo, lumen de lumine, uerbum ex patre quod erat apud deum, & deus erat uerbum, per quod facta sunt omnia quæ facta sunt. Quem ex maxima & gratuita dilectione qua mundum dilexit, misit filium suum unigenitum in hunc mundum, ut inter homines cõuersaretur factus homo, uerbum incarnatũ, hoc est assumpta carne & anima, humana scilicet natura, in unitatem personæ, homo Christus Iesus. Qui factus est (ei) ex semine Dauid secundum carnem.) Non est iuxta naturam diuinã factus, à quo facta sunt omnia, sed qui ab æterno deus est increatus, is iuxta proprietatem diuinam, qua filius est, & uerbũ patris, & sapientia genita, per quam facta & adornata sunt sæcula, assumpsit sibi ueram naturam humanam, & uniuit sibi in unitatem suppositi, mũdam ab omni peccato, ut purificaret omnia. Vt iuxta naturam dei naturalis sit filius, unigenitus, coæternus, & uerus deus: sed iuxta unionem hypostaticam ac personalem, cum carne & anima, fieret in tempore deus & homo, tanto unionis uinculo personaliter unita, ut per communicationem proprietatum sine aliqua naturarum commixtione, quod dicitur uere de una, de alia quoq; dicatur, saluis tamen proprietatibus utriusq; naturæ, tam diuinæ quàm humanæ in Christo. Quã carnis humanæ naturam, non aliunde assumpsit, q̃ de genere Abrahæ & Dauidis, de quorum semine uerbum dei incarnandum, Messias in lege promissus, à prophetis prædictus est, & expectatus à sanctis patribus omnibus, ut communicatione naturæ diuinæ, & unitate maxima, secundum quod uerbum est dei, sit naturalis dei filius: secundum unionis gratiam ad assumptam naturam, sit & dicatur personaliter deus, & dei filius: pro communicatione autem & participatione ad carnem nostram & ad humanam fragilitatem, præter peccatum, sit & dicatur frater noster, tentatus per omnia propter nos & secundum nos, ut nos faceret dei filios per gratiã adoptionis, qua pariter cum eo & per ipsum clamare possumus, Abba pater. Vt sit ipse Christus dominus noster unigenitus quidẽ dei iuxta unitatem naturæ & unionis, primogenitus autem per adoptionis gratiam, & in fratribus multis, & ante omnem creaturam præordinatus, ad cuius similitudinem crearetur humana substantia, cuius tot indiuidua participatione speciei, & cum Christi humanitate sint unus homo, cuius alter alterius membra simus per charitatem in Christo, qui sit caput, rex, dominus, redemptor, & frater noster: ut inde & hac ratione simus caro de carne eius, & os de ossibus eius. Quorũ non est ueritus assumere carnem caducam, ærumnosam, morti obnoxiam, non tamen peccato commaculatam. Quam in ipso sic euexit, & in tantum dignitatis fastigium exaltauit, ut glorię quoq; suæ consortem facturus sit, & potestatem etiam hic det, fieri filios dei per gratiam adoptionis, qui ipse iuxta naturam humanã uerus homo filius dei digne dicitur, per gratiam unionis ad uerbum, quod natura est filius dei deus, unius cum patre & spiritu sancto diuinitatis essentiæ & substantiæ. Itaq; quemadmodum ipse uiuit propter patrem, ita qui unus cum eo spiritus fit per fidem & communionem ueræ charitatis, in spe uiuat & ipse propter eum, Ioan. 6. Sic assumuntur uere fideles in diuinæ naturæ cum Christo consortium, ut unum simus. Quod autem Dauid nominatim est positus, de cuius semine natus sit Christus, admonere uoluit Apostolus fidei in promissiones factas patribus & Dauidi, adeo clare, ut Christus huius præcipue filius, imò etiam Dauid in prophetis non semel dicatur. Sic ergo per euangelium prædicatur Christus dei filius, & uirginis quoq; secundũ carnem filius, ex semine Dauidis, qui sit saluator

mũdi, rex uniuersalis & æternus, author omnis iustitiæ & sanctimoniæ, cuius solius iustitia prosit apud patrem, ad remissionem & satisfactionem pro totius mundi peccato, quod totum humanum genus incidit, transgressione primorum parentum. Vt & ex his omnibus certo intelligatur deus quoq; esse, cui soli hæc omnia competunt, Christus dñs, deus & homo, uitæ æternæ conditor & largitor.

3 Qui prædestinatus est (declaratus) filius dei in uirtute, secundũ spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Iesu Christi domini nostri.

Per dominum nostrum Iesum Christum deum & hominem, ad patrem peruenire nos necesse est, qui in hoc homo factus est, ut in carne nobis uisibili eum manifestatum cognoscceremus, & in diuinitatis communionem & fruitionem adducceremur. Id quod nobis euangelij prædicatio de Christo credendum prædicat. In uirtute, hoc est per uirtutem, non aliam cũ quæ est spiritus sanctus, sanctitatis author, quo imbuti, deo placeamus, & pro sanctis & amicis dei habeamur, & uerei simus. Qui longe opulẽtius & clarius effusus est, postquã dominus noster Iesus Christus resurrexit à mortuis, & immortalitatem induit, regnumq; suscepit, ad dexteram patris sedens in gloria dei, speculũ felicitatis omnibus beatis. Qua uirtute nimirum percepta à Christo per spiritum, credere cœperũt Christo, attracti à patre, cuius gratia præuenti, repressis cupiditatibus prauis, accẽdatur studium omnis innocentiæ & pietatis, si quo modo restitui nos contingat, uel ex parte ea dignitas in qua conditi sumus, id quod solius dei est donum. Hanc cum Christus largiatur credentibus, frustra aliunde quærimus, siue à legalium obseruantia, siue à ciuili uel philosophica probitate, siue à receptis ab homine religionibus, propter quod orbis totus iam pridem uera sanctimonia destitutus erat. Vnde abunde monstratur, hunc dominum nostrum Iesum Christum uere filium dei esse, & mundo toti promissum seruatorem & iustificatorem, uerum deum de deo uero missum, & inter homines conuersatũ, & electis omnibus prælatum regem & dominum. Miracula quæ in nomine domini Iesu ædebantur, satis quoq; euidenter demonstrabant, eum recepisse à patre, & habere omnem potestatem in cœlo & in terra, quod non est nisi dei: sicut & sanctificare fideles, & inuocato eius nomine mortuis uitam reddi. Verum ante omnia apostolorum officiũ erat prædicare, per Christi nomen dari credẽtibus peccatorum remissionem, utq; iustitia dei uera & solida per ipsum mundo ostenderetur & exhiberetur. Hinc sanctos ubique uocat eos qui Christo credunt, & eum prædicãt, propterea sese tradidisse in mortem, & resurrexisse, ut sanctificaret suos, quorum caput est, & primogenitus sanctorum. Per spiritum ergo sanctificatorem à Christo nobis datum, qui nobis mortuus est, nobis resurrexit, & ascendit in cœlum, diffusa est in orbem sanctificatio, reddita nobis est uita æterna & diuina. Nec inutiliter Chrysostom⁹ numerat probationes, ut Christus credatur dei filius ex his uerbis, ubi inducũtur oracula prophetarum, quibus id in scripturis passim probatur, Ex uirgine natiuitas secundum carnem, & sine uiro: Ex miraculis potentiæ dei: Ex spiritu sanctificante, ab eo dato credentibus: Ex resurrectione quoq; mortuorum, ad inuocationem sui nominis. Sed tamen euidentissimum diuinitatis Christi argumentum est illa uirtus, qua nos sanctificat: ideo hic dicitur factus nobis sanctificatio. Sic ergo hunc uersum intellige. Demonstratus est esse filius dei uirtute spiritus sanctificatoris, ea quæ inde palàm effulsit, quod Iesus Christus dñs noster resurrexit à mortuis.

4 Per quem accepimus gratiam & apostolatum, ad obediendum fidei

in omni-

in omnibus gentibus pro nomine eius, in quibus estis & uos uocati Iesu Christi.

Per dominum Iesum Christum non solum omnia condita sunt, uerbo enim domini cœli firmati sunt, & instaurata per incarnationis mysterium, sed etiã apostolis omnibus, & ipso Paulo gratia data est, hoc est uirtus diuini spiritus, qua cũ amplissimo fructu euangeliũ quod à Christo domino acceperunt prędicandum, fideliter administrauerũt, ueluti ministri Christi idonei, eadem simpliciter renunciantes, quæ spiritus diuinus in cordibus electorum certa persuadeat, ut plenà fide amplectantur quæ uerba domini illis per apostolos & apostolicos uiros adferuntur. Hanc ergo gratiam, ut Christi domini legatus esset, ad prędicandũ omnibus gentibus euangelium Christi, exponit esse apostolatum suum, hoc est diuinitus sibi commendatam functionem & officium, agẽte hoc in ipso spiritu Christi, ad proferendum salutis in Christo nunciũ ad uarias gentium regiones, & ad instituendũ ecclesias per uirtutem spiritus, eam qua signa ac portenta ædebat uerbis & operibus, ut sic alliceret gentes ad obediendum imperio Christi: idq; præcipua uirtute qua polłebat, ut q; plurimos Christo per fidem adduceret, & ubiq; dignos Christi & ecclesiarum ministros instituęret, quod est legitimus apostolatus, & uera obediẽtia fidei, de qua subdit. Deinde ex fidei dono propẽsio nascitur ad toto pectore obsequendum præceptis & doctrinis Christi, credentes quæsitam salutem nostram, & partam à Christo: cui ob id obsequendum per omnia sit, quando nemo sese obedientem Christo pręstare potest, nisi eius uerbo crediderit. Id uero Paulus egit in omnibus gentibus, personaliter quidem in Iudæa, Arabia, Syria, Cylicia, tota ferè Asia, Græcia, Macedonia, & Romæ: epistolis autem suis submissisq; discipulis in omnem terrarum orbem. Iam enim prophetis prædictum tempus aduenerat, ut his quoq; qui longe fuerant, per Christi euangelium innotesceret unicus & uerus deus, ut salutis doctrina adnunciaretur omni creaturæ. Ad eas em̃ gentes peculiariter missus est Paulus, quibus toto orbe dispersis tunc quoq; Iudæis, ubiq; primùm euangelium suum obtulit, & non sine fructu, quorum etiam opera passim usus est ad conuersionem gentium, quos & episcopos instituit ecclesijs, & transmisit locis, ad quæ sibi peruenire integrum non erat. Erat autem præcipue constitutus apostolus gentium, ut eas ad Christi regnum adduceret, & ad obedientiam fidei: qua in functione, præcipua uirtute ualebat, quod & in eo primores apostoli Hierosolymis agnouerunt, & sunt testati. Cum uero subiecit, In quibus & uos estis, expressit Romanos quoq; inter eas esse gẽtes, quibus à domino sit missus Apostolus, propter quod & sæpe propositurus uenire ad eos: licet ad suum usq; tempus quod dominus definierit, id differri oporteat. Excitat autem animos ad fidei obedientiam, cum eos nominat uocatos Iesu Christi, id est ex certo decreto dei dignatos communione Christi, in quam gratia sua deus ipsos quoq; inseruerat. Qui ergo inter eos erant, quos pater filio suo donauerat, merito insigni ueneratione & obedientia excipere suas exhortationes debebant, & non spernere communionem cum cęteris omnibus electis & pijs, siue Scythæ essent siue Thraces: in Christo enim æquãtur omnes, per hunc unum seruari necesse est cunctos. Pro nomine eius adiecit, ut significet euangelij prædicationem esse celebrationem quoq; nominis Christi, cui accepta referri debeat salus electorum, atq; fidei obedientium, ut commẽdetur omnibus gentibus eius nomen, hoc est uirtutes & laudes, eaq; omnia quæ nos per illum recipimus, iustitiam, sanctitatem, gloriamq; æternã in Christo. Quæ cum nobis persuasa sunt, quid aliud effi-

ciunt, quàm ut toto corde nos illi credamus, & ei conſecremus omnem uitam noſtram & opera, quod eſt obedientia fidei in Chriſtum, uere, non ficte?

5 Omnibus qui ſunt Romæ dilectis dei, uocatis ſanctis: Gratia uobis & pax à deo patre & domino noſtro Ieſu Chriſto.

Salutatio eſt digna apoſtolo, ex animi ueritate & affectus puritate proficiſcēs, cum charitate non ficta. Erat autem (quicquid poſt titulum Pauli, quo ſe cōmendat Romanis in primo uerſu, tribus iam præcedentibus uerſibus dictum eſt) parentheſis quædam, qua flagranti animo incitatus in admirationem euāgelij, Romanos quoq; ſtatim in eiuſdem magnificam æſtimationem adducere uoluit, totius euangelij naturam luculenter & paucis explicans: nunc uero finita ea interpoſitione, ſalutem precatur uerbis aptis & religioſis. Omnibus autem dicit, quia optauit omnes qui Romæ erant, & in Romano imperio, unanimes eſſe in agnitione dei, quū infinita multitudine tunc Romæ ſub Neronis imperio fuerint impij, & nihil niſi mundum cogitantes, & piorum hominum perſequutores. Erant tamen non tantum ex Iudæis ibi plurimi conuerſi ad fidem per iam uiginti annos, ſed & Romani ciues & ſenatores, imò & in aula Cæſaris principes, qui Chriſtum dominum confitebantur & colebant. Erat enim non parua tunc electorum eccleſia, & illuſtris, famata quoq; per orbem Romanum, diſperſis fidelibus. Verum cum omnibus ſcripſiſſet Romanis & qui Romæ erant, non ſolum indigenis & ciuibus, ſed etiam peregrinis, quorum ingens ſemper illic copia erat, quibus omnibus prius Apoſtolus ſeſe uoluit amicum teſtari, & miſſum eis à Chriſto apoſtolum. Addidit ſtatim, Dilectis dei. Quo titulo paucis dato, teſtatur hoc unū nobis quærendum, de quo unice gloriandum, ſi diligat nos deus, & uocet ad ſanctimoniam, hoc eſt ad uerum uirtutis ſtudium, ne de alijs titulorum pompis quicquam optemus, quibus uani homines uanam ſibi gloriam uendicant. Hic magis dignitatis immenſæ nobis titulus habeatur, ſi eum dominus nobis contulerit, ut ſua nos dilectione dignetur, quod uocauerit in conſortium fidei & iuſtitiæ per euangelium in Chriſto. Quæ enim dignitas amplior, quàm ita à deo diligi? Quis non unice quoq; diligeret eos, quos ſic diligit deus? Intelligi ergo uoluit, Romanos à deo amari eximie, idq; deum ſuis eiuſmodi declarare beneficijs, ut mererentur dici dilecti dei. Et uocati ſancti, hoc eſt aſſerti in ſanctimonię communionem: quæ cum tota ſit à gratia dei, ex qua ſola non ſuis meritis appellationē ſumebant, quod etiam tum Romæ eſſent inter Chriſtianos, in quibus non tam inſignis ſanctitas reſplendebat. Sed admonet his uerbis, unde ſanctitas uera & peti & cenſeri debeat, ut in ſola dei erga nos dilectione cōquieſcamus. Tanta eſt enim noſtra iuſtitia, quantam amans ex ſe noſtri deus, eam in nobis effecerit. Gratia uobis & pax.) De ea gratia hic Paulus loquitur, qua ſe exhibet nobis deum, iuſtificās uereq; felices reddens. Primum quidem per ſpiritum ſanctum teſtimonium ingerens ſpiritui noſtro, quod filij dei à deo habeamur & ſimus: de cuius ad nos benevolentia certi ſimus, quibus ad ſalutem omnia cooperentur. Hinc fit, ut ex pace quam habemus erga deum per Chriſtum, pax etiam nobis donetur, & adſit nobis, quantum ad nos attinet cum omnibus & hominibus & rebus, ut qui non dubitemus omnia eſſe in manu patris noſtri dei, & ad noſtram nobis ſalutem ſeruire. Atq; hæc eſt pax Chriſti, quā ſuis dat, non ut mundus dat, falſam & incertam: ipſe enim animum ita pacat & tranquillū reddit, ut etiam in aduerſis gratias agat & gaudeat. Huiuſmodi ueram beatitudinem ſanctis Paulus pacis nomine precari ſolet. Vbi addit, A deo patre noſtro) eò ſpectauit, ut Romani & gentes omnes

agnoſcerent

agnoscerent, per solum Christum dominum patrem eis uelle placari, sic ut pater esse uelit, gratiam & pacem largire prædictam, hoc est ueram animi tranquillitatem, & bonorum omnium copiam, uitam æternam atq; beatam. Christum autem Iesum dei filium, ubiq; uocat Dominũ nostrum, ut intelligamus patrem ei omnia dedisse in manus, quod ipsum regnare oportet, donec omnes inimici eius subijciantur pedibus eius, quod beneplacitum dei patris per ipsum circa nos administratur. Qui quia nobis seruiuit, & à seruitute peccati mortis & diaboli redemit suo pretioso sanguine, morte, obediẽtia & iustitia, dignum est ut ipsum nostrum dominum agnoscamus, non solum iuxta deitatem, propter quam frequenter Dominus dicitur in sacris literis, et tetragrammaton nomine sacro insignitur in lege & prophetis, sed etiam iuxta humanitatem, in qua sedet ad dexteram patris, rex & Messias, ecclesiæ caput, & dominus omnium fidelium in hac adhuc mortalitate uiuentium, & in cœlestibus beatorum.

Primum quidem gratias ago deo meo per Iesum Christum pro om- 6
nibus uobis, quia fides uestra annunciatur in uniuerso mundo.

Officium suum modeste Romanis Paulus inter salutandum commendauerat, nunc in exordio testatur singularem suam ad eos beneuolẽtiam, tanquam legati domini dei ad electos in fide. Non est enim apostolorum agere principes & tyrannos, sed patres potius & amicos. Inuenies autem præcipua amicorum officia: Primum amice gratulantur, & deo gratias agũt in mutua felicitate: secundo memores sunt amicorum absentium: tertio orant pro seinuicem: quarto præsentes esse cupiunt: quinto muneribus se liberales declarant. Significat autem quanta charitate eos complectatur in domino, pro quorum felicitate tanquam pro sua gratias agat, & q̃ de ipsorum fide magnifice sentiat. Erat charitatis in apostolo, antea considerasse in ipsis quæ erãt laudanda, quàm quæ duceret corrigenda uel prouehenda, quo illorum animos sibi conciliaret, quando uirtus laudata crescit, & ostensa facultas magni boni consequendi desiderium accẽdit, & studium acuit. Nos aliter mutuum gratulari solemus, quasi ex nobis essent nostræ uirtutes, Apostolus deo gratias agit, contestans etiam fidem esse donum dei, & à deo proficisci. Deum suum uocat, ut Thomas, qui dicebat, Dominus meus, & deus meus. Non quod communis non sit deus, etiam Romanorum, uel ipsius duntaxat, sed quod se declaret deo addictum, in quo habeat omne bonũ, sensumq; singularem fidei & obseruantiæ beneficiorumq;, quibus se deus ueræ felicitatis & & æternæ uitæ largitorem declarat, quem digne ut deum suum colat. Ab huiusmodi gratiarum actione fermè omnes suas epistolas inchoat. Repetit uero, Per Iesum Christum, more eorum qui pleni sensu bonorum, redundare uerbis solent quoties benefactoris tanti reminiscuntur, ut non possint non frequenter sibi ludere, in ipsius nomine nominando. Et erat profecto deo multa referenda gratia ab Apostolo, quod se fidei subiecissent Romani, qui tamen rerũ ubiq; potiebantur, ut maius miraculum esset, quando fides in Christum sapientibus huius sæculi stultitia est. Et quia referebat multum, alios q̃ plurimos adducẽdi ad eandem fidem uel in fide roborandis, exemplo eorum qui omnium erant principes. Quod dicit, Pro omnibus uobis.) nihil optabat magis Apostolus quàm sanctificari nomen dei & regnum Christi: id ubi succedere uidebat, animus totus gestiebat pro omnibus ex charitate Christiana, qua promiscue complectebatur, quotquot & quoscunq; Christi esse audiebat in orbe toto, infirmos æque ac ualidos, humiles ac sublimes, tam gentes quàm Iudæos. Semper ergo gratiæ agẽdæ pro omnibus

quibus datur Christo credere, etiam imperfectis. Causa autem gratiarum actionis ad deum, erat Romanorum fides toto orbe celebris: quam innuit adeo fuisse uiuam, solidam & efficacem per dilectionem, ad omnia officia iustitiæ. Neq; enim inanem uulgi rumorem morabatur, sed sanctorum in orbe iudicium, ex fructibus de arbore censentibus, spectauit. Omnium enim iam ore iactabatur, Romanos Christo dedisse nomen, præter hoc quod iam tum unius ueri dei notitiam fuerant consequuti, per quam à fastu mundi se auertebant, & propter Christum pericli tabantur in urbe tam corrupta, quo ad perfidiam & morum improbitatem: unde & consolatore & doctore opus habebāt. Quamuis autem Romanorum fides celebrior fuerit quàm aliarum ecclesiarum, nō tamen hæc laus ita Romanæ sedi & Papæ authoritati tribuitur, quasi errare non possit, & ecclesiæ principatum usurpare propterea debeat. Quando & in eam aliquando inualuerunt hæreses & portenta criminum, ut est hodie toti mundo compertum.

7 Testis enim mihi est deus, cui seruio in spiritu meo, in euangelio filij eius, quod sine intermissione memoriam uestri facio (semper) in orationibus meis.

Pro insigni amicitiæ ratione, qua perpetuo memor est Romæ, operæpretium ei uisum est, iurare & deum testem inuocare: pertinebat enim in gloriam dei, & ad utilitatem proximi. Et opus est fide doctori apud auditores, & authoritate: unde & alibi se laudat, alibi excusat. Et non propterea iurat, quod parū sibi credi alioqui dubitet, sed quia plurimū illos amat, & uelit magni haberi rem quā dicere uelit, & ad deum pertineat. In his quoq; nemo nisi deus testis esse potest. Cui, inquit, seruio in spiritu meo, hoc est, ex corde, fide, spe & charitate, quomodo deus qui est spiritus uult coli, non in carne, id est externa obseruatione legalium, sed charitate, qua ad salutem multorum administro euangelium Christi, omnibus quibus possum. Hunc enim cultum suum per hoc commendat cum emphasi, dicens, In euangelio filij eius. Quid enim religioso homini potius, quàm deo seruire, promouendo pro omni uirili gloriam suam, præconium Iesu Christi filij eius, & regnum propagando, & ebuccinando cū plurimis? Quanto istud præstantius est, quàm circuncidi, sacrificare pecudes, baptismatis uarijs emundari, & cibos seligere, & reliquis incumbere tabernaculi ceremonijs? Euangelium hic dicit filij eius, quod supra dixerat, dei, quia filius dei deus sit, & à deo per Christum nobis transmissum sit. Quod indesinēter mentionem uestri facio. Id erat argumentum ardentis charitatis ad Romanos, & multæ solicitudinis pro eorum salute. Precabatur em̄ tam sibi quàm alijs omnibus, ut remotis offendiculis quibusuis, sanctificaretur in omnibus nomen dei, amplificaretur regnum Christi. Huiusmodi precationes iuxta Christi institutionem non certis temporibus, sed crebro habebat, quoties dei sui gloriam, & apostolatus sui officiū illi in mentem ueniebat, & per negotium euangelicum sibi licere potuit. Ardentius autem Romanorum meminisse solebat, quo ampliorē toti orbi ab his in fide proficientibus exemplum utile expectabat. Et est ea quoq; ratione necessaria huiusmodi oratio, ut ne ecclesiarum doctores suis uideātur uiribus quicquam agere, magis quàm in dei dono uelle ædificare ecclesiam: pro qua indesinenter orandum, Christus quoq; docuerit, omnibus & semper orandum.

8 Obsecrans, si quo modo tandem aliquando prosperum iter habeam in uoluntate dei ueniendi ad uos.

Cupit cōgaudere in domino Romanis, ex amicis conspectibus & colloquijs: ut

ut ſolent amici magna ſuauitate congregari ad mutuum ſeſe cõſolandum, & ad orandum communiter. Cui congregationi ſeruit quoq; myſterium ſynaxeos. Similiter dicit Theſſalonicenſibus, Nocte & die orãtes, ut uideamus facies ueſtras, & conſolationem ſpiritus in gloriam dei. Hæc autem precatus eſt à deo, à cuius nutu omnia pendere nouerat, proſperitatem itineris, peruenièdi cum gratia dei, & commodo eccleſiarum. Ad quod exprimendum adiecit, In uoluntate dei, ſine qua nec potuit nec uoluit quoquam proficiſci. Amabat Romanos, ſolicitus pro eis, ne à pſeudapoſtolis decepti, toti orbi Romano ſcandalum poneretur. Cupiebat quoq; confirmari quotquot ubiq; Chriſtiani eſſent in Romanorum imperio, & omnem occaſionem oblatam proficiendi, epiſtolis & uerbo minime negligebat fideliſſimus Chriſti miniſter. Quamuis ſciret deum pro ſua uoluntate diſpenſare cuncta, ut quos ſingulari fructu replere uellet, eis quoq; deſiderium petendi ardens ingereret, quo ſe declaret facere uoluntatem timentium ſe, & magis inflammet ad petendum, & ad dona dei gratius amplectendum. Vbi diſcimus, nihil habendum proſperum, niſi quod ex uoluntate dei ſuſcipitur: tum ueræ charitatis eſſe officium, optare cum his agere quos amas, omnia communicare bona, congredi, colloqui, ſed ad ſolam gloriam dei. Cupiebat Paulus inſtaurare ubiq; fratres: ubi non dabatur coràm, per epiſtolas certior fieri cupiebat de rebus eccleſiaſticis, & fratrum conditionibus, nedũ in ſpiritualibus, ſed & in temporalibus, ubi erat occaſio & neceſſitas.

Deſidero enim uidere uos, ut aliquid impertiar uobis gratiæ ſpiritalis, ad confirmandos uos, id eſt ſimul conſolari in uobis, per eam quæ in- 9
uicem eſt fidem ueſtram & meam.

Liberaliter mutuum amici dona mittunt. Paulus pretioſiſſima dare cupit, ſpiritualia nempe, qualia ſunt doctrina euangelica, cõfirmatio in omni bono, & exhortatio. Abſens ergo per epiſtolam docet, præſens uerbis & exhortatione confirmat. Tales decet eſſe conuentus Chriſtianorum. Cupit & ipſe conſolari in fratrum profectu, ſi uideat multos Chriſto fide coniungi, & charitate indies magis ac magis flagrare. Et quidem ſolius dei eſt largiri ſpiritualia chariſmata, fidem & amorem. Nec alterius eſt cõfirmare fidem, utrunq; tamen fit ſacro miniſterio uerbi, ad quod ſpiritu Chriſti imbuuntur apoſtolici uiri, ut potentes ſint in uerbo exhortationis & correctionis per uerbum dei, quod legitime prædicatũ, organum eſt Chriſti, qui omnia agit in omnibus, omnia ſpiritu ſuo agens ad ſalutem electorum, & ad glorificationem diuini nominis. Nec aliud ſibi Paulus ſumere intelligitur hic & alibi, dum ſe miniſtrum Chriſti fatetur, & doctorem gentium in ueritate & fide. Id uero uerbis fit, factis & ſcripturis, ſpiritu domini regnante in electis, & aſſenſum conferente uerbis dei rite propoſitis, ne quis in talibus aliter ꝙ in domino glorietur, & detur omnis profectus fidei ſpiritui domini, qui uerus eſt doctor, agens per electa ſua organa quod ſuum eſt. Dum uero addit, Per fidem mutuam ueſtram ſimul & meam, oſtendit ueræ fidei eſſe, ſemper operam dare, ut ſeſe ipſa diffundat in alios quoq;. Quod & dominus ſignificauit per ſimile grani ſinapis & fermẽti, & ut mutuum fideles confirmantes, ex fidei incremento utrinq; proficiant & conſolentur. Nemo enim ſic proficit, ut non gaudeat ſe à fratrũ pia cohortatione admoneri, & in Chriſti ſtudio promoueri iugiter, & conſolari in fratrum profectu.

Nolo autem uos ignorare fratres, quia ſæpe propoſui uenire ad uos, 10

& prohibitus sum usq; adhuc, ut aliquem fructum habeam in uobis, sicut & in cæteris gentibus.

Quandoquidem sperabam me apud uos aliquid collaturum ad sanctificationem diuini nominis, sæpenumero proposui adire uos, sed hactenus prohibitus sum. Non autem exprimit à quo, aut quo pacto: causa forsitan fuit, aliarũ quoq; ecclesiarum maior necessitas, quando uniuersas propè ecclesias satan perturbare cœperat, disputatione illa de ceremonijs legalibus, & fidei synceritate. Quia ergo omnium ecclesiarum solicitudo eum mirifice exagitabat, uarias migrationes suscipere coactus est, ut testatur Lucas. Hac ratione nõ semel Hierosolymam petijt: plerunq; etiam ab instituto suo illum rapuerunt uariæ persequutiones & pericula. Cumq; Romam pergere proposuisset, dominus ei in alijs regionibus moræ causas inijciebat, pro euangelio in orbem inuulgando, & pro instituendis corroborandisq; ecclesijs. Quasi dicere uelit: Vidi quoties ego ad uos concedere parabam, deum me ab instituto reuocasse. Parui ergo ut seruus, non ualde de domini uoluntate curiosus inquisitor. Vt fructum, inquit, aliquem haberem: dicit, ut haberem, non, ut facerem, uel adferrem fructum uobis. Quem enim alijs docendo uel confirmando fructũ adferebat, hunc ipse fructũ percipere sibi uidebatur. Id suum lucrum summum ducebat quod faciebat Christo, memor dominici dicti: Non uos me elegistis, sed ego elegi uos, ut eatis & fructum adferatis, & fructus uester maneat. Et in uobis, sicut & in reliquis gentibus. Suas habebat à domino decretas prouincias Paulus, euangelio illustrãdas: in his erat & Roma, qua eum peruenturum aliquãdo animus præsagiebat, aut oraculo didicerat, etsi tempus non nosset: illuc perpetuo desiderio suspirabat, iterq; eò expediri tandem sibi à domino indesinenter orabat. Hactenus beneuolentiam in initijs captat Romanorum, nunc sensim ad institutum progreditur, euangelium prædicandum.

11 Græcis ac Barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum.

Nomen Græcorum Iudæis à tempore Alexandri magni cœpit usurpari, pro alijs quoq; gentibus ferè omnibus, quia lingua & institutis Græcorum utebãtur. Barbari quoq; à Paulo, ut & ab alijs authoribus, uocantur gentes, nullo ingenij cultu præditæ, nullis studijs humanitatis intentæ. Sapientes uocat doctrina imbutos, & singulari prudentia pollentes, in eo scripturam imitatus: insipientes uero simpliciores & indoctos. Constitutus, inquit, sum à deo doctor gentium, tam Græcarum q̃ non Græcarum: ut ne quis putet me patriæ soli addictum: nam me omnium ecclesiarum premit solicitudo. Hac igitur ratione & Romanos docere teneor. Est & in hoc insigne officium apostoli, quod eruditorũ & rudium doctor sit: igitur & plebei apti sunt ad percipiendũ doctrinam Pauli, & sapientes ex eadem proficere possunt. Debitor, inquit, sum, non magister uel doctor: hos titulos domino soli transcribo, uni magistro nostro cœlesti. Etsi huius uocatione & gratia doctor sim, & magister hac parte gentiũ, non me uobis prę fero, sed subijcio, ministerium uobis debeo, non uendico authoritatem uel dominium.

12 Ita quod in me promptum est, & uobis qui Romæ estis euãgelizare.

Dum nihil quàm quod domino uisum esset liberet Paulo, nec sibi sed domino uiuere uellet, ad nihil magis propẽdebat, quàm quod domino probari cognoscebat, sua interim uoluntate prorsus resignatus & liber. Et uobis qui Romæ estis, cum emphasi dicit, in hunc sensum, Quum sapientibus quoq; debitor sim, quãlibet uos Romani præcellatis, multis nominibus quidem, maxime autem sapientia, tamen si ita uoluisset dominus, non fuissem ueritus & uobis euangelium annunciare,

nunciare, quamlibet imprudens uel impudens, quamlibet quoq; scirem hoc infiniti & laboris & discriminis futurum. Libenter autem utitur euangelizandi uerbo, quando præcipuum doctrinæ eius erat adnunciare salutem animarum, partam mundo toti per Christum. Est enim euangelium annũciatio eorum quæ dominus Iesus nobis esse & præstare dignatur.

Non enim erubesco euangelium, uirtus enim dei est, ad salutem om- 13
ni credenti, Iudæo primum & Græco.

Significat se quamlibet secundum carnem humilem, Romanis collatum: nihil tamen pudere euangelij prædicandi, etiam tam excellentibus cæteras gentes Romanis. Quin & ipsos Romanos huius nõ pudere debeat. Causam subdit, Est enim potẽtia uel uirtus dei, non quælibet, sed saluifica. Si uirtus est, nihil in euangelio debile, dubium uel etiam pudendũ aut humile, uirtute eminentibus. Si dei est, omnibus est adorandum: si saluifica, omnibus est expetenda, maxime fragilibus, & salutis indiguis. Quorum in numero esse etiam ipsos Romanos Apostolus his quoq; uerbis innuit eleganter. Et est hæc clausula bene obseruanda, nam hic ingressum habemus in epistolam totam. Proinde hic tanquam in limine grauiter aberratur, igitur status rei tractandæ est, Verbo dei credentes saluos fieri. Ipsum enim dei uerbum, quia potentia dei est, saluat credentes, ut non sit alia salutis uia. Sermo, inquit, crucis ijs quidem qui pereunt stultitia est: at nobis qui salutem consequimur, potentia dei est. Quæ salutaris dei uirtus sese explicat, dum eos certa in deum fiducia erigit, amore uero in proximos inflammat, odio omnis uitij implet, studio totius uirtutis impellit. Quæ omnia nulla alia uis quàm diuini spiritus per euangelium præstare potest, dum ex spiritu sancto diuina uirtute simul animus afficitur & immutatur. Dum enim euãgelium legitime prædicatur, non sunt uerba inania, sed adest audiẽtium cordibus uis dei, spiritus sanctus, qui ea persuadet illorum cordibus, ut certissime omnia amplectãtur, ut pro eo extrema quæq; ferre parati fiant, & gaudent se dignos haberi, qui hoc pacto Christo testimonium perhibeãt. Iudæis autem, ut primis omnium euangelium promissum est per prophetas, ita & prædicatum est. Nam dominus ipse Christus exhibuit seipsum apostolum circuncisionis, ouibus quę perierant de domo Israel. Ad cuius exemplum Paulus quoq; & apostoli primùm quidem Iudæis euangelium attulerunt. Quod cum eorum multitudo respueret, conuersi sunt iuxta domini præceptum ad gentes. Id uero statim post Christi resurrectionem contigit. Tunc uero qui Græci dicebantur gentiles, iam pridẽ unius dei religionem didicerãt, ideoq; proximi erant scripturis credentes diuinis: ut promisso euangelio crederẽt, sicq; salutis fierent participes, conuersi ad Christum Iudæi & Græci, idem gentiles. Maximum enim euangelij fructum in Græcis extitisse initio euangelij, commemoratur in Actis: quamuis Iudæis semper primum oblatum extiterit. Sic Paulus ubiq; primùm synagogis Christum docuit, & illic aggregatis proselytis, & religiosis ex gentibus, donec Iudæorũ improbitate depelleretur. Id quod fiebat, quoties Iudæi cernerent turbam cõfluere, & euangelium recipi etiam à gentibus, ad quas tandem sese perfidia Iudaica conuertere compulsa est: de quo Act. 13. Semper ergo Græci Iudæis adnumerantur, ad fidem Christi conuersis. Ideo gentiles eos æquat ubiq; Iudæis in salute consequenda per Christum: quamuis primi ad fidem uocati essent Iudæi, & reliquis olim antepositi gentibus, quibus bonitas diuina æque illuxit, licet aliquanto posterius.

Iustitia enim dei in eo reuelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est, Iu- 14

ſtus autem ex fide uiuit.

Probaturus quod dixerat, Euangeliũ eſſe uirtutem ad ſalutem omni credẽti, ſubĳcit, Per euãgelium exhiberi & reuelari iuſtitiam dei. Eſt autem iuſtitia dei, qua ipſe ſe nobis iuſtum, id eſt bonum & benefacientem exhibet, potiſſime ſumma illius bonitas et miſericordia, qua gratis peccata remittit credẽtibus, et ſpiritũ donat iuſtitiæ. Tunc aũt euangelium recipitur, quando huiuſmodi dei iuſtitiam erga nos fide amplectimur, nihil dubitantes, deum nos connumerare inter ſuos, quos malis omnibus ereptos, inæternũ ſaluare uelit. Hoc pacto reuelatur & exhibetur nobis quoq; dei iuſtitia: quæ mox quoq; effulget, dum nos ſtudio ueræ iuſtitiæ incendit. Nihil ergo inſtantius prædicandum fidelibus & diligentius inculcandum, quàm dominum deum noſtrum iuſtum eſſe & optimum, & impios iuſtificantem. Id ſi creditum fuerit, uerus amor ſuccedet, ſtudiumq; placẽdi deo per omnia. Non ſic exagitant dei minæ, uel metus iudicĳ, quemadmodum ſolida in dei bonitatem fiducia, per pignus ſalutis noſtræ, Chriſti merita, paſſio & mors: quam credentes noſtrorum peccatorum cauſa perpeſſam à dei filio Chriſto domino, ad ſalutarem pœnitentiam ardentius inflammabimur. Hæc autem reuelatio iuſtitiæ dei, qua per Chriſtum ſeruat reſtituitq; electos, quæ per euangelium in toto orbe facta eſt, ex fide patriarcharum & prophetarum in fidem poſteriorũ ſanctorum, ex fide gentis Iudaicæ in fidem omnis creaturę deducta eſt. Hebræis promiſſiones dei primum factæ ſunt, & in his iuſtitia dei, iuſtificantis in ſe credẽtes, reuelata eſt in Chriſto per euangelium, quantum id temporis conueniebat. Quo exaltato in gloriam, cum iam beata illa benedictio per ſemen Abrahæ ad omnes gentes proferri debuit, ibi pleniſſima reuelatio, & ſolidiſſima exhibitio iuſtitiæ ubiq; inclaruit. Semper itaq; iuſtus ex fide ſua uiuit. Id quod Apoſtolus adduxit ex Abacuc prophetia. Qui quum queſtus eſſet apud deum de proſperitate impiorum, & ærumnis piorum, iuſſus eſt à deo ſcribere ſuper tabulas, Ecce qui pertinax eſt & incredulus, non erit recta anima eius apud ſemetipſum: at iuſtus in fide ſua uiuet. Hoc eſt, qui ſe deo non ſubĳcit, ſed ſuperbit ſenſu ſuo, is nunquam erit corde recto, tuto & placido. At iuſtus fide ſua, qua promiſſis dei acquieſcit, uiuet & ex ſpe futuræ felicitatis, & ex præſenti certitudine ſpiritus filiorum dei: mirifica enim tranquillitate & gaudio de domini bonitate perfruetur. Nondum enim apparet quod futuri ſimus: quod expectamus, non uidetur. Ex parte enim cognoſcimus. Fide igitur qua ſpes innititur promiſſæ felicitati, quã ueluti per fidem coràm cernimus & tenemus, ea ſubſiſtimus, uiuimus, ſalui ac beati ſumus. Hac uixerunt & conſolati ſunt ſemper, quotquot unquã iuſti & deo probati fuerunt. Et hæc eſt propoſitio totius inſtitutæ ab Apoſtolo diſputationis, Euangelio reuelari iuſtitiam dei, & fide nos iuſtificari, quod idem ſit. Euãgelium enim cum denunciat iuſtitiam dei, hanc dei bonitatem, qua nobis peccata remittit, & ſpiritum largitur iuſtitiæ, nihil q; fidem poſcit uerã, qua ea fruimur, deoq; gignimur, & uitæ æternæ participes euadimus. Volens ſiquidem Apoſtolus probare, per euangelium reuelari iuſtitiam dei, ſtatim ſubiecit, Ira enim dei reuelatur è cœlo. Quo oſtendere uoluit quomodo res haberẽt, & qualis eſſet iniuſtitia, hoc eſt impietas, apud eos qui ignorant euangelium. Si enim nihil q; ira dei ibi extat, ubi euangelium non eſt: iuſtitia autem & bonitas dei, ubi euangelium recipitur ſalutis per Chriſtum: ſatis liquet, euangelio iuſtitiam dei reuelari & exhiberi, ideoq; illud eſſe uirtutem ad ſalutem omni credenti, cuius neminem pudere, ſed quam ſapientes unice quærere debeant.

Reue-

Reuelatur enim ira dei de cœlo super omnem impietatem & iniusti- 15
tiam hominum, eorum qui ueritatem dei in iniustitia detinent.

Ostendere uult hic consequẽter Apostolus, sicut fide nos iustitiam consequi-
mur, ita si fide destituamur, sequi totos nos seruire iniustitiæ. Id autẽ facile & plu
ribus ostendere potuit apud gentes fieri, & apud Romanos mundo deditos om-
nium maxime, ut illi minime uera fide iam ante imbuti fuerant, sed idololatræ fu
perstitiosissimi, & abominandis ex hoc criminibus notati, & horrenda ob id ira
dei onerati. Sicut & cæteri mortales omnes, pro conscelerata & flagitiosa uita eo
rum, in qua non nisi singulari dei ultione adeo commaculari potuerunt. Quibus
omnibus, nisi per euangelium solum iustitia dei exhibeatur, & per fidem ueram
digne receptum fuerit, nihil aliud q̃ grauissima dei indignatio extet et incumbat,
& grauissimum iudicium iræ dei & ultionis iustæ. Idq; de cœlo, quod solium est
diuinitatis, unde iudicia dei iusta contra peccata hominum demittuntur. Cum
em̃ deus grauiores sumit de sceleratis pœnas, dicitur è cœlis immittere ultionem.
Hinc & in tempestatibus cœli iram suam deus grauiorem prodere & reuelare di
citur. Vt cum Aegyptios perditurus erat, de cœlo tonuit & perterrefecit. Hinc
quoq; prophetæ quoties insolentiores & atrociores dei ultiones minantur, prædi
cunt cœlos conturbandos, obscurãdum solem, lunam, & astra, ut inde dei poten-
tia plenius inclaresçat & timeatur. Et quæ poterat grauior ira dei desæuire in ido
lolatras gentes, q̃ quod alioqui prudentes tanta se turpitudine confundebant, ut
omnibus essent horrori, & turpissima morte digni, ipsi tamen interim nihil senti-
rent incommodi uel dedecoris, dati omnino in reprobum sensum. In illam impie
tatem de cœlo reuelatur ultio dei, hoc est in omnes homines impios & iniustos,
qui sunt absq; religione & cultu dei uero. Quo enim deus hominibus plus intelle
ctus & iudicij contulit ad dignoscendum quid uere bonum & pium, hoc maior
est illorum impietas & iniustitia in deum & homines, ut qui uocãtem dominum
ad pietatem & æquitatem & instinctibus trahentem, sequi contemnunt, sed po-
tius uim quandam inferunt ueritati & conscientiæ repugnãti. Ita enim homines
conditi sumus, ut quod uerum, rectum & bonum cognoscimus, eandem uerita-
tem menti impressam ad sectandum incitemur. Vnde nemo non renitente con-
scientia peccat, qui non ignorat ueritatem: quæ & ui quodammodo detineri dici
tur, dum diuersa malitiose sectamur, & agnitam ueritatem contemnimus sacrile
ge, & contra spiritum meliora suggerentem. Cum potius, quicquid homini deus
reuelat ueritatis ulla in re, in hoc reuelat, ut pietati incumbat, dei bonitatem præ
dicet, in admirationem uirtutis assurgat, & ad officij dignam rationem solicitet:
ne ingratus inueniatur, & manifeste sese quoq; impium intra conscientiam iudi
care cogatur propriam.

Quia quod notum est dei, manifestum est in illis: deus enim illis ma- 16
nifestauit.

Id autem clarius sic. Certe id quod de deo cognosci potest, his manifestum sa-
pientibus fuit. Deus siquidem istud illis reuelauit. Huius iustæ ultionis dei in hos
sapientes gentiles causam statim adfert: quia deum quem gratia & beneficio in-
genij intelligere poterant, non ita colere studuerunt ut decuit. Satis intelligebant
sapientes sæculi, potentiam esse quandam, à qua causantur & reguntur omnia:
fontem esse quendam bonorum omnium, & ita diuinitatem. Hinc eam reuereri
& colere debebant, eius prouidentiæ se committere: & quæ placere eidem intelli
gebant rationis dictamine naturalis, sectãda esse, eiq; sese approbare & obsequi,

Idq; non melius fieri potest, quàm reuerentia ad authorem omnium, & amore & beneuolentia officijsq; in proximos, hinc admonebātur humanitatis, beneficentiæ & iustitiæ ad omnes. Hanc tamen omnem ueritatem detinebant in iniustitia, quæ eos reuocabat ad sese tantum diligendum, ad prospiciendum sibi, quicquid proximis accideret nil curantes. Illa autem nota sunt ipsis. Quia deus hæc illis reuelauit, quæcunq; fas est homines de deo cognoscere: eum scilicet habere in omnia potestatem, esse summum bonum. Deum enim esse, omnibus innatum est & insitum, ut nequeat hæc notio ex animis deleri quamlibet mundanis. Iudicium enim illud à natura est, ideo à naturæ profectum opifice, qui perenni lucis suæ influxu in animos hominum idipsum irradiat, eosq; ad se agnoscendum ex his quę condidit inducit: mentesq; solicitat ad credendum, sic deum esse fautorem bonorum, ut simul ultor sit & malorum. Id quod sæpe impij quoq;, uelint nolint, claris indicijs testari coguntur. Et hinc quoq; discimus, ueritatem non nisi deo manifestante cognosci, quam mortalium nulli inuidet, ut quiuis seipsum damnare cogatur si eam non sequitur, semel omni defensione nudatum. Quod cum ante communicatum gentibus euangelium deus præstitit, quanto amplius nunc præstat, cum pauciſſimi hodie mortalium legem & euangelium non audierint: ut cui uoluntas fuerit serio ueritatem amplectendi, huic doctrina ueritatis nunquam defuerit. Sacræ enim Euangeliorum historiæ, & reliqua scripta diuina, nunquam non ad salutem intellecta fuerūt, si fuissent lecta diligentius, & si fuisset omnibus libertas loquendi ea quæ scripturas legenti reuelabantur.

17 Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur: sempiterna quoq; eius uirtus & diuinitas, ita ut sint inexcusabiles.

Ista quæ de deo cognoscuntur, inuisibilia sunt, & colliguntur à uisibilibus huius mundi creaturis: uerum non sine peculiari spiritus diuini institutione & motu. Neq; enim nos deum sine errore, nisi ipso reuelante, cognoscimus. Ea autem inuisibilia de quibus loquitur, sunt partim sempiterna eius uirtus & potētia, hoc est, quod in manu sua habet & moderat omnia: partim quoq; ipsa diuinitas, dum se mentibus nostris exhibet summum bonum, & quęrentibus se patrem. Hæc uero quemadmodum sub sensus non cadunt, ita nec à mente percipiuntur. Reuelante autem deo ipso, cogitatione mentis collecta conspiciuntur, hoc est, clare certoq; cognoscuntur. Addit autem quo medio, A machina, inquit, mundi, ex opificio tam admirando. Per ea nempe quæ ab ipso condita sunt & ficta, cum sua magnitudine, motu, actionibus, situ, simulq; & ex prę sensione rerum futurarum, ex magnitudine commodorum, quæ cœlitus percipiuntur, ex terroribus uarijs elementorum & mirabilium impressionum multarum, exq; perpetuo motu cœlestium corporum omnium. De quibus Cicero de Natura deorum, & sacræ literæ longe clarius & simplicius. De singulis his notionibus in lege & prophetis multa producuntur & certa. Vnde discimus, deum unum efficere omnia, & optima ratione, ne in alium deū animus noster sese attollat, sed placita eius in omnibus habeat sacrosancta. Non est autem otiosa hæc dei manifestatio, facta gentibus sensu suo abundantibus. Quamuis enim non credant nec colant, eximitur tamen eis omnis defensionis ratio. Aequissime nobiscum agit deus, qui & sua gratia rectas immittit cogitationes, & tamen dum non cogit ad sancta, ubi contra cōscientiam boni malum sectamur ex concupiscentia praua, sic peccamus ut contra nosipsos pronunciare nos oporteat, & dei gloriam confiteri iuste punientis.

Quia

Quia cum cognouissent deum, non sicut deum glorificauerunt, aut 18
gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est
insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.

Exponit susius, cur sint inexcusabiles illi qui ueritatem dei in iniustitia detinent. Si gentes illæ de quibus loquitur, ignorassent esse deum à quo conditi sunt, & à quo reguntur uniuersa, qui benefacit impense hominibus, & ex ignorantia tali obmississent ipsum colere, excusarentur pro tanto. Vbi autẽ ipse eis se manifestauit, ut uere eum cognoscerent, ex omnibus creaturis admoniti, esse potentem omnia & scientem, optimum & beneficum omnibus, omnis ignorantiæ & impotentiæ prætextus excluditur, ut sint omnino inexcusabiles. Vltro enim & temere deum ex animo reiecerunt, quem uenerari & adorare contempserunt, quem tamen toto pectore ut summum bonum amandum atq; colendum certo quidem nouerunt, sed infirmè tamen, ut præualeret deprauata æstimatio rerum, & cupiditates rationis iuxta carnem sapiẽtis, uero dei cultui, sed inexcusabiliter. Deum autem glorificare ut deum & uenerari, est eum cultum deo adhibere qui ei debetur, seipsum totum deo addicere, expectare ab ipso uno omnia, omnia huius gratia facere, in omnibus actionibus intendere, in omnibus illi gratias agere, boni consulere quicquid eius dispensatione nobis occurrerit, utq; credamus, nihil gratius deo in nobis esse, q; proximis nostris ut simus beneuoli, & pro uiribus benefici, ut non uerbis tantum, sed reipsa & tota uita laudes domini dei nostri prædicemus. Non autem deum glorificare ut deum, est ea deo offerre, in quæ fertur ingenij quoq; nostri deprauata cupiditas, ut putemus placere deo quæ carni probantur & sanguini: quemadmodũ colere consueuimus hominem uitiosum: auro, gemmis, statuis, uestibus, odoribus, musica, gesticulationibus, luminibus, carne & sanguine pecudum. Quanquam autem & huiusmodi quædam ueteri suo populo indixerat, adeo tamen noluit his rebus cultum suum æstimari, ut ubi hæc quoq; sine fine adhiberentur, tolli ea iuberet, ut quæ abominaretur & ferre non posset. Credi sibi & auscultari uoluit, studere præceptis suis, idq; toto pectore. Hunc uerum sui cultum poscebat. Et adiecit Apostolus, Et non egerunt gratias. Non potest agere gratias, nisi qui se gratuitũ accepisse beneficium agnoscit, uerbis & uita prædicare, à deo nobis omnia prouenire bona, ut de nostra gloria nihil cogitetur omnino. Merito euanuerunt in cogitationibus suis, isti secundum sæculum sapientes, & agnitum suum deum non glorificantes, ut delaberentur ad inanes & pernicios as nugas rationis humanæ, acti cupiditatibus rerum sensibilium. Et quidem solicitabat eos metus quidam iudiciorũ dei, quem cultu aliquo demereri cupiebant, sed tamen interim nihil remittebant carnaliũ desideriorum & actuum. Ceremonijs quibusdam, ab hominibus ad dei cultum institutis, id impetrare uolebant, quod uir nullus honestior non summum putet sibi dedecus & ignominiã, si opem uel indemnitatem rogetur sceleribus, ad quæ perducere consueuerunt opes, honores, sanitas, longæuitas, potentia, uoluptates, & id genus alia, quæ caro miratur, & ob quæ deus colitur à gentibus. Qui & frustrantur, et uani fiunt, dum in absurdissima commẽta superstitionum, sub ueri cultus specie euanuerunt. Id uero fieri non potuisset, nisi obtenebratum fuisset insipiens cor eorum, & omni ueritatis cognitione destitutum. Quod quidem ita euenire oportuit, simul atq; se ab illa cognitione dei, qua æterna deo esse sapientia potentia & diuinitas cognoscitur, in suas cogitationes à luce ad tenebras defluxerunt. Vnde & illud consequi necesse fuit, ut cum dicerent se sapientes, omnium euaderent

ſtultiſſimi: dum falſum pro uero dei cultu amplectuntur, uel omnem dei cultum negligendum iudicant. Vnde & uere bona, ut non intelligunt, ſic eligere non poſſunt: ſed quæ potius ipſis obſunt, & certam adferunt perniciem. Quin & repudiata uera uiuaq; cognitione dei, toti deſipiunt, & amentes fiunt, ut ſe quoque dicant eſſe ſapientes. Sancti enim, ut ſentiunt ſe nunquam ſatis colere deum, ſatisq; gratos eſſe: ita hoc quoq; norunt, quod nihil ſic norunt quemadmodū noſſe oportet. Sciunt quicquid cognoſcunt, id ſe ex parte cognoſcere: ideo ſemper orant lucem & ſpiritum dei, tractum patris cœleſtis, ut cognoſcant olim, ſicut cogniti ſunt: hoc eſt, plene uideant & ſentiāt deum eſſe omne bonum, dicereq; poſſunt: Portio mea, ſors & hæreditas dominus eſt.

19 Et mutauerunt gloriam incorruptibilis dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & uolucrum, & quadrupedum, & ſerpentum.

Gloria & maieſtas dei in eo eſt, quod omnia finxit, ordinauit, & moderatur, ut ſint ab ipſo uno petēda omnia, qui nuſpiam abeſt, nihil ignorat, ſumme eſt bonus, & amator hominum maximus. Cum itaq; ad idola rerum uariarum ſupplicarent, proſtrati coram illis, omnia orarent à deo, tanquā in his peculiariter præſente, proſpera illis concedi, aduerſa depelli, quod ſolius eſt dei. Certe diuinitatis amplitudinem imminuerunt & peruerterūt, ſimilitudine rerum corruptibilium commutatam: quod nedum inſanum, ſed & inexplicabilis amentiæ fuerit. Qui enim immenſus eſt, continet quoq; & portat omnia uerbo uirtutis ſuæ, & nuſquam non ſe clariſſime atq; magnificentiſſime præſentem exhibet, eum tam inanibus rerum corruptibilium ſymulachris uelut incluſerunt & addixerunt: proq; eo, implente, conſeruante & perficiente omnia, rerum perituraru nihil ſentientes exhibuerunt imagines. Quo ſacrilegio, qua impietate, quid queat excogitari atrocius & magis impium? Cum itaq; dei ſempiternam potentiam atq; diuinitatem cognouiſſent, quæ eis foret tantæ impietatis excuſatio reliqua? Hiſce tamen æque furioſis atq; nefandis figmentis ita ſibi placuerunt, ut hinc ſapientes ſe eſſe iactarēt. Vere igitur fruſtrati ſunt in cogitationibus ſuis, & inſipiens cor eorum obtenebratum eſt. Ordinem autem & proceſſum in his erroribus gentium legere licebit in opere noſtri H. Bullingeri de Origine errorum: & in Enarrationibus M. Buceri hoc loco ad longum: cuius in compendium prolixe & inuolutius dicta in hanc epiſtolam, ſtudium eſt, & omnium ferè ſanctorum dicta excutere: & quæ ad rem propius faciunt breuius, ut fieri per nos poteſt, pro noſtro more tradere. Quorum ſummatim hæc eſt ſententia: Cum deus merito requirit, ut eum in omni loco dominationis ſuæ agnoſcamus, prædicemus, colamus, gratumq; in nobis animum erga ipſum in proximo declaremus, id omne iſti præpoſtere religioſi & ſuperſtitioſi prorſus negligunt, & pro ſua libidine expreſſam ab aliqua creatura imaginem ſibi conſecrant, cui honorem exhibent diuinum pro ſuo inſtituto, pro quo honore poſtulant, ut deus quem colere ſe dicunt in idolis, cupiditatibus ipſorum ſeruiat. Volunt autem, ut ipſis ad flagitioſe uiuendum largiatur quicquid petierint. Quod quid aliud eſt, q̄ ut ſcriptura ubiq; teſtatur, iram dei importuniſſime prouocare & inflāmare, adeo, ut ardeat uſq; ad inferni nouiſſima, deuoretq; terram cum germine ſuo, & montium fundamenta comburat? Neque enim deus gloriam ſuam concedere alteri uult, & laudem ſuam ſculptilibus. An non ergo ſtultitia eſt execrabilis, & inexplicabilis amentia, conari fauorē dei per id eblandiri, quod ſic irritat deum, ſic ad ultionem concitat, ut nihil æque? Huius amentiæ nulla illis ſupereſſe potuit excuſatio, quia dei cognitione donati, ad ue-

rum

rum dei cultum uocabãtur. Id uero cum nollent, furor iſte apud eos cõtinuo amplius inualuit, ut indies ſemper magis ad abſurdiora proficerent. Vt non tantum religionem ſuam conſtituerẽt in cultu aſtrorum & hominum, uerumetiam quod in Aegyptijs ſacrorum doctiſſimis, & ſumma religione famatis legitur cõtigiſſe, ut coluerint tanquam deos quoſdam boues, oues, capras, hircos, leones, lupos, canes, feles, mures, araneos, apes, crocodilos, aſpides, piſces, cepas & porrum, quod memorat Strabo. Nec ſine ratione hæc portenta colere uideri uoluerunt, credentes per aliqua gratiam dei conſequi, per alia iram dei auerti. Apud quos ſatan amicus huiuſmodi imaginum, quas deus abominatur ob ueritatem neglectam, efficacem obtruſit errorem, mirasq; in hiſce ſuperſtitionum inſtrumentis exhibuit preſtigias. Id quod facile credi poteſt, ſi ad noſtrorũ temporũ diuorum ſymulachra contulerimus, quibus abuſus eſt ſatan ad oppugnationem ueritatis, ut admiratores imaginum induceret in ignorantiam dei, in fiduciam meritorum aliorum q̃ Chriſti ſolius. Tradiditq; cõcupiſcentijs cordium ſuorum, ut iam infra beſtiarum ſpurcitiam degenerarent. Id ſemper in mundo factum ſcimus, quoties imaginum admiratio creuit inter homines. Idipſum ab initio ſcripturę ſemper ſerioſe deus præmonuit per ora omnium patriarcharum, prophetarum, Chriſti & apoſtolorum. Id quotquot ſemper erant ſancti prophetæ, apoſtoli & epiſcopi, pro omni uirili impedire uoluerũt, & ſunt conati. Experientia tam pernicioſa admoniti ſæpe, quàm obſit religioni ueræ, ſtatuere imagines ad cultum & reuerẽtiam, ſiue id publice fiat in eccleſijs, ſiue domi in oratorijs: dum ſe putant homines incitari ad deuotionem & orationem, re uera autem neſciunt quid ſit deo grata oratio, & quàm deo ingratus ſemper & abominabilis fuit omnis idolorũ cultus, q̃ per uniuerſas ſcripturas ſacras damnetur omnis idololatria, quod eſt cultus imaginum. Vt inconſultiſſime & ſimul impie agant, qui tam præiudicialem in Chriſtianitate abuſum prohibent tolli, & tam ſcandaloſum morem, nedum Iudæis & Sarracenis, ſcripturis ſacris credentibus, ſed & pie zeloſis diuini honoris fidelibus impactionis materiam ſemper fuiſſe & abominandum ſacrilegium, defendere uſq; hodie conantur. Quaſi ſapientiores ſint authore ſcripturarum ſacrarum: quaſi quod ſemper mundo pernicioſum fuiſſe magno damno compertum eſt in omnibus gentibus, illud poſthac ſalubre & deo gratum, & eccleſiæ utile ſit futurum. Et quid aliud diuorum imaginibus confectum eſt, q̃ ut præter deum ſancti colerentur? Et quomodo hiſtoria, aiunt, Chriſti & magnaliũ dei, ſine imagine dei & Chriſti fingi poterit? An ignoramus in eccleſia ſemper futuros imperfectos, quibus obſunt talia? Perfecti nedum non indigent, ſed ut ſcandaloſum deteſtantur: & ubi poſſunt, auferunt iuſto zelo, ubicunq; cum reuerentia habentur uel tractantur, illud ſcientes domino deo exercituum ſemper placuiſſe. Cui quidem per omnia placere uellent cultu ſpirituali & uero, perq; innocentiam uitæ, & odium uitiorum omnium, ſi gratia dei iuuentur, ſine qua nihil horum poſſunt. Quod autem poſſunt in dei gloriam, etiam imperfecti, & in multis ſemper offendentes, eijcere idola ex altaribus, ſubruere aras, excultas reliquias rite tollere, & ſine maiori malo, hæc ſaltem aggredi poſſunt, dum magiſtratus & eccleſia edocti cõſentiũt, & facile deſeruire uerbo dei in his corporalibus exercitijs: unde miſericordiam domini ſubinde conſequuntur, ut et interiora animorum uitia reformare cum dei gratia poterunt. Satis cõſtat, nihil ad ueræ pietatis conſenſum proficere magis, & reformationi citius conficiendæ prodeſſe, quàm ſi ſcandala hæc publica in primis tollantur, quæ nulla poſſunt ſcripturarũ doctrina defendi, quæ totum ſcripturæ canonem aduerſum habent, & quæ conſtat Chriſtianæ religio-

ni plus omnibus abusibus nocuisse. Et misere ab imaginum exordio damni maximi semper causa fuisse. Ab eodē enim tempore cœpit Turcarum impietas, Papatus præsumptio, cœlibatus hypocrisis, & imaginum ueneratio, cum inuocatione sanctorum, hoc est, cum obliteratione ueræ fidei, & meriti passionis Christi. Exordium prębuerunt huiusmodi imagines pernicioſis ceremonijs, confictis miraculis, & quæstui nefando, cui cedere coacta est pietas. Sed de his alij plenius & doctius multi, etiamsi multis nondum placere possint.

20 Propter quod tradidit illos deus in desideria cordis eorū, in immunditiam, ut contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis.

Maximæ iræ diuinæ signum fuit in illos secundum sæculū sapientes, & mundi quoq; deceptores, quod cupiditatibus tam turpibus, & erroribus tam horrendis tradidit & mancipauit iusto iudicio suo deus, eos quos ad imaginem suam finxerat, spiritu suo ad honesta, sancta & religiosa diuinaq; ordinauerat atq; condiderat. Prorsus em̄ pecuariæ sunt & ignominiosæ hominibus hæ cupiditates, ubi deest fides uera & spiritus dei per Christum. Quia enim ratione homines ualent, ideo uicti cupiditatibus, longe fiunt q̄ pecora insolentiores & immaniores: qui nimirum se intra naturæ limites nequaquam continent, id tamen quod bestiæ solent. Quæ enim belua sic se in Venerem proli non seruientem proiecit, ut taceam naturæ aduersam? Quæ in cibo potuq; cū sua pernicie tam insane luxuriat? Iam cupiditatibus honorū, potentiæ, quibus bruta non tanguntur, in quantam multi rabiem euadunt? Quanto enim ampliora sunt in homine dei dona naturalia, tanto enormius & uiolentius ab eo peccatur, ut eum euicerit tam improba peruersitas, quæ certe à lapsu primi hominis naturæ destitutæ adhæret & imperat uiolenter. Proinde nullum est luculentius & certius documentū iræ diuinæ, quàm hominem suis tam fœdis & improbis tradi concupiscentijs. Tradi autē à deo in concupiscentiam & desideria cordis, non aliter accipiendū, q̄ induci in tentationem, nō sine magna nostra culpa, qui sic uoluntati diuinæ agnitæ sciēter nō acquiescimus, minime à malo coacti, multo minus à bono. Vnde quisq; nostrū de proprio peccato conuincitur, ut deo illud imputare non possit, qui nullam causam peccato nostro disponit. Et nostra nos conscientia damnat de peccato omni, quod non ignorantes committimus, nec nolentes. Deus quoq; ulciscitur peccata peccatis, ac sic tradit concupiscentijs malis, quibus ipsi sua uincūtur malitia, qui deum instinctibus suis & uerbo suo ad meliora hortanti nolunt obsequi, & uolentes carni obediunt, ut nulla gratia dei frui cupiant neq; uelint: interim ineffabili nobis modo iudicia sua deus, ut in corporibus, ita & in cordibus hominum operatur. De quibus tamen tam altis diuini iudicij secretis, mētis nostræ angustia nihil philosophetur curiosius. Illud potius meminerimus, Tu quis es, ô homo, ut respondeas deo? Cogita potius semper quid tibi deus agendum mandauerit, à quo probitatis & iustitiæ rationem consequi ualeas, eum precibus attentis, sancta fide implorare studeas semper, & orare quomodo Christus te docuit.

21 Qui commutauerunt ueritatem dei in mendacium, & coluerunt & seruierunt creaturæ potius quàm creatori, qui est benedictus in sæcula, Amen.

Repetitio est causæ, cur deus iuxta carnem tantum sapientes, & fide dei destitutos uera, in sensum tam insanum tradiderit iratus, ut euaderent bestijs nequiores & magis spurci. Veritas siquidem dei, hoc est, quod unus omnia facit, regit, & optime ordinat, in ipsius operibus magnifice apparet & extat, & ad uerū eius cultum

cultum nos inuitat. Sed homines per sua simulachra mendacium sibi prestituunt & admirantur, magis q̃ rationis certæ dictamen, & intus piam loquentis conscientiam, quam nemo non sæpius audit, sed non attendit qui carni uiuit. Sic & imagines diuorum & gestorum humanorum falsas & stultas, uel etiam ueras appretiantur magis, & admirantur, doctoresq̃ suos habere eligunt magis q̃ uerbum domini & sacras scripturas, uel etiam inditũ humano cordi probitatis iudicium, cui corporis tarditas & sensuum appetitus, non tam libenter obediunt, sed ad peiora cõtinuo pellũt, nisi religionis ueræ fides & timor dei persuadeãt aliud. Cum itaq̃ cœlum, astra, terra, animalia, & ipse homo, uiuacissimum exemplar sint sapientiæ, bonitatis & potentiæ dei, ut clare in istis facturis factor disci & agnosci possit, uolunt tamen magis homines artium suarum figmenta sibi præstituere & deformare, ex quibus deum longissime istis rebus dissimilem stultissime discere & inuestigare præsumunt: & suo sensui credere magis ac obedire, q̃ dei uerbo et uoluntati creatoris, hæc omnia tam seriose prohibentis & abominãtis. Quod malum, quod dedecus dei, dum hæc Apostolus scribens molestissime etiam cogitaret, coactus est in spiritu sancto exclamare, & tantam indignitatem humanæ malitiæ & stultitiæ admirari, & dicere in sensum contrarium & sanctissimum, Qui est laudandus in sæcula, Amen. Quasi diceret: O atrocem impietatẽ, ô infandam dei contumeliam, qui solus deus est, solus laudandus, qui finxit omnia, qui solus bonus & potens, hunc miseri negligunt, hunc suis mendacijs honorare contendunt: hinc prudẽtius sapere, & hominibus de meliore uia proficiendi in iustitia, per sua sacrilegia prospicere præsumunt: & quæ uerbum dei & deus ipse digito suo damnauit, & in uniuersum idola esse abominanda, toties clamat, ea sibi ad pietatẽ, quæ dei cultus est, proficere persuadereq̃ contendunt. Quin & ut superuacaneum præceptum secundum primæ tabulæ de idolis non colendis delent, et ut inconsulte à digito dei decalogo inscriptum, negligendo quasi cancellant. Adiectum, Amen. Confirmat omnem laudem cultumq̃ uni uero deberi deo, & ab omni alio cultu cauere fideles & cultores ueri.

Propterea tradidit illos deus in passiones ignominiæ. Nam fœmi- 22
næ eorum immutauerunt naturalem usum, in eum usum qui est contra naturam. Similiter autem & masculi relicto naturali usu fœminæ, exarserunt in desiderijs suis in inuicem, masculi in masculos turpitudinem operantes: & mercedem quam oportuit erroris sui in semetipsis recipientes.

In genere dixerat idololatras singulari iræ dei obnoxios esse, nunc idem probat & explicat per species. Quo enim execrabilior fuit horum libido, uitæq̃ nequitia, hoc manifestius est, quare grauis in eos dei ultio incubuerit. Cum enim non solum innatus pudor obsistere fœminis debuisset, ne in tantam amentiã caderent, ideoq̃ immaniorem iræ diuinæ ultionem expertæ sunt, quando ad maiorem impietatem testandam naturæ usum sic mutauerunt præter omnem honestatem, summe pudendis & ipsi naturæ aduersis libidinibus seruire passim ab omni fide alienæ non erubuerint, utcunq̃ multa, ut dictum est, dei cognitione donatæ essent gentes. Cuius digna est à deo ultio, quod ex uno peccato prolapsi in maius gloriam dei inanibus simulachris, ueritatem dei mendacio permutarunt, cum interim ex cognitione naturæ & sensu, ad uerũ dei cultũ inuitarentur. Peruersi enim in deum, etiam merebant̃ peruersiores fieri in semetipsos. Quemadmodum boni cum sumus, omnia nobis cooperantur in bonum: sic contrà, sunt nobis aduersa & noxia omnia, cum nostræ nos prudentiæ credimus, & nostris affectibus

indulgemus. In eo autem quod dicit usum naturalem & præter naturam, nõ hoc tantum est animaduertendum, quod ueram & honestam uoluptatem falsa & probrosa permutarunt, ut semper magis iuuant quæ secundum naturam sunt quàm contra, sed quod iam in manifestum etiam exitium sui agebantur. Quæ enim secundum naturam sunt, diuinitus constituta sunt ad rerum conseruationem: ea fastidire, nihil aliud fuerit q̃ se ex manu dei seruantis eripere, & in sui se destructionem præcipitare. Iam in re adeo fœda, tamq̃ aperte contra naturam se constitutioni dei subtrahere, quod isti faciebant, id documento erat, sic eos furere, ut totos se salutari ordine & ratione, quam deus præscripsit hominibus, turpiter eximere, & præcipites ruere in probrosam perniciem non erubescerent. Extrema ergo erat, & omni cogitatione maior talium peruersitas, eoq̃ iræ diuinæ summe incensæ argumentum euidentissimum. Et quod in fœminis ualere debuit innatus pudor, hoc in maribus ratio confirmatior efficere debuisset. Sed insana & peruersa libido uicit, & destruxit sexum utrunq̃: ut honestam naturæ coniunctionem à deo institutam, furor iste, cui ab irato deo gentes in peccati uindictam traditæ fuerant, turpiter diremit. Exarserunt, inquit, appetentia nimium execranda: nec solum appetierunt, sed etiam arserunt monstrose: & exarserunt, ut toti libidine ista importuna conflagrarent, omni sensu naturæ semel exuti. Adiecit quoq̃, Mares in mares, ut fœditatem enormem perpetrarẽt extreme perditi. Non homines, sed bruta, imò turpius q̃ bruta aliqua, quo sese perditionis mancipia ostenderẽt, proprio quoq̃ iudicio cõdemnati, & omnium iuxta rationem & ex fide iudicantium omni uenia indigni & humanitate. Et erat insania & error, imò furor, sed uoluntarius: scientes enim & uolentes naturam expugnabãt suam, inconditam fœditatem toto pectore deuorantes. Eius erroris mercedem, ut in seipsis reciperent, sic semet inexplicabili ignominia affecerunt. Conditi erant ut essent tẽplum dei, hinc per naturam admonebantur insitam, & admonitu totius mundi, sed maluerunt peruersitate sua omnem hanc saluificam ueritatem contemnere, & studium uerum dei ex animo eiicere, ut dominum sibi haberẽt iratum. Si ergo non sustinemus ut deus nobis organis suis utatur ad honesta & ad gloriam, digni profecto sumus, qui habeamur instrumenta iræ, ad ignominiã parata in interitũ sempiternum. Hocq̃ grauior est hæc ultio, quo minus sentitur, & cum corpore contempto & dehonestato, mens quoq̃ perdita est, & secum quoq̃ confusa æternum excrucianda.

23 Et sicut non probauerunt deum habere in notitia, (ita) tradidit illos deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conueniunt.

Tam multis Apostolus hominũ peruersitatem exagitat qui sine Christo erant, ostenditq̃ apud illos semel omnia uitia & cunctam prauitatem uitæ prorsus obtinuisse. Idq̃ non solũ ut quisq̃ pro se scelerate uiueret, sed ut alijs quoq̃ ad eadem author esset, & seductorem præberet, quãtumuis iudicium domini minime ignorarent. Nam quid deus præcepisset, quid pœnarũ transgressoribus statuisset, minime ignorarunt. Permisit autem iram suam deus in omnem mũdum dire & palam desæuire, ex quo non certo iudicarunt deum habendum semper in mente, in oculis, toto pectore obseruãdum, eiq̃ studendum ex animo. Vnde & peccatum in mundo passim ad summum consequenter peruenerat, quo clarius effulgeret bonitas diuina in redemptore Christo: utq̃ abundaret gratia, abũdauit antea delictum, ut amplior quoq̃ esset exhibitio iustitiæ dei, quæ fit per euangelium dei & Christi. Cæterum quæ hoc loco Apostolus scribit, eadẽ sunt cum illis superius dictis.

dictis. Nullæ autem prævalere cupiditates possunt, mens si perstet in vera, solida viva q; cognitione dei. Hinc fit, ut si firma sit dei cognitio & plena, nunquam imponent inanes falsæ q; species rerum præsentium. Mentem ita q; primum corruptam, oportet, atq; à deo avocatam, cum agunt hominem pravæ cupiditates, & illi animi morbi prævaleant. Deus interim indidit omnibus cognitionem sui & voluntatis suæ, veræ q; iustitiæ & recti ordinis ac usus rerum, ut quid deceat, quid minus, rectum sit aut pravũ, latere possit neminem: sed mens cum facta est reproba, perversa, vi quadam detinet hãc sibi divinitus impressam veritatem, ut contra suipsius iudiciũ iudicet facienda quæ non conveniũt, & quæ sunt mala.

Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, ple 24
nos invidia, homicidijs, contentione, dolo, malignitate: susurrones, detractores, deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absq; fœdere, sine misericordia.

Commodius referuntur hæc ad verbum, facerent quæ non conveniebant; ut qui sequũtur accusativi mutentur in nominativos. Pro iniquitate autem & malitia, Græcus legit iniustitia: ut eo nomine intelligatur quicquid est coniunctum cum iniuria proximi. Cum id scilicet homines alijs faciũt quod nolint sibi fieri, et quod norũt iniustum. Est enim Iniustitia genus iniquitatum erga proximum, in divitijs vel honore, coniuge vel prole, vel proprio corpore. Scortationem intelligit omnem homini dominantem libidinem, qua quisq; se promiscue cum quolibet scorto commiscet. Accipitur hic pro generali scortatione, etiam sub se adulterium continente. Inseritur hic in Græco Versutia, qua proximo infertur molestia quasi ex composito: dum callide vias quærunt mali, quo proximis facessant negotium. Avaritia, cupiditas est plus æquo habendi cum damno proximi. Nequitia dicitur malitia aut vitiositas, quæ virtuti opponitur, ut sit callidita quædã & nocendi consilium, & quovis modo incommodandi proximo, tum inferendo quod lædat, tum negligendo quod prosit, quod q; illi debetur. Sic autem corrupti homines, obnoxios esse cõtingit malis quæ sequuntur. Refertos, inquit, invidia, nimirum erga eos, in quos suam exerere peruersitatem non audent; his enim interim bona omnia invident, mala precantur, & vellent extingui. Ideo sequitur, Homicidiũ & cædes. Id quod dum non permittitur, perpetuò vexant proximos suos contentionibus, & dolis circumveniunt, oderunt enim omnes. Sic autem quasi cum humanitate ipsa bellum gerentes: necesse est huc degenerare, ut sint moribus per omnia corruptis, importunis, profligatis, & summe execrandis. Malignitate, dicit noster interpres. Qui sic pravis assuescunt moribus, & mala consuetudine, ut non nisi scelerate & prave omnia gerant. Huius partes sunt, quæ subijcit, Susurrones, qui clanculo proximos apud alios deferunt. Quæ res, ut ad disturbandas amicitias plurimum valet: ita ingenuis mentibus merito est invisa. Detractores vel obtrectatores sunt, qui omnia calumniantur, omnia atro dente arrodunt. Quod & ipsum malum inter præcipuas humanitatis pestes numeratur. Deo odibiles, vel potius osores dei, qui deum oderunt. Cum enim deus charitas sit, & ipsa bonitas, & illi à deo in extremam peruersitatem & malitiam degenerarunt, aliud non possunt quàm odisse deum. Id quod de se nimium palàm testantur, simulatq; ex verbo dei scelerum suorum admonentur. Istud necessario comitem habet malum quod subiungitur, Contumelioſi: deo enim cum audent adversari, & profiteri manifestum odium, quid sibi cõtumeliæ non permitterent in ho

mines. Sic uero dei & hominum contemptores cum sint & hostes, non possunt non summe superbi esse, fastuq; pleni: tum & arrogantes adeo, ut sibi nihil indignum putent. Hi tales cum sese omnibus præferunt, bellū quoq; indicunt omnibus, repertisq; flagitijs & sceleribus contenti non sunt, sed nouos quotidie uiuendi perdite aliosq; lædendi rationes excogitant. Hinc tribuit eis & hunc titulum, Excogitatores malorū. Hi sunt de quibus dominus queritur per Ieremiam, quod sapiētes sint ut male faciant: in his scilicet ualent, ingenio uero stupidi sunt ad omnia quæ recta sunt. Quod sequitur, Parentibus immorigeri, eiusmodi est, ut nemini se possint subijcere, nemini obediant, qui parentibus subesse non possunt, sed pro suis tantum cupiditatibus uiuunt modis omnibus peruersis. Vt sensim quoq; eò prolabantur ut fiant hostes dei, omni flagitiorū genere cōspurcatissimi. Hinc & Apostolus ea hic subijcit, quæ sicut natura consequi solent, ubi disciplinam uitæq; formationem homines repudiarint, ita continent in se totā omnium uitiorum scelerumq; colluuiem, quando sunt omni ueri & recti iudicio destituti, adeo ut nec ipsi quæ decent cernere possint, nec auscultare ea monstrantibus. Eos autem intelligere licet per insipientes. Sequitur, Incomposiri uel pactorum haudquaquam tenaces, quod pro eodē accipitur. Qui tantopere deo & hominibus aduersantur, tanta sunt uitæ immanitate, ut fidem facilime fallant. Et similiter quod sequitur, Ab omni prorsus societate hominū & conuictione abhorrent, nimirum potius omnibus hominibus hostes, quos nullus tangit humanitatis sensus. Inde manent omnibus mortalibus hostes irreconciliabiles, quos hic dicit absq; fœdere. Sic enim uocantur, qui fero & hostili in omnes animo sunt, adeo ut se hominibus nulla ratione conciliari placariq; sustineant: etiam summe miseris, ac sic habētibus, ut quātauis crudelitas pœnis eorum satiari iure debeat. Vnde Apostolus his omnibus malis plus q; beluinis, supremā manum hoc malo imposuerit, addens, Immisericordes, quos nulla quamlibet miseranda hominū mala eos tangant, nedum commoueant.

25 Qui cum iustitiam dei cognouissent, non intellexerunt: quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, sed etiam qui consentiunt facientibus.

Amplificatio est enumeratæ peruersitatis. Nam nō solum eiusmodi sunt ipsi, tamq; atrocia committunt, sed etiam fauent & adsunt alijs ut eadem agant. Ad tantam autem dementiam cum peruenissent maligni isti, ut essent dati propter peccata sua in reprobū sensum, non tamen hoc illis accidit non sua ipsorum propria sponte, aut ignorantibus quid deus ab eis posceret suo iure, qualiaq; intentaret pro sceleribus tantis flagella. Nouerunt enim iustitiam dei ipsorum animis insculptam, scientes deum rependere unicuiq; pro meritis, quod illi sine dubio cognitum habuerunt, ut non ignorarent quid sibi ob tam deploratam prauitatem suam impenderet: ipsorum eis hoc conscientia attestante, ut morte essent digni qui talia perpetrarent, hoc est supplicio extremo & sempiterno. De uarietate interpretum alij uiderint.

CAPVT II.

1 PRopter quod inexcusabilis es ô homo omis qui iudicas. In quo enim alterum iudicas, teipsum condemnas. Eadem enim agis quæ iudicas.

Hactenus memorauit quàm immaniter perdita fuerit uita hominū, in quos ira dei de cœlo reuelata est, extreme impios & iniquos. Nunc peculiariter aggreditur

ditur eos, qui tantam peruersitatem conabantur dissimulare, ut alios scelerum arguerent, quibus uellent cognitam quidem ueritatem administrare, & simulare amorem iustitiæ, ipsi tamen pro amore suiipsius alios accusare malūt, quàm agnoscere suum grauius malū superbæ hypocrisis. Vere enim cum quis reprehēdens alios, aliquid malum pronunciat, cum eo ipso accusat omnes in quibus id mali lo cum habet, etiam inter hos seipsum quoq; condemnat. Idq; hoc grauius, quod ei de se, quod malo illo teneatur, amplius constat. Tam abest, ut ex ullo prætextu, quod seuerum se scelerum uindicem in alijs mentitur, minus eiusmodi mali reatu obstringeretur. Hinc Seneca de philosophis perdite uiuentibus, & alios quæ recta sunt docentibus, scribit, Eos in conuitium suum fuisse disertos. Et Dauid in agnitionem sui facinoris perductus est, ex sententia quam tulerat in alium, dum propheta Nathan illi quæ admiserat sub aliena persona iudicanda proponit. Huius autem uitij primum conuincere incipit gentiles philosophos, ut illos excitet ad solidam suæ peruersitatis cognitionem. Deinde etiam Iudæos, de simili uitio appellaturus, qui in ista simulatione maiore studio detinebantur, ut quos lex dei & paterna institutio ad iustitiam plus pudere impietatis cogeret. Ideo adeo multis utriusq; iudicium diuinæ seueritatis proponit, tamen ex ipsa recti conscientia quam illi simulabant, alios reprehendēdo, nempe gentiles, lege Mosaica non donatos. Ea igitur ratione, qua pleriq; suam conabantur impietatem tegere, dum alios accusabant, reos agit illos impietatis, & prorsus pronunciat inexcusabiles. Prodest uero magis, dum de aliorū peccatis incidit nobis cogitatio, ut statim cogitemus, Ecce iudicium domini quod se tibi quoq; nūc offeret. Vere peccat iste, uere hæc deus ulciscetur. Tu iam dei præco es, hæc damnans. Simul autem cogita dei iudicium esse secundum ueritatem, non solum in hunc & illum, sed in omnes qui faciunt talia. Vt caro quoq; tua concussa timore dei, spiritui citius obtemperet ad innocentiam enitenti, ut inde cum teipsum tum proximum ad resipiscentiam felicius extimules.

Scimus enim, quoniam iudicium dei est secundum ueritatem in eos 2
qui talia agunt.

Solus est deus qui ex uero semper iudicat, qui solus animi recessus introspicit, cum homines sicut nequeunt intueri corda, ita labi sæpe necesse. Id si persuasum uere habeamus, & perpetuò cogitemus cum Apostolo, pro minimo nobis erit iudicari ab humano die, in utranq; partē nihil omissuri, quin ad bonum omnibus placeamus. Eum autē qui reuelabit aliquando abscondita tenebrarū, & arcana cordium in apertum producet, ita in omnibus consilijs & actionibus nostris suspiciemus, ut eius reuerentia facile quamlibet prauā in nobis cupiditatem reprimat. Proinde siue uere siue falsè homines de nobis iudicent, laudent nos siue uituperent, nunquam non in mentem huius ueniat. Deum scimus secundum ueritatem iudicare. Huic ut nostra omnia approbemus, omnis uita est impēdenda.

Existimas autem hoc, ô homo omnis qui iudicas eos qui talia agunt, 3
& facis ea, quia tu effugies iudicium dei?

Vt uehementius autem gentiles prædictos homines reddat iudicij diuini solicitos, aggreditur eos admodū urgenti dilemmate. Vos, inquit, appello, qui pergitis eis in rebus peccare, quæ adeo inuisa deo cognoscitis, ut grauiter punire cō sueuerit, ut horum quoq; alios admoneatis. Quid animi habetis? Quid uobis polliceminí? Aut certe existimatis uos iudicium dei effugituros, aut certe admirandam & amplissimam dei clementiam, differētis meritas de uobis pœnas sumere,

contemnitis? Illud impossibile est. Nam iudicat deus ex ueritate, quam uos ferre cogemini, quã effugere nõ poteritis. Omnino autem necesse est, ut is qui peccat in criminalia mandata principis, ut aut credat se posse eius seueritatem effugere, aut plane contemnat clementiam & lenitatem eius, qua concedit resipiscendi spatium. Qui hæc & superiora de hypocritis interpretantur, nihil ut uidetur ab hac interpretatione dissentiunt: quandoquidem alios de peccatis nemo iudicat aut accusat, quàm is qui se uel existimat meliorem, & est hoc ipso deterior, uel dum se peccatorem in maioribus agnoscit, se tamen non uult talem quenquã esse se credere. Vniuersam autem hominum condemnat iustitiam, quæ non nisi pharisaica est, & ut pannus mẽstruatæ, quo minus proximos quosq; iudicare præsumãt. Ideo dicit, O homo, fragilis nẽpe, & ad malũ semper propensus, quãdo cogitatio tua ad malũ prona est semper, cõsidera teipsum, ne & tu tenteris, si te destitui contingat gratia dei. Ne ergo alios iudices talia agentes, qualia tu agis, sed iudicem deum expecta, secundum ueritatem iudicaturum, non in speciem nec iuxta personam, sed corda perspiciens iudicabit de internis operibus.

4 An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas dei ad pœnitentiam te adducit?

Diuitias Paulus dicit pro copia, Hebraismo frequenti. Vt sit sensus, Quando quidem bonitas dei bonitas est immensa, ex qua deus nobis quamlibet indignis & malis, perpetuò benefacit, dans pluuias cœlitus, & tempora fructifera, aliisq; innumeris beneficijs declarata ipsa homines merito adducere ad hoc debebat, ut uere displiceret eis quicquid prohibuit dominus, ut illud non solum non agere, sed nec agentibus consentire possent aut uellent. Ipsi tamen horrendis se criminibus commacularũt, & hostes dei sese statuerunt. Vt uideantur sola præsenti prosperitate contenti, & exteriori habitu ac hypocrisi commendati, iudicium domini se euasuros esse uel nihil timere. Et non solũ tam largiter deus benefacit ingratis, sed & tolerat quoq; quàm patientissime nostram impietatem, nihil de sua benignitate imminuẽs. Quin & per anthropopathiam uideatur facto affligi, & molestiam sentire à tantis hominum sceleribus, ut doleat ei, si ipsi nos perdamus tam crudeliter, quos saluos adeo cupit. Quin cum nihil quoq; omittimus ad irritandum eum, & in pœnas nostras prouocandum, semper tamen adhuc ille mansuetus perseuerat, & tardus ad iram, lentus ad ultionem. Ignorans, ait, id est non animaduertens, quod ista te dei bonitas ad resipiscentiam adigere debeat. Hoc quidem superioribus addidit, ut acrius instaret, & magis exagitaret horũ insaniam, qui tanta dei bonitate, tolerantia & lenitate emolliri non potuerũt nec uoluerũt. Non enim potuerunt ignorare, se hac amplissima dei bonitate ad resipiscentiam non tantum uocari, sed agi & impelli. Sentiebant siquidem deum instituisse ipsorum peruersitatem beneficijs suis expugnare, quæ tam ampla, tanta constantia pessime meritis & scelera continuo accumulantibus cõferebat. Et nisi omnis pudor, omnisq; recti sensus apud eos fuisset plane abolitus, ista infinita dei bonitate eò impulsi fuissent, ut ipsos suæ impietatis piguisset, & uitæ melioris studium suscepissent. Discimus hoc loco, ut omnia dei opera in hoc sæculo in bonũ nostrum deus ordinarit: quæ & ad pœnitentiam nos debeant inuitare. Mala omnia nobis adscribenda esse. Domino, inquit, deo iustitia, nobis autẽ confusio faciei nostræ. Discimus quoq; quod thesaurus iræ nõ irrogatur simpliciter peccatis, sed impœnitentiæ, quæ est peccatum ad mortem, & fructus perfidiæ. Et insuper uidemus, quàm bonos & lenes nos quoq; esse conueniat in conseruos, ut perfectam patris

nostri

noſtri bonitatem malis benefacientis æmulemur.

Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi 27
iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij dei, qui reddit unicuiq; ſecundum opera eius.

Omnia huc refert, ut plenius perſuadeat Chriſti ſaluatoris & ſalutis neceſſitatem, hic nũc oſtendens ſeueritatem diuini iudicij. Eſt autem occupatio qua occurrit cogitationi impiorum, tanquam non ſit impoſſibile effugere iudicium dei, qui impios tam indulgenter tractat bonitate ſua ut contemnant eam. Reſpondet hic Paulus, Hac ipſa de cauſa, quod deus uos tanta fert lenitate, & impellit ad ſe bonitate tam copioſa, uos autem in malo perſeuerantes & proficientes, nihil pati mini his commoueri, grauius uos manet iudicium dei, iraq; dei iſtam tarditatem ſupplicij grauitate intolerabili compenſabit. Proinde dum ita pergetis ſceleribus ueſtris dei bonitatẽ contemnere talem, nihil aliud facitis, q̃ reponitis quotidie aliquid ad ſupplicij ueſtri cumulum: qui cum conſtitutum huic iudicio tempus aduenerit, ſemel promatur. Reddit enim deus citra ullum perſonarum reſpectum unicuiq; pro ſuis factis. Ergo quæ ſcelera maiore bonitatis eius cõtemptu admittuntur, tanto ſunt atrociora, & grauiore animaduerſione uindicanda, tempore quod ipſe conſtituet. Proinde quò diutius impune ſic uiuitis, & dei bonitatem nihili facitis, hoc maiorem uobis ſupplicij cumulum reconditis, quæ uos olim opprimet, & in ſempiternam ultionem præcipitabit, cum dies iræ aduenerit. Hæc uero diligenter conſiderata, homines reddent ſibiipſis ut ſibi diſpliceant, & à dei iudicio trepident, indeq; potentius ad Chriſtũ confugiant & orent. Vbi interim notandum, quod deus merita ſupplicia dum non exigit, recondit: ſed quia homines id ſciẽtes toties admoniti obſtinata libidine iram in ſe dei prouocant, recte dicuntur ipſi ſibi ultionem reponere, & quaſi expetendũ theſaurum indies cumulare. Iram autem in die iræ, intelligit ultionem, uel quam dominus in ultimo iudicio plenam de ſceleratis ſumet, uel certe atrociorem etiam in hacuita, qua omnes aperte cognoſcant iudicium graue dei. Hunc quoq; diem uocat Apoſtolus diem reuelationis iuſti iudicij. Iuſtum autem iudicium eſt, quo cuiq; redditur pro ſuis meritis. Id cum differt deus, pœnas ſumere de ſceleratis, quaſi latet & occultũ eſt: reuelatur autem & in lucem æditur, cum pœnas exoluunt impij, quod duritiam impœnitentis cordis digne pertundat. Secundum facta rependi, exprimit ſeueritatem diuini iudicij ſine omni reſpectu perſonarum, ut metus huius iudicij incutiatur præpoſtere ſecuris. Nulla enim ibi ualebit gratia, cauſæ erit ſoli nitendum. Non poteſt hic iudex deus fauore perſonæ à merito cauſæ auerti. Cum autem humano more loquendi deus nobiſcum utatur in uniuerſa ſcriptura, his quoq; uerbis de repenſione factorum uel ſecundum facta, ad ſolicitudinem aſſequendi felicitatem homines ſic hortatur, ut expectent pro malefactis pœnam, pro benefactis mercedem. Interim tamen paſſim docentur, ſola bonitate & gratia per ſe & ſimpliciter accipere: non tantum æternã ſalutem, ſed etiam in præſenti uita temporalia beneficia, tam animorum, qualia ſunt omnis generis uirtutes, q̃ neceſſaria corpori qualiacunq;. Quando omnia bona dei ad nos ex gratia dei ſunt, qua & largitur, ut bene agamus uelimusq;: & eadẽ benefacta, eius gratia per nos perfecta, mercedis nomine remunerare gratioſe promittit, ſicq; ſua in nobis opera coronat, & nos interim ab eius eadem gratia oremus, ut det facere quod iubet fieri: & ſi quid factum bene per nos fuerit, id quidem dignum per ſe non ſit, acceptatione dei, quam tamen ex mera bonitate acceptat, & dignum iudicat, cui ex ſua

bonitate mercedem reponat, quando ex fide gestum est, quam largitus est & ipse dñs: quæ sine bonis operibus haberi nõ potest in adultis, quæ ut domino placeat, tamen non aliter meretur nobis & ipsa præmium, quàm quia gratia dei per Christum nobis & fides contigit donata, & ad opera ordinata, eadẽ gratia qua & beatificabimur. Iustificati per fidem in Christo, quæ non est sine bonis operibus, qua à domino acceptantur, tanquam digna merita pro præmio reddenda, iuxta promissionem ex gratia. Vt nihil habeant cõtrarietatis dicta Apostoli & sanctorum, quando secundum opera iudicandi dicimur & sumus, quibus ex gratia decreuit præmia, & nihilominus non iustificemur apud deum, uel in iudicio dei absoluamur, nisi sola gratia & bonitate dei peccata nostra propter seipsum remittẽtis, ac propter Christi iustitiam & merita.

6 His quidem secundum patientiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærentibus uitam æternam. His autem qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt ueritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio, tribulatio & angustia, in omnem animã hominis operantis malum, Iudæi primum & Græci.

Clarius M. Bucerus hæc explicat. Iis qui in benefactis tolerãtes ac perdurantes, quærunt quæ glorioſa, honesta, ac solida, & perpetua sunt, uitam æternam. Hos uero quos agit contentio, qui ueritati non obtemperant, obtemperãt autem iniustitię, urgebit indignatio, ira, afflictio, angustia, desæuitura in omnẽ animam hominis perpetrantis malum, Iudæi primum, deinde & gentilis. Dixerat, Vnicuiq; iuxta facta sua rependẽdum: memorat ergo, ut sunt diuersa facta, ita diuersa quoq; esse rependenda præmia: uolens horum commendatione & desiderio, illorum autem detestatione & metu, à pernicioſa securitate in peccatis, impellere ad Christum. Studia autem & facta sanctorum dicit esse, tolerãtiam boni operis, quærere gloriam, & honorem, & incorruptionem, hoc est uerum, solidum & stabile decus uitæ, iustitiam plenam, insignem, ac ideo in sempiternũ quoq; permanentem. Porrò bona opera quæ inquiri hic dicuntur, proprie sunt officia iustitię, quibus deo ad commoda mortalium cura publica & priuata sancti inseruiunt, proximosq; ad pietatem & huius uitæ necessitates iuuant. Hisce beneficijs uulgo mortales non solum nullam referunt gratiam, uerumetiam ob hæc nihil non malorum rependunt, nullosq; tanto persequuntur odio, atq; eos qui instituunt res humanas iuuare præcipue. Exemplum huius est dominus Christus, Moses, Dauid, prophetæ, & apostoli, & ipse Paulus. Opus ergo est talibus non uulgaris tolerãtia, qua animus duratus sustineat perstetq; in bono opere. Gloriam autem quærere & honorem, hoc est uirtutem & quod uirtutem consequitur, non sic accipiendum est, quasi sancti ob id tantum recte faciant, ut gloriam sibi parẽt apud homines, & quæ sua sunt quærant. Deum potius suspiciunt & uenerantur supra omnia, hunc unum amant, huic sese approbare unice cupiunt. Hæc est illorum gloria & honor quem quærunt filij dei. Vt apud homines clari sint non magnifaciunt, quanquã studeant nemini esse offendiculo, ita honesta fama esse, & ad bonum probari ab omnibus pijs. Incorruptionem quęrere, est perdurare & semper manere, bene habere. Opponiturq; supplicio, quo criminosi & à deo damnati plectuntur: ut incorrupti dicantur, qui istis terrenis contemptis & corruptibilibus bonis, uera bona, uirtutes & cœlestia malunt. Itaq; qui sancte, pie & iuste ac sobrie uixerint, & in pietate perseuerauerint, æterna uita donabuntur. Contra uero damnabuntur, qui contentioni dediti sunt, qui ueritati non concedunt, non

sustinent

ſuſtinent ſibi perſuaderi quæ uera ſunt, tradunt autem ſeſe mendacijs, & ſinunt ſibi perſuaderi iniquitatem et mendacium quamlibet pernicioſum, ut uoci domini & uerbo ueritatis auſcultare nequeant: cuius tamen tanta lux eſt, ut ſe etiam inuitis ingerat conſpiciendam, ut cum impij ei contradicunt, ſemper id reclamante conſcientia faciant, & ijs rationibus, quibus ne ipſi quidem fidant. Hac autem congerie uocum idē ſignificātium, Indignatio, ira, Apoſtolus exaggerare uoluit ultionem, quam ſunt impij in extremo & ſummo illo iudicio experturi. Quibus tamen dictionibus ſignificatur concitatior animi ad puniendum appetitio. Tribulatio autem & anguſtia coarctatio quædam eſt & cōquaſſatio, magnopere excrucians & exagitans animum expectatione maiorum tormētorum, ex qua quo nos pacto rurſus explicemus, inuenire non poſſumus. Iſtud tormentum animi dominus in Euangelio expreſſit per fletum & dentiū ſtridorem. Hæc autem, inquit, tanta mala, impendent omni animæ hominis operātis mala. Primum tamen & præcipue Iudæis & Græcis. Nam & ethnicis hactenus deus ueritatem ſuam reuelauit, ut ſint inexcuſabiles. Vt tamen reuelatius & plenius Iudęis, ita illi priori loco recte ponuntur, tam in dando pœnas ueritatis reiectæ, q̄ accipienda præmia receptæ. Penitius autem his uerbis Apoſtolus uoluit animis legentiū imprimere cogitationē de iuſto iudicio dei, reddituri cuiq; iuxta ſua facta, ſine perſonarum reſpectu.

Gloria autē & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primum 7
& Græco.

Præmium iuſtitiæ his uocibus exprimitur, nimirū ſumma illa dignitas, præſtantia decusq;, quibus effulgebunt ſancti, iam per Chriſtum conſummati, cum id iam in eis plene extabit quod canit Pſalm. 8. Gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum, &c. Qui locus Chriſto tribuitur, ſimulq; omnibus qui per Chriſtum reſtituuntur. Porrò iſta hominum dignitas & præſtātia eo maxime nitit̄, quod in his imago dei reſtituta eſt, ſolida ac plena iuſtitia, ut iam ipſi deo & omnibus angelis eius iuſti ſanctiq; habeātur, hoc eſt benedicti, quos ſcilicet deus charos ſibi & eximios eſſe, re ipſa declarat. Quos & ſempiternis bonis uereq; glorioſis cumulat, quicūq; ſtuduerint bonis operibus, primum quidem Iudæos & Græcos, interim tamen etiā alios quoſcunq;, quamlibet etiam Barbaros, & omni ſcripta lege deſtitutos.

Non eſt enim acceptio perſonarum apud deum. Quicunq; enim ſine 8
lege peccauerunt, ſine lege peribunt. Et quicunq; in lege peccauerūt, per
legem iudicabuntur.

Ne quis putaret inopia legis ſcriptæ, & exterius non adminiſtratæ, gentibus uiā iuſtitiæ ac ſalutis præcluſam, eoq; cū peruerſe uiuunt, indigne eos cōdemnari, probat primum, Aequum eſſe in omnes iudicium dei, ex eo quod utriq; legem habent, ex qua quid rectum ſit, ſatis queunt diſcere: unde cum faciunt mala, digni ſint de quibus deus pœnas ſumat. Porrò etiam gentibus fuiſſe legem, ex qua facienda & uitanda abūde poſſint diſcere, ex eo probat, quod inter illos ſint qui citra operam legis externæ, tabulisq; decalogi oblatæ, natura faciant ea quæ legis ſunt. Hi igitur argumēto ſunt, ſcriptum opus legis, hoc eſt uim uniuerſæ legis in ipſorum cordibus eſſe. Hinc ergo in die domini proprijs ipſorum cogitationibus accuſantibus, uel etiam defendentibus iudicabuntur, proq; factis ſuis recipient bona & mala. Hoc dei iudicium cogitēt, qui legis decalogi bonam partem de idolis non habendis, quamlibet alioqui pij ſint & eruditi, tamen diſſimulant,

& quasi cancellandã ducant, & obmittunt explicite docendo. Quum illud ipsum dei scriptum gentiles habuerint cordibus suis instructum, de non habendis imaginibus in templis, ut sciunt ipsi de legibus Numæ & aliorum gentilium, qui citra omnes imagines deum colendum bene & religiose docuerunt. Id quod sacræ literæ ubiq; docent, apostoli quoq; & sancti episcopi contenderunt, omnisq; ætas & natio experta est, religioni ueræ fuisse imagines istas præsentaneũ uenenum. Hoc testantur abominationes regnorum Israelis, Iudæ, & Machabæorum. Deinde quantum malorum inciderit Christiana religio, à tempore quo imagines diuorum non mala specie, sed contra scripturam defensæ sunt & auctæ in totius religionis stupendum excidium, & superstitionis execrabile augmentum. Quod nec nunc quoq; datur agnosci & emendari apud multos etiam pios. Et qui hodie in his rebus peccant, quamlibet intentione bona, in legem peccant, & per legem iudicabuntur. Habent enim legem inscriptã in cordibus, quam & gentes cognouerunt & sunt reueriti, tamen in eam peccantes peribunt. Non em̃ nobis minus nocuerũt hæ diuorum imagines q̃ Israelitis, nec pauciores habuimus diuos, nec simulachra uenerati sumus minus illustria, nec templa pauciora uel humiliora illis construximus, & tamen tanti damni iacturam in rebus & cõscientijs dissimulare possumus, quasi cõcionatores nostri fortiori spiritu imbuti sint, quàm fuerit Isaias, Ieremias, & similes: ut Baruch interim contemnamus, qui sanctus fuit, & zelo pio imbutus.

9 Non enim auditores legis iusti sunt apud deum, sed factores legis iustificabuntur.

Probat per legem damnari, qui in legem quam habent peccarunt. Cum enim certum omnibus habeatur, non esse satis, audisse legem & sciuisse, nisi eidem obediatur, & operibus legis accommodetur, hinc etiam constat, Iudæos quoq; non posse apud deum iustificari, & inter iustos haberi à deo, quod legis tantum auditores essent, licet factis legem transgrederentur: quin eos qui legem recte uiuendi acceperunt, si isti praue uiuant, per eam legem cõdemnari. Ideo subiecit, Non enim auditores legis iusti sunt apud deum, sed condemnandi per ipsam legem uestram eritis, si mala fuerint opera uestra: qualia & sunt non tantum gentiliũ opera, sed & uestra quoq;: nam legem non obseruatis. Agnoscite ergo aliunde quàm à lege salutem uobis esse quærendam. Sed & gentiles quoq;, quamuis nullam acceperint legem scriptam à deo, peribunt tamen, si male fuerint operati: satis enim legis uel in corde suo scriptum habẽt, ut merito bene debeant operari. Quicunq; ergo faciunt legem, hoc est serio studeant legi, ut uita quoq; legi conformetur, illis deus uolet esse propitius, quos & ad uitæ æternæ hæreditatem admittet.

10 Cum enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt: eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.

Dixerat reuelatã gẽtibus quibuslibet, non tantũ Græcis, sed & Barbaris, diuinitatẽ & potentiã dei, ut sint inexcusabiles, & grauiter quoq; puniti, qa cognitã ueritatem detinuissent in iniquitate. Norũt ergo gentes quę mala sunt & improbata deo: adeoq; si ea faciunt, scientes & prudentes admittunt, in quæ non dubitant deum animaduersurum. Iure igitur peribunt, etiam si nullam scriptã legem acceperint. Si uero naturaliter quæ legis sunt faciunt, hoc est, si uixerint honeste & innocenter pro modulo humano, non ex institutione legis scriptæ admoniti, quam non acceperũt, sed ex naturali hominum iudicio, quia communibus naturæ fa-

ræ facultatibus prædíti ſunt, quandoquidem deus ueritatis & æqui cognitionem ſufficiẽtem quibuſuis impertit mortalibus, & tam amplam, ut qui praue uiuunt, ſeipſos tandem condemnare cogantur. Hi certe ſibiipſis ſunt lex: ex gratia & inſpiratione diuina & lumine naturali habent, ut ſeſe docere & corrigere poſſint. Id autem manifeſtum faciunt, cum quæ decent uel ipſi faciũt, uel alios eadem docent agenda: tum certe oſtendunt opus legis inſcriptum eſſe cordibus ſuis, hoc eſt, uim legis & præcepta legis. Neq; enim hæc ex libris hauſerũt ſacris, aut à docentibus acceperũt, ſed inſcripta diuinitus nõ ignorant. Nempe colendũ deum, à quo omnia bona, à cuius prouidentia regimur, cuius ſola bonitate nitendum. Proximo autem ea præſtanda eſſe ſummatim, quæ cupimus illum præſtare nobis. Sub qua lege continetur, ut honor adhibeatur parentibus, gratitudinem exhibendam, reipublicæ ſeruiendum, neminem lædendum, &c. Cæterum ſicut lex ſcripta ſua ſcientia neminem ſaluat, ſicut nec obſeruatio iuſtificat coram deo, niſi adiuuetur gratia: ita nec lex naturæ, de qua hic loquitur, quæ deum diligẽdum & colendum ex creaturis monſtrat, per ſe pios reddit.

Teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſeinuicem 11
cogitationum accuſantium aut etiam defendentium, in die cum iudicabit deus occulta hominum, ſecundum euangelium meum per Ieſum Chriſtum.

Sic per M. Bucerum clarius, ut neceſſe erat, exponitur, Qui demonſtrãt uim legis inſcriptam in cordibus ſuis, atteſtante eorum conſcientia, & cogitationibus inuicem accuſantibus & defendentibus in die illo, quando iudicabit dominus arcana hominum per Ieſum Chriſtum. Id quod euangelio meo prædico. Hæc gentium naturalis lex ex illo lumine exiſtit, quod deus omniũ mentibus infundit, ut quicquid faciunt, ipſi ſibi conſcij ſint bene an male id faciant. Idq; tam certo ſciunt, ut ex his ſupremum quoq; illud iudicium futurum ſit, in die quando deus iudicabit abſcondita hominum, per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. De euangelio autẽ ſuo Apoſtolus addit affectu ſingulari, quia erat ei præcipue creditum, & ſummo in eo prædicando ſtudio ferebatur. Nec uero temere eſt, quod cogitationibus noſtris tribuit æque noſtri defenſionem ſicut accuſationẽ. Multa enim facta ſunt, quæ in ſpeciem iuſta uidentur, cum iniuſta ſint: ea per accuſantes cogitationes, quas recti conſcientia in nobis excitat, produntur. Contra quædam iniuſta cum ſint, ea item rationibus ex illa recti conſcientia manantibus apud tribunal cordis noſtri uindicantur. Deum quoq; dicit iudicaturum per dominum Ieſum. Huic enim dedit pater facere omne iudicium. Coram quo iudice tũc quoq; ualebit iudicium illud conſcientiæ noſtræ, quæ reuelabitur hoc modo, Dum non aliis accuſatoribus rei peragemur, quàm propriis iſtis cogitationibus euincentibus mala noſtra punienda eſſe quæ admiſimus: nec aliis patronis defendemur, quàm noſtris quoq; cogitationibus, fide certa in Chriſto fixis, cuius pro ſe poſſint meritum ac iuſtitiam allegare.

Si autem tu Iudæus cognominaris, & requieſcis in lege, & gloriaris in 12
deo, & noſti uoluntatem eius, & probas utiliora inſtructus per legem, confidis teipſum eſſe ducem cæcorũ, lumen eorum qui in tenebris ſunt, eruditorem inſipientium, magiſtrum infantium, habentem formam ſcientiæ & ueritatis in lege.

Expoſuit quàm ſcelerate uulgo uiuant gentes, quæ à Chriſto unico mundi

ſaluatore adhuc ſunt alienæ, incipiens à reprehenſione gentium, quos arguit ex profeſſione ſapientiæ tumidos eſſe, quamlibet peruerſi eſſent, quales uideri nolebant, quibus & diuini iudicij ſeueritatem expoſuit. Nunc ad inſtitutum peruenit, ad reprehendendum etiam Iudæos, quorum maius erat ſupercilium, & minor tolerantia reprehenſionis. Laborabant magis ut ſuam iuſtitiã aliorum condemnatione metirentur, nihil interim æſtimantes, quod interim re ipſa tam flagitioſe & impie uiuerent ſicut gentes, qui legem dei non ut Iudæi acceperant. Eouſque autem deducit ſermonem, exaggeratione & gradibus quibuſdam, ut qui erat inter Iudæos ſummus honore, authoritate, & iuſtitiæ opinione, ſummus ſcilicet ſacerdos, legis notitia ſanctificatus, neget eſſe iuſtum & ſanctum ſine fidei in Chriſtum iuſtitia, à ſæculis promiſſi patribus & prophetis. Videamus igitur gradus ex ordine. Primo ponit originem ex ſanctis patribus, cum dicit, Cognominaris Iudæus, unius ſcilicet dei idoneus cultor, & dei cultorũ filius. Nam ueriſimile eſt illos plus ſapere, qui à religioſis parentibus prognati ſunt. Quaſi dicat, Tu qui uideris cum materno lacte diuinam ſuxiſſe ſcientiam. Secundus gradus, Studium legis. Nam ſingulis ſabbatis legem meditabantur. Vnde dicit, Acquieſcis in lege, id eſt frequens es in lectione uel auditu legis. Tertius gradus eſt, A beneuolentia dei, qui maiorem ſapientiam Iudæis erat pollicitus. Vnde dicit, Gloriaris in deo. Et Deute. 4. Hæc eſt ueſtra ſapientia & intellectus coram populis, &c. Quartus gradus, Cognoſcere eximia, nempe latentem in litera ſpiritum, & promiſſum ſeruatorem Chriſtũ. Quintus eſt, Inſtitutos eſſe ex lege, ut omnia probare poſſint idoneis ex ſcripturis teſtimoniis. Sextus eſt, Ita prouectos eſſe, ut confidere poſſint ſe præſtare poſſe ducatum cæcis, quo ad uiam morum. Septimus, Poſſe etiam eſſe lumen uerſantium in tenebris ignorãtiæ, & docere ea quæ ſunt fidei. Octauus, Habere ius caſtigandi alios. Inſipienti enim diſciplina debetur & uirga. Nonus gradus, Eſſe in tanta authoritate, ut abſq; caſtigatione, ſola uiuerbi doceant imperitos. Decimus, Tantam habere formam cognitionis & ueritatis per legem, ut digni ſint etiam primo honore ſacerdotis ſummi, in cuius rationali & pectore ſcripta erat doctrina & ueritas, quo indicabatur ſummum ſacerdotis officium eſſe, Docere ueritatem, & innocenter uiuere, perfectionemq; ſectari & meditari. In ſumma autem hoc dicit, Quantauis uideatur prærogatiua ſcientię, non tamen iuſtificabit quempiam abſq; fide. Et uobis quidem perſonam deus impoſuit plus quàm eximiam, & hac uobis uos Iudæi magnifice placetis, ſolos uos deus peculiari fœdere ſibi aſſumpſit, ueram uiuendi rationem à domino complacendi docuit, perq; uos hanc adminiſtrari alijs decreuit. Hæc omnia uos ambitioſe admodum de uobis prædicatis, at uita & moribus nihilo ſanctius uiuitis quàm gentes, quibus horum nihil donatum eſt. Hoc uero intelligi uoluit, non expreſſit: ita ut ſolent qui admonent cum quadam acrimonia & ſignificatione deteſtationis grauioris. Mox autem ut illa ſignificatione animum eorum mouiſſet, ad ingenuam & copioſam claramq; rei explicationem progreditur, ſicut conſueuerunt qui admonent prudenter. Excipit uero hic, quod inter laudes Iudæorum ultimo loco poſuerat, Profeſſionẽ doctrinæ ſalutaris, hoc eſt, recte uiuẽdi & ſentiendi de diuinis.

13 Qui ergo alium doces, teipſum non doces? Qui prædicas non furandum, furaris? Qui dicis non mœchandum, mœcharis? Qui abominaris idola, ſacrilegium facis?

Ergóne, inquit, qui doces alium, teipſum non doces? Per ſe quidem nihil eſt abſurdum

absurdum magis & indignum, q̃ docere alios quæ recta sunt, se uero id non docere. Attamen ut uehementius Iudæorum arrogantiam percelleret, extulit hoc modo loquendi per interrogationem, quod habet uim quandam urgendi & instandi. Quod uero se non docerent Iudæi, qui docere alios sibi solis sumpserant, instituti libris propheticis atq; sacris, sanè acerbis oppositionibus probat, perseuerans instando interrogationibus. Cum prędicas non furandum, ipse furaris? Affirmas non mœchandũ, ipse mœcharis? &c. Volebat siquidem illis scelerum confessionem extorquere, eoq; adducere, ut se non minus quàm gentes peccatis plane perditos, ac inde Christo æque atq; illas opus habere agnoscerent. Docebant alios unius dei ueram religionem, & legem dei, & iustitiam utiq; profitebantur, hoc ipso se iam huic consecratos credentes, & eius tenere scientiam. Quid autem æque insanum, quàm præ se ferre studium alios ad uitam æternam adducendi, & ipsum hanc uideri prorsus spernere? testari alijs in obseruatione legis dei salutem & oñia bona sita, ipsum autem legem prorsus negligere? Subinde quoq; Iudæos in communi appellans gentem Iudaicam alloquẽs numero singulari. Quæ ergo uulgo iam apud eos gerebantur & à pluribus, iure eis communiter impingit. Cum itaq; Iudæi æque ac gentes admitterent furta, adulteria, & sacrilegia, legemq; omnifariam transgrederentur, eoq; nihil q̃ ignominia deum afficerent de cuius lege gloriabantur, interim tam scelerate uiuentes Iudæos in uniuersum accusat. Peruenerant huc quoq; tandem, ut idola quidem abominarentur, quorum insanum studium olim excuti eis nullo pacto poterat. Indeq; nunc se eximie religiosos arbitrabãtur, cum interim à sacrilegijs nihil abhorrebant, hoc est à contrectatione usuq; rerum quæ idolis erant dicatæ, quas ne contingere quidem debebant. Commercium quoq; cum idololatris, auaritiã in sacerdotibus: adhuc enim extabat templum, & hostiæ ab auarissimis sacrificis ipsorum sacrilege defereban tur, sub specie promouendi cultum ueri dei, quem factis blasphemabant.

Qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis deum inhonoras. 14
Nomen enim dei per uos blasphematur inter gentes. Sicut scriptum est,

Iudæi gloriabantur de lege, tanquam in maximi amoris indicium à deo sibi data, contemnebantq; propter hoc gentes omnes, quibus non fecisset taliter, & iudicia sua non manifestasset, uiuebant tamen omnibus modis contra legis præscriptum. Quemadmodum deum uidebantur honorare gloriando de lege à deo illis tradita: sic dum factis produnt se pro nihilo habere legem, quam tota uita impudentissime conculcant, eo deum grauiore afficiebãt ignominia, quando facta certius de animo testantur q̃ uerba, & pluris fiunt. De deo enim & rebus diuinis contra animi certam sententiam multa iactare, quid aliud est q̃ habere deũ ridiculo, & in faciem dei insultare? Quandoquidem præsens est ubiq; & coram ipso agimus omnia. Vnde fit consequẽter, ut non respondẽtes dignitati uestræ quam iactatis, diuersum potius per uos fiat, hoc est uestra peruersitate: nimirum ut nomen dei male audiat inter gentes, & conuitijs quotidie incessatur. Nam gentes deum legemq; eius à uestris æstimant moribus, qui cum sitis tam scelerati, nec illum uerum deum nec legem eius iustã & sanctam agnoscant. Quod autem Paulus hic adducit, ad uerbum habetur Isaiæ 52. Tribuiturq; id hostibus in populum dei crudeliter imperantibus, & nomen dei Israel contemnẽtibus, & conuitijs agi tantibus, quos sit propter hoc duriter quoq; puniturus, ut Iudaicus populus ex ea ultione sit dominũ deum glorificaturus. Nunc autem contrarium fit, ait Apostolus, ut multo grauius gentium cõuitijs meum nomen per uos exponatur, qui

ita perdite uiuitis, ut non deus ego, sed impurissimus dæmon à gentibus habear, de cuius scilicet numine uos sic sceleste tã flagitiosi audeatis gloriari. Sic non tam propter quàm per nos fit, ut ipsi merito dicamini conuitia ista gentium in deum iacere, quorũ tantam causam præstatis. Nostrum est interim curare, Christianorum scilicet, ut nomen domini quo censemur, quod inuocamus, nostra causa male non audiat. Id fiet, si omnia dicta & facta nostra purissime Christum resipiant, & ad salutem proximorum referantur simpliciter.

15 Circumcisio quidem prodest, si legem obserues: si autem præuaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est.

Obijcere Iudæi poterant, deum uoluisse Iudæos habere pro suo peculiari populo, esse ipsorum deum, & habere quasi primogenitum ex nationibus cunctis, in cuius signum sanctificauerat eos sacramento circumcisionis, dederat legem, instituerat cultum religionis, habereq; uoluit pro suo populo: sic ut circumcisionis nomine intelligatur tota Israelitica professio. Hic Paulus respondet, differens de circumcisione, quid sit, quando ualeat, quid sit esse Iudæum. Quæ omnia nitũtur illo quod supra dixerat, deum absq; personarum respectu unumquenq; iudicaturum, non secundum professionem, sed secundum facta. Ideo externa illa nõ possunt adferre Iudæis salutem, si desit studium legis, alioqui gentes deum timentes, & iuxta legem naturæ uiuentes, de qua dictum est, condemnaturas esse Iudæos transgressores legis acceptæ. Quod si facta quoq; legis nos domino commendare non possunt, quæ sunt immunda omnia, tam Iudæorum q̃ gentium, aliunde est iustitia speranda & inquirenda. Cum ergo dominus circumcisionem, sacram societatem, institutionem legis, & quæcunq; in his cõtinentur, quæ omnia Paulus hoc loco nomine circumcisionis comprehendit, ad id Iudæis instituisset, ut uitæ beatæ participes euaderent, in eaq; feliciter proficerent, hoc est legi suæ totis uiribus studerent, utrunq; hoc uerum esse satis liquet, & circumcisionem habuisse suam utilitatem, significando fœderis signum inter deum & filios Abrahæ, ut sit eorum deus, & ipsi eius populus. Eam tamen utilitatẽ non peruenisse nisi ad eos qui legi studuissent datæ. Hic siquidem finis erat, ad quem consequẽdum & ipsa sacra communio & sacramẽtorum usus à domino erat institutus. Claret ergo Iudæis ad legis præscriptum uitam suam non conformantibus, circumcisionem totamq; sacram initiationem & professionem cum omnibus quæ ab his citra studium pietatis solidum pendẽt, nihil penitus profuisse, sed fuisse potius damno, & ad augmentum ultionis profecisse. Hoc est autem circumcisionem præputium fieri, hoc est Iudaismum pro gentilismo haberi, quando qui initiatus est sacris ueræ religionis, nihilo pluris est q̃ ethnicus.

16 Si igitur præputium iustitias legis custodiat, nónne præputium illius in circumcisionem reputabitur? Et iudicabit id quod ex natura est præputium, legẽ consummans, te qui per literam & circumcisionem præuaricator legis es.

Confert adhuc gentiles Iudæis, præfertq; gentes Iudæis, ut demonstret inane esse sibi placere ob externa, aliosq; præ se contemnere. Gentes autem dicit, sine fiducia uel beneficio legis Iudaicæ, uerã tamen iustitiã præstantes, quę nusquam apud Iudæos existebat. Intelligit autem gentes istas, quæ in Christum iam crediderant, uel etiam eas quibus ante Christum reuelatũ eis adfuerit speciali dei gratia uera iustitia, sine huiusmodi oñibus ceremonijs: ut doceat ceremonijs his externis,

ternis, iustitiam ueram non esse necessario cõiunctam, ideoq; neminem prorsus debere horum fiducia salutem sibi uendicare. Quãdoquidem autem reuelato per euangelium Christo, regnum dei à Iudæis ad gentes erat transferendum: uerisimile est sub aduentum domini non paucos inter gentes ueræ iustitiæ studuisse, unde & albæ segetes gentium à Christo dicebantur, cuius & argumentum est, facilitas recipiendi euangelij prædicantibus apostolis in orbe toto, ut plures ubiq; fuerint qui deum ex animo quæsierint, etiam antequam euãgelium audiuissent, ut semen uerbi dei tunc bonam terram domino præparante inuenerit, quia fructum attulit: ut causam Iudæi non habuerint contemnendi præ se gentiles, nec grauari debuerint, cum illis eundem adorare & credere Christum. Hinc satis elaruit, eius gentis præputiũ, hoc est, uitam quam in præputio uiuebat, qui ex sententia dei uiuebat, apud deum haberi pro circuncisione, hoc est, ea uitæ conditione quæ erat circuncisorum. Quibus enim concessum est per dei clementiam sancte pieq; uiuere, hos iam constabat, sicut spiritu dei præditos, ita deo quoq; numeratos esse inter filios, dignosq; sorte electorum, quam semini Abrahæ offerebat per circuncisionis sacramentum. Accusabit, id est iudicabit gentium innocentia & pietas, quæ legem dei non audierunt, peruersitatem Iudaicam, quæ uerbis iactabat legem, factis soluebat. Sic dominus reginam Austri & Niniuitas condemnaturos prædixit gentem Iudæorum, eo quod illi uerbum dei suo loco habuissent, quod Iudæi spreuissent: fide seruandos gentiles, Iudæos ob perfidiam repudiandos significans. De hoc iudicio, & hac damnatione Iudæorum per gentes, simpliciter cum sanctis doctoribus capio hic dicta, nihil supra captum fidelium imaginandum de iudicio sanctorum, sed communi formula loquendi. Iudicati sunt enim iamdudum factis & uerbis & scriptis, & manifesta damnatione, tam à Christianis omnibus, q; à seipsis, misere confusis in conscientia sua, dum malunt horribilem sibi & inexorabilem æstimare dominum deum suum, q; odium Christi & doctrinæ eius, & miraculorum gloriã cum illustrissimo Christi regno, quod latissime patet in mundo, grati agnoscere, uenerari & colere. Pater autem omne iudicium filio dedit. Nos quãlibet parum pij, iudicamus quidem de ueritate promissorum, deus autem pater per filium iudicium sedens deferet in uiuos & mortuos impios, sanctis omnibus approbantibus illius iudicium, & impijs ipsis obstruentibus os suum, ut omnis mũdus Christo obediat, cui soli omnis honor, gloria & uirtus, nobis etiam sanctis iustitiam nostram Christo acceptam referentibus, ne quid uel in minimo gloriẽtur pij, nisi de gratia dei per Christum, qui ipse agit omnia in omnibus, ne quid caro glorietur, nisi tantum in domino. Et acceptio personarum nulla sit in ecclesia dei, præter ministerium sanctum uerbi, & per uerbum mysteriorum, credendorum quidem ex auditu, perficiendorum autem per spiritum Christi, qui nobiscum est, & in ecclesia semper usq; ad consummationem temporum, ne de officij nostri magnificentia insolentius sentiamus, & loquamur quasi nostrum sit aperire cœlum, peccata remittere, spiritum infundere, conscientiam assecurare, salutemq; largiri, & similia, quæ solius sunt Christi domini dei & hominis. Ministerium uerbi, & declaratio mysteriorum, doctrina fidei & gratiæ, & legis expositio iuxta uerbum dei, hoc nostrũ est: pro hoc officio, si digne administretur, duplici honore digni sunt in ecclesia qui ministri sunt ecclesiæ, & rigatores seminis uerbi dei, deo solo incrementum dante, quemadmodum omnes de se apostoli suis scriptis, & Christus uerbo docuerunt.

Non enim qui in manifesto Iudæus est, neq; quæ in manifesto in car- 17

ne est circuncisio. Sed qui in abscondito Iudæus est, & circuncisio cordis in spiritu, non litera: cuius laus est non ex hominibus, sed ex deo est.

Non contemnendus est quidem Iudæus, nec respuenda circuncisio, sed definiendum, quid & Iudæum uocemus & circunciſionem: scriptura quidem, ista cum tantopere commendat, & inesse illis consortium uitæ dei testatur. Non loquitur de eis ut externis duntaxat constant ceremonijs, sed ut habent in se ea ad quæ ea deus instituit. Nec enim apud deum Iudæus est, qui id solum est in manifesto, hoc est, ut externa ostendunt, circũcisio carnis, phylacteria, cibi, solennia, ieiunia: sed is Iudæus est uere, cuius in corde est circũcisio, & spiritualis dei cultus, fides, deuotio, reuerẽtia, cultusq; spiritualis unius dei: quæ deus respicit & agnoscit, & amat quæ in corde sunt sancta desideria atq; uota, non quæ apud homines quomodocunq; plausibilia sunt iuxta legem. Iudæi ergo titulũ, & ueram circuncisionem deo placentem nemo habet, qui non simul totis uiribus legi dei sese dedat, actus à spiritu dei, qui effector est huiusmodi circũcisionis. In spiritu, ait, non litera Iudæus est & circũcisus, qui intima ui mentis, & tota institutione animi & uitæ sic regitur, ut totus deo fide & cultu spirituali adhæreat, hanc in animam uoluntatem & fidem inspiranti. Quam tamen uim spiritus non æque omnes percipiunt. Quos enim ex uniuerso genere humano deus sibi in filios delegit, his quoque uitam & spiritum adflat diuiniorem, quæ innatam prauitatem tandem profliget, ut in se habeant mentem rectam, intelligentem deum & amantem, ut sit ad dei cultum initiatus fide, & uoluntate sancta deo deuotus. Talis autem non opus habet impelli præceptis, quæ literis sacris sunt passim comprehensa, & oculis aut auribus ingeruntur in animum, sed ipsa mens, ut prorsus diuina est, inspirata à patre cœlesti, iudicat & uult in se fieri, quod nouit domino legis placere, idq; ex charitate, non coactione. Talis ergo sanctificatio cordis, est iuxta dei sententiam uera circuncisio, non illud simulachrum, quod carni imprimitur iuxta literam, sine fide prædicta prorsus inane. Vbi ergo ex litera discitur, quid lex præcipiat & polliceat uel minetur, deest autẽ uiuificator spiritus, ibi litera occidit damnatq;, conscientiam enim male sibi conscia conturbat, & in desperationem adducit, quæ est mors animæ: sicut fides in Christum nostram iustitiam uiuificatio est, & uita animæ, & agens sancta. Magnum est autem sic esse spiritualiter circũcisum, & esse fidelem, in Christum sperantem saluatorem mundi, quod sancti ueteris testamenti crediderunt. Habet multum laudis hæc religio, non quidem ab hominibus, qui externa tantum uident & iudicant, sed apud deum, qui cordium scrutator est, & iustificator & iudex: quamuis tales & apud homines laudem habẽt, sed si factis fidem iustitiamq; inesse ostendant.

CAPVT III.

1 QVid ergo amplius Iudæo est? aut quæ utilitas circũcisionis? multum per omnem modum.

Lucrari Iudæos Apostolus uoluit, & qui ex eis iam ubiq; Christo accesserant confirmare, ideo modis omnibus studet, sic applicare admonitionem suam, & administrare quoq; suum officium, ut doceret extra Christũ saluatorem promissum patribus, omnes perditos esse. Vt autem nullam suspicionem det inquioris animi sui in Iudæos, cuius ipsum pseudapostoli insimulabant, quicquid Iudæis dignitatis cum ueritate tribuere potuit, id eis detulit plene. Dicit ergo, Si ex circuncisione carnali, cum spirituali careant, laudem non habent Iudæi plus quàm aliæ gentes, qui plerisq; gentibus legem dei magis præuaricãtur, & minus

seruant,

seruant, quid nam illud tandem erit, quo Iudęus gentili præstat? Quæ illa utilitas circũcisionis, qua deus Iudæos præ gentibus honorauit, ut essent peculium dei? Inficiari enim non potest, quin deus Iudæorum populum suam hæreditatem uocauerit, itemq; primogenitum, & amplioribus bonis dignatum. Respondet ergo ad hanc quæstionem, quæ sit utilitas circũcisionis, uel qualis per eam Iudæorum præstantia. Hic non satis fuit illi dicere, Multa est huius conditionis utilitas, sed dixit, Multa per omnem modum: uolens exprimere q; magnifice de illorum prærogatiua sentiret, quos circuncisione & legis datione consecrasset deus.

Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia dei. Quid enim si quidam illorum non crediderunt? 2

Hæc, inquit, prima & generalis est dignitas illius populi, & utilitas circuncisionis, quod credita sunt eis oracula dei, quibus & quid de deo sentirent, & quibus rebus salubriter sit studendum. His enim duobus constant omnia quæ deus per legẽ & prophetas suos nobis exposuit: sicut etiã nobis uita æterna in his duobus sita est, ut credamus deo, & iussis eius pareamus. Vere autem incomparabilis thesaurus creditus est Iudæis à deo, oracula & lex dei, dispensanda aliquando toti orbi. Nam per semen Abrahæ omnes gentes fuerunt benedicendæ, hoc est, reddendæ participes uitæ æternæ: quæ tum percipitur, cum recipiuntur cum fide & deuotione eloquia dei. Ante reuelatum enim Christum nõ debuit quidem hic thesaurus gentibus dispensari, nisi quæ Hebræis se adiunxissent, sed horũ tantum filijs iuxta præceptum domini. Per apostolos autem erat demum summa sedulitate toti orbi depromẽdus. In hac autem generaliter proposita dignitate, continentur etiã reliqua magnalia gentis, sanctos habuisse patres, & specialiter charos ac familiares, sacris ceremonijs institutos, assequutos certum cultum religionis, sacerdotium & regnum à deo acceptum, Christi promissione de ipsorum gente donandos, multis clarificatos miraculis, donec ex eis Christus nasceretur. Omnia autem illa oraculis dei illis delata sunt & instituta. Non autem frustra has eis prærogatiuas detulit, etiamsi hinc ad multos eorum nihil fructus peruenerit, qui scilicet oraculis istis non habuerunt fidem, non erant grati, non obsequebantur. Nam horum talis incredulitas non potuisset fidem dei irritam facere, qui prò miserat se huic populo uerbo dei credenti fore deum & seruatorem. Ideo dicit, Quid enim si quidã increduli fuerunt? uolens extorquere responsionem. Nihil. Semper enim fuerunt, quibus oracula illa uitam æternam attulerunt.

Nunquid incredulitas illorum fidem dei euacuauit? Absit. Est autem 3
deus uerax, omnis autem homo mendax. Sicut scriptum est: Vt iustificeris in sermonibus tuis, & uincas cum iudicaris.

Ex incredulitate autem aliorum ueritas & iustitia dei facta est illustrior. Id uero cõprobat testimonio Psal. 51. Fides enim quæ ueritas est, quam deus præstat in promissionibus suis, non potest hominũ perfidia irritari. Quid enim efficere potest, ut deus non sit deus? hoc est, non ueritas sempiterna: quod absurdum est de deo cogitare. Ideo adiecit, Absit, & adiecit præterea sententiam, Deus sit uerax, & omnis homo mẽdax. Alterum autem, Reddi fidem dei hominum incredulitate clariorem, quia nõ ita patebat, probauit subiecta scriptura, Vt iustificeris, &c. Quæ uerba breuiter hunc eo in Psalmo sensum habent. Hæc Dauid, inquit, mea scelera tam grauia sunt, ut totus orbis, ubi ea cognouerit, q; fuerint immania, admiretur, & prædicet ingentem illam & ineffabilem tuam misericordiam, qui sic à me offensus, sic irritatus, me tamen adhuc infinitis es beneficijs prosequutus. Et

si ulli unquam homines te nimiæ seueritatis accusare ausint, uel solo hoc misericordiæ tuæ exemplo, quod in me ædidisti, causam uinces. Et eo secundum te pronunciare compelles, quicunq; illud rite fuerint intuiti. Est autem usus metaphora Iudicij, sicut solent homines, cum pœnas dant scelerum suorum, & acerbius paulò accipiuntur à deo, deum cogitationibus suis uelut in ius uocare: hinc dicit, Vt iustificeris, id est iustus pronuncieris in causa tua. Illud autem, Omnis homo mendax, satis experimur q̃ uerum sit, & si id pauci agnoscamus, & fidem nobis nimium arrogemus.

4 Si autem iniquitas nostra iustitiam dei commendat, quid dicemus? Nunquid iniquus est deus qui infert iram? Secundum hominem dico. Absit, Alioquin quomodo iudicabit deus hunc mundum?

Dixerat Paulus, perfidia hominum ueritatem dei illustriorem reddi, & peccata hominum eò ualere, ut deus cum iudicatur, in causa uincat, iustusq; appareat. Ex eo uero uidebatur posse inferri, Iniustus igitur deus qui peccata ulciscit̃, cum peccata iustitiam dei illustrent, Et peccandũ est, ut dei ueritas atq; iustitia clarius emineat & illucescat. Ex his uerbis hostes ueritatis & Pauli occasionem sumebãt incusandi eum, quasi docentem, peccãdum esse licentius, ut dei gloria emineret: & facienda mala, ut bona eueniãt. Hanc calumniam hoc loco depellere quidem uelle uidetur per digressionem, quærendo num ex eo quod uere prædicabat, malitia & mendacio hominum commendari dei bonitatem & iustitiã, consequatur, deum in hominum iniustitiam animaduertendo, facere quod iniustum est: & homines hinc posse causam accipere, ut peccent licẽtius. Quam quæstionem tamen hic non pertractat, sed cap. 9, inferius: hic tantum affirmat, iniuriam depellendo, longe se abesse ab ea sentẽtia, deum cum peccata punit, debere haberi iniustum, etiamsi doceat iustitiam dei ex hominum peccatis existere clariorem: agnoscere quoq; eos iuste damnari, qui hinc dicunt, Faciamus mala, ut bona eueniant. Sic uero est hominum peruersitas, ut licet in omnibus peccatis suis conscientia conuincantur propria, à qua damnantur secũ, tamen semper quærunt eleuare apud homines suam iniquitatem, etiamsi nequeant, ut aliqua ueri similitudine perditionis suæ culpam deo attribuãt, quod tamen non possunt. Ad id ergo quod contra deum ex dictis suis uidebatur posse inferri, adiecit confirmationem, Quomodo iudicabit deus mundum? Et est is dicti huius sensus, Quandoquidem omnia quę in orbe gerebantur, tunc fuerunt magis corrupta, quãdo seruator uenit, nec unquam æque indigni Christo Iudæi fuere, q̃ eo tempore, quando se illis Christus exhibuit: utiq; hominũ impietas & perfidia bonitatem dei, quæ est eius iustitia, atq; fidem qua promissa à deo dudum, tam indignis præstitit, ampliorem atq; illustriorem suo modo reddidit. Quid dicemus? Num concordabimus cum aduersarijs sic loquentibus, ut iniustum deum concedamus, more hominum impie iudicantium de rebus diuinis, iuxta rationem humanã. Absit autem, ut deus iniquus dicatur: hoc enim proprium hominum est, non deo conuenit. Et ab ea sententia ego sum & fui semper alieniſſimus. Alioqui quomodo iudicabit deus mundum? Iudicare autem hic uidetur significare iudicium illud, quo deus totius mundi iniustitiam ulciscetur. Illud autem quia absolutissimum est semper, ideo absurdissimum est asserere contrarium.

5 Si enim ueritas dei in meo mendacio abundauit in gloriã ipsius, quid & adhuc ego tanquã peccator iudicor? Et non sicut blasphemamur, & si-

cut

cut aiunt quidam nos dicere, Faciamus mala, ut eueniant bona. Quorum damnatio iusta est.

Quo nos atrocius deũ offendimus, hoc sanè amplius excellit ad eius gloriam ueritas, qua sua nihilominus promissa præstat tam plene: unde prorsus nõ sequi potest, quod non sint peccatores perfidiq́, aut non iudicandi & damnandi. Hæc autem cum ita habeant, cur ergo adhuc ut peccator cõdemnor? Et non potius ita cogitamus, sentimus uel agimus, Peccatum nequaquam sic facere excellere dei gloriam & bonitatem, ut sit aliquatenus expetendum, sed maxime fugiendum et damnandum. Auertat procul deus hanc cogitationem à pijs animis: nam isti iure meritoq́ damnantur ob incredulitatem. Quod ut deo non possunt imputare peccatum suum, cuius ipsi sua sponte sunt authores: ita nihil gratiæ debetur istis, si quod illi suo uitio peccãt, deus sua bonitate uertit in gloriã suam. Sed ut ad rem redeam.

Quid ergo? Præcellimus eos? Nequaquam. Causati enim sumus, Iu- 6
dæos & Græcos omnes sub peccato esse. Sicut scriptum est, Quia non est iustus quisquam, non est intelligens, non est requirens deum.

In primo capite & principio secundi euicit Iudæos & gentes ex eorum uita & moribus palàm malis, esse ab oĩi iustitia alienos: unde sequebatur, nihil prorsus tam legi q̃ philosophiæ per se inesse, quod iram dei auertat, & uitam æternam iustificando impetret. Ab octauo autem uersu usq́ huc, cõuincit Iudæos per scripturas impietatis, quãdo nec lex ipsa iustitiam adferat, neminem enim per legem iustificari, ut sic deiecta fiducia animi, legis, & sapientiæ naturalis, ad Christũ necessario ducantur, tanquam ad unicam iustitiam, qua saluẽtur omnes electi. Hic autem redit, & scripturis eos conuincit tantæ peruersitatis, ut nullus eis omnino supersit color dissimulandi, quo oĩi prorsus nudati tergiuersatione, ex ipso quoque dei iudicio agnoscant se modis omnibus perditos & deploratos, quamlibet sacra lege dei & ceremonijs donati essent, si non ferat eis salutem Christus dominus. Redit autem ad institutum, ab interiecta occupatione eorum, quæ Iudæi sibi uidebantur pro se adferre posse. Quid ergo? inquit, Præcellimus? Et quidem acceperant Iudæi à domino beneficia multa & singularia, patres, legem, ceremonias, iudicia, portenta præ omnibus cæteris gentibus, oracula quoq́ prophetarũ & signa præsentiæ suæ clarissima, de quibus dictum est, Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua nõ manifestauit eis. Ex quibus omnibus merito etiam fide & fructibus fidei, sanctis moribus prę̃cellere debuissent. Vbi autem fœdus cum domino initũ uiolassent, & sese domini imperio subduxissent, gentes malitia & perfidia superassent, iam eis omnia dei beneficia & prærogatiuæ cesserũt in cumulũ damnationis & confusionis perpetuæ in toto mundo, ut gentibus omnibus positi sint in exemplum, ut illis fuerat prophetatum. Hinc negat Apostolus, Iudæos ullo pacto præcellere gẽtes, si ipsorũ uita respiciatur & sanctitas. Quod aũt superius eosdem gentibus prætulit, id de præclaris dei donis intelligendum erat. Ideo nunc admonet Iudæos censendos non ex dei beneficijs, sed ex ipsorum improbis factis, sine acceptione personæ, quã eis quidem deus eximiam induerat ad salutẽ, sed cui nulla ex parte respõdere studebãt, semper ingratissimi deo suo, ideoq́ in toto mundo iuste facti sunt omnium populorũ deploratissimi. Inde conuincitur, non gentes solum, sed & Iudæos quoq́, adeoq́ totum mundum, iusto dei iudicio damnãdum, si facta censeantur, ut sic obstruantur omnium hominum ora, ne de quacunq́ iustitia glorientur coram domino, uel in conscientijs suis. Con-

ſequẽter autem idipſum probare incipit uariis ſcripturarum ſacrarum oraculis, non tantum in gentes detorquendis, ſed potius in Iudæos, quibus lex & prophetæ tradita ſunt. Non enim lex loquitur niſi eis qui ſubiecti ſunt legi, quibus eſt data. Et habent gentiles ſua quæq; loca in prophetis, ubi crimina producuntur ipſorum. Iſta autem quę Apoſtolus hic adducit ex lege, prophetis & Pſalmis, ſingulariter dicta ſunt Iudæis. Dum uero cõponit Iudæos & Græcos, ſatis conſtat Græcorum nomine intellexiſſe omnes gentes, iuſtitiæ & rationis capaces, etiam eas quæ ſibi uidebantur ſapientiſſimæ & aliarum doctores. Omnes cauſatur & accuſat peccati, cui ſeruiunt tota uita ſua deprauati, & libidinum uariarum tyrannide ſubiugati. Teſtimonia autem ſcripturæ explicata inuenies ſuis locis. Primum autem hoc teſtimonium ponitur Pſalmo 14. & 53. Iſta autem citat Apoſtolus, ad accuſandum Iudæos ſummæ impietatis, quando in corde ſuo dicere non uereãtur, Non eſt deus, nec quiſquam ipſorũ inueniatur iuſtus aut bonus uel etiã bonum faciens, ſibiipſi conſulens recte agendo, & proximis bonitatem oſtendendo uerbis uel factis. Qui autẽ non ſtudent bonitati, nihil prorſus bene ſapiunt, nullam ueritatis ſolidã intelligentiam aſſequuntur. Sicut enim deus charitas eſt, ſic oportet nihil boni adeſſe ei qui charitate uacat, & beneficentiæ non ſtudet. Id autem inde uenit, quia nõ exquirit deũ, nihil de deo ſolicitus. In huiuſmodi neceſſe eſſe competat quoq; quod ſequitur ex Pſalmo 13.

7 Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſq; ad unum.

Omnes non tantum gentes, ſed multo turpius Iudæi & Iſraelitæ, ex uia legis & iuſtitiæ & communis ſenſus declinauerunt, ſecus omnino uiuẽtes, cũq; eis conditor deus iniunxerat, deſerentes humanitatis uiam & inſtinctum naturæ, ne iuuandi ſtudio proximis afficiantur, ſed quærunt non domini uolũtatem, ſed quæ ſua ſunt omnia tantum. Etenim etiam apud Iudæos iamdudum intercíderant publicitus officia humanitatis, inutiles quoq; facti ſunt, ut putridus fructus qui nulli ſit uſui. Exciderunt enim ab omni charitate & ſtudio benemerẽdi de proximo, ut ne unus quidẽ inueniatur, qui ſit in his prorſus inculpabilis, & non egeat gratia dei per mediatorem Chriſtum, qui unus eſt iuſtitia omnium & bonitas. Et habebant tamen iſti omnes mali legem à deo traditam: non ergo lex dei ſectatoribus ſuis conciliat iuſtitiam, nec legis opera faciunt iuſtitiæ compotem.

8 Sepulchrum patens eſt guttur eorũ, linguis ſuis doloſe agebant, Venenum aſpidum ſub labiis eorum.

Hæc priora duo deſumpta ſunt ex Pſalm. 5. idemq; utrunq; ſignificat. Illos impios, de quibus hic quæritur, mẽdaciis & fraudibus ſuis homines ſicut ſepulchrũ uorare, ac prorſus abſumere. In eo autem quod ait, Apertum ſepulchrum, intelligit paratos & inſtructos ad ſubuertendum dolis proximos. De ueneno autem ſub labiis eorum, habet hoc Pſalmo 140. idem fermè ualens cum ſuperioribus: intelligit aũt noxias fraudes & exitiales, quibus impij ſubito euertunt innocuos.

9 Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt, ueloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.

Legitur hæc ſententia Pſalmo 10. pertinet, ut & ſuperiora, ad exprimendum quàm noxiis & peſtiferis ſermonibus impij pios circumueniant & perdant. Lex tota dei impletur charitate & beneficiis ad proximum: proinde ſumma peruerſitas eſt, laceſſere iniuriis alios, dolo circumuenire & decipere uel damnificare fratres.

tres. Exaggerat autem pulchre elegantibus metaphoris explicantibus iniurias et damna maxima. Veloces pedes ad effundendū sanguinem. Locus est in Isaia 59. ubi propheta prolixe & grauiter queritur de euersa pietate & innocentia in populo Israel: ubi & eadem habentur quæ hic sequuntur, licet uerbis alijs.

Contritio & infelicitas in uijs eorū, & uiam pacis non cognouerunt: 10
non est timor dei ante oculos eorum.

In Isaia sequit̄ priora, Cogitationes eorū cogitationes prauæ, uastitas & confractio in semitis eorum, uiam pacis ignorāt: nec est iudicium in tramite eorum, uiæ eorum peruersæ, qui per illas graditur, ignorat pacem. Quædam Apostolus præterit, sed ea ex his quæ adnumerauit, quiuis per se intelligit; nempe ingeniū impiorum, ad nocendum modis omnibus bonis, adq; eos penitus conficiendos summe paratum & studiosum. Ex Psalmo autem 36. additur ultimo, Non est timor dei ante oculos eorum. Idq; caput est totius peruersitatis humanæ uitæ: qui enim non reueretur deum, is totus satanæ captiuus ducitur. Ex quibus omnibus patet, Israeliticum populum in totum eatenus peccatis grauibus obnoxium, non ex lege eis donata & cognita habuisse iustitiam, quæ per se reddere non potest iustum, ideoq; ab ea iustitiam frustra expectari. Alius est ergo quærendus iustitiæ author, qui placator sit misere perditorum in tantis peccatis, qui sit saluator.

Scimus autem, quoniam quæcunq; lex loquitur, his qui in lege sunt 11
loquitur, ut omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus deo.

Causabant̄ Iudæi hæc quę prædicta sunt non ad se pertinere. Sic em̄ natura comparati sumus, ut nihil minus ad nos pertinere putemus, quàm accusationem peruersitatis. Hæc ergo adserit, omnia dicta non tam de omnibus gentibus quàm etiam Iudæis, quibus data est lex & prophetæ cum uniuersa scriptura. Voluit ergo his uerbis admonere diligētius & excitare ad suæ iustitiæ rationē habendam, ne se extollant pro more propter legem acceptam, sed non seruatam, supra reliquas gentes omnes. Id enim mire adhuc hodie iactant, & se æstimant omnibus meliores, ut audeant etiam adserere, solos Iudæos diuinæ prouidentiæ cura regi, cunctas reliquas nationes subdentes influentiæ cœli & constellationi, uel nescio cui fato. Cum certo certius sit, scripturas sacras pertinere ad omnes suo modo, quāuis plura uideri possint mandari priuatis, non aliter quàm ut Christus dixit: Quæ uobis dico, omnibus dico. Est enim totus Israel typus quidam & fuit semper omnium ætatum fidelibus & infidelibus hominibus, ut ex ipso quoq; discamus, quicūq; deum credimus & quærimus, quid sit ipse nobis, quid præstare uelit, quid placeat illi, & in quo proximis nostris obligati simus. Hinc uera & certa fuit & est sentētia, qua dicitur, Quæcunq; lex dicit, ijs dicit qui in lege sunt: quicquid em̄ in ea laudatur uel uituperatur, punitur uel præmiatur, id ad omnes pertinet, qui domini uoluntatem diligunt, & sunt ei subiecti uolentes, qui initiati sunt legi, quales Iudæi se esse iactant, cum nihil obseruent. Et audierunt quidem & audiunt hodie legem Iudæi, quæ nunquam potuit eos nec potest arcere ab iniustitia, uel adducere eam, cum fuerint & sint semper peccatores. Obturatum est autem os gentium ex prædictis, primo & secundo cap. ergo & nunc quoq; obturato ore Iudaico, satis constat quod nemo hominum quicquam habeat, quod pro se defendendo adferat, sed compellantur singuli semetipsos damnare, & omnem iustitiam adscribere uni deo, sibi omne malum. Totus ergo terrarū orbis conuincitur, hoc est omnes homines, Iudæi & gentes, obnoxios esse deo pariter, quando nec lex Mosaica obseruata quoq;, quenquam mortalium potest iustum & inno-

centem reddere, iudicante deo: multo minus sapientia mũdana & philosophica, multis permixta erroribus.

12 Quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati.

Concludit ex operibus legis neminem iustificari, iustificari autem electos omnes ex fide in dominum nostrum Iesum Christum. Opera autem legis, cum non distinguat Paulus, sed in genere loquatur, ego quoq; malim cum Augustino non distinguere, quem constat patrum omnium sanctorum diligentissimũ & circumspectissimum fuisse, & catholicissimum semper in ecclesia habitum, qui per opera legis contendit intelligenda esse omnia præcepta legis: quandoquidem cõstat ex omnibus Pauli scriptis nõ quibuslibet operibus, sed sola gratia dei iustificari. Huius sentẽtiæ duas causas amplectimur, quas reddit. Vnã ex hoc loco Paulus adsignat, dum dicit, Per legem est cognitio peccati, quod de tota lege, & maxime decalogi, intelligi debeat, eo quod hæc præcipue peccata ostendit. Altera, quod nullum omnino opus est legis, quod possit hominem iustificare, quando certum est, à nullo impleri posse homine prout oportet. Quia autem Iudæi de ceremonia li lege ferè semper magis sibi placebant, nempe de lege circuncisionis, & baptismatum ac ciborum, simulq; illo adhuc tempore durante cultu sacrificiorum, maxime legibus iactabundi, quãdo huiusmodi leges nulli nationi dedisset, sed Israelitis solum. Ideo obmisso studio legum decalogi, sese reliquis omnibus gentibus efferebant ob ceremonias, quas ob id semper augebant, ideo de eisdem sæpe mentionem facit, Iudæis scribens uel de ipsis. Quando & pseudapostoli ceremonialia seruanda à discipulis magis urgebant. Certa autem consequentia erat, si opera legis non iustificant quenquam, ergo nec ceremoniales nec iudiciales. Est enim omnino nullum hominis opus quod iustificet. Probat ergo, non iustificari ex circuncisione fideles, quando certum sit, & in consequentibus probandum, omnia in uniuersum opera quamlibet bona, nihil tamen ualere ad placãdum deum, sed ne ipsa quidem fides nostra per se & formaliter iustificat, sed tantum dei ultronea beneuolentia & gratia, meritũq; Christi & eius iustitia nobis omnia peccata condonãt, uitamq; æternam promerentur: eam autem nos fide percipimus. Dicitur autem non iustificari omnis caro, hoc est, omnes homines cuiuscunq; nationis, gentis, conditionis uel legis: & quicquid iuxta carnem agitur circa quæcunque dei præcepta obseruanda, maxime ceremonialia, quæ à Iudæis omnium maxime commendabantur, propter quas sese reliquis omnibus gentibus prę ferebant tanquam sanctiores, & deo chariores, cum interim de obseruantia decalogi minus cogitarent: quæ tamen etiam Iudæi testantur gentibus omnibus data esse, ex quarum obseruantia iustificentur coram deo, etiam non circuncisi, ut Iethro, & Iob, & similes. Contra utrunq; autem loquitur Paulus, dicens, ex operibus legis cuiuscunq; non iustificari quenquam hominum, multo minus ex ceremonialibus, sacrificijs, baptismatibus, electione ciborum & circuncisione. Et ut iustus habeatur, qui legem obseruat coram hominibus, & sibi quoq; conscius non sit præuaricationis, si id fieri potest, non tamen coram deo iustificabitur quisquam: nemo enim sine peccato est. Iudicium domini intrare subterfugiunt omnes homines, etiam coram hominibus iusti. Si quis autem quærat, qua ratione à deo data sit lex, cum non efficiat meliores uel iustiores, nullos enim iustificat. Respondet Apostolus, Licet non iustificet, tamen accusat, conuincit, & absterret, docet quoq; à quibus cauendum, quid in nobis domino placeat, dirigit in uiam iustitiæ & æquitatis,

tis, ut reddamus deo quod suum est, & proximis similiter, ex lege dei admoniti: & ubi id neglexerimus, accusat conscientias nostras, & urget ad humilitatem, & ad suppliciter deprecandum. Hæc est utilitas legis non una, sed plures. Habet etiam alicubi in se consolationes & promissiones: sicut & prodest humano generi non tantum trahi, sed etiam duci ad meliora.

Nunc autem sine lege iustitia dei manifestata est, testificata à lege & 13
prophetis.

Non est reuelata gentibus tam celebriter lex dei, ut olim in monte Sinai Israelitis per Mosen cõtigit, sed uera iustitia Christus, non minus semper promissa est gentibus omnibus & desiderata, q̃ Iudæis, utcunq; de tribu Iuda oritura & ex Iacob. Quibus & nunc manifestatur in orbe omnibus per euangelium Christi, sed credentibus, quo euangelio ira dei super gentes & Iudæos cõquiescit, & per mediatorem Christum sese patitur reconciliari. Iustitia ergo semper quidem data est mundo per fidem sanctorum in Christo. Nunc autem manifestata est, non ex legis obseruatione, sed ex gratia dei. Per euangelium enim Christi, etiam ubi nihil de lege auditum fuerat cum ea recipiebatur, aderat spiritus domini, & reuelabatur iustitia, & dei summa bonitas, quæ electos & à peccatis absoluit, & iustitiæ communione exornat, filios dei constituit, & cohæredes regni cum Christo. De hac autem iustitia dei manifestanda aliquando, testificati sunt lex & prophetæ. Diu enim antea, & ab hominis statim conditi lapsu, deus prædixit restituendam in semine mulieris iustitiam, & uictoriam contra serpentis morsum. A quo tempore pluribus & sæpe spem erexit sanctificãdis. Vbi autem singillatim de hac iustitia dictum est, euangelistæ & apostoli clarius sunt testati.

Iustitia autem dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes qui 14
credunt in eum.

Nunquam tam præclare exhibita est dei bonitas & electorum iustitia, atque cum iam perfecta est per Christi mortem peccatorum redemptio, cœptumq; est prædicari euangelium omni creaturæ. Per fidem autem accipitur manifestata euangelio uera per Christum iustitia. Vbi enim euangelio fides est exhita, ac ita omnis fiducia in Christum dominum reposita, ibi homines iustitiam dei ipsos iustificantem & beatificantẽ cognoscere & experiri cœperunt: unde & consequenter proficiũt à gratia ad gratiã, ut fide animati totis uiribus satagant cõplacere ei cui fidunt, suamq; iustitiã ostendere in se manentem per Christũ, qui in illis operatur magnifica, quãdo Christus uita est & ueritas, & non otiosa, sed plurima & sancta operans. Idem ergo in summa dicit quod supra, iustum ex fide uiuere.

Non enim est distinctio. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria 15
dei, iustificati gratis per gratiã ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu.

Vt superius ita & in præsenti loco reuocat Iudæos ab admiratione nimia patrum suorum, & maiorum suorum meritis, & à contemptu gentium, quasi deum non habẽtium patrem & gratiosum. Reuocat autem ad cognoscendũ sua quoq; & suorum scelera, quamlibet sub lege constitutorum: hucq; impellit, ut discerent humiliter de se sentire, & sese à propriis moribus æstimare. Cum itaq; in tantam impietatem essent prolapsi, ut non modo nullũ esset inter eos & gentes uitæ meritorũq; discrimen, sed etiam hoc sceleratiores illis euasissent, quo maiore dei contemptu in scelera ruerent, iure dixit, tum demum iustitiæ dei factos compotes,

cum euangelium reciperent. Manifestum fit hoc loco, sanctos quoq; peccasse. Et non dicit, Imperfecti fuerunt, uel ad malũ propensi, sed ait, Peccauerunt omnes. Agnoscamus ergo & nos esse peccatores. Vsqadeo autem uerũ est dictũ istud, ut nullus præter Christum legem impleuerit. Semper enim sanctis adhæsit quædam in factis etiam bonis labecula. Destitui autem gloria dei, opponitur ei quod est, amare & æmulari deum, qui & sese donat electis, in quibus & habitat atq; uiuit, his donat suam gloriã. Destituuntur autem gloria dei, in quibus obtinet peccatum, per quos inde afficitur ignominia nomen dei, in quos tyrannidem suam quantũ potest exercet satan. His dominus dicitur se subduxisse, & gloriam suam auertisse, quemadmodum Iudæis euenit, quando in impietatem prolapsis, nulla eis amplius erat reuerentia dei, nulla prorsus humanitas & religio uera. Iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, &c. Si hic dixisset tantum nos iustificari gratia dei, satis iam expressum erat, nihil non meritos. Ita cũ dixisset Redemptos, rursus meritum nostrum excluſum fuisset. Sed his non contentus, Gratis quoq; addidit, ut diligenter inculcaret fidelibus, sola dei gratia, & uno Christi merito eos redimi, restitui, & saluari. Nec enim iustificationem meremur priores aliquid operati, nec illam assequuti compensamus ullo opere.

16 Quem proposuit deus propitiatorem per fidem in sanguinem ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum in sustentatione dei, ad ostensionem iustitiæ eius in hoc tempore. Vt sit ipse iustus, & iustificans eum qui ex fide est Iesu Christi.

Metaphrasis sic habet clarius, Quem Christum dominũ proposuit deus propitiatorium, ut per quem placari conciliariq; uelit ijs, qui freti sanguine huius, fidem sibi habuerint. Idq; in hoc, ut ita proferat & ostentet iustitiã suam, remittendo peccata quę admissa antea sunt tempore quo deo uisum est, tolerantiam suam testari ad id usq; temporis, cum statuit declarare, se solum esse iustũ, & iustificantem eos, qui fide Iesu uiuunt. Explicat hic Apostolus, quo nam pacto redemptionem Christus perfecerit, dicitq; deum ita ab initio constituisse, & multo antea q̃ in carnem uenit, in hoc ipsum destinauit, & non esse rem hanc nouam, sed ante sæcula prædestinatum, ut impleto aliquando tempore, dispensaretur hoc dei beneplacitum, & orbi exhiberetur in Christo. In quo, ut omnia olim facta sunt, ita quoq; per eum restitui debent. Qui & propitiator dicitur, quia patrem nobis placauit: & est simul propitiatio, quia semetipsum pro nobis obtulit hostiam pro peccato. Cœpit & dici propitiatoriũ, illud, quod sedes illa gratiæ in tabernaculo Mosis adumbrauit. Id erat præcipuum symbolum diuinæ præsentiæ & fauoris, hic exorari uoluit deus, gratię suæ responsa reddebat, hinc uitæ doctrinam deprome bat. Hæc aũt omnia, cum in Christo pleniſſime habeantur, recte propitiatorium dicitur. Vnus enim est per quem patri reconciliamur, per eum omne consilium dei discimus, uitæq; æternæ legem accipimus. Is ergo propitiator est noster, per fidem in sanguine eius. Effecit enim sanguine suo & morte, ut satisfactum sit patri pro nobis, nobisq; donat idipsum credere. Hoc mysterio à sęculis promisso, & suo tempore donato, ostendit iustitiam suam, qua iustificat repente credentes, qui lapsi fuerant in peccatum, quemadmodum promisit sese inuocãtibus, ut credatur iustus & uerax, qua fide & nos iustificamur coram deo, dum nobis non imputantur peccata nostra, dum sumus amici per synceram fiduciam in deum. Non enim irasci potest deus eis, qui illi syncere adhærent, & ei bene fidunt, seseq; fideliter committunt, & cupiunt complacere per omnia, etiamsi quandoq; labantur. Tri

bus

bus autem constat ostensio iustitiæ dei. Primum, quia tolerauit hominum impietatem, non eos ut meriti fuerant delendo. Secundo, dum remisit peccata, nulla intercedēte satisfactione, donato filio suo, qui pro ipsis satisfaceret. Tertio, per hūc filiū suum ita reddit uitæ æternæ, id est iustitiæ compotes, ut toti orbi cōspicuum sit, his ipsum summe fauere. Et hoc postremum per id quod subiungit plenius explicat, ut sit ipse iustus, & iustificans eum qui est ex fide Iesu, donando eum spiritu iustitiæ: sic placatus eis, ut loco filiorum habeat, & iudicio suo absolutos peccatis, æternæ uitæ gratuito adiudicat. Et hæc sunt quæ nobis per Christum contingunt fidelibus. In hoc tempore, addit Apostolus singulari admiratione, in quo reuelare dignatus est deus filij sui euangelium dudum promissum: quod & plenitudinis tempus dicitur & annus gratiæ. Præteritorum autem peccatorum nomine Paulus hic intelligit & exprimit scelera totius mundi, de quibus supra dixerat, conuincens Iudæos & gentes peccatorum grauium & multorum. Quæ omnia deus semel condonauit in Christo, tunc quando erant maxima, ut uix accessio illis esse potuerit. Et non solum eorum peccatorum ueniam concessit, quæ ante Christi incarnationem admissa sunt, sed omnium quæ electi ad finem usq; mundi admittent, & hactenus admiserūt. Et Ioannes quoq; dixit, Filioli mei, hæc scribo uobis, ne peccetis: & si quis peccarit, aduocatum habemus ad patrem, Iesum Christum iustum, & hic est propitiatio pro peccatis nostris: & non solum nostris, sed & totius mundi. Quo conuellitur error dicentium, oportere nos propria satisfactione expiare peccata, quanquā non sine efficacia effusi sanguinis Christi.

Vbi est ergo gloriatio tua? Excluſa est, per quā legem? factorū? Non, per legem fidei. Arbitramur enim iustificari hominē per fidem sine operibus legis. 17

Exposuerat unde contingat hominibus uera iustitia, nempe per unam fidem domini Iesu Christi. Ex quo & alijs dictis superius, infert hic, nemini quicquam superesse unde glorietur. Vt autem magis id urgeat & exprimat plenius ueritatem certam, interrogatione utitur: qua quoq; ratione ipse quoq; sibi respondet, Excluſa est, nempe omnis gloriatio, tam Iudæorum quàm gentilium. Demonstratum est enim, & Iudęos cum sua lege uiuentes sub peccato esse, & insuper totum mundum obnoxium peccatis erroribus & magnis flagitijs, sicq; esse obturatum os omnium, nullumq; discrimen reliquum inter Iudæos & Græcos, sed utroslibet destitui gloria dei, sicq; ambobus ademptam esse gloriationis materiam, deo autem transcribēdam esse omnis iustitiæ gloriam, electos autem ex Iudæis & gentibus, sola misericordia dei seruari. Non aliqua dignitate operum quorumcunq; totius legis, quibus non iustificabantur, sed sola fide quæ legem hoc pacto excludit. Quo enim merito quispiam gloriari potest, qui audit & agnoscit se ex sola dei gratia iustificari, idq; cum sit ipse ex se modis omnibus perditus? Vbi ergo excluſa est omnis gloriatio meriti, excluſa quoq; est quæ sit ex operibus gloriatio. Ex operibus, inquam, legis totius, tam decalogi quàm ceremoniarum, multo magis ergo excluſa est à gentibus gloriatio, quæ legem huiusmodi & hoc modo nullam acceperant, & grauibus fuerant erroribus & criminibus implicati, etiam dum se sapientes putabant. Sequitur ergo, Fide, sine operibus legis, nihil ad iustificationem conferentibus iustificari homines coram deo. Id quod est totius disputationis Paulinæ scopus, ab initio epistolæ usq; ad 9. caput. Addit autem rationem.

An Iudæorum deus tantum? Nónne & gentium? imò & gentium, 18

quoniamquidem unus est deus, qui iustificat circuncisionem ex fide, & præputium per fidem.

Esse deum aliquorum, est prouidentia sua in omnibus gubernare, recipere in suam tutelam, bonis pluribus accumulare, & tandē uita æterna donare. Id deus omnibus promisit, quibus se deum fore promisit. Inde dominus Iesus ex eo quod deus se testatus est esse deum Abrahā, Isaac & Iacob, collegit esse resurrectionem mortuorum. Non est, inquit, deus mortuorum, sed uiuentium: & sic uiuentium, ut resurgant olim in uitam æternam. Ergo Iudæorum deus est dominus. Ego, inquit, ero deus uester. Sed & gentes condidit uniuersas, & ad suam quoq; imaginem: ex quibus elegit, quibus se deum præstet seruatorē, uitæq; sempiternæ largitorem. Id autem dominus eo tempore quo hæc Paulus scripsit cœperat reipsa insigniter declarare. Iamdudum quoq; ex Iudæorum dispersione, maxime autem & clarius donum spiritus gentibus quoq; largiendo, non minus q̄ Iudæis conuersis ad Christum. Cum uero addit, Quandoquidem unus deus est, qui iustam reddit circuncisionem, hoc est, circuncisos Iudæos ex fide, quam uelut per manus traditam à maioribus suis acceperant, & incircūcisos gentiles per fidem quæ per euangelium eis obtigit. Conferuntur hic fides Iudæorum & gentium, prædicaturq; una fides duobus illis idem adferre, eandem iustificationem & uitam spiritus, Iudæis & gentibus. Sed notatur ordo aliquis, Iudæos ex fide quam à parentibus susceperunt, gentes per fidem in Christi euangelium prædicatum à Iudæis ad Christum conuersis, & ab apostolis.

19 Legem ergo destruimus per fidem? Absit. Sed legem statuimus.

Confidenter concludit ex præmissis de fide iustificante, & ueram iustitiā adducente, legem per fidem stabiliri, eoq; ostendit absurdum, legem abrogari per fidem. Lex sanè omnis ad hoc nititur, ut iustitiam ueram doceat. Iudæi uero suam iactant iustitiam, si ceremonias seruent, circuncisi sint, & sabbatum ad literam: in quibus nulla iustitia per se est, sed ea tantū inculcatur, quæ est per fidem in deū, & per legem & prophetas Christum promissum, & iam exhibitum, quem docet tam ceremonijs q̄ prophetijs, typis & sacrificijs.

CAPVT IIII.

1 QVid ergo dicemus inuenisse Abraam patrem nostrum secundum carnem?

Docuit fidem id esse quo primo & per se misericordiam dei gratis, & non propter quæcunq; opera legis iustificati percipimus. Id nunc exemplo lucidum facit & confirmat, quando in huius cognitione sita est sempiterna salus & felicitas. Desumit autem Abrahamū primū illum sanctorum patrem, quia eum aduersarij Iudæi maximum habebant, moreq; suo Apostolus interrogatione proponit, ad euidentius exprimendū. Ipsum, inquit, considerabimus Abraam patrem nostrum. Quid dicemus hunc inuenisse uel assequutum? qua demum re iustificatum? Pater is est omnium nostrum, quia secundū carnem genus ex eo ducimus, ideoq; illum maximi facere debemus, quemadmodum & de eo soletis plurimum gloriari, quem & propterea imitari uos oportet, ut nō degeneres filij. Nec tamen hodie quoq; gentes scripturis credentes, & fide simili dominum deum Abraam, Isaac & Iacob adorantes illius exemplo, contemnere debetis, quos ipse Abraam filios & quidē charissimos agnoscit, si fide uera ex uerbo dei instituti colāt deum, quem omnium maxime coluit ipse, & usq; ad omnium rerum resignationem, & proprij filij sacrificationem sequutus est, & prætulit toti mundo. Hoc cum hodie

uideatis

uideatis gentes probare, credere & æmulari, non est ut superbiatis de carnali pro sapia, si fide non respondeatis, quam non solum deus ipse, sed & pater Abraham præstitit, & est per eam iustificatus, & deo gratificatus: quẽ ubi gentes deuote colere uidetis, & uestigia Abrahæ sequi studiosius, uos quoq; non tam carnis filios exhibeatis Abrahę, quales impios multos habet & odit, sed magis pietate fidei ei similes sitis, ne gentibus conuersis ad dei cultũ inueniamini improbiores, & exosi deo magis & patri uestro Abrahæ. Videamus ergo quid nam hic ipse pater noster secundum carnem sit consecutus. Magna quidem illa sunt, Iustus laudatus est, pater sanctorum omnium iuxta fidem, & hæres mundi à domino cõstitutus. Hoc est itaq; quod inuenit.

Si enim Abrahã ex operibus legis iustificatus est, habet gloriam, sed 2
non apud deum. Quid enim dicit scriptura? Credidit Abraham deo, &
reputatum est illi ad iustitiam.

Est quidem omnium iudicio Iudæorum & gentium nunc scripturis credentium Abraham uere iustus, & gratiam inuenit dei, & sensit certissimas esse promissiones dei circa se & posteritatem. Eam autem coram deo iustitiã non est assequutus ex operibus legis cuiuscunq;, non habet huiusmodi opera, de quibus coram domino possit gloriari: tum quia ut pannus menstruatæ sunt omnes iustitiæ sanctorum, tum quia omne bonũ nostrum desursum est, non ex nostris uiribus, ne quid deo eo gloriemur coram deo, utcunq; coram hominibus gloriam assequatur qui sancta operatur. Si ergo Abraham coram deo gloriam habet, ut amicus dei sit & laudetur, tam à domino quàm ab hominibus, & eam nõ est assequutus ex operibus, ergo eam habet non aliunde q̃ per fidem, qua totum se deo credidit, à quo bona cũcta sperauit, quem sibi & semini propitiũ esse & futurũ non dubitauit, quem nihil non posse boni & uelle communicare persuasum habuit. Quam ipsius synceriſſimã fidem in deum non aliter suscepit omnipotens & protector deus, æstimauit, & acceptissimam amplexus est, q̃ solidam & firmam iustitiam, qualis & ab amicis suis electis ei exhibetur, qualem exigit à sanctis, ut sancti sint. Nihilq; gratius ei domino & patri nostro offerre poterimus, q̃ de omnibus operum nostrorum meritis desperare, tanquam prorsus insufficientibus ad promissa præmia dei assequenda, quæ & agnoscantur imperfecta, & nequaquã deo digna uel paria suis beneficijs. Id ut iustissime uerissimeq; cogitant omnes serui dei inutiles, sic à patre nostro hoc fidei uotum & fiducia in solam dei pietatem, deo q̃ maxime gratum est, eatenus ut eam sanctis reputet pro uera iustitia, qualis & coram deo in hominibus quamlibet sanctis nulla alia uel maior inuenitur. Et hoc ipsum satis scripturis sacris explicatur, dum scriptum legitur, Credidit Abraham deo, tanquã summo bono suo, seruatori, & patri propitio & fauenti, quem & sic ueracem & infallibilem nouit, ut de beneuolentia eius & promissis quibuslibet bonis dubitare non possit: sic ergo credendo, iustus deo suo est habitus, habuit ei deus pro iustitia hanc fidem. Ampliorem de eo iustitiam non exegit. Pro qua fide deus quoq; eidem promisit & exhibuit magnifica. Hinc nostra quoque hæc opera, quibus deo bonitatem, ueritatem & omnipotentiam deferimus, & de eo prædicamus, illisq; nitimur, esse deo nostro omnium gratissima, habiturumq; ea nobis pro iustitia. Hinc certe & coram deo iustificamur, & accipimus consequenter quæ ultro offert & benefacit, cui nos nihil tribuimus, quamlibet multa uelimus, recipimus potius gratiam pro gratia. Est ergo sic credere opus dei & bonum, imò omnium bonorum operum caput, & præcipue à seruatore nostro pro

batum. Sed de quo gloriari non possumus apud deum, cuius id gratia posse donatur, multo minus de quibuscunq; operibus legis moralibus, uel etiam ceremonialibus, quæ nisi fide exhibeantur, damno sunt potius q̃ laudi, ut passim omnes prophetæ docent & inculcant.

3 Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.

Si iustificatus est Abraham ex sola imputatione fidei, qua credidit deo per omnia, ut dicit scriptura, iam non ex operibus suis assequutus est iustitiã tanquam præmium meritorum, sed ex sola gratia miserantis, & gratis benefacientis amico suo per fidem. Quod autem pro operibus rependitur, hoc debitum est. Nihil autem nobis debet creator noster, à quo habemus quicquid boni possumus. Cui gratiam obligamur donanti ut possimus, non pretiũ uel mercedem postulemus, qui sumus inutiles serui, & unum non rependimus pro mille quæ debemus. Cohærent uero, operari, merces, & debitum ex una parte: ab altera, credere, gratia, & donata iustitia uel imputata. Pugnãt ergo ex operibus parare dei dona, & percipere ea ex gratia, dicente Apostolo, Si gratia, inquit, iam non ex operibus: nam gratia iam non esset gratia. Si uero ex operibus, iam nõ est gratia: nam opus iam non esset opus, nempe quo quis mereretur aliquid.

4 Ei uero qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam (secundum propositum gratiæ dei.)

Quotquot sumus de genere Adam nati, impij nascimur, absq; iustitia, in peccatis concepti, non possumus deum colere, nondum spiritu dei gratis donati & renati in Christo, nihil ergo operamur boni. Primũ ergo salutis initium, quo præuenimur à domini gratia ante omnia merita, est remissio peccatorum, condonatio ingenitæ impietatis, impij iustificatio. Inuenit ergo deus in oñibus nobis peccatum, non ergo iusti sumus, nec beati erimus, nisi remittantur peccata: nulla ergo merces debetur. Inueniũtur enim omnia opera mala esse, si quid debetur istis operibus, certe damnatio debetur. Stipendium peccati mors est. Quid ergo fit? Non reddit tibi deus debitam pœnam, sed donat indebitã gratiam. Debebat uindictam, dat indulgentiam. Ei ergo qui bonum nõ operatur, iustitia nulla contingit, nisi credat in deum, & fides huiusmodi, de qua iam dictum est, reputatur ad iustitiam, ut non obstantibus peccatis, quibus carere non possumus, iustificetur per dei gratiam qui fuerat impius. Quod autem additur, Secundum propositum gratiæ dei, clausula est, quæ in Græcis codicibus non habet. Vt ergo religio fons est iustitiæ, ita religione & cultu dei destitui, caput est totius peruersitatis. Vbi quoq; uera in Christum fides deest, nihil nos gratum deo facere possumus.

5 Sicut & Dauid dicit, Beatitudinem hominis cui deus accepto fert iustitiam sine operibus. Beati quorũ remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus uir cui non imputauit dominus peccatum.

Clarius hoc redditur: Dauid felicitatem eius hominis esse dicit, cui deus iustitiam imputat citra meritum operum. Apposite admodum & hoc testimonium adductum est. Si enim beatus est cui à domino peccata condonãtur, & ante horum condonationem nihil in homine esse potest, nisi cui deus iure indignetur, & ob quæ condemnet: satis liquet ex operibus haudquaquam iustificationem parari, quando omnia quæ iustificationem præcedũt opera, nihil q̃ peccatum sunt: quæ

uero

uero sequuntur opera, effectus sunt & fructus gratiæ iustificantis. Spiritum autem resipiscentiæ concipere nemo potest, nisi adflatus diuinitus, est enim donum dei iam propitij, quiq; iam peccata remisit, & ueluti tecta habet, ut non intueatur ad puniendum, quod est non imputari. His ergo quibus ita remisit, texit, non imputat peccata: hos illo spiritu simpliciter obsignat omnes pios, & eo ipso testatur se illos inter suos habere, & peccata omnia eis condonasse. Reliqua uide Psal. 32. uersu primo & secundo.

Beatitudo ergo hæc in circuncisione tantum manet, an etiam in præ- 6
putio? Dicimus enim, Quia reputata est fides Abrahæ ad iustitiam, quo modo ergo reputata est? In circuncisione, an in præputio? Non in circuncisione, sed in præputio.

Beatitudinem uocat hic iustificationẽ fidelium coram deo quæ fit per fidem, quia hanc illa sequitur, non enim nisi iusti saluantur uel iustificati per Christum. Quærit autem, num iustificatio tantum locũ habeat in circuncisis, an etiam competat præputio: hoc est, ex gentilitate conuersis ad dominum, quod Iudæis prorsus non uidebatur admittendum. Contra quos probat, Circuncisionem non iustificare, multo minus alia quæcunq; legis opera. Exemplum uero prosequitur in Abraham, in quo tempus obseruat, in quo ille credens nondum circuncisus iustificatus est & pronunciatus, iustitiæ laudem assequutus ex fide, & patriarchatum omnium credentium deo, & principatũ religionis. Non minus incircuncisorum quàm circuncisorum, quorum quidem omnium pater est, proprie autem & sanctius eorum qui fidei ipsius in deum sectantur uestigia, siue præputium habeant carnis siue circũcisionem. Vt igitur illi incircunciso Abrahæ fides utrunq; attulit, ut iustus esset corã deo, & fidelium patriarcha: ita eadem fides quoslibet alios iustos reddit coram deo, & filios Abrahæ ueros, & eidem dilectos, tanquam dei quoq; cultores, quales esse cupiebat omnes homines, non tantum filios iuxta carnem suos. Non eñ tanti fuit sancto uiro posteritas carnis, quanti habuit dei amatores filios fidei suæ. Non ergo tantum iustitia competit circuncisis, sed etiam credentibus deo, & uerbo dei in præputio. Quemadmodum iustus fuisse dicitur Abraham cum adhuc esset in præputio, nondum circuncisus, tunc enim dicitur fides eius à deo sibi reputata pro iustitia, ut coram deo iustus haberetur & esset: id quod negari non potest à Iudæis legentibus sacra, de quibus se iactant contra gentiles. Ne uero quis obiiceret, frustra ergo collatam circũcisionem, anteuertit statim & declarat ad quid Abraham fuerit circuncisus, nimirum ut hoc symbolo iustitia fidei obsignaretur & confirmaretur. Ideo sequitur.

Et signum accepit circuncisionis, signaculum iustitiæ fidei quæ est in 7
præputio, ut sit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur & illis ad iustitiam.

Adeo non sequitur circuncisionem aliquid facere ad iustitiam, ut nihil omnino iustitiæ conferat, fides autem cõferat omnia. Cum enim Abraham iam ex fide iustificatus esset nondum circuncisus, circũcisionem ipsam accepit ut signum & obsignationem huius iustitiæ iam habitæ in præputio ex fide, ut ea iustitia cum signo in gente Israelitica conseruaretur, donec adueniret semen, per quod ad gentes quoq; hæc fidei iustitia perueniret. Iustificationi igitur quæ iam ex fide erat in Abraham seruiebat circuncisio, ut signum esset fidei & iustitiæ transmittendę ad posteros: non ergo adduxit iustitiam, sed est subsequuta. Fide enim dudum iusti-

ficatus est cum credidit, & ex fide obsequutus est euocanti se deo ex familia sua, quando ipsi gratiam suam promisit & salutem, & ingentem in orbe toto posteritatem & sanctam, per quam omnes nationes terræ gratiæ diuinæ participes fierẽt, cum illi diceret 15. cap. Ego protector tuus, &c. Sequuta est ergo circuncisio tanquam insigne aliquod iustitiæ & fidei, qua prius placuerat ipse domino, qua ante eam pollebat. Non ergo iuxta carnem & sanguinem factus est pater omniũ credentium, sed per fidei & iustitiæ exemplum & institutionem, qua posteros suos & familiam totam docuit similiter deum colere ut ipse colebat. Nihil obmisit eorum quæ ad dei cultum in spiritu & ueritate exhibendum conducerent, ut sic uere dicatur pater multarũ gentium, sicut se Paulus dicebat Corinthios Christo genuisse. Et erant tamen in posteritate Abrahæ hœdi multi & perfidi, quãlibet circuncisi, ne sanctificatio & iustitia carni tribueret, & non fidei. Hoc est ergo quod seruo suo percharo pollicitus est, futurum eum patrem omnium credẽtium. Sic est autem credentium pater, ut & illis imputetur iustitia credentibus uerbo dei. Quod enim Abrahæ ualuit, ut apud deũ iustus & charus haberetur, idem etiam ualebit & alijs, non obstãte præputio carnis, si fides, & ex ea iustitia adfuerit, quibus deus colitur & delectatur. Hoc enim futurũ sciuit patriarcha, & gauisus est, huius fidei iustitiam olim palàm in toto orbe regnaturam, & imputandam omnibus sicut sibijpsi.

8 Vt sit pater circuncisionis, non his tantum qui sunt ex circuncisione, sed & his qui sectantur uestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahæ.

Dixerat Abraham constitutum esse patrem omnium credentium, quorũ autem quidam circuncisi fuerunt, alij incircuncisi. Incircuncisorum autem pater fuit primum nondum circũcisus, quia & ipse in præputio hanc dignitatem cum iustitia consequutus est. Quidam horum sunt tantum ex circuncisione filij, qua pollere se putant præ gentibus, externis obseruationibus legis, & circuncisionis præcipue, absq; fide cordis. Hi non Abrahæ sed diaboli filij sunt, teste Christo domino. Merito igitur inter eos, qui carne omnes filij sunt Abrahæ, hanc distinctionem hic fecit, eorum qui solum sunt ex circuncisione, & eorum qui etiam ex fide sunt, hoc est, uestigia fidei Abrahę sectantur. Hi regeneratione filij sunt Abrahæ, quæ & sanctior est & glorioſior. Repetit autem temporis notationem, addens, Quæ est uel erat, hoc est, quam habuit cum nondum circũcisus esset pater noster Abraham: factus sanctorũ omnium pater, maxime autem nobis Israelitis cõuersis ad fidem quæ est in Christo. Nisi igitur fidem eius imitamur, nõ est ut de eo patre gloriemur. Tantum enim credentium pater factus est, & esse gaudet. Ideo si eius filij esse cupimus, & promissionum participes, insistendum erit eius fidei uestigijs.

9 Non enim per legẽ promissio Abrahæ aut semini eius, ut hæres esset mundi, sed per iustitiam fidei.

Promiserat deus Abrahæ & semini suo hæreditatem totius mundi: id autem non factum est propter cuiuscunq; legis obseruantiam, uel meritum operum legalium, quorum primum fuit circuncisio data Abrahæ, ante quam susceptam, promissiones hæ factæ sunt, ut stellis cœli comparandæ sint ad multitudinem, ut illustres futuri essent in toto mundo, ut benedicendæ essent omnes gentes in eorum semine, ut possiderent portas hostium suorum. In quibus promissionibus satis uidetur, mũdi hæreditas Abrahæ filijs promissa, non alia ratione q̃ ex iustitia

fidei

fidei, quam imputauit ei deus, & filijs crediturís poſt ipſum. Et qui Chriſti benedi ctionem percipiunt, illum unice colunt, & officiorũ omni genere obediunt & ue nerantur, in quibus & impletur clariſſime, quicquid ſecundum fidem filijs Abra hæ promittitur in prophetis omnibus, maxime in Iſaia cap. 49. & 54. & alibi: fer me ubiq;. Quibus uaticinijs fidelibus promiſſa eſt mundi totius hæreditas, quam dominus noſter Ieſus Chriſtus germanum ſemen Abrahæ & totius familiæ ſan ctæ caput, tunc aſſequutus eſt, & frui cœpit, cum euangeliũ eius iam omni crea turæ quæ ſub cœlo eſt, prædicabatur cum fructu celeberrimo ampliſſimoq;. Tũc enim cœpit gentes accipere in hæreditatem ſuam, & fines terræ in hæreditariam poſſeſſionem, quæ & communis eſt omnibus quoq; membris ſuis. De illis enim dicit: Beati mites, quoniam poſſidebunt terram. Manſueti hæreditabunt terram. Et centuplum accipient Chriſtũ ſequentes. Norunt enim fideles ſe habere deum propitium, ac inde nullo ſe unquam bono poſſe deſtitui. Angelos ſibi miniſtrare, ſibi ſeruire omnem creaturam. Omni tempore ſibi præſto eſſe, quicquid condu cit illis ad uiuendum feliciter & beate, ſi ſuæ uocationi ſeſe accommodantes, uijs domini ſolerter inſiſtere ſtudeant. Sic ergo ſancti & poſteri Abrahæ ſecundum fi dem mundi hæredes ſunt, & domini rerum omnium, omnia poſſident, etiã cum nihil habere uidentur. Chriſto enim domino, cui pater ſubiecit omnia, in ipſis ui uente, reſtitutum eſt mundi imperium, rerumq; beatus uſus, longe felicius q; pri mum humano generi hæc collata fuerunt. Illa omnia Abrahæ promiſſa, cum cre deret futura certiſſime, & gauderet de tantis dei beneficijs, iuſtus à deo iudicatus eſt, non autem ex operũ quorumcunq; meritis, ſed ſola gratia electionis, & fidei ardore iuſtificatus, quod & ipſum gratiæ dei erat, non operum. Ex quo ſtatim in telligitur, quod quicunq; fide pollent, eos eſſe participes omniũ promiſſionum, quæ Abrahæ & ſemini eius factæ ſunt, eoq; uere cenſeri populũ dei, & eſſe apud deum iuſtificatos, quorum tantum pater eſt Abraham, qui ſectãtur ueſtigia fidei Abrahæ, & non ſola freti ſunt circunciſione & lege.

Si enim qui ex lege hæredes ſunt, exinanita eſt fides, abolita eſt pro- 10
miſſio. Lex enim iram operatur. Vbi enim non eſt lex, nec prꝫuaricatio.

Promiſſionẽ iſtam factam Abrahæ non poſſe pendere ex lege, & ſi probatum multis ſit ex oraculo, de fide Abrahæ in præputio commendata ante omnem le gem, tam Moſis quàm circũciſionis, tamen adhuc probat, ratione ducente ad im poſſibile. Si, inquit, ij demum qui nitũtur lege hæredes ſunt ſortis ſanctorum, re ligionis ueræ ac uitæ æternæ atq; orbis totius, fruſtra fuerit & promiſſio dei & fi des Abrahæ. Id autem ſicut impiũ eſt uel cogitare, ita quoq; impoſſibile eſt, quia deus nec fallere poteſt promittẽdo, nec falli fides quæ dei promiſſione nititur: im pium ergo eſt & impoſſibile, conſtare hæreditatem ſanctorum ex lege uel circun ciſione aut legis operibus. Hoc autem probat conſequenter ex natura legis, col lata ad ingenium noſtrum. Nobis enim pro malitia ſtudiorum noſtrorum & affe ctuum, lex nihil ferè aliud eſt q; iudex, qui peccati nos conuincit, & ultioni reddit obnoxios, eoq; pacto exterminium noſtri adducit, non ergo benedictionem uel beatam mundi hæreditatem. Non enim poteſt ex eadem lege percipi ſumma be nedictio, & extrema maledictio. Legem uero operari iram, id eſt obnoxios redde re ultioni & ſempiternæ execrationi, ex eo oſtenditur, quod ubi non eſt lex, quæ quod iuſtum eſt præſcribit, ibi nec tranſgreſſio ſit, eius ſcilicet, quod prꝫſcriptum eſt. Peccata ſiquidem tum demum ueniunt ulciſcenda, ubi à ſcientibus eſſe pec cata admittuntur. Quo plus itaq; homines doctrinæ de ijs quæ agenda, quæq; ui-

tanda sunt percipiunt, hoc magis conuincuntur improbitatis, si contra eam doctrinam uitam instituant.

11 Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini. Non ei qui ex lege est solum, sed & ei qui ex fide est Abrahæ, qui pater est omnium nostrum. Sicut scriptum est, Quia patrem multarum gentium posui te.

Dum dicitur, Ideo ex fide, subaudi, constat hæreditas illa mundi sanctis promissa: mox autem subiungit, Secundum gratiam, nullo quoq; addito uerbo, qua eclipsi significare uoluit, q̃ indubitatum esse debeat, sanctis omnia constare fide & gratia dei. Id uero eò ualet, ut promissio ipsa dei firma sit, & omni quidem semini Abrahæ, hoc est quibusuis credentibus, siue circũcisi sint, siue incircuncisi, minime eis sit inanis: id quod esset, si obseruatione legis ista adeũda esset hæreditas. Simplex quippe promissio fuit, nihil prorsus requirẽs, nihil excipiens, nihil condicens. Sic, inquit, erit semen tuum. Et semini tuo dabo terram hanc. Hic sunt & ceteræ promissiones, quæ amplissimæ factæ legũtur Abrahæ & semini eius, ante quam deus uel uerbo de circuncisione ei præcepisset. Vt igitur ex sola gratia, nihil q̃ credenti adhuc Abrahæ hæc deus pollicitus est: ita præstitit ea ex gratia sua, & perceperunt ea ex fide, non ex lege, quicunq; illa ita perceperũt, ut ea ad æternam salutem deus Abrahę promiserat. Sicut etiam hi soli qui ex fide sunt, uerum semen Abrahæ existunt & germanum, quemadmodũ ipse ex fide factus est multarum gentium pater, cum dictum est ei, Patrem multarũ gentium cõstitui te, & sic erit semen tuum. Vnde manifestum est tam eximia fide & spe contra spem sperans, quod promittebat deus consequutus est, ut pater esset multarum gentium, & semen haberet instar arenæ maris. Ita quoq; discitur, semen posteritatis tantæ non aliter censeri debere, q̃ ex fide. Deus credentem Abraham iam noua uita donauerat, & eo animo, ut nihil moraretur quàm sanctificari nomen dei. Ideoq; nihil in hac promissione carnale suspicandum est, sed quod à credente deo unice & merito expeteretur, hoc est, non carnales posteros parũ credulos, sed semen sanctum, omnesq; in orbe electos, cõsortes regni dei, qui sese iactaturi essent ueri dei cultores, & pro fiducia insigni, non aliter q̃ Abrahã ipse præstaturi ex illius gratia eis non neganda.

12 Ante deum cui credidisti, qui uiuificat mortuos, & uocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Qui cõtra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium, secundũ quod dictum est ei, Sic erit semen tuum sicut stellæ cœli, & arena maris.

Et legit quidem Ambrosius, Coram deo cui credidisti, ut referatur ad ethnicum quem alloquitur. Alij ad exemplum dei referunt cui credidit. Hanc similitudinem in duobus ponit. Primum, Sicut deus non est deus huius aut huius nationis tantum, sed communis omnium: sic & Abraham fore patrem omniũ credentium. Secundum, Sicut deus pater est, non secundum naturalem cognationem, sed secũdum necessitudinem fidei, ita & Abraam. Sed & Ante deum legi potest, uel Coram deo, quia coram deo sic uolente & ordinante Abraham omnium nostrum pater factus est. Secundum carnem enim & ita coram hominibus, non est nisi Iudæorum pater. Sed est & alia similitudo, dicta uicinior, in hunc sensum, Sicut deus mortuos uitæ restituit, & sistit uerbo suo ea quæ non sunt, ac si essent: ita Abrahã spe contra spem nixus, id accepit, ut emortuo iam corpore cum suo tum

uxoris

uxoris, pater tamen fieret: nec solius Isaac, qui tum ex eo natus fuit, sed omnium simul gentium, quæ nondum erant. Pater est ergo Abraham omnium nostrum, idq; instar dei, quia fide sua se & uxorem quasi ex mortuis in uitam reuocauit, re cuperata ui generandi, quã per ætatem iam amiserat. Nactusq; est filios, qui non modo nihil habebant cum eo sanctæ cognationis, sed ne erãt quidem. Quicunq; enim ad finem usq; mundi in sortem filiorum dei assumuntur, hos tunc filios accepit: id ei ualuit fides illa, quæ sperare eum fecit contra spem. Huic debet quod pater factus est multarum gentium, adeo ut filij eius & arenæ & stellarum numerum superarint, iuxta oraculum illud, cui credens, iustificatus est. Igitur sine fide nihil prodest, nec legis nec operum, omnia autẽ præstat fides. Id uero est quod in his uerbis apostolus & aliàs ubiq; agit & unicum. Quæ Abrahæ præstitit, ut cum nullũ senex semen haberet, crederet tamen contra spem & potentiam naturæ, per deum naturæ conditorem fieri, & futurum quod promiserat, patrem se futurum multarum gentium, & eum longe illustriorem fide & meritis, fama quoq; sanctimonię, q; sperare unquã potuisset. Quod, præter miseros Iudęos quosdam, totus mundus dudum uidit impletum.

Et non est infirmatus in fide, nec considerauit corpus suum emor- 15
tuum, cum iam ferè centum esset annorum, & emortuam uuluam Saræ.

Quotiescunq; non satis consideratur quid sit uerbum domini, aut quod huic oportet cedere omnia, fides debilis est & infirma. Roboratur autem, crescit, dum illucescente in animum lumine dei, planè uidetur, & fixe consideratur, id quod uerbo domini proponitur esse uolũtatem dei, & bonã & immutabilem. Sic cum Abrahæ succurreret in mentem, quàm inepti essent ipse & uxor eius ad gignendum, & ratio iudicaret id impossibile esse, inualuit in eo spiritus domini, omnẽq; considerationem eius in promissionẽ dei & ipsum deum conuertit, & hoc unum cogitare fecit, Deus est qui prolem promittit, huic nihil est impossibile, qui & fallere non potest. Et erat certe emortuum corpus utriusq;, ut ex Sara iam nonagenaria, ipse centenarius filium susciperet. Verum emortuum à deo non erat, quin ex puella Cethura filios susceperit post mortem Saræ. Sed hanc quoq; uirtutem non aliunde accepit q; ex deo, in quẽ contra spem sperauerat, fidemq; habuit deo promittenti, quod ex natura erat impossibile, quod centum ferè annorum fuerit dum promitteretur Isaac: hoc est, nonaginta nouem erat, & attingebat centesimum, ideo Apostolus usus synecdocha est, more scripturæ sacræ, quando & circũcisus est statim, ut promissionẽ fœderis accepit, & sanctæ posteritatis, illa uice, quando ultra facultatem utriusq; corporis fuit, quod deus pollicebatur.

In repromissione etiam dei non hæsitauit diffidentia, sed conforta- 14
tus est fide, dans gloriam deo, plenissime sciens, quia quæcunq; promisit deus, potens est & facere, ideo & reputatum est illi ad iustitiam.

Quemadmodum Abrahę fidem impugnabant omnia extra deum qui promiserat, nulla enim erat in rerum uniuersa natura facultas, sed omnimoda apparebat impossibilitas: ita necesse fuit, eum in solam dei promissionem toto pectore respicere, fide subnixum firmissima. Quemadmodum ergo pure adeo et firmissime credere se deo declarauit, ubi huic de filio & posteritate sancta promissioni fidem habuit, ita hoc potissimum loco scriptura testatur, hanc ei fidem pro iustitia imputatam esse. Ea siquidẽ summa & unica iustitia nostra est, fidem habere deo, suam nobis offerenti dignationem, hoc est nostri iustificationem. Gloriam autem deo dare, in scripturis idem ualet, quod deferre deo debitum honorem, agnoscere ue

rum, iustum & sanctum: sic Abraham cum deum in promissione illa prolis, quæ uidebatur naturæ impossibilis, uerum agnouit, nec dubitauit præstare & uelle & posse quod promisisset, dedit deo gloriam, & suum illi honorem detulit. Deum quoq; pro iustitia imputasse ipsi Abrahæ quod credidit promissis istis, est eam fidem habuisse rem adeo gratam, & pro tam singulari iustitiæ officio, ut hoc ipsum de nullo alio quamlibet præclaro facinore eius prædicet. Ergo nihil unquam præclare Abraham fecit, quod tanti fuisset, quanti eius fides, quę & ipsa est dei donũ, approbantis ex gratia hominem. Fide ergo excipiente beneuolentiã dei, iustificatus est, non ex operibus.

15 Non est autem scriptum tantum propter ipsum, Quia reputatum est illi ad iustitiam, sed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitauit Iesum Christum dominum nostrum à mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.

Exemplum Abrahæ ad nos accommodat Apostolus, dicens hoc scriptũ non propter ipsum Abraham solum celebrandum, sed etiam propter ædificationem nostram. Omnia enim propter doctrinam nostram scripta sunt. Hinc ergo nobis discendum fuerit, quod si ita crediderimus promissioni dei, quam deus offert nobis, ut Abraham credidit pollicitationi quæ facta est ipsi, & nobis nostram fidem pro iustitia fore imputandam. Porrò promissio quæ fit nobis per euangelium, est quod continuo hic subiungitur, Deum tradidisse in mortem filium suum dominum Iesum, propter peccata nostra expianda, & rursus à mortuis reuocasse propter nostram iustitiam, nobis scilicet adducendam. Credere siquidem in eum qui excitauit dominum Iesum ex mortuis, est hoc ipsum certa persuasione tenere, q̃ filium suum ex mortuis excitarit in hoc, ut sicut ille morte sua pro peccatis nostris satisfecit, ita regnans in uita immortali, nos iustitia sua donet, imagini suę conformatos, hoc est, habere fidẽ euangelio, ut ex cruce & morte Christi pro nobis perlata, semper cogitemus quid peccata nostra mereãtur, quæ & sunt ipsius sanguine expiata. Et in resurrectione eius, qua uitam uiuit cœlestem & in deo, non amplius moriturus, agnoscamus nos ad nouam & deo placitã uitam uocatos, eamq̃ per eum nobis conferendam.

CAPVT V.

1 IVstificati ergo fide, pacem habeamus ad deum per dominũ nostrum Iesum Christum.

Explicatur hoc capite natura fidei, & per partes definitio eius, qua dicitur esse certa per spiritum sanctum de dei in nos charitate persuasio, nitens domino nostro Iesu Christo, qui morte sua peccata nostra expiauit, & uita sua in qua nunc regnat, participes iustitiæ reddit credentes. Vnde & in principio capitis, post hanc sententiam ultimam quarti cap. statim hic docet, hac fide fretos, de bonitate & fauore dei pacem habere ad deũ, stareq̃ & gloriari de spe gloriæ dei. Cum itaq̃ in hac fide nobis sita sit tota & salus & felicitas, uisum merito Apostolo est, hoc capite fusius explicare quæ fidei insunt. Primo enim per eam certi redmur de gratia circa nos dei, qui sic noster esse uelit, ut de eius circa nos bonitate gloriari possimus, etiã in ipsis uitæ huius tribulationibus. Hac ergo fide iustificati, pacem fideles habent cum deo per Christum, per quem & aditus patet ad beneuolẽtiam dei, ut de communicata gloria dei glorientur per Christum dominum,

qui

qui est prima iustificationis causa. Peccata siquidem dum insunt et considerãtur, efficiunt ut deus nos hostes iudicet. Hoc enim omnibus sine Christo uiuentibus ingenium ineſt, ut ipsorum conatus perpetuò ad malum feratur, semperq; infensum ideo habent sibi deum & sentiunt, semper ab eo abhorrent ac refugiunt, hostiliterq; mouentur in legem dei, & in eos quoq; qui eam ipsis conantur imponere. Inde & dominus toti mundo tribuit odium sui & patris, quandoquidem sensus carnis inferius quoq; dicitur, inimicitia esse cum deo.

Per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua sta- 2
mus & gloriamur, in spe gloriæ filiorum dei.

Quod euangelio quo nobis gratia dei offertur fidem habemus, id quoq; Christi opus est, hic unus nos ad patrem mediator adducit, uia est & ostium. Gratiam autem uocat, conditionem istam filiorum dei, quæ per Christum contigit, quæ & summum est summi fauoris beneficium. In qua gratia stamus, cum certa fide bonitatis diuinæ erigitur fidelis, ut nihil iam nutet, nihil labascat, persuasus deum se iam habere propitiũ, & in eo optata omnia. Quæ fides ubi non firmatur, semper agitatur uanis opinionibus bonorũ & malorum, cupitq; & amat quæ beare non possunt, unde & indesinenter raptatur, nullibi constans, deum sibi iratum sentit, à quo trepidat, quem fugit, sed non potest effugere. Qui autem deo credunt, quasi in firma rupi collocati, moueri nõ possunt. Et gloriamur, inquit, de spe gloriæ dei. Est autem gloriatio, prædicatio & iactatio boni præstantis & plene percepti, quod certo possideas, & plurimi facias. Quale bonum sanctis est & sentitur spes gloriæ dei, & ipsa gloria, quam in nobis dominus habet, magnifica præsentia gratiæ suæ, promptos reddens, ad quæcunq; sancta & deo placentia peragenda. Hanc autem gloriationem & pacem non habent nisi filij dei, quos peculiariter amat, & ad plurima bona promouet, ut uicissim nihil illis placere possit, nisi quod iustum esse norunt, etiã reclamante carne & sanguine, cum qua non cessant quotidie pugnare, & adoptionem filiorum dei ambire.

Non solum autem, sed etiam gloriamur in tribulationibus, scientes 3
quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio uero spem.

Dum hic uiuimus, deum & beneficia eius summa spe potissimũ percipimus, qua & seruati sumus. Afflictiones autem quas ex fide ut Christiani perferimus, spem augent, & eatenus prouehũt, ut de eis etiam gloriemur, non tantum in eis. Sunt enim suo modo causa, ut ampliora percipiamus diuinæ beneuolentiæ experimenta. Dum enim amorem & admirationem prosternunt & negligunt creaturarum, & ad opem domini suspicere & orare compellunt, confirmant simul expectationem huius opis & proferunt. Quo enim plus satan per aduersa in diffidentiam deiicit, hoc amplius cõtra ingerit spiritus dei suum illud testimonium quod perhibuit spiritui nostro, haberi nos deo in filijs, potentiusq; nostræ succurrit infirmitati. Ista itaq; tam præclara tolerantiæ uirtus & constãtia in aduersis, in Christianis existens, efficit, ut spiritus Christi uires suas in eis potentius explicet, & à cupiditatibus rerum præsentium efficacius reuocet, eoq; diuinæ beneuolentiæ persuasione cõfirmet, ut cœlesti quadam uirtute animus duratus, hoc studiosius & alacrius iam in id incumbat, quod officij est, quodq; in gloriam dei suscipiendum & gerendum obuenerit, quo satan depellere ab his improbius molitur. Hęc uero tolerantia, quomodo pariat ex se probationem, facile est uidere. Dum enim exerit se in afflictionibus, certa fide & euidenti spiritus documento, sentiunt se di-

uinæ influentiæ communione donatos hæc agere, numerariq; se inter probatos à deo & ab hominibus, nihil timere pro robore animi. Sic ergo sanctorum toleratio efficit probationem, nec minus clarum est, quo pacto probatio efficiat spem. Cum enim sancti sentiunt ineffabilem dei potentiam, & præsentiam in aduersis, necessario incrementa quoq; sumit spes illa, & expectatio diuinæ sortis tandem percipiendæ. Gignit igitur ex se & auget probatio spem, dum experimento sumpto in superatis per deum periculis, fidem quoq; suorũ excitat, & in exemplum quoq; alijs effulgere magnifice facit, ac ueluti ostẽtat. Quo autem plus se profert & eminet fides excitata probatione, hoc pleniorem quoque facit spem felicitatis promissæ.

4 Spes autem non confundit, quia charitas dei diffusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctum qui datus est nobis.

Tribuitur ubiq; in scripturis spei, ut non pudefaciat. Vt est illud Psalm. 31. In te domine speraui, non confundar in æternum, &c. Idq; non solum eo quod horum spes nunquam possunt esse irritæ, sed etiam quia sic eriguntur eorum animi qui deo fidunt, ut ne tum quidem contrahantur nimium, aut pudore afficiuntur, quando maxime patere ignominiæ creduntur, bonis huius sæculi omnibus eiecti, & calamitatibus oppressi, ut & deo ipsi inuisi atq; damnati existimẽtur. Id q̃d Dauidi alijsq; ex præcipuis sanctis, imò domino nostro Iesu Christo usu uenit. Sic enim sancti animis suis defixi sunt spe in deum, ut necesse sit ipsis cooperari in bonum quicquid patiuntur. Quo fit ut quæ alijs dolenda pudendaq; uidẽtur, ipsis habeantur gaudenda & glorianda. Huius autem gloriationis & profectus, per gradus prædictos prima causa est, Dilectio dei effusa in cordibus fideliũ, hoc est exuberantis diuinæ dignationis communicatio per spiritum sanctum, qui huius dilectionis persuasor est, cum spiritui nostro testimonium perhibet, quod filij dei sumus. Per hunc nouimus quæ donata sunt nobis, qui & perscrutatur profunda dei, qui & in ipsis afflictionibus nobis succurrit, intercedens pro nobis gemitibus inenarrabilibus, cap. 8. sine intermissione succurrit infirmitati nostræ, & perpetuo quodam diuinæ bonitatis gustu recreat, ipsaq; dei dilectione & indulgentia corda nostra perfundit, & per uirtutum gradus ad sanctã gloriationem & lætitiam in deo perducit, etiam in medijs afflictionibus cõstitutos, iuxta illud domini: Beati estis cum maledixerint uobis homines, &c. quoniam merces uestra copiosa est in cœlis.

5 Vt quid enim Christus cum adhuc infirmi essemus secundum tempus, pro impijs mortuus est? Vix enim pro iusto quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori.

Probare pergit, fidem in Christum sic persuadere de beneuolentia dei, ut de ea etiam in aduersis libeat gloriari. Agnoscit enim hæc fides Christum pro nobis mortuũ, idq; tunc cum essemus hostes deo, quod sanè est infinitę dilectionis. Confert ergo nostram indignitatem & impietatem, in qua uiuebamus, cum gratioso studio dei nos saluandi, quod sanè summum esse oportuit, cum filium suum pro nobis mori uoluerit. Id ut euidẽtius ostendat, addit, quod dominus pro nobis adhuc impijs mortuus est, esse modis omnibus singulare & unicum. Nam & si sint qui ausint pro alijs mori, qui rarissimi sunt, non sunt tamen qui sustineant mori pro malis & sceleratis: sed si qui iusti ac boni sunt, pro illis forsan quis uitã impendere ausit. Addit autem, Forsan: nam eos qui pro patria & amicis leguntur mortem obijsse, eos plurimum impulit tanti gloria nominis. Fac autem esse, ut nihil

detur

detur gloriæ, & solus purusq; amor uel patriæ uel amicorum mortem impetret, ibi tamen amicorum ualet uirtus, & patriæ meritum, & impenditur uita pro melioribus & præstantioribus. At seruatorem nostrũ, qui diuina alioqui gloria pollebat, & nos planè impios & execrabiles agnoscebat, in eo quod mori pro nobis dignatus est, nihil q̃ gratuitus nostri amor, ac sanè incomparabilis, ex ipsius tantum bonitate natus impellere potuit. Monere ergo uoluit nos Paulus, ut perpenderemus, reuelari nunc nobis ea quæ ab initio mundi fuerunt abscondita, & eam nobis salutem præstari, à qua alienum fuit genus humanum, per cuncta retro sæcula, nos denicq; ea uidere & audire, quæ reges & prophetæ optarũt, nec obtinuerunt. Qua de causa Christus suos discipulos beatos pronunciauit. Hoc ergo amplius dei in nos gratiam admiremur, & gratos nos ei exhibere studeamus. Infirmos autem uocat, nulla penitus pietatis uirtute subnixos, nam mox impios dicit & peccatores, quia extra Christum adhuc eramus & hostes dei, pro tanto, quia cultu & religione dei destituti, cuius caput est, promissis misericordiæ dei eam habere fidem, ut animus iam nihil sibi extra deum quærat, absq; qua fide impossibile est placere deo.

Commendat autem charitatem suam deus in nobis, quoniam si cum 6
adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est, multo igitur magis nunc, iustificati in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum.

Diligẽter inculcant apostoli, traditum esse Christum iustum pro iniustis, qui peccatum non fecit pro nobis peccatoribus. Et ideo ipse sibi solus causa existit, ut tantopere nos amaret, nostræq; salutis gratia tanta faceret & pateretur, & nõ mutatur ut homo, sed constat sibi semper, ut fideles dubitare non possint se habere Christum sui amantissimum & deum, de quo possint gloriari, & sic credentes iustificari plenissime coram deo. Per sanguinem Christi, mortem intelligit, qua iustificati sumus, id est ab omnibus liberati peccatis, quia deus accepta hac filij sui pro nobis satisfactione, peccata omnia nobis condonauit. Iram quoq; dei intelligit iustam ultionem, afflictiones à deo propter peccata immissas, quæ iram dei ostendunt, & inducunt sanctos, ut animis deiecti, & pœnitentes, clament: Domine, ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me. Dum uero perpendunt Christum in salutem suam uiuere & regnare, qui tanto ipsos amore prosequitur, ut pro ipsis adhuc impijs mortuus sit, ut in gratiam dei reuocaret qui erãt hostes, facile se erigunt, & agnoscunt per uitam Christi se ab omni ira seruari, ut quicquid ille malorum uel bonorum immittat, id beneficium esse, & ad salutem piorum cooperari oportere.

Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus deo per mortem filij 7
eius, multo magis reconciliati, salui erimus in uita ipsius.

Pertinet & hæc sententia ad inculcationem fructuosam, ut cogitent pij de naturali & originali iniustitia sua, qua offendunt in multis, sui nimium amatores, & deum odiẽtes pro tanto, quod illius uolũtatem quã nouimus, nõ omnibus nostris cupiditatibus præponimus. Cumq; tales nos esse sciamus, tamen eidem reconciliati sumus gratis, ex mera ipsius clemẽtia, qua proprio suo filio non pepercit, sed pro nobis omnibus illum tradidit. Quod ubi pro nobis factum credimus, amplius multo sperabimus, non modo liberatos nos esse à peccatis & conscientiæ angustijs, sed & restituẽdos nos per uitam ipsius, in uitam æternam, qua cum eo perpetuò uiuentes, beati erimus. Hæc quia firmiter sunt credenda, ideo frequen

tius inculcantur, ut tenacius hæreant, & continuo officij nostri nos moneant, ut amicos nos dei credentes, & ipsum nobis omnium maxime fauentem ob oculos habentes, colamus fide & operibus charitatis.

8 Non solum autem, sed & gloriamur in deo, per dominum nostrum Iesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus.

Hac dilectione dei perfusi, dum agnoscũt per mortem Christi præstitũ quod maius est, nempe reconciliationem gratis oblatã cum hostes essemus, ideoq; ambigere non possunt de uita præstãda, & conferenda hæreditate, iam non possunt non exultare in domino, & gloriari incipere de ipsis etiam afflictionibus, de quibus antea summa animi ægritudine querebantur & lamentabantur. Omnis certe afflictio, ut peccati nos admonet, ex quo uenit, ita facit à futuro dei iudicio, & merita ultione trepidare. At ubi dilectio dei ad animum reuocatur, illaq; infinita bonitas quę nobis præstita est in Christo, nobis statim succurrit, iram dei omnem auertit, facitq; saluti esse, omnem dei castigationẽ & uirgam, ut de illa gloriemur in domino. Est autem gloriari in domino, perfruitio quædam bonitatis diuinæ, quæ etiam in hoc tempore sanctis conceditur: ut sensus sit, Non solum hoc nobis per Christum contingit, ut reconciliati deo, olim seruemur ac restituamur per omnia, uerum sic ampliter se nobis degustandum præbet, ut etiam inter uitæ huius ærumnas de eo non possimus non gloriari, tanquam nũc etiam exhibito. Per dominum autem Iesum est hæc gloriatio, non de nostris quibuslibet operibus, quia per ipsum etiam iste nobis cõtigit tantus diuinitatis gustus, & fruitio sacra, ut bonitate dei etiam largiter in præsenti quoq; uita perfrui liceat, ut de eo etiam inter omnes sæculi huius ærumnas toto pectore gloriemur.

9 Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.

Collationem incipit mali quod inuexit Adam, & beneficij quod attulit Christus, utq; hoc quantum sit euidentius & efficacius prædicet, illud q; late pateat, & quid effecerit, iam sequitur. Cum uero dicit, Quemadmodum peccatum per unum hominem in mundum inuasit, hic subijciendum erat, Ita & iustitia per unum hominem Christũ. Id uero differt, non absq; ratione, usq; ad uersum 14. huius cap. Euehitur autem hic ardenti animo in Christi beneficium, qui nos ab æterna morte in uitam beatam ac perpetem restituit, ad explicandum quid peccatum nocuerit & quandiu. Hic autem declarat, quantum mali peccatum Adæ dederit uniuerso humano generi. Ex eo enim mors in oms homines inuasit. Omnes autem mortales peccato teneri, & esse perditos, notius est q; ut probandum fuerit, cum id omnes plus nimio sentiamus. Similiter & notũ est, à peccato inferri mortem, omnes enim intelligunt esse in peccato, esse aduersari deo, qui solus uita est, iustitia & omne bonum. Peccatum ergo esse mortiferum omnes norunt. Cumq; constet omnes peccato obnoxios esse, certum sequitur, mortem peruasisse in omnes homines. Cum igitur dicitur, Per unum hominem peccatum, potest intelligi uterq; homo, uir & mulier: utrunq; enim scriptura coniunctim Adam, id est hominem uocat: una quoq; caro sunt, cum sunt parẽtes. Et Eua quidem initium est transgressionis, Adam autem initium est successionis: qui qualis fuit ubi legem transgressus est, tales genuit & posteros. Peccatum uero est, per errorem sectari malum pro bono, & bonũ negligere pro malo. Id autem est niti ad exitium. Iam quod quisq; naturæ suæ amicum & consentaneum sentit, id bonum & expeten-

dum

dum neceſſario iudicat. Deus autẽ ſolus uita eſt & æternitas, qui & à nobis creaturis ſuis exigit, ut nos & noſtra omnia referamus ad ipſum, ut pro noſtra portione quod bonum eſt agamus & appretiemur. Proinde cum nos noſtro ingenio deprauato, toti nitimur contra hanc uiuẽdi rationem, ad quam nos deus condidit, ubiq; quærentes quę noſtra ſunt, neceſſario ſequet̃, ut rurſum nos deſtruat, ſuaq; illa præclara dona auferat, eaq; in nobis relinquat, propter quæ inæternũ excruciemur, tandemq; ſentiamus & experiamur, q̃ amarum ſit reliquiſſe deum, inq; deo ſolo eſſe omne bonum. Sic ad omnes homines mors peruaſit. Et id quoq; obſcurum non eſt. Peruerſitate enim uitæ, quæ à peccato eſt, hæreditario ſit, ut qui ab ea non reſtituãtur per Chriſtum, etiam dum hic uiuere uidentur, re uera non uiuant, quia uitæ huius actionibus non rite & cum uera uoluptate perfungũtur, ſed huius uitæ bona, quæ poſſent nobis uſui eſſe & ſaluti, tranſilimus, & pernicioſas nobis efficimus. Et ubi placuerit domino finem imponere abuſibus tot bonorum, nihil illis relinquatur q̃ cruciatus externi, & interni quoq;, quod eſt mori, id eſt nihil boni ſentire, ſed ſempiterna tot bonorum amiſſione diſcruciari uiuentes. In quo primo homine omnes peccauerunt, hoc eſt, peccato ſunt perditi, in Adam enim omnes fuimus, in eo ergo & peccamus, & mortui ſumus. Permagna eſt enim per omnia filijs cum parẽtibus ſuis communio: & ſi quæ bona ſunt, omnia gratuita dei ſunt munera, pendetq; omnis eorum hæreditaria perceptio ex ſola dei beneuolentia, & mala quoq; nemini immerito immittũtur. Qualis ergo Adam fuit, tales quoq; genuit: ſic & in lumbis Adæ peccarunt & perditi ſunt quotquot homines ſunt & erunt. Vere itaq; & de infantibus dicitur, peccauerunt, qui tamen ſua uoluntate nihil adhuc mali admittere potuerunt, ſed reatus primi parentis ſignum & ſimul morbum ſecum ex origine naſcendi attulerunt, & eo infecti peccatores ſunt.

Vſq; ad legem enim peccatum erat in mundo. Peccatum autem non imputabatur, cũ lex non eſſet, ſed regnauit mors ab Adam uſq; ad Moyſen, etiam in eos qui non peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ, qui eſt forma futuri. 10

Vult Paulus, Peccatum quod à primo parente uenit, omnes homines perdidiſſe, & ante datam legem Moyſi & poſt. Nec enim lex peccato ceſſit, ſed magis propter deprauationem ingenij humani occaſionem obtulit peccato, ut magis ualeſceret. Hic autem oſtendit à quo peccatum acceperit originem, quandiu obtinuerit, q̃ late patuerit, ut hinc cõſiderato quanta ſit in peccato perditio, melius intelligamus quantum ſit iſtud domini beneficiũ, qui nos ab hac perditione ſanguine ſuo reſtituit. Valuit ergo peccatum ante legem, ut eſſet in mundo, totum occupando humanum genus ſine diſcrimine, uſq; ad id tempus, quo lex eſt à deo data Hebræis, ut populum à peccato coërceret. Verum quibus defuit in illo populo ſpiritus Chriſti, in his preualente adeo ingenij humani peruerſitate, inuexit tranſgreſſiones, non eas repulit: auxit, nõ minuit. Et erat quidem ante legem datam in tabulis, peccatum in mundo, ſed publice non imputabatur, non arguebatur, non puniebatur. Illa enim peccatorum radix, concupiſcentia contra deum, regnabat plene, & nemine contradicente obtinebat omnes: eoq; & mors regnabat in omnes uſq; ad Moſen. Nam lex illa naturæ, quæ alioqui peccato reclamat, cum nulla externa legis admonitione fulciretur, cum libidinum ui innatarum, tum deprauatarum opinionum aſſultu ſic erat oppreſſa, ut homines ſeſe præcipitarent in quoduis flagitium abſq; ullo pudore, in quibus & tandem obbruteſce-

bant, ut omnem dei reuerentiam, iudicij q̃ eius metũ animis prorsus excuterent, amisso sensu & dolore scelerum, ut quæ fore impune sibi per homines arbitrarentur. Nec diuina etiam ultione deterriti, diutius q̃ eam deus sensibiliter addidisset. Porrò dum legem suam deus Israelitis dedit, eamq̃ ministerio prophetarum exposuit, & animis illorum infixit, tunc suo simul spiritu eos adflauit, ut legem aliquousq̃ intelligerent, ibi cœperunt uere peccatum agnoscere. Tunc enim reuixit peccatum, & uires suas explicuit, & damnauit homines tam deprauati ingenij. Verum nulli unquam mortalium in sceleribus tam stupuerunt, quin & sibi quisq̃ & alij alijs suam aliquando peruersitatem imputauerint. Vnde & publice in quædam scelera exortæ sunt animaduersiones. Has tamen non tam uera prauitatis detestatio, q̃ societatis humanæ necessitas retinuit, mutuusq̃ uitæ usus inter homines. Adeo nanq̃ effera est hominum sibi permissorũ rabies, ut si ea non ui legum & pœnis coërceretur, ipsa se sustinere nõ posset. Mors ergo indiuiduus comes peccati, quod homines uniuersos detinuit, minima obluctatione renitentes, necessario pleniſſimeq̃ tenuit in potestate sua omne humanum genus, & eatenus regnasse hic dicitur, summa potestate incumbens, & regnãs. Peccatum uero non imputabatur, nec arguebatur à lege, quæ nondum talis erat, merito ergo regnauit mors, dum peccatum à lege non reprehẽdebatur. Sed & regnauit mors in eos quoq̃ qui non peccauerunt. Cum non fuisset lex semper quæ peccatum argueret, satis uidetur eos qui fuerunt usq̃ ad Moysen, non peccasse ad similitudinem transgressionis Adam. Hic enim primus Adam diserte propositã sibi legem contempsit, illi autem de quibus hic loquitur, legem nullam acceperant, qua quidem externe admonerentur. Intelligiturq̃ generaliter de omnibus, qui nondum accepta lege uel peccarunt olim, uel hodie peccant, mortisq̃ regno addicti sunt, & quondam fuerunt. Nam & hodie gentes reperiũtur, quæ nullam legis diuinæ notitiam habent: nec aliter uiuunt q̃ illi qui fuere ante Mosen. His iam infantes, & quicunq̃ infra eam ætatem sunt, ut legem dei percipiant recte coniunguntur. De Adam iam dicto dicitur, Qui est forma futuri. Est enim Adam typus Christi. Primo, quia uterq̃ quidem propagator est. Adam quidem peccati, Christus iustitiæ: Adam mortis, Christus uitæ est author. Ab Adam propagata natura peccato est obnoxia, ut nihil sit humana prudentia uel uirtus, nisi peccatum, ideo prorsus naturã emori oportet, & gratiam à deo per Christũ infundi. Est autem mors per Adam introducta, ut pœna peccati originalis, per Christum facta remedium peccati per eius mortem. Oportet autem totum Adam, hoc est, totam naturã aboleri, & gratia niti per Christum, cuius per regenerationis gratiam filij fiunt fideles, quorum pater est dominus.

11 Sed non sicut delictum, ita & donũ: si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia dei, & donum in gratia unius hominis Iesu Christi in plures abundauit.

In præcedentibus peccatum Adæ & beneficium Christi simpliciter inter se contulerat, hic autem exponit beneficij Christi præcellentiã, dicens, Sed non uti lapsus, sic & donum. Nam est humano generi, dono Christi plus allatum boni, q̃ mali per lapsum Adæ. Quis enim non uideat clare, beneficiũ Christi, quod deus in filio suo exhibuit generi humano ad restituendũ, multo esse efficacius ad beandum nos, q̃ potuerit unquam esse peccatum Adæ ad nos euertendũ? Deo nanq̃ ut summo bono, magis congruit excellere beneuolentia ac misericordia, q̃ ira & indignatione. Hinc prædicat ipse de se, peccata se punire in tertiã & quartam genera-

generationem, misericordiam autem suam extendere in mille generationes. Nemo dei beneuolentiam ac uitam consequi potest nisi per Christum. Verum sicut ij omnes unius lapsu mortui sunt, qui ab illo uno genus suum ducunt: ita hi omnes (pro multis) consequuntur salutem per Christū, qui nati sunt ex Christo, cuiusmodi sunt omnes electi in uitam. Exuberauit autem, dicit, & abundauit, non tantum quia uitam dei attulit multis, sed etiam quia attulit hanc infinita quadam copia, adeo, ut ei peccati uis in perdēdo conferri nullatenus queat. Longe potentior est Christus ad seruandum, q̄ Adam fuerit ad perdendū. Et obedientia Christi multo fuit efficacior ad conferendam uitam, q̄ Adæ transgressio ad inducendum mortem. Et omnino noxam Adæ Christi uicit bonitas, ne quis tantum tribuat peccato primi parentis, ut de sarcienda salute diffidat.

Et non sicut per unum peccatum, ita & donum. Nam iudicium ex uno in condemnationē, gratia autem ex multis delictis in iustificationem. 12

Dixerat donum Christi amplius humano generi profuisse q̄ peccatum Adæ nocuerit, nunc declarat in quo præcelluerit & exuberarit. Ex uno, inquit, iudicium fuit & reatus: Adæ enim reatus attulit condemnationem multis, imò omnibus ex ipso natis: Christi autem beneficium restituit non solum peccatū, & mortem uicit & aboleuit quam intulit, sed simul infinita illa sustulit peccata, quæ reliqui homines primo illo peccato adiecimus, adduxitq̄ in plenam iustificationem, quotquot ex Christo sunt, ut deus iam illis non solum & Adæ & sua ipsorum & omnium maiorum peccata remiserit, sed spiritū simul donarit solidæ & perfectæ iustitiæ, qui conformes nos reddat imagini primogeniti. Quæ tunc iustitia primum cōsummabitur, cum dicet: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod uobis paratū est ab initio mundi: quando cum ipso peccato ultimus quoq̄ hostis mors quoq̄ fuerit abolita, & sancti omnes impleti fuerint fructu iustitiæ. Vnius ergo Christi morte iustitiaq̄ sunt abolita omnia delicta quātacunq̄ sunt, modo uere in illum credatur.

Si enim in unius delicto mors regnauit per unum, multo magis abundantiam gratiæ & donationis & iustitiæ accipientes, in uita regnabunt, per unum Iesum Christum. 15

Sicut peccatum Adæ subiecit morti omne humanum genus, ut regnum obtineat in omnes: qui sicut in peccato sunt omnes, sic mors dominatur in omnes. Sic euidens est, decere bonitatem diuinam, ut gratia facta per dominum Iesum Christum, donetur omnibus ad salutem & uitam, ut regnum quoq̄ obtineat uita dei in omnes credentes deo, in quos sua potestate dominetur ad gloriam. Hoc autem unum peccatū Adæ sic ingenium omnium mortalium destruxit, ut tota eorum uita nihil quàm peccata gignere possit. Proinde quicquid unquam ulli homines peccarunt, fructus sunt & sequelæ peccati Adæ. Quæ cum gratia Christi sustulit, certe cum nihil sustulit quod non à lapsu Adæ prouenerit, uidetur non plus mali submouisse q̄ peccatum Adæ inuexit. Si autem consideremus singulos mortalium, suis quoq̄ multis transgressionibus auxisse malū humani generis, & non minus quicunq̄ peccant, suis posteris nocere q̄ Adam nocuit omnibus, in aperto est, gratiam Christi plura depulisse ab hominibus mala, q̄ Adæ noxa intulerit. Nam licet nihil in orbe peccatū sit, quod ex illo primo Adæ lapsu non trahat originem, tamen singuli qui peccant, ut sua quoq̄ libera uolūtate peccant, ita suum quoq̄ tantum adijciunt reatū, suam adferunt perniciem. Quæ omnia mala, cum beneficium Christi solum sustulit, certe iam multorum peccata sustulit, nō unius

Adæ. Manifestum igitur, plura per Christū Iesum mala sublata esse, q̄ Adam obtulerat. Hoc tantum Christi beneficium agnoscentes, iustitiæ dono polleamus, recte & ordinate uiuentes, ad imaginem dei restituamur, ut in regno Christi uiuentes æternaliter beati simus.

14 Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem uitæ.

Ex præmissis hic infert & summat Apostolus, quod priore obmiserat uersu. Sicut ex unius lapsu peccatum in omnes ita inualuit, ut reddiderit omnes condemnationi obnoxios: sic etiam unius iustitiam in omnes homines obtinuisse, ut iustificatio uitæ omnibus contingat. Vt enim per inobedientiam uetus Adam suos perdidit factos peccatores, dei seueritate id sic agente: ita nouus Adam Christus restituit per obedientiam, patre ex maxima dilectione ad mundum sic tradente & propitiante. Deus enim Christum suum dedit, qui nos ad æternam uitam restituat, qui ex nobis nihil, q̄ hostes eius impij & peccatores esse potuimus. Sequitur ergo Apostoli intenta conclusio, qua dixit: Sicut per unius peccatum humanum genus perditum est, ita felicissime restitutū per unum Christū dominū nostrum. Ex hoc autem occasionem sumpserunt etiam sancti, qui de usu legis nondum fuerant satis edocti, cogitādi apud se, Ad quid ergo lex data est, si peccatum adhuc durat, & mors post datam à deo legem, si non iustificat legis obseruatores? Cui obiectioni respondet statim, uerum adhuc iam prædicta exponit latius.

15 Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obedientiam iusti constituentur multi.

Explicat latius, quis ille unius hominis lapsus fuerit, unde malum uenit in omnes homines ad condemnationem, tum quid hoc ipsum malum sit, quod à primi parentis peccato cunctos mortales inuasit. Et ait, lapsum illum fuisse primi hominis inobedientiam: malum autem hoc, iram peccati istius communionem, qua merito, ut dictum est, omnes condemnantur, quia peccatores. Hanc uero peccati communionem, Adam prognatis ex se omnibus subministrauit, quia occulta tabe carnalis cōcupiscentiæ suæ tabificauit in se omnes de sua stirpe uiuētes. Inobedientia autem Adæ fuit, quod mandato & uerbis creatoris sui non credidit, eiusq̄ se prouidentiæ permittere dubitauit, uolens ipse sui deus esse, procurando sibi notitiam boni & mali. Obedientia autem Christi uicissim sese patri tradentis in uoluntatem, usq̄ ad mortem talis fuit, ut in omnibus sese paternæ prouidentiæ tradiderit, sese abijciendo tantopere, ut tanquam sceleratissimus omnium hominum indicibili cruciatu, & genere supplicij ignominiosissimo neci dederet. Hac sanè obedientia nulla est plenior. Dicitur autem hæc Christi obedientia, iustificatio, propter quam superexaltauit eum pater, & donauit ei nomen quod est super omne nomen, per quod solum saluari nos oportet, qui & spiritum nobis impartit illum, qui sicut in ipso omnem exhibuit iustitiam: ita nos quoq̄ tandem omni iustitiæ fructu implebit. Quotquot enim ex deo nati sunt, ac ideo ad uitam æternam destinati, iusti constituentur, per & propter unius obedientiam. Iuxta id q̄d Isaias dicit cap. 53. Si posuerit animam suam pro peccato, &c. Iustificabit hic iustus seruus meus multos, &c.

16 Lex autem subintrauit, ut abundaret delictum: ubi autem abundauit delictum, superabundauit & gratia.

Lex ad hoc data est, ut peccatum augeretur, uimq̄ suam magis explicaret: primum enim obiecta lege, nostra concupiscentia magis inardescit, & ferimur iam

in

in malum cupidius. Deinde scientes quid deceat, maiori peccamus dei contemptu. Postremo quid hinc cõmereamur uidentes, desperare cogimur, & plane perire. Sic cedit nobis lex dei, quãlibet sancta sit & ad sanctitatem uocet. Nostra autem, quæ à primo nobis parente uenit, tam est sæua peruersitas, ut quo magis lex urget ad iustitiã, docet, hortatur, dirigit, solatur & terret, tanto nos altius immergimus in iniustitiam. Hæc autem lex malum nostrum sic exagitat & exasperat, excruciat quoq; & exanimat, non ut pereamus, sed ut ad Christum cõfugientes, salutem plenius percipiamus per ipsum. Addit quoq; Apostolus, Vbi autẽ abundauit peccatum, hoc est, innata nobis prauitas, qua deo contempto, in ea quę sensibus uidentur amica nostræ naturæ, cæca & furente cupiditate ferimur, uerum usum peruertentes sensuum. Hoc peccatum tunc uere inualescit, uiuit, & exerit uim suam, ut dum quid domino uere placeat scimus, & tamen sensibus carnis parere uolumus magis q̃ conscientiæ reclamanti: & de domini beneplacito impleri do, ualide adhortatur, cõmonet & suadet, cui tamen peccato uenundati, acquiescere sponte nõ uolumus: unde & propterea sibi deum irasci nescire nõ possunt, sed nec excusare in iudicio dei & conscientię. Superabundare autem gratiã tunc sentimus, dum freti domino Iesu Christo, confidenter ipsum adimus, & deum patrem inuocamus, stamusq; & gloriamur in spe filiorum dei: neq; hoc solum, sed gloriamur quoq; in afflictionibus, ut superius Apostolus horũ tradidit ordinem. Ad hunc modum seruat dominus quod perierat, sic pœnitentibus adest regnum dei, prædicatur euangelium gratiæ, medeturq; contritis corde, captis renũciatur liberatio, &c. Est itaq; augeri peccatũ, ipsum apparere & sentiri id esse quod est auersionem à uero & summo bono, & immersionem in summũ malum. Superabundare autem gratiam, est exhiberi nobis per Christũ uim spiritus sancti, illam, qua & de dei in nos beneuolentia, & certa felicitatis expectatione persuademur, studioq; glorificandi deum in omni uita accendimur, in quo est certa diuinæ & beatæ uitæ communio, impartita nobis à sola dei gratia & merito Christi, quem pater nobis donauit.

Vt sicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iusti- 17
tiam in uitam æternam, per Iesum Christum dominum nostrum.

Vbi lex uirtutẽ accipit, ut peccato possit perdere, hoc est, ubi quotidie inculcatur & agnoscitur utrunq;, irradiante spiritu dei, ostenso quantum mali in & à peccato sit, nec tamen per legem exhibetur huius mali remedium in conscientia, regnum quoddam peccatum obtinet in nos in mortẽ, hoc est per mortem, quam præsentissimã tunc infert, sed non ut in ea pereamus, uerum ut hinc cognito, in nobis nihil q̃ æternam mortem esse, ad Christum nos conuertamus, ab hac morte saluandos. Id quod & ueteribus sanctis donatum est, quibus Christus ipse sibi in illis prælucens, non minus dedit habere fidem sacræ legi, ut peccatum detegit & condemnat, iramq; dei minatur, sed etiam ubi commendat misericordiam & gratiam in Christo, quæ peccatum aboleat omne, quæ meritam ultionem auertat. Et gratia quoq; regnat per iustitiam in uitam æternam. Quod regnum tunc est, cum nos spiritus Christi totos tenet, ac ita fructibus iustitiæ implet, ut dicere possimus: Non uiuo ego iam, sed uiuit in me Christus. Hoc regnũ dei & Christi est, quod & aduenire quotidie & augeri precamur. Dicitur autem hic regnum gratiæ, quia ex gratuito dei munere uenit per dominum nostrum Iesum Christum. Id quod exprimit ubiq; ferè Apostolus, hanc Christi gratiam prædicando, ita ut etiam in eius uera cognitione uita æterna nobis sita sit.

CAPVT VI.

1 QVid ergo dicemus? Manebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc uiuemus in illo?

Dixerat Apostolus, ibi abundare gratiam, ubi abundauit peccatum, prædicaq; se Christū unum nos iustificare dum in ipsum credimus: legem quoq; dum maxime nobis prodest, efficere ut peccatum apud nos uiolentius sæuiat. Ideo poterat contra eum inferri, Num ergo manebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit, inquit Paulus. Nihil tale prædicando Christū, intendo, uel sequitur etiam ex uerbis meis. Doceo enim, nos fide in Christū eam communionem Christi percipere, ut spiritus illius innatā nobis uim peccati semper reprimat, & ad studium iustitiæ iugiter impellat, ideoq; uolo sic iustificationem in Christo commendare, ut à credentibus ignauiam uitæ remissioris depellam, & excludam calumniam, qua pseudapostoli criminantur docere me facilitatem peccandi, cum doceam fide nos, & non operibus apud deum iustificari. Absit autē ut hæc admittatur quæstio, num peccandum sit uel qualibet de causa. Quin persuasum esse debet Christianis, peccatum maxime fugiendum, ceu extremum malorum, minime ullo pacto commendādum, quando & esset hoc impossibile, quia nemo simul potest expetere contraria. Qui enim uult in peccato manere, non poterit studere gratiæ & condonationi, quæ peccatum aboleat, non tantum remittendo quod admissum est, sed arcendo etiam quod admitti possit. Huiusmodi ergo quæstionem, quasi si quis quærat, Manebimus in incendio, ut ab incendio liberemur? repellere potius uoluit Apostolus q̄ dissoluere, qui dixerat quidem gratiam exuberare ubi inualuit peccatum, nō ut maneatur in peccato uel peccetur. Est enim Apostolo inualescere peccatum, non peccare aut in peccato manere uel cumulare malum, sed uim peccati nos perdentis, in quo nostro ingenio indulgemus improbo, sic sentire, ut tibi totus displiceas, & te perditum agnoscas, eoq; misericordiam & opem domini toto pectore implores. Ad hunc modum sicubi peccatum inualescit, ibi gratia quoq; Christi in sanādis restituendisq; hominibus sese exerit, & potentius exuberat. Arguit ergo Apostolus hūc in modum: Qui peccato mortui sunt, non possunt peccato uiuere: peccato autem mortui sunt, quicunq; Christo credunt, ergo nemo horum potest manere in peccato. Peccatum autem hic Apostolus accipit pro innata ingenij nostri deprauatione, qua fit, ut nulla in re non peccemus. Mori peccato illi est, omnem prauam in nobis cupiditatem extingui, qua peccato uiuebamus & seruiebamus. Mortuum esse legi, pro eo accipit infra ca. 7. quod est abolitum esse in nobis id, in quod lex imperium habeat, quod legi obnoxium sit. In peccato autem uiuere, est deprauationem illam naturæ nostræ in omni uita nostra obtinere & ualere, ut cunctæ nostræ actiones prauæ sint & peccata.

2 An ignoratis fratres, quia quicunq; baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus.

Probat nos peccato mortuos esse à baptismate, admonens nos eorum quæ in baptismate recepimus, quę utiq; notissima habere debemus. Certe eam nobis cōmunionem Christi in baptismate collatam gloriamur, ut nō sit dubium, mortem quoq; Christi, quæ est mors & extinctio peccati, in nobis ualere, hoc est innatam nobis peruersitatem uirtute Christi reprimere & abolere. Quicunq;, inquit, baptizati sumus, qua uniuersitate uidetur uoluisse exprimere hoc mortis Christi consortium, oportere non solū notum esse Christianis omnibus, sed etiam re ipsa

in

in eis cerni. Eos enim tantum baptizatos intelligit, qui baptismate uere sunt regenerati. Tunc enim demum Christi baptisma est, cum lauacrum regenerationis & insitio in Christum & spiritus sancti communicatio est: in mortem autem Christi baptizamur, quia baptismate ita Christo incorporamur, ut iam mors eius in nobis ualeat, omneq; peccatum perimat, efficiamurq; mortis eius participes, ut mors eius peccati mors sit.

Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quo- 3
modo Christus surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos in noui-
tate uitæ ambulemus.

Mortis huius cõsummationem exprimit per uerbũ sepelitionis, idemq; est ei baptizari in mortem, & baptismate in mortẽ cum Christo sepeliri. Quamuis Origenes fidei tribuit mortem peccati: baptismati autem sepulturam. Verũ in baptismate dominus hoc ipsum ministerio ecclesiæ exhibet, quod euangelio commendat & fides amplectitur. Virtutem qua deus filium suum excitauit à mortuis, uocat Paulus hic gloriam patris, eo quod maiestatem & potentiam suam hanc exerendo uirtutem clarissime demonstrauit celebremq; fecit. Cæterum nomine gloriæ dei, scriptura intelligit singularem præsentiam diuinitatis. Vt ergo cum pater cœlestis à mortuis filium suum in consortium beatæ immortalitatis reuocauit, numen diuinitatis suæ præsentissimum exhibuit, ita recte dicitur, ibi gloriam suam præcipue manifestasse, & per gloriam suam filium à mortuis excitasse. In peccato perseuerare, uita uetus est, & perpetua seruitus iniustitiæ: noua autem uita iugis est meditatio iustitiæ. Si ergo nunc in nouitate uitæ ambulandum nobis fuerit, non poterimus hærere peccato. Hanc nouitatem Paulus diligẽter ubiq; commendat, ut ad uitæ prioris emendationem, & sacri instituti renouationem sedulo enitamur, quia peccati uetustas innata nobis, egerrime depellitur, & non sine gratia dei & studio iugiter resipiscendi.

Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & re- 4
surrectionis erimus.

Complantatos & consitos nos esse Christo Apostolus dicit, pro summe coniunctos, quanquã hac uoce simul significet regenerationẽ. Quæ aliâs, similitudine ab arboribus ducta, plantatio & transplantatio nostri dicitur, quæ nobis cõtingit, dum Christo inserimur, uiti cœlesti & diuinæ, palmites, iam & ipsi cœlestes & diuini. Studium itaq; nouæ uitæ ostendit oportere nobis proprium esse, si quidem cum Christo peccato mortui sumus. Constat siquidem ex fide euãgelij, & in confesso est Christianis omnibus, ideo quasi supponit: Sicut in Christo mors ad nouam uitam ingressus fuit, ita nullis Christo credentibus, atq; ideo in eo mortuis posse abesse consortium nouæ uitæ, quam attulit resurrectio Christi. Dum autem dicit complantatos similitudini mortis Christi, id ei ualet, sic in eam uitam nos cum Christo esse plantatos, ut mortis eius similitudinem in nobis habeamus: quam habemus & exhibemus cum prauis cupiditatibus, in quibus omnis uita regeneratorum trãsigitur, nihil indulgemus. Id enim ueteris Adæ certa mors est, cum huius uita, in quam à parentibus nascimur, nihil aliud sit, & in omnibus iudicio deprauato ferri, uiq; cupiditatum naturæ permoueri iugiter ad ea quæ nos minime decent. Quas improbas nostras cupiditates tollere sola poterit uis mortis Christi, utq; impleat nos Christus ueris terroribus iudicij diuini. Vt sicut deus peccata huiusmodi in nobis unice execratur & punit, nos quoque ea serio detestari & horrere incipiamus, ne deus ipse sæuiat, & quasi alienũ sibi ultionis opus

exerceat. Sic autem Christo inseri, & ingenerari similitudini mortis Christi, trahit secum ingenerationem resurrectionis eius, sicut mors ipsa Christi secum traxit eius resurrectionem. Intellexit autem hoc loco per mortis ac resurrectionis similitudinem, cõmunionem uirtutis, quæ in morte ac resurrectione domini apparuit, ex qua uirtute & nobis datur mori peccato, & uiuere deo. Tunc uero demũ resurrectio in nobis consummabitur, quando omne abolitum fuerit peccatum, & extiterit iam deus omnia in nobis.

5 Hoc scientes, quia uetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non seruiamus peccato.

Communio hæc in nobis in morte Christi si constiterit, ut donata est in baptismate, necessario impendemus totam uitam nostram, nec in peccato hærere poterimus, si insiti Christo sumus, indeq; nacti sumus similitudinem mortis & resurrectionis eius. Perpendamus ergo & agnoscamus hinc cõsequi, ueterem hominem nostrum iam crucifixum esse cum Christo, & in hoc, ut abolito corpore peccati, non amplius peccato seruiamus, sed iustitiæ. Veterem hominem, hic & ad Ephesios 2. uocat Apostolus uitiositatem in quam nati sumus. Mauult autem hanc, uterem hominem & corpus peccati dicere, q̃ uitium hominis & corporis, ut exprimat ipsam nostram naturam esse uitiatam & perditam. Sic ad Coloss. 3. uitia, ut fornicationem, immunditiam, auaritiam, uocat membra nostra ita uitiata ac perdita, ut nisi per Christum regignamur, non possint non esse horum uitiorum organa. Quod ait, Crucifixus est uetus noster homo, ut aboleretur corpus peccati, idem est ac si dixisset, Vt aboleretur omnis peccandi morbus, qui tenet totum nostrum corpus, omnemq; substãtiam. Hæc uero crucifixio consistit in ueris terroribus, quos dñs in nobis excitat suo iudicio, in peccata nostra plenius ostenso. Hinc enim uiua & solida omnis peruersitatis execratio in nobis oritur, & iustus de peccato dolor. Hæc uero execratio peccati, cum sit uoluntatis nostræ, scribit Apostolus ad Galatas, Qui sunt Christi, crucifixerũt carnem suam cum uitijs & concupiscentijs: sicq; tribuit ipsis sanctis hanc crucifixionem.

6 Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato: si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam uiuemus cum illo.

Qui mortuus est, iam nihil agere potest prorsus, non ergo potest agere praue, semperq; peccãdi finem tunc facit, qui finem facit uiuendi. Atqui qui Christo credunt, mortui sunt, communicantes scilicet morte eius. Igitur à peccato iustificati & prorsus absoluti sunt, ut qui nec possint iam peccare. Cum igitur cum Christo & communicatione mortis Christi peccato nos mortui sumus, hanc mortẽ cum indiuulse comitentur resurrectio & noua uita, sequitur, quod etiam uiuemus cum eo, hoc est, uiuemus uitam dei, uitam iustitiæ, uitam omnis peccati puram. Hoc uero probat ex eo, quod Christus excitatus à mortuis est, in quo declaratum est, peccatum à morte eius penitus deuictum esse, ita ut mors nihil amplius in eum possit.

7 Scientes quod Christus resurgẽs ex mortuis, iam non moritur, mors illi ultra nõ dominabitur. Quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel: quod autem uiuit, uiuit deo.

Geminatione ista qua utitur Apostolus, dicens, Nõ morietur, deinceps mors ei non dominabitur, exprimere uoluit, quàm nihil amplius possit mors in Christum. Hoc enim quo certius persuasum nobis fuerit, hoc plenius quoq; uidemus,

mortem

mortem Christi esse uictoriam de peccato consummatam. Peccatum enim ubi locum habet, & mors habet, quæ peccati stipendium est. Morti uero adeo nihil iuris supereſſe in Christũ eo probat, quod Christus mortuus est peccato semel, hoc est, ut quidam intelligunt, penitus: quicquid enim ad abolendum peccatum requirebatur, Christus id oẽe ita semel præstitit, ut peccato nihil porrò debere possit. Viuit itaq; iam inæternum deo. Vt nanq; deus uita est, ita uiuens deo uni, homo Iesus Christus, uitam propriam habet, hoc est, cum in Christo omnia deo penitus addicta sint & coniuncta, idq; ea ratione, ut ista summa coniunctio nullo unquam momento possit intercipi, necessario consequitur, dominum nostrum Iesum Christum uiuere, ac uicturum esse uitam dei sempiternam. Iam si uiuit in nobis Christus, si morte sua, quod nos à deo separabat peccatum, prorsus remouit, necesse est, ut & nos pro modulo nostro uitam dei uiuamus, iuxta illud domini Ioannis 6. Quemadmodũ misit me uiuens pater, & ego uiuo propter patrem: & qui edit me, & ipse uiuet propter me. Quamuis autẽ illud quod dicitur, Mors ei ultra non dominabit, indicare uideatur, ac si mors uel semel dominata sit Christo, hoc non uidebitur incõueniens, si conuenienter intelligatur. Mors siquidem suo iure quod à peccato habet, nunquam dominata est Christo, Christus autem seſe morti semel ultro subijciens, dum expianda fuit mors, permisit se uinci, eatenus, ut morereẽ uere, ut suo iure mortem spoliaret, quod ei alioqui erat in omnes electos. Sed ei ultra nunquam aliqua ratione dominabitur.

Ita & uos, existimate uos mortuos quidem esse peccato, uiuentes autem deo in Christo Iesu. 8

Hortatur nos hic Apostolus, ut arbitremur nos in peccato mortuos esse, hoc est, agnoscamus & perpendamus, nobis mortem Christi in baptismate sic donatam esse, ut agat ualeatq; in nobis, dum omnem prauam cupiditatem plene extinxerit. Hoc enim perpendisse & rite iudicasse, excitabit utiq; nos, ut tantæ dignationi domini respondere conemur. Ex hac enim peccati morte, quę in baptismate donata est, æternã uitam speramus, siquidem uera fide eam in baptismate amplexi sumus. Perficiendæ ergo huic morti tanto enixius studebimus, quo magis perpenderimus, nos in Christum baptizatos, iam peccati mortem ut certum ingressum in uitam æternam, & percepisse in Christo, & esse professos, illiq; in nobis perficiendæ totis uiribus uelle incumbere. Tunc siquidẽ hæc uita dei in nobis existit & uiget, non quando ad nutũ dei omnia agemus, quod fiet nunquam, sed quando cũctæ uires nostræ in dei placita ferri conantur pro suo modulo. Illud ergo studij Apostolus excitare atq; inflãmare instituit præsenti hortatione. Nam & si spiritus Christi oẽia salutis in nobis unus perficiat, tamen ad id nostra quoq; uoluntate & studio uti dignatur, eoq; nos pacto in diuinam uitam restituit, dum oẽibus membris ac uiribus nostris utitur tanquam organis ad uitam dei. In dño nostro Iesu Christo. Christo uita dei propria est, uiuit eẽ propter patrẽ, ut uitam in semetipso habeat, & suis largiatur, Ioan. 6. Hæc nobis communicatur in baptismo, quo Christo scilicet inserimur, ut uiuamus iam per ipsum, eius membra facti in ipso.

Non ergo regnet peccatum in uestro mortali corpore, ut obediatis 9
concupiscentijs eius. Sed neq; exhibeatis membra uestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete uos deo, tanquam ex mortuis uiuentes, & membra uestra arma iustitiæ deo.

Exhortatio est, ut totis uiribus extinguendo in nobis peccato, & uitæ dei ex-

citandę inſiſtamus. Ea ad hunc modum explicatur, Donata uobis eſt communio Chriſti in baptiſmate, & hinc cœpiſtis eſſe, non amplius ſub lege, ſed ſub gratia, in conditione ſcilicet noui teſtamẽti. Donata eſt uobis & mors Chriſti, quæ omne in uobis peccatũ extinguat, & uita Chriſti, ut iam deo uiuatis, adeo ut peccatum iam dominari uobis, & in corpore ueſtro regnare non poſſit. Iam in hac peccati morte & uita dei, omnis uobis felicitas ſita eſt. Conuenit igitur, ut Chriſto ſuam in uobis & mortem & uitam ad ueſtram ſempiternã felicitatem explicanti, ſummo ſtudio uos accommodetis. Sic enim natura comparati ſumus, ut exhibẽtibus quæ bono eſſe nobis nõ dubitamus, toto nos pectore accommodare, imò & cooperari cupiamus. Id ſtudij & conatus etiam in quibuſuis animalibus cernas, ita cupide & enixe ſe paſcentibus, medentibus, & alia beneficia exhibẽtibus ſeſe applicant & inſeruiũt. Proinde quo diuinius, plenius & beatius eſt beneficiũ iſtud Chriſti, hoc maiore animo & contentione uehementiore, Chriſto domino in uobis peccatum occidenti, & uitam dei excitanti, addicere uos, inſeruire & cooperari debetis, hoc eſt, ſummam nauare operam, ne regnet in uobis peccatum, neue mẽbra ueſtra exhibeatis inſtrumenta iniuſtitię peccato, ſed exhibete uos & membra ueſtra deo, iam inſtrumenta iuſtitiæ, ut huic tanquam ex mortuis reſtituti, uiuatis uitam ſanctam, & ipſo patre & ſeruatore ueſtro dignam. Membrorũ autem nomine intellígit Apoſtolus cũctos hominis partes, & ſi præcipue inferiores, quibus inſident affectus illi perturbatiores, qui ſunt rerum ſenſibilium, à quibus ſcilicet omne fermè peccatum ortum ſuum habet. Nam cum ad ſenſuum apprehenſionem hi affectus exiſtunt, peruertunt ſtatim iudicium mentis, ut ea nõ id quod ipſa ex ſua luce bonũ iudicat, ſed in quod feruntur cupiditates rerum ſenſibilium ſectãdum ſtatuat. Hinc uero dum mens cupiditatibus uincitur, deus cuius iuſſa negliguntur contemnitur. Et cum cupiditates iſtæ modum neſciunt, perturbate & indecore admittuntur, & fiunt omnia, Quæ perturbatio & turpitudo, cum in externo uſu membrorum oculis, auribus, ore, manibus, pedibus & toto corpore maxime profertur, Apoſtolus membrorum nomine uti uoluit, cum tamen ſentiret de omnibus hominis partibus & uiribus.

10 Peccatum enim uobis nõ dominabitur. Non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia.

Niſi totis uiribus repugnemus peccato, potitur noſtri & ſuperat, ut nullis iam eius concupiſcentijs ualeamus reſiſtere. Omnino enim conſequitur, militãdum & pugnandum totis uiribus pro iuſtitia, ſi nolis tibi dominari peccatum. Alteri totus ſeruias neceſſe eſt, & alteri totus aduerſeris, ita de te occupando inter ſe certant. Non, inquit, eſtis ſub lege. Quàm alienũ à nobis leſſe debeat dominium peccati, oſtendit. Cum lege refrenante adhuc opus erat, plus ualebat in nobis peccatum, nunc gratia Chriſti eum adfert ſpiritum, qui facile omne peccatum extinguat, uitamq; dei in nobis excitet. Conuenit igitur nunc nos membra noſtra, hoc eſt omnia noſtra iuſtitiæ conſecrare. Etenim ſub lege eſſe, hoc quidem loco idem eſt quod à lege peccati cõdemnari. In genere ſiquidem eſſe ſub lege, idem eſt atq; degere in ea conditione filiorũ dei, quæ illis fuit, cum uigeret adhuc apud eos adminiſtratio legis Moſaicæ. Ita eſſe ſub gratia, hoc in loco eſt, ſpiritu gratiæ exemptum, ui peruerſarum cupiditatũ agi, cum uoluptate ad omnimodam iuſtitiam. In genere eſt uiuere in conditione, quæ nobis illuxit à glorificatione domini noſtri Ieſu Chriſti. Componit autẽ legem cum gratia, non quod legis tempore nulla extiterit gratia: erat eñ magna gratia & in legis miniſterio, quia caput omnis doctrinæ

ctrinæ ſanctæ ſemper euangelium fuit, nec ſine ſpiritu. Sed quia uis gratiæ & dignationis diuinæ tempore Chriſti reuelati mundo amplior effuſa eſt q̃ antea, dicuntur ſancti nunc eſſe ſub gratia, & fuiſſe ante hoc tempus ſub lege. Videtur itaq; illud, Non eſtis ſub lege, idem ualere quod, Non eſtis adhuc adeo pueri ſpiritu, non uiget adhuc in uobis tantopere peccatum, ut uobis pędagogia legis obſit. Liberi ergo à lege, nunc ſub gratia degẽtes, decet dominari uos peccato, non peccatum uobis.

Quid ergo? Peccabimus? quoniam non ſumus ſub lege, ſed ſub gra- 11
tia. Abſit.

Occupatio eſt obiectionis, quam pſeudapoſtoli Paulo obiiciebant, quaſi ſolutionem à lege & gratiam prædicanti, eoq; infamare euangelium eius molieban-tur. Cum enim ille gratiam domini noſtri Ieſu Chriſti, qui nos à lege liberauit, donato meliore uitæ magiſtro ſuo ſpiritu prædicabat, illi calumniabantur, homines ex hac prædicatione ſic eſſe collecturos, Si ſoluti ſumus lege, impune erit ſi peccabimus. Peccabimus ergo. Porrò ut erat hæc manifeſta calũnia, & deceat omnem Chriſtianum ita abhorrere ab omni peccato, ut nec diſputare, num ſit peccãdum ſuſtineat, more ſuo orationem uerbo reiicit, Abſit, nõ diſſoluit. Quandoquidem Paulus quia gratiam Chriſti ex eo commendãs, quod lege nos ſoluiſſet, docebat eos qui gratiam hanc recepiſſent, ſpiritu Chriſti ſic prædítos & inſtructos eſſe, ut iam admonitione coërtionéue legis opus non haberent, ſpiritu illo impellente eos, multo meliore ratione q̃ lex poſſit, quia lubentes ad omnia quæ lex iubet, & abhorrentes ab omnibus quæ lex uetat. Contrarium ergo ſequitur ex prædicatione Pauli, ei quod inferebant calumniatores.

An neſcitis, quoniam cui exhibetis uos ſeruos ad obediendum, ſerui 12
eſtis eius cui obediſtis, ſiue peccati ad mortẽ, ſiue obeditionis ad iuſtitiã.

Probat contra calumniatores, eos qui doctrinæ ſuæ acceſſerunt, aliud non poſſe ſtatuere, q̃ totis uiribus in id eſſe incumbendum, ut euitatis omnibus modis peccatis, omnia eorũ ſeruiant iuſtitiæ. Vtitur autem ſimilitudine. Seruorum eſt, inquit, non modo nihil contra heros ſuos ſuſcipere, ſed totos etiam ab illorum nutibus pendere. At eorum qui ſe ultro ſeruos addicunt, iſtud hoc amplius eſt, quod ut ſua ipſi uoluntate ſeruitutem ſibi deligunt, ita certum ſibi bonum ea ſeruitute expectãt. Hæc cum ita habeant, An neſcitis eius quemcunq; ſeruum eſſe, cui ipſe ſe ſeruũ addicit, cuiq; paret? Ita neceſſe eſt, uos aut ſeruos eſſe peccati, ſi peccato uos in ſeruitutẽ tradetis: ſiue iuſtitiæ, ſi ſeruos uos accõmodatis iuſtitię: cui paretis, inquam, huius ſerui eſtis. Atqui latere uos non poteſt, cui, non dico uos in ſeruos addixiſtis, ſed modo obeditis. Obeditis enim iuſtitiæ, ita ut ex corde uos illi addixeritis, & huius etiam operæpretium uitam æternam indubie ſentitis. Quare ergo cogitatio hæc cuiquam ueſtrum inceſſit, de propoſito quomodocunq; peccandi in dominum? Manifeſtior itaq; eſt calumnia, quàm ut confutari debeat, dicere, Ex mea doctrina cuiquam procliuitatem offerri peccandi.

Gratias autem deo, quod fuiſtis ſerui peccati: obediſtis autem ex cor- 13
de in eam formam doctrinæ, in qua traditi eſtis, liberati autem à peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiæ.

Commendat Romanis beneficium dei quadruplici nomine, quo fuit illis donatum, ut ſeſe doctrinæ euangelicæ dicarint. Primum expreſſione admirationis & gratitudinis ſingularis de hoc beneficio. Gratia, inquit, deo. Iſtud enim non ſi-

ne præcipuo affectu ita præfatus est. Deinde collatione seruitutis peccati, in qua antea uixerant, quod fuistis serui peccati. Tertio, notando quod plenum hoc beneficium fuit. Ex corde enim, inquit, id est singulari animi propensione obediuistis, hoc est credidistis euangelio. Quarto, exprimendo quod diuina uirtute istud effectum sit, ut se ex corde euangelicæ doctrinæ consecrarẽt. Ait nanq;, In quam formam doctrinę traditi estis. Pater donauit eos filio, & ad filium traxit, filius eos suscepit, & spiritu suo afflatos, tradidit addixitq; isti uiuendi generi, in formam quam præscribit Euangelium, ad id ministrauerunt ij qui euangelium eis prædicauerunt. Vt autem hæc omnia commonent, q̃ eximium sit hoc beneficium dei, quo traditi fuerunt in obedientiam fidei, ita studium huius obedientiæ accendũt, peccatiq; odium & detestationem ingerunt. Liberati autem uel manumissi à peccato &c. Perstat in similitudine seruitutis, quo id magis urgeat, ut totos nos oporteat iustitiæ uiuere, & q̃ nihil auscultandum sit peccato, cum ob idipsum simus manumissi, addicti uero iustitiæ. Iustitiam autem nunc componit cum peccato, cum paulò ante obedientiam ei composuerit, eo admonet, typum doctrinæ euangelicæ, hoc est, rationem uiuẽdi quam tradidit euangelium, ipsam esse iustitiam. Tantum abest peccati licẽtiam doceat euangelium, quando non solum iustitiam docet, sed etiam homines iustitiæ penitus seruos addicat, ut illi nihil iam aliud, q̃ iuste uiuere studeant.

14 Humanum dico propter infirmitatem carnis uestræ. Sicut enim exhibuistis membra uestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra uestra seruire iustitiæ in sanctificationem.

Exhortatio est ad studium nouæ uitæ, cui præfationem præmittit, qua extenuat id quod postulat. Testatus se humaniter Romanis & omnibus nobis fidelibus loqui, pro nostra scilicet imbecillitate, ut qui infirmitatẽ carnis nostræ agnoscat. Nihil enim amplius à nobis petere, q̃ ut ita seruiamus iustitiæ, sicut seruiuimus ante iniustitiæ. Eo uero magis prouocat ad studendum iustitiæ, quo facit æquius esse id ad quod prouocat: & turpius, si id quod tam æquo iure à nobis poscitur, negligeremus, plus deferentes peccato in nostram perniciem, q̃ iustitiæ in nostram æternam salutem. Sicut enim exhibuistis, &c. Rursus collatione utitur peccati & iustitiæ, & utriusq; fructus. Sic enim quemadmodum illius turpitudo & huius dignitas, tum illius damnũ, & huius fructus magis eluceſcit & eminet, ita ipsa collatio pro argumento est, incitandi ad studium iustitiæ, & odium peccati. Rationem primo inducit ab utilitate quam iustitia parit, tam in præsenti quàm in futuro. Studium enim iustitiæ hic quidem secum trahit sanctificationem, in futuro autem uitam æternam. Et à damno quidem rationem tangit, quod à peccato hic percipimus pudendam peruersitatem, in futuro uero mortem æternam. Quod enim sibi seruientibus peccatum uelut stipendiũ rependit, mors est: quod uero beneficium dei studiosis iustitiæ, uita æterna, parata tamen per Iesum Christum, non nostris uiribus, utcunq; cooperari has deo oportet. Membrorũ autem nomine, ut supra, omnes nostras & partes & uires intelligit. Enumerat autẽ species peccati. Quicquid enim peccamus, aut indulgentia peccamus malarum cupiditatum, & est immũditia: aut iniuria proximi, & est iniquitas. Vsurpat autem iniquitatis uocabulum, pro omni eo quod contra legem dei admittitur, cum addit Ad iniquitatem, ut iam & immunditiam sub se generaliter comprehẽdat. Sanctificatio autẽ nostri, est nostri ab omni uitæ impuritate purgatio, & in diuinam sortem cõformatio, quod à nobis dominus poscit. Sancti, ait, estote, quia ego sanctus

ctus sum, hoc est, absq; omni contaminatione peccati deo uiuamus.

Cum enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ. Quem ergo fru- 15
ctum habuistis tunc in illis in quibus nūc erubescitis? Nam finis illorum mors est.

Repugnāt peccatum & iustitia, quo fit ut si peccato seruire uelis, & eius patri diabolo, mundo & carni, necesse sit te liberum esse à iustitia, deo, & sanctitate. Et contra. Malum est autem à iustitia liberum esse, & destitutum sanctimonia, seruire q; peccato. Nam perniciem & cruciatum adferunt peccata, nō fructum. Interrogatione uero urget propriam conscientiam, quam eo testificari sibi facit, quum subiicit: In quibus nunc erubescitis? Est enim erubescentia testimonium animi sibi male conscij, & hac de causa dolor quidam. Damnat autem uehemēter, & mala ostendit studia prioris uitæ, eo quod affirmat ipsis qui illa admiserunt testibus, esse pudenda etiam, cum iamdudum per Christum abolita sunt. Nam ait: In quibus nunc erubescitis. Confessionem autem exitij sui ob peccatum, & pudēdi fructus, comprobat hac sententia consequenter. Finis, inquit, illorum mors est, hoc est, mortem adducunt non in futuro tantum, sed in præsenti quoq; sæculo: imò tum etiam, quum illis homines uidentur delectari. Vera siquidem uita exuunt, mentemq; pudore turpitudinis, quæ in illis est, & metu iræ diuinæ impendentis, exagitant ad res omnino indignas, & ad impias actiones. Huiusmodi ergo eos argumento petit: Nunquid quicunq; agunt, causa boni alicuius agunt? At uiuendo pro cupiditatibus carnis, ut antea uiuebatis, nihil q̄ mortem cōsequi potestis, id quod ipsi modo agnoscitis, imò sentitis, dum erubescitis ob illa quibus antea oblectabamini. Mors uero hæc in se cōtinet mala omnia, spoliat enim cunctis bonis. Vósne ergo contra omne hominum genus & naturæ ingenium ita uitam instituendam putabitis, quia liberi estis à lege, & degitis nunc sub gratia, ut ipsi uobis extremum accersatis malorum? Nihil profecto est à quo æque abhorrere debeat omnis Christianus, atq; à uolūtate peccati. Id est quod docemus, non cōtra.

Nunc uero liberati à peccato, serui autem facti deo, habetis fructum 16
uestrum in sanctificationem, finem uero uitam æternam.

Obiicit ad probandum non esse peccandum, triplex argumentum. Primum est, à collatione peccati cum deo. Si, inquit, maximū iam dei beneficium est, nos à peccato uindicatos esse, tyranno atrocissimo & pernicioſissimo, quomodo ergo poterimus respicere ad peccatum? Alterum argumentum, ab eo quod ipso recte uiuendi studio efficitur sanctificatione. Si, ait, seruire deo in se totam complectitur felicitatem, quî non huic uni incumberemus? Tertium à toto fine sanctæ uitæ, Si sancte uiuere absoluit nostram sanctificationem, reddens nos continue diuiniores, quid aliud studeremus? Si deniq; uita æterna, tota semel felicitas certo petitur & paratur, dum insistimus studijs pietatis, quæ res alia iam nobis in mentem ueniat, nedum peccatum, quod hæc omnia perdit & auertit? Nostra itaq; doctrina, nihil q̄ summum studium uirtutis, & totius iustitiæ inculcat, & uel sola omne peccatum funditus excindit.

Stipendia enim peccati mors, gratia autem dei uita æterna in Christo 17
Iesu domino nostro.

Repetit hanc sententiam, ut magis inculcet: probatione eius non indiget fidelis, sed à peccati nocumēto quantū potest auertitur & deterretur. Voluit aūt hoc dicto monere, non solum quod iustitia nostra omnis dei donum sit, nullis nostris

uiribus, sed sola ipsius gratuita beneuolentia nobis constãs, uerum simul eo ipso studium iustitiæ huius in nobis accẽdere. Cum enim res sit tam diuina, ut sine singulari beneficio dei cõtingere possit nemini, debet hæc tanta dei in nos dignatio, qui tam diuinum nobis munus contulit, & augere continuo in nobis quærit, iure nos excitare, ut huic dignationi dei respondere, & ad nostrã ipsorum salutem toto pectore cooperari studeamus. Addit, In Christo Iesu domino nostro, ut admoneat, huius merito ista omnia nobis parari, & beneficio cõferri, sicq; fidem in dominum nostrum, in qua tota salus & iustitia nostra sita est, pleniorem efficiat. Ea siquidem ut caput est nostræ restitutionis, ita summam illam Apostolus facit totius suæ & doctrinæ & exhortationis.

CAPVT VII.

1 ANignoratis fratres, sciẽtibus enim legem loquor, quia lex in homine dominatur quanto tempore uiuit.

Romanorum animos demulcet appellatione fratrum, defertq; eis scientiam legis, utroq; beneuolos reddit auditores, ut ueritati, quam docebat, essent æquiores. Ad hæc alieniorem se facit à suspicione animi iniquioris in legem, appellãs ipsorum iudicium tanquã doctissimorum in lege, eamq; indubie colentium. Magna siquidem pars in ecclesia Romana prima Iudæi erant. Lex, inquit, dominatur homini dum uiuit, scilicet homo: alij dicũt, scilicet lex. Sensus autem est, Lex non potest ius habere in hominem, nisi quandiu ille uiuit. Legem autem puto intelligendã legem Mosis, de quo Paulo hic est disputatio. Nam D. Ambrosius in illo, Scientibus legem loquor, de lege naturæ, & ciuilibus legibus Romanorum intelligit, præsentem uero locum de lege naturæ. Quod sequitur de lege matrimonij, id existimat desumptum esse ex lege euangelij, eo quod lex Mosis diuortium admiserit, euãgelium autem uetet. Verum institutum Apostoli hic esse uidetur, docere solutos esse fideles à lege. Hoc sic probat: Mortui soluti sunt legibus, uos mortui estis, ergo soluti estis lege. Maior, Scientibus legẽ, per se nota est, & cum eiusmodi hominibus erat ei in hac epistola negotium. Minor nititur communione Christi, qua & mortis eius participes facti sumus, in baptismo corpori eius inserti: huius enim cum membra sumus, mors eius nostra quoq; mors est.

2 Nam quæ sub uiro est mulier, uiuente uiro alligata est legi: si autem mortuus fuerit uir eius, soluta est à lege uiri. Igitur uiuente uiro uocabitur adultera, si fuerit cum alio uiro. Si autem mortuus fuerit uir eius, liberata est à lege uiri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio uiro.

Rationem prædictã facit simili dilucidiorem, huiusmodi deducens argumentũ, Lex mortua est, ergo lege estis soluti: nam simile est, Mulier nupta uiro, lege uiro ita cõstricta est, ut eo uiuo alij nubere nõ possit sine crimine adulterij. At mortuo marito, soluta lege est qua illi ligabatur, ita ut iam possit absq; crimine adulterij alij nubere. Huic utiq; simili subijciendum esse uidebatur, Itaq; & uos fratres mortua iam lege, soluti estis lege, & Christo recte coniungimini. Atqui Apostolus subiecit, Itaq; fratres mei, & uos mortui estis legi per corpus Christi. Noluit enim dicendo, Lex mortua est, offendere eos, quos quædam adhuc tenebat legis præpostera admiratio, nec dare occasionem calumniandi euangelium pseudapostolis. Attamen dum dixit, nos mortuos esse legi, id affirmauit, ex quo illud, mortuam esse legem, necessario sequebatur. Nam si nos iam legi nihil debemus, utpote ei mortui, nec lex habebit quicquã iuris amplius in nos, eoq; nobis lex esse desijt, & mortua est.

Itaq;

Itaq; fratres mei, & uos mortificati estis legi per corpus Christi, ut si- 3
tis alterius, qui ex mortuis resurrexit, ut fructificetis deo.

Ita colligere Apostolus uoluit, Si mulier lege matrimonij soluitur mortuo marito, multo magis soluetur ea si etiã moriatur ipsa. Iam nos ipsi etiam per corpus Christi mortui sumus, plenissimo itaq; iure lege soluti sumus: quia autẽ mortua muliere legi matrimonij, sequitur eam etiam legem mortuam esse mulieri, significabat Apostolus simul ex hoc simili: non dicit, cauens scilicet offensionem, etiam legem ipsam mortuã esse: ut ita duplici iure soluti lege simus, quia & nos illi mortui sumus, & illa nobis. Hoc est quod dicitur: Et uos mortui estis legi, hoc est, Id in uobis mortuum est, cuius causa ius legi in uos erat, corpus peccati, caro, ingenium deprauatũ: huic enim coërcendo, & eo pacto irritando, indeq; nos ad Christum medicum compellendo lex data est. Vbi itaq; Christus istum naturæ nostræ morbum, imò mortem sustulit, quam sustulit omnibus in se credentibus, uiuit siquidem in illis: nullus legis usus supereſt, dicimurq; nos mortui legi, et lex nobis, idq; per corpus Christi pro nobis in morte oblatũ, cuius nos iam membra sumus, ut dictum est. Vtcunq; autẽ dum peccati aliquid in nobis supereſt, legi hactenus obnoxij sumus, & peccatum nobis inhęret dum hic uiuimus, tamen in Christum si respicimus uera fide, ut ille se nobis in baptismate donauit totum: induti enim eo sumus in baptismate, ita iam totam uitam Christi cõcipimus, & ea tanquã perfecta in nobis fruimur. Idq; efficit, ut nos spiritui Christi totos permittamus, secuti nos non condemnandos per legẽ, sed in Christi saluãdos iustitia non nostra secundum legem. Sic ergo flagrabimus in nouam illam uitam dei, quæ libera professione fidei & exhibitione dilectionis deum glorificat, & homines iuuat, instinctu Christi, non coactione legis, citra scrupulosam illam & angustam iustitiæ rationem, quæ est in moribus & institutis gentis Iudaicæ. Hic nanq; Paulo scopus est, quo ista omnia collimat. Vt uero ipse ostenderet, se non dicere, nos in nobis lege solutos esse, sed in Christo, non dixit simpliciter nos mortuos esse legi, sed per corpus Christi. Vt sitis, inquit, alterius, qui ex mortuis resurrexit, cuius Christi spiritus domat & opprimit peruersas cõcupiscentias peccati, ne ab illis regamur uel superemur, id quod lex ipsa non potest cõficere, sed solus spiritus Christi, qui nos soluit ab imperio legis. Excitatus est autem à mortuis propter iustitiam nostram, quia animam suam impendit pro peccatis electorum, ideo debuit quoque dux esse uitæ electis uniuersis, & instaurator omnium quæ sunt in cœlo & in terra, declarauitq; hoc ipso pater, esse eum caput & seruatorem ecclesiæ electorum. Fructificamus autem Christo, cum ipsi homines adducimus, uerbis & factis ex spiritu Christi fluentibus. Istud uero est fructum adferre qui maneat, in quod dominus constituit nos, cum elegit de mundo. Sic fructificat Paulus Corinthios & genuit, iterumq; parturit Galatas. Regeneratio autem tum demũ perfecta erit, quando per omnia conformabimur imagini Christi, cum fuerit deus omnia in omnibus, &c.

Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum quæ per legem e- 4
rant operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti.

In carne esse, intelligit detineri ingenio carnis, quod est quoq; esse in lege, contrarium ei quod est mortuum esse legi, & à lege solutum esse. Eo uero quod alterum pro altero ponit, significat sibi idem pollere, esse in lege, & esse in carne, maxime si inter se componantur, in lege esse, ut hic fit, & esse in Christo. Nam extra Christum legi addictum esse, adeo seruitute carnis non eximit, ut seruitutẽ hanc

conduplicet, nullíq; magis in carne sint & uiuant, q̃ qui sine spiritu Christi in lege sunt, hoc est legis se imperio permiserunt, ut postea dicetur. Dicit autem, Passiones peccatorum quæ per legem. Non quod isti peruersi affectus peccatorum, ex quibus omnia peccata ueniunt, per legem primum existant in nobis, & non potius nobis innascerentur: sed spectauit id quod dum lex nos nõ urget, affectus isti peruersi qui in natura sunt, uelut mortui sunt, quatenus nimirum peccata generant, alioqui etiam sine lege modum nesciunt, & praui sunt. Etenim dum nulla agnoscitur lex, nulla sentitur contra legem repugnãtia, nihilq; proprie contra legem admittitur, eoq; nihil peccatur. Peccatum enim omnes intelligunt admissum contra legem. Hinc ergo dum lex abest, ignoratur peccatũ, & mortuum dicitur. Morbi itaq; & affectus peccatorum, per legem hactenus existunt, eo quod id quo peccati affectus sunt, hoc est legi repugnant, & impellunt ad faciendum quod damnat lex, per legem existit: quanquam in se quoq; illi hoc magis efferuescunt & furiunt istæ cupiditates, quo præsentis uim legis sentiunt, hoc est, dum lex agnoscitur, reuocans ab his rebus in quas ardent illi affectus. Et isti quidẽ affectus operabantur in membris nostris efficaciter, & prævalebant, ut ita in nobis ualeant prauæ cupiditates, ut bonum quod ex lege probamus & cupimus, non faciamus: faciamus autem malum, quod docti ex lege detestamur, quamlibet prohibiti, ut fructificemus morti. Affingit autem morti personam, ut non incommode pro satana hic, qui homicida est ab initio, mors posita esse credat. Dum nanq; maritus lex, nihil gignere deo potest, propter nostram sterilitatem & peruersitatem, adulter peccatum peruersum nostrum ingenium per innatas prauas cupiditates gignit filios morti & satanæ. Vt enim morti q̃ plurimum obnoxij reddantur impie uiuendo, sua omnia instituunt & exhibent, quibuscunq; peccatum dominatur.

5 Nunc autem soluti sumus à lege mortis in qua detinebamur, ita ut seruiamus in nouitate spiritus, & non in uetustate literæ.

Causam statim subijcit, mortui ei scilicet legi qua detinebamur. Detinet autẽ lex eos, qui legem agnoscentes, luctantur adhuc cum prauis cupiditatibus. His sanè perpetuò instat lex, prohibens & damnans quæ agunt, nam legi mente consentiunt, & tamen nunquam non contra legem agũt. Velut mulier, quæ bonum quidem maritum habet, & id agnoscat, quanquã ideo sui pudeat, quod se illi non totam accommodet, quæq; sibi ab eo timeat, certa, quod de se ille pœnas sumpturus sit, copiam tamen sui facit adulteris. Porrò ut participes facti sumus mortis Christi, ea morte peccatum ista uiolenta deprauatio ingenij, & furentes morbi reprimuntur & extinguuntur, ut iam non sit in nobis quod lex coërceat, multo minus quod condemnet, nec opus ea, ut ad iustitiam compellat, quo agit spiritus Christi, & quidem efficaciter, quod lex nõ potest. Ei ergo seruiamus & uiuamus, qui pro nobis mortuus est & excitatus, & pro omnibus ei seruiẽtes, à quo sumus empti admodum magno pretio. Nouitas autem spiritus est, quam spiritus Christi affert, innouãs omnia ad placita dei. Vetustas literæ, ea est uita, quam extorquet præceptum dei, in literis tantum descriptum & expositũ, non etiam insculptum animæ, quæ solida iustitia uacat, solaq; sibi placet hypocrisi. Quos enim litera legis rite in agnitionẽ suæ prauitatis inducit, eos ut facit diffidere sibi, ita cogit confugere ad Christum. Alios autem impellit, ut ceremonijs & alijs in speciem bonis operibus conscientiam utcunq; demulceant, non tranquillent, aut certe non penitus desperent, præcipitantes se in odium dei sempiternum, quod est gehenna.

Quid

Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non co- 6
gnoui, nisi per legem.

Dixerat Apostolus, nos dum in Christo uiuimus, esse mortuos legi: quo significauit, lege teneri, & in Christo uiuere inter se pugnare: inde uero colligitur, uiuere legi, idem esse atq; teneri peccato. Addiderat morbos peccãdi per legem existere, subingressam legem, ut peccatum inualesceret. Inde uideri poterat Paulum sentire, legem esse causam peccati. Hanc igitur obiectionem gemina usus interrogatione, dispellit, Quid dicemus? Lex peccatum est? Quasi uero hæc impia in legem dei blasphemia consequeretur ex dictis de lege. Ea igitur reiecta, exponit, quomodo per legem existunt & augentur peccata. Peccatum, inquiens, non cognoui nisi per legem. Lex ergo per se causa est, ut peccatum cognoscatur, non ut admittatur, & ostendit quidem etiam lex naturæ peccatum, quia & ipsa uoluntatem dei utcunq; cognoscendam exhibet, sed hæc ipsa animis nostris impressa recti agnitio, ex innata ingenij nostri deprauatione, sic est obliterata in omnibus qui per Christum renati non sunt, ut peccatum non plene indicet. Et peccatum quidem id est quo deus offenditur, ideoq; tum demum peccatum intelligitur uere esse peccatum, cum sentimus deum nobis offensum esse, deũ irasci, & pœnas minari. Proinde deus præter legem naturæ semper alias quoq; uoluntatis suæ interpretationes suis dedit. Primum, institutionem illam sanctorum, quæ absq; scripto per manus tradebatur in sanctis familijs, mox populo Israel per legem Mosis, & alijs gentibus per alias leges & præcepta recte uiuendi. Postremo per doctrinam & exhortationes seruatoris nostri Iesu Christi & apostolorum, indeq; ecclesiæ Christi, cui omnibus sæculis donat legis suæ interpretes. Hæ oẽs leges quatenus leges sunt, hoc est, diuinæ de nobis uoluntatis interpretationes peccatum produnt, arguunt & condemnant. Sed nulla earum legum satis, nisi quæ fide certa ut lex dei excipitur. Quanquam autem omnis lex uetans quod uere malum, & præcipiens quod uere bonum est, lex dei sit, & sæpe affiante spiritu dei peccatum solide cognoscere faciat, ut uisum est in Adam, Cain, & alijs multis, qui peccati conuicti sunt, lege Mosi nondum lata, uel literis manifestata, hoc tamen officium deus præcipue legi suæ detulit, quam per ministros suos Mosen, prophetas, filium suum, & ecclesiæ Christi secundum uerbum dei doctores offert. Paulus ergo legem Mosis hic adducit, non solum quod de ea ipsi esset hoc loci disputatio, sed etiam quia nulla alia ipsi eo temporis quo ista experiebatur, quæ hic confitetur, extabat, quæ ita potenter peccatum detegeret, cõuinceret & exagitaret. Cui & datum est, ipsi ut plane credatur eam esse legem dei, quam necesse sit firmam stabilemq; manere, transeuntibus cœlo & terra. Sic ergo uerum est, Peccatũ non nisi per legem, & eam certa persuasione ut legem dei agnitã plene cognosci, hoc est, ut sentias tibi ob id deum infensum esse, & te iure optimo punire in præsenti sæculo & futuro.

Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces. 7

Probat peccatum non cognosci nisi per legem, quia concupiscentia non nisi per legem cognoscitur peccatum esse, qua ignorata, peccatum ignoratur, cum in peccato hoc præcipuum sit, quod animus fertur contra deum, & eo oblectatur, quod est deo abominationi. Hinc teste Augustino, nullum peccatum nisi concupiscendo cõmittitur. Hic uero ostendit Apostolus, q̃ obliterata sit lex naturæ, nã alioqui concupiscentiam malam esse, haudquaquã ignoraremus. Vtiq; lege naturæ agnoscimus, deum debere à nobis toto corde diligi. Iam quis nesciat, sum-

mum hunc dei amorem omnem excludere affectionem, quæ feratur contra placita dei? Sed ita obtinuit amor sui, & omne genus cupiditatum, ut pro nihilo habeamus, animum moueri ad ea quæ praua sunt, damnatarumq; rerum cupiditate titillari, si tantũ non consentiamus in praue gerenda, neq; ea molíamur, donec nos dominus legis suæ admonitione externe administrata excitet, & doceat peccatũ esse, hoc est, dei offensam nobis ínæternum exitiosam esse, uel quouis modo afficí in ea quæ deus uetat. Cum enim nihil bonũ sit, nisí quod deus uult, decet utiq; animos nostros totos rapi in ea quæ deus iubet, & abhorrere ab ijs penitus quæ deus prohibet. Istud itaq; dum lex requirit, admonet nos q̃ simus ingenio perdito, quod perpetuò pugnet cum ingenio dei, qui solus bonus est. Apostolus itaq; adducto hoc de concupiscẽtia præcepto, plene demonstrauit, legi proprium esse, peccatum prodere, nec posse illud absq; legis iudicio plene cognosci. Hoc generalí præcepto Apostolus est omnía complexus, cum sit tanquam uox legis ab omni peccato prohibentis, radicem siquidem peccatorum excindit, naturæ peruersitatem illam unde nobis mala adlubescunt, etiam cum ea fugimus totis uiribus.

8 Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.

Ingens naturæ nostræ deprauatio, quæ à lege dei, quæ uocat ad iustitiam, ad uitam, ad salutem, occasionem accipit, se furiosius præcipitandi in omnem iniustitiam, mortem, gehennam. Cumq; à prauo desiderio reuocatur, eo ipso amplius illo inflammatur. Morbus certe exitialissimus est, qui ipsa quoq; remedia sibi in fomenta conuertit. Quis ferat eiusmodi iumentum, quod eo plus retro currat, quo plus impellatur ad procurrendum? Quis eum sustineat filium, qui ad singula recte monita studium peruerse uiuẽdi ardentius intendat? At nos sic sumus aduersus deum, cuius toti sumus, & qui nihil nobis q̃ quæ eximie salutaria sunt præcipit, semper nitimur in uetitum, cupimusq; negata. Vere itaq; peccatum in nobis hoc est perditum ingenium, à lege accipit occasionẽ excitandi in nobis omnímodam cupiditatẽ. Vbi inquit Augustinus, Sanctus spiritus non adiuuat, inspirans pro concupiscẽtia mala concupiscentiam bonam, hoc est charitatem diffundens in cordibus nostris, profecto illa lex quamuis bona, auget prohibẽdo desiderium malum: sicut aquæ impetus, si in eam partem non cesset influere, uehemẽtior fit obice opposito, cuius molem cum euicerit, maiore cuniculo præcipitatus, uiolentius per praua uoluitur. Nescio quo enim modo hoc quod cõcupiscitur, fit iucundius dum uetatur. Hæc Augustinus 4. de Spiritu & litera. Quàm immanis ergo hic ingenij nostri furor sit, cõmoda sanè uehementia expressit, scribens, per mandatum efficere omnem concupiscẽtiam, hoc est absolutam plenam & perfectam excitare & incẽdere. Nec illud sanè sine emphasi scripsit Apostolus, In me. Cum nanq; præ multis coætaneis legi dei à puero Paulus studuerit, & secundum iustitiam quæ in lege est, fuerit irreprehẽsibilis, certe apparet hinc maxime, q̃ horrendum sit illud malum uitiatę originis, quod peccatũ in tanto uiro, & legis dei adeo studioso tam multum ualuit. Suam enim de seipso experientiam hic prædicare Apostolum Augustíno uidetur, nam hoc amplius atrocitatem huius mali exaggerat, quod scílicet in seipso etiam grassatum adeo testatur.

9 Sine lege enim peccatum mortuum erat.

Abest lex, & uiuit homo sine lege, dum non urgetur lege iam cognita. Sic alí quando uiuebat Apostolus, in prima scilicet ætate, in qua uim legis diuinæ nondum satis percipiebat. Nam aliquousq; etiam in ea ætate urgebatur non solũ lege naturæ,

naturæ, sed etiam dei, quantum scilicet ea à parentibus & moderatoribus ingere batur, sed tenuis adeo erat ille legis diuinæ intellectus, quem tamen percipere po tuit, ut nondum posset dici esse sub lege. Dixit ergo se tunc fuisse sine lege. At ue ro cum lex uirtus peccati est, consequebatur, ut tum peccatum in eo iaceret ac mortuum esset. Vocat enim mortuum, quod se non mouet: sicut uiuere dicitur & esse, quod seipsum mouet. Vt autem peccatum tum demũ uere cognoscitur, quando ut offendit deum cognoscitur: ita uiuit etiam peccatũ in nobis, cum uim suam exerit, & sentitur ut offensa dei, ut exitiosa repugnantia contra bonam do mini uoluntatem, quam uelimus nolimus optimam & solam salutarem agnosce re oportet.

Ego autem uiuebã sine lege aliquando, sed cum uenisset mandatum, 10
peccatum reuixit.

Ignorantur ista, dum lex nõ urget rite cognita. Praue quidem uiuitur, at nec tam furente contra legem dei impetu, nec tanto diuini iudicij terrore. Itaq; iacet peccatum, & est quodammodo mortuum, homo uero liber illo gehennæ sensu, gustuq; mortis æternę uiuit, id est quanquam stulta & pernicioſa securitate intre pidus, tamen præsentibus bonis fruitur, dum hanc securitatem lex perturbarit. Vnde dixit: Ego uero uiuebam sine lege. Quo non hoc solum dicere uoluit, se ali quando uixisse absq; lege, sed potius se tum quando sine lege erat uixisse. Vnde & subiecit: Vbi uero uenit præceptum, peccatũ reuixit, ego uero mortuus sum. Sic enim comparatum est inter nos & peccatum, ut illo mortuo, nos uiuamus: & uiuente illo, nos moriamur. Cum ergo uiuẽte peccato, necesse sit nos mori, & lex omnino faciat uiuere peccatum, dicitur lex consequenter nos occidere, quod ta men accidit, non legis, sed nostri ingenij uitio sic peccato perditi, hoc est, per acci dens, non per se, ut dictum est.

Ego autem mortuus sum, & inuentum est mihi mãdatum quod erat 11
ad uitam, hoc esse ad mortem.

Hinc scribit Apostolus Galat. 2. Per legem legi mortuus sum. Lex enim uel mandatum facit uiuere peccatum, quo peccato uiuente, nos morimur, quando iam uiget in nobis sensus offensæ dei, succendentis nobis gehennam. Sic autem mortuos pater cœlestis suscipit uiuificandos, trahitq; nos ad filium suum: quem cum amplectimur uera fide, mors & crucifixio eius nostra fit: qua cum peccato satisfactum est, occiditur peccatum, & uiuificamur nos uita Christi, uita quæ est ex fide filij dei. Ea uita sic ualet spiritu Christi, ut quoties occidimur peccatis à le ge exagitatis, atq; eo pacto in uitam suam excitatis, illico ad Christum profugia mus nostrum uiuificatorem, in quo uiuentes, ita agimur ad omnia quæ sancta, iu sta ac pia sunt, ut pædagogia tam multiplici legis non amplius opus habeamus. Ita per legem compellentem nos ad Christum, morimur legi: & qua parte conde mnat continuo peccata nostra, & qua externã uitam formabat suo modo & tem pore. Ad hanc salutarem mortem, qua ut peccato, ita & legi morimur, mors illa ducit, qua morimur per peccatum, lege in nobis uiuificatum, si tamen adsit spiri tus Christi. Nam quibus hic spiritus deest, hos peccatum lege exagitatum inæter num perimit in desperationem adductos. Id quod Cain & Iudæ usu uenit. Sem per itaq; peccatum lege uiuificatum occidit, sed alios in salutem, ut ad Christum confugientes, moriantur peccato & legi, & uiuant deo: alios in sempiternam per niciem, cum Christum ignorantes, qui ab hac morte solus liberat, aguntur terro ribus diuini iudicij à lege excitati in desperationem. Et est data nobis lex ut uiui

ficaret, & uitã dei doceret, cedit autem nobis in mortẽ uitio noſtri ingenij, quod magis inflammatur malorum cupiditate, quo per legem clarius reuocatur ab omni malo.

12 Nam peccatum occaſione accepta per mandatum, ſeduxit me, & per illud occidit.

Deprehendi ego & expertus ſum legem datam mihi, ut ex ea diſcerem & perciperem uitam dei, quæ ſola uita eſt & beata, cedere mihi in mortem, non illius uitio aliquo, ſed uitio deprauati animi & ingenij mei. Simul enim atq; lex dei cognita eſt, iudicium dei intentatur hoc grauius, quo peccamus iam non ſolum maiore conſcientia recti, bonæq; dei uoluntatis, ſed etiam maiore prauæ cupiditatis furore, qui ſcilicet ad prohibitionem legis in nobis efferueſcit. Sic occidit nos peccatum per legem, idq; nos circumueniendo & fallendo, dum lege quæ per ſe ſalutifera eſt, & ut uitam afferat data eſt, abutitur iſto modo in perniciem noſtrã, quæ utiq; portentoſa fallacia eſt.

13 Itaq; lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & iuſtũ, & bonum.

Cum poſtremo oſtendiſſet, nos id malum quod à lege accipimus peccato debere, concludit, prædicans legem ſanctam, quę non niſi ſancta præcipit, æqua ac commoda, quo plenius ſcilicet à ſe depelleret omnem ſuſpicionem animi, de lege dei non pie iudicantis.

14 Quod ergo bonum eſt, mihi factum eſt mors? Abſit. Sed peccatum ut appareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortem, ut fiat ſupra modum peccans peccatum per mandatum.

Altera occupatio eſt calumniæ, quaſi dixerit, legẽ dei nobis eſſe cauſam mortis: eam ut excutiat aptius, offert confidentius interrogando de bono, nõ de lege, dicens: Si lex ex ſe bona eſt, & tamen lege occidimur, ut ais, ſequitur, id quod bonum eſt, fieri nobis mortem, id eſt mortiferum. Minime autem cohærere uidentur, præceptum dei bonum eſſe, & cedere ad mortem his quibus proponitur. Reſpõdet ergo huic obiectioni, Peccatum, inquit, infert mortem, quod à nobis committitur, non lex quæ nobis obſeruanda à deo proponitur. Accipit enim peccatum, quod in nobis eſt, occaſionem à lege, ut irritetur & odiat legem, ſicq; perdamur. Hoc autem fit, ut manifeſtetur peccatum illud nobis mortem operans, per id quod bonum eſt, ut tanto maius fiat peccatum, quanto lex diligentius admonet, & ardentius à praue uolentibus ſectari concupiſcentiam odítur. Vnde procedit nihilominus duplex nobis utilitas, ut & grauiſſimi peccati noſtri conuincamur, qui abſq; lege agnita malum noſtrum ignoraremus: & ut diffiſi penitus nobis, imò occiſi in nobiſipſis & damnati, Chriſto domino nos totos contradamus. Nam Chriſti beneficium, qui ſaluat homines ſuos à peccatis, agnoſcere rite non poſſumus, ignorato quàm ſimus in nobis perditi. Ipſum peccatum, id eſt deprauatum ingenium naturæ noſtræ, dicit fieri ſupra modum peccans, ita ut paulò poſt dicat, id q̃d ipſe male facit, non ſe, ſed hoc ipſum in ſe habitãs peccatũ facere. Voluit his loquendi formis, originalẽ labem uimq; illã exitioſam, qua à puero ad mala rapimur, quaq; lege dei ad uitam rectam reuocãti furioſius, in mala omnia ruimus, magis prodere & exhibere plene cognoſcendam.

15 Scimus enim quia lex ſpiritualis eſt.

Probat cauſam exitij quã ex lege percipimus, legi nulla ex parte adſcribi poſſe. Quicquid, inquit, per ſe uiuificat non poteſt eſſe cauſa mortis, at lex ex ſe uiui-

ficat,

ficat, ergo non potest esse causa mortis. Omnes enim sancti confitentur & sentiũt legem esse spiritualem, ergo & uiuificã esse oportet. Spiritus enim natura sua uiuificat. Ioan. 6. Caro nõ prodest quicquam, spiritus est qui uiuificat. Loquitur autem hic Apostolus de spiritu sancto, cuius proprium est uiuificare electos suos. Is iam testatus est se in lege sua uitam proposuisse, non mortem, nisi per actus malitiæ humanæ & carnalis contumaciæ. Scribit enim Moses, se Israeli uitam & bonũ in lege proposuisse, uicturosq; illos si legi studuissent. Et dominus ipse, Si uis ingredi in uitam, serua mandata. Præceptum ergo dei quod ad uitam datum est, hic confertur carni quæ obnoxia est morti. Vt eẽ dixerat, Lex spiritualis est, sub iecit: Ego autem carnalis sum. Hoc perinde est, ac si dixisset: Lex uim spiritus, id est uitam in se habet & adfert: ego autem ab imbecillitate & morte carnis teneor, ut uitam eam non ualeam percipere, quin potius uocatus à lege ad uitam, incuram tanto impotentius in mortem. Hæc ergo lex cum spiritualis est, docet & admonet quæ spiritus sunt, uitam scilicet in deo per fidem certam, in proximum dilectionem, & quæ sunt sanctæ nouitatis per spiritum huiusmodi omnia. Quin & suo modo confert, cum spiritu dei administrata, & cordibus inscripta, incitat & hortat̃ ac urget ad uera bona, deo placentia & grata, si scilicet spiritu Christi mente renouata percipitur. At quia data est lex, ut ad uitam æternam restituat & saluet: ita uiuificare, præstare sapientiam, restituere, illuminare, & quæ huiusmodi sunt, legi tribuũtur in scripturis simpliciter, & hinc eam Apostolus supra bonam hic spiritualem uocat. Ista autem quæ iam dicta sunt, legem augere peccatum, occidere, condemnare, dicuntur per accidens, dum spiritus ab ea secluditur mente, quæ legem audit, & pro carnis concupiscentia odit magis.

Ego autem carnalis sum, uenundatus sub peccato. Quod enim ope- 16
ror non intelligo; non enim quod uolo bonum, hoc ago; sed quod odio malum illud facio.

Anticipatio est obiectionis huius, Si lex est spiritualis & uiuifica, unde ergo quod nobis cedit in mortem? Respõdet, Istud inde est, quod ego carnalis sum, & naturæ iam deprauatæ, in qua dominatur mihi peccatum, id est uis quædam pernicioſa, reuocãs ab omnibus bonis, & impellens ad mala quęuis. Hæ causæ sunt, ut lex ex se uiuifica, & in uitam data, mihi tamen cedat in mortem. Caro, id est natura peccato originali deprauata, & exinanita suo modo deo, admittit hoc malũ. Peccatum, id est illa exitiosa uis deo aduersaria, potestas satanæ, efficit illud, non lex dei immaculata, sapientiam præstans paruulis. Addit, Venundatus sub peccato, quod altera causa est mortis, quam & exaggerat similitudine imperij in recemptum mancipium. Dum enim non toti sumus innouati spiritu Christi, peccatum abstrahit inuitos etiam, ab agendo quod rectum est, impellitq; ad agẽdum quæ mala sunt. Istud autem probat, cum ait, Quod enim facio non intelligo, non probo, non habeo ut opus meum, non agnosco. Hoc autem probo per id quod sequitur, Non enim quod uolo id facio, sed quod odi id facio. At qui non potest facere quod libet, & compellitur facere quod auersatur, is utiq; non est sui iuris, & impellitur ab alio. Atqui peccatum inuitos nos depellit à recto quod uolumus, & impellit ad prauum, quod detestamur. Tyrannus igitur noster peccatum est, nos illius quasi empta mancipia.

Si autem quod nolo illud facio, consentio legi, quoniam bona est. 17
Nunc autem iam nõ ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.

Iam colligit, non nos, sed peccatũ quod in nobis est & dominatur, facere quæ

mala sunt. Ex quo pręterea inferendum esse significat, Si nos quæ mala sunt ideo non faciamus, quia consentientes legi dei illa odimus, multo minus dici posse, à lege illa fieri, quæ eorum nobis odium ingerit. Nemo siquidem agnoscitur ea facere, quod non suo arbitrio facit. A natura enim est actionis humanæ, proprio iudicio & sponte in actionem ferri. Cum itaq; de se uere testari potuit, se non facere quæ uult, & facere quæ odit, recte intulit, ea se proprie non facere; quæ tametsi faceret, oderat tamen, sed peccatum potius ea facere, quod tyrannus est, carni insidentem & dominantem. Se uero plane odisse quæ mala faciebat, eo profitetur, dicens, Consentio legi, quod bona est. Hic consensus faciebat, ut probaret quæ lex iubet, abhorret ab ijs quæ lex uetat. In bonum siquidem natura ferimur, si nobis cognitum sit. His uero innuit, cum nos nõ recte dicamur peccata facere, quæ admittimus tamen, eo quod illa detestamur, multo minus quæ peccamus posse imputari legi; quandoquidem lex illam nobis malorum detestationem ingerit, propter quam nobis ea tribui non debent. Sed inhabitans in me peccatum, cum non à lege modo, sed etiam à seipso causam praue admissorum, atq; ideo mortis remouisset, consequens erat, ut causam horum ueram æderet. Hanc ergo dicit peccatum esse, ingenium illud malum, & uim peruersam, quæ nos per omnia agit contra deum. Hanc exitiosam uim dicit in se habitare, hoc est, se penitus occupare & sibi dominari, uti solent qui sunt domi suæ in sede & domicilio proprio. Apostolus & omnis scriptura hac metaphora inhabitationis frequẽter utitur. Et certam ferè ac solidam præsentiam eius quod inhabitare dicitur per eam significat, plerunq; etiã dominium. Cum dominus pollicebatur populo Israel, se habitaturum in medio eorũ, promittebat pleniorem præsentiã opis suæ. Ita ubi Ioannes euangelizat, Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, exhibitionem ampliorem uirtutis diuinæ intellexit, quam exhibuit dominus noster nobiscum in carne conuersatus. Sic cum dominus patrem & se mansionem nobiscum facturos promittit, & Paulus nunc Christum dominum, nunc spiritum sanctum habitare in nobis prædicat, aliud non intelligit, q̃ solidiorem & efficaciorem diuinitatis cõmunionem. Sic peccatum inhabitare in nobis, est illud penitius & potentius insidere nostriq; dominari, hoc est, uirus suũ præsentius ac plenius in nobis explicare.

18 Scio enim quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum.

Probat quod modo dixit, Peccatum in se inhabitans facere quæ ipse mala admitteret. Cum enim confirmat, non inhabitare in se bonũ, eo ostendit locum esse in se peccato, ut mala quæuis efficiat, plenecq; regnet. Cum eñ in nobis id q̃d bonum est, nihil potest, nihil est quod peccato repugnet. Dominatur igitur id libere, & in perniciem nobis omnia uertit. Dicens autem, Scio uel Noui, plus significat q̃ dicit, nempe se nimium compertum habere & exploratum, nihil in se boni ualere. Non enim solum nõ habitat in me peccatum, sed etiam nõ habitat in mea carne bonum: nam scio naturam meam, iuxta hominem loquor, ita uitiatam originali lue, ut quamuis spiritus dei aliquid reuelauerit, & cõcesserit uelle, quia bonum cognitum & deo gratum, tamen oppugnat caro, rebellis spiritui, desuntq; in carne uires ad perficiendum, nisi idem spiritus quoq; perficiat quod inspirat, contra uoluntatem carnis & sanguinis fomitem opprimendo.

19 Nam uelle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Non enim quod uolo bonum hoc facio, sed quod nolo malum hoc ago.

Probat quod iam affirmauit in se nihil boni inhabitare, hoc est, obtinere & ualere, & simul præsumit obiectionem huiusmodi: Dicebas modo, Consentio legi,

quod

quod bona est: inhabitat ergo in te bonum, non peccatum. Quę ad hanc obiectio
nem responsio inest hisce uerbis, sic habet: Fateor, hoc boni mihi contigit, quod le
gi consentio, ea bona est, talemq; agnosco, dissentire igitur ab illa nō possum. Sed
cum hic consensus in mente hæreat, carnem meam non peruadat, sic ut contra-
rium faciam eius quod mente probo, Velle adiacet quidem mihi, sed nō inuenio
in me, ut quod ex consensu legis recte uolo, & bonum esse agnosco, etiam perfi-
ciam. Hoc uero rursus probat ex effectu, Non enim quod uolo bonum hoc facio,
&c. Cum enim à nobis nihil boni & tantum quod malum est perficitur, id sanè ar
gumentum est, nullam quoq; esse boni faciendi maliq; uitandi facultatem. Nam
si huius facultas esset, quando consentientes legi uolumus quod bonū est, & odi-
mus quod malum, ab hoc utiq; abstineremus, & illud faceremus. At diuersum fit
à nobis semper.

Si autem quod nolo illud facio, iam non ego operor illud, sed quod 20
habitat in me peccatum.

Cum sit igitur in nobis nulla facultas recte faciendi, & non habitet in carne
nostra bonum, potestq; in ea omnia inhabitans peccatum, manifestum fit, hasce
duas causas esse nostræ perditionis, naturæ nostræ uanitas, & ualentem in ea o-
mnia uim peccati: adeoq; nihil nostræ perditionis imputari potest legi per se bo-
næ & sanctæ, ut ipsi quoq; dum legi consentimus, quod malū est detestamur, non
possumus dici facere mala ea, quæ tamen admittimus, sed dicendū est, peccatum
illa facere, cui sumus uenundati, quodq; in nobis inhabitans peccatum potest &
facit omnia. Vbi nobis obseruandum, quantum donum dei sit, uel mente repu-
gnare peccato. Quod enim Paulus hic ait: Ego illud non facio, hoc deus per Chri
stum filium suum ratum habebit, neq; nobis imputabit, tantum ad ipsum confu-
giamus omni momēto summo studio, & simul cogitemus, in quibuscunq; hacte-
nus uita dei cœpit, eos per Christum tandem uindicandos esse omni malo: expe-
ctemus itaq; in eis tempus quod constituit pater, diem salutis, quem Christus sibi
præscripsit, & subseruire Christo, in uindicandis illis ad omnem occasionem stu-
deamus. Detestari aūt malum, ideo quia malū est, & quia deo displicet, & ab ipso
uetitum est, argumentū est salutis, quod in nobis & alijs optima spe excipere de-
bemus, & inde in Christum fortiter sperare.

Inuenio igitur legem, uolenti mihi facere bonum, quoniam mihi ma- 21
lum adiacet.

Exponit latius, propria sua experientia, deprauationē humani ingenij, quan
do atrox ualde malum est, & latissime patens uitium hoc originale naturæ depra
uatæ per peccatum primorum parentum, ut nos ad mala quæuis rapiat, etiā dum
legem cognoscimus & amamus, & hinc omnia mala detestamur & bona expeti-
mus, hinc legis nomine hanc uim peccati exprimit. Sic autem intendere uidetur
Apostolus, Volenti mihi facere quod bonum est, iuxta doctrinam legis diuinæ,
statim deprehendo legem, id est uim illam peccati in me adeo prævalentem, & le
gis potestatem exercentem, ut adiaciat mihi malum, hoc est, in omni mea actione
obtineat & primatum sibi uindicare conetur. Hoc est, iuxta superius dicta, uelle
quidē se quæ bona sunt, idq; ex lege, & tamen ui peccati originalis sic agi se trā-
uersum, ut faciant quæ mala sunt. Legem simpliciter hic dixit, statim autem cum
de lege dei loqui uoluit, expressit id dicens: Condelector legi dei, &c. quibus ex-
ponere uidet quod dixerat sicut in genere ita obscurius: quasi dixisset, Dico me
inuenire legem, quæ sic imperat uolenti bonum agere, ut malum semper adsit.

22 Condelector enim legi dei secundum interiorem hominem.

Hac ratione, ut diximus, probat se uelle facere bonũ: auget uero omnia commorãdo, ut animo inardescat. Dixerat antea, Consentio legi, nunc dicit, Condelector legi dei: de alia lege loqui incipiens, in qua delectatur secundum internum hominem. Totus autem homo mente & ratione regitur. Vt autem mens & ratio sequitur, nunc internum lumen dei, nũc cupiditatem ab externis rebus excitatam, quæ & uiget in corpore externa parte hominis, hinc Apostolo internus homo & externus, nouus & uetus dicitur. Internum & nouũ hominem uocat, cum prævalet interna illuminatio mentis, & innouator nostri spiritus Christi. Externum & ueterem, cum prevalet mens carnis, quæ sectatur externa, & quę sunt ingenij nondum renati, id est ueteris, eius quod trahimus à parentibus. In utraq; autem appellatione totus homo, anima & corpus, interne & externe, & uires & facultates continentur. Dum enim hic degimus, caro facessit negotium spiritui, ut sit perpetua inter eos pugna, ex quo iudicium corruptum carnis in nobis semper conatur prævalere, nisi præsente spiritu Christi reprimatur.

23 Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.

Hæc uis satanæ est, rapiens nos & detorquens in ea quę deo abominationi & nobis exitio sunt. Ea in membris nostris, id est, omnibus partibus atq; uiribus obtinet à peccato originali. Agit autem & regnat in omnibus, qui uerbo dei obedire recusant. Lex autem mentis est, uis recti inspirata diuinitus, secundum quam ea quæ decẽt uidere, iudicare & cupere datur, tametsi efficere ea subinde non ualeamus. Hæc uis debebat uitam nostram totam regere, esseq; lex actionũ nostrarum omnium. Verũ dum non adest amplior illa uis spiritus Christi, quæ primum à glorificato Christo cœpit existere publicitus, uis illa satanæ sic dimicat contra hanc uim bonam mentis, quæ est ex spiritu illo puerili, spiritu timoris temporilegis attributo, ut uincat eam identidem, & uictrix nos plane captiuos addicat legi peccati, hoc est peruerso iudicio, sensui reprobo, prauæ cupiditati. Quatuor hoc loco leges Apostolus nominat, Lex spiritus, est uis illa potentior Christi, nos plenius restituentis q̃ ante aduentum Christi. Lex dei, est expositio mentis diuinæ, siue sacris literis expressa, siue animis inspirata. Lex mentis, uis iudicandi est & eligendi secundũ legem dei. Lex illa dimicans, & nos captiuos addicens legi peccati, id est lex satanæ, uis & potestas satanæ est, quam in nos habet à peccato originali, quaq; princeps mũdi dicitur. Lex peccati, peruersum in rebus iudicium, & nimia peccandi libido.

24 Infelix ego homo, quis me liberabit de cõrpore mortis huius? Gratia dei per Iesum Christum dominum nostrum.

Dum mala nostra memoramus, naturaliter dolorem nobis cõmouemus. Vbi itaq; Apostolus copiose explicasset uim peccati in se prævalentẽ legi dei, exacerbato dolore exclamauit, Miser ego, quis me liberabit, &c. In morte erat Apostolus, & quod hic corpus mortis dixit, superius dixit corpus peccati. Est autem uetus & externus homo, deprauatum & peccato addictum ingenium, in corpore maxime uigens. Dum enim tenet nos captiuos, & agit quò libet uis illa peccati, & lex dei agnita cõtra intentat iudicium dei, sentimus nosipsos præcipitari in gehennã, &, ut ille ait, prudentes scientes, uiui, & uidẽtes perimus. Hoc uero quid aliud uocemus q̃ mortem? Porrò hac interrogatione urget confessionem huius, nec legem nec quicquam esse quod hac morte nos liberet, eoq; ad solũ Christum confu-

confugiendum esse docet, dicens cõsequenter: Gratias ago per Iesum Christum. Sic diuersi & uarij affectus sunt in sanctis, pro consideratione rerum diuersarum & contrariarum. Dum Apostolus cõmemorando expenderet, ut sæpe cum peccato misere conflictasset, uidebat iam sibi in ea conditione adhuc laborare, proq; sensu mortis istius de ea exclamat. Mox autem ut extulit se in considerationem beneficij Christi quod acceperat, exultauit animo, & in contrariam exclamationem nimirum gratulationis erupit. Per dominum Iesum Christum agit gratias, quia per hunc mediatorẽ accipimus omnia. Ingens hic affectus sermonem præcidit, nec enim exprimit pro quo gratias agit. Scopum hic Pauli discamus, quẽ semper intendamus, Fidem in Christum solum iustificare, huc præmissa omnia faciunt. Nam si natura adeo perditi sumus, ut lex etiam cum recepta est, cum ei fides habita est, cum ei cõsentimus, imò cõdelectamur, adhuc non ualet superare hoc malum nostrum, imò nostri ingenij uitio id etiam exacerbat, Christus autem sibi credentes malo isto penitus liberat: quis non uideat, non legem, sed solã in Christum fidem iustificare, & non legem, multo minus quicquam aliud? Nam si lex, quæ adeo mentem dei communicat, nos iustos reddere non potest, quid uspiam sit quod id ualeat? Ergo sola nos fide in Christum iustos euadere necesse est.

Igitur ego ipse mente seruio legi dei, carne autem legi peccati. 25

Cõclusio est eorum quæ præmisit ante duas istas exclamationes. Mirabile est autem dictũ, Idem ego mente seruio legi dei & legi peccati. Non dicit, Subinde assentior, sed Seruio. Nunquam enim non mens illa inspirata diuinitus, qua legi condelectabatur, non auscultat legi dei. Ita ut mens carnis, quam hic carnem uocat, nunquam non audiat prauum iudicium, & libidinem hinc ardentem. Ex his autem locis discendũ, quanta sit in nos uis satanæ, quàm perditi sumus à peccato originali, quàm addicti & serui peccato, dum nondũ in plenam libertatem spiritus adserti sumus. Hæc autem uis nobis lex est, sed carnis, & tenet captiuos, quandiu nos Christus nondum liberauit. Hanc nostram miseriam agnoscamus oportet, quam tot uariatis modis loquẽdi Apostolus inculcat. Rarissimus autem est, qui ex consideratione & sensu mortis huius sic afficitur, ut hic uidemus affectum fuisse Apostolum: at nunquã non nobis exclamandũ erat, O me miserum, quis liberabit me à corpore mortis huius? Sic autem Christus nobis uere quæreretur, plenaq; fide reciperetur.

CAPVT VIII.

Nihil ergo nunc damnationis est his qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant. 1

Descripserat Paulus conditionem in se spiritus legalis, hoc est, animi legem scientis quidem & amantis, sed ex infirmitate spiritus ægre quæ bona nouit sectantis. Nunc autem in se describit conditionem euangelici animi, iam uim peccati plenius superantis. Vnde nobis discẽdum quid cuiq; eueniat, qui in altera harum fuerit conditionũ. Christus autem eos qui sunt in se, hoc est, à Christo pendent, eiusq; spiritu aguntur in omnibus, liberat à corpore mortis huius, quia liberat à lege peccati, ne peccando in condemnationem incidant. Non quidem ut iam nihil peccent qui in Christo sunt, aut quod ideo condemnationem euadant, quod sua ipsi id iustitia mereantur, gratia enim seruamur, sed dum Christus eum donat spiritum, quo peccata aliquatenus uitamus, & legi eius studemus, multo cẽ antea promptius & certius. Hic spiritus argumento nobis est, & testimoniũ perhibet nostro spiritui, deum esse in nos animo paterno, & peccata

noſtra nobis nõ imputaturum: id autem ex ſua miſericordia, & propter mortem filij ſui. Deinde qui in Chriſto ſunt, caro Chriſti ſunt, & ſpiritu eius ad ipſius imaginem ſic reſtituentur, ut tandem deus ſit in illis futurus omnia. Vere itaq; nulla manet hos cõdemnatio, à peccato em̃ ſolo condemnatio eſt. Quod addit, Non ſecundum carnem ambulantibus, ſed ſecundum ſpiritum, accipi poteſt dupliciter: uel ut ſit ratio eius q̃d dixit, nihil eſſe condemnationis ijs qui ſunt in Chriſto: uel, ut ſit conditio & explicatio eius quod dixit, Eſſe in Chriſto, id eſt, Chriſto adhærere, Chriſto credere. Nam qui ſecundũ ſpiritum ambulant, non poſſunt eſſe obnoxij condemnationi. In Chriſto autem eſſe cõtingit dupliciter. Alij enim uiua ac ſolida fide inſunt Chriſto, & hi ambulant ſecundũ ſpiritum: alij uana quadam & otioſa opinione, & iſti ambulant ſecundum carnem, fruſtra Chriſtum profeſſi.

2 Lex enim ſpiritus uitæ in Chriſto Ieſu liberauit me à lege peccati & mortis.

Inſtituit hoc capite oſtendere Apoſtolus, quomodo ſpiritus Chriſti adſit omnibus Chriſto uere credentibus, ipſoſq; iuſtificet, & ut iuſtos habeat, ſi fide nitantur in deum per Chriſtum: unde & ſimul docet, ſolam fidem in Chriſtum iuſtificare, quia ſola fides reddit adoptionis gratiam, ſpiritumq; amãdi & zelandi ueram iuſtitiam. Ex quo ſpiritu fructus prodeunt legitimi & ſalutares operum ſpiritus, ex quibus fructibus aduertere liceat, ſi uere in Chriſto ſint. Probat ergo hic conſequenter id quod dixerat, eos qui in Chriſto ſunt non ſubiacere condemnationi, hoc pacto: Virtus & lex ſpiritus, hoc eſt, inſtinctus ad omnia ſacra & deo placita, liberauit omnes qui in Chriſto uere ſunt à lege peccati & mortis, ut non illis imputentur, etiam quę peccata committunt per carnis fragilitatem, ergo & à condemnatione liberat. Quid enim deus cõdemnare uellet uel ſolet, ſi nullum inueniatur peccatum? ſed adſit pius ille ſpiritus, qui eam uitam inſpirat, quæ eſt in Chriſto, propenſum reddit ad omnia bona, & abhorrere à malis omnibus. Is ergo ſpiritus depellit neceſſario uim peccati & mortis, hoc eſt deprauatum iudicium, & appetitum mali, inſanamq; in quæuis mala libidinem. Non enim niſi propter peccatum ius ſuum exercet tyrannis & lex mortis.

3 Nam quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, ut iuſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum.

Lex dei propter tranſgreſſiones arcendas lata eſt hominibus, eas autem per accidens auxit, impotens quodammodo facta per carnem noſtram & infirmata, utpote in qua regnet peccatum. Hoc ergo impoſſibile, id eſt, hanc legis dei impotentiam & infirmitatem, ex qua ipſum peccatum ſubmoueri non ualuit, qua tamen cauſa data fuerat, deus ipſe impleuit & præſtitit, quo pacto? Miſſo proprio filio ſuo in ſimilitudinem carnis peccati, hoc eſt, uere carnem factum & hominem de genere Adam peccatore. Cum enim omnis homo caro peccati ſit, id eſt per deprauationem naturæ peccato perdita, & ad mala propẽſa, & inclinans, Chriſtus autem dominus noſter uerus homo natus eſt, uenit utiq; in ſimilitudine carnis peccati, quod eſt in omni homine: non autem in Chriſto, ut unquam peccauerit, ſed quia ſacrificium pro omnium hominum peccatis factus eſt, & ſatisfactio & reconciliatio peccatorum ad deum. Vnde & in lege & prophetis peccatum dicitur ſacrificium pro peccato, cõmuniſſimo tropo. Qua ratione dicitur uere, deus per filium ſuum carnem factum, condemnaſſe, hoc eſt, deſtruxiſſe, exterminaſſe, &

aboleuiſſe

aboleuiſſe peccatum per peccatum, hoc eſt per Chriſtum in cruce ſacrificatum, iuxta illud Iſaiæ, Si dederit animam ſuam hoſtiam pro peccato, uidebit ſemen longæuum, & uoluntas domini in manu ſua dirigetur. Ergo deus uolẽs præſtare & ſupplere quod impoſſibile erat legi, hoc eſt, legis infirmitati quæ illi erat à carne noſtra adeo rebelli, & peccatum abolere de carne, miſit filium ſuum ut homo & peccatum fieret, id eſt hoſtia pro peccato, & propter hanc hoſtiam deſtruxit iure, quod in carne noſtra regnabat peccatum, ut iuſtificatio legis impleretur in nobis, hoc eſt, hoc quod lex docet ac præcipit, ut à iuſtis hominibus perficienda, ut iuſti habeantur & dicantur coram hominibus, etiam ſi imperfectum illorum aſpiciat deus, non homo. Vt, inquit, impleatur iuſtificatio, id eſt tota hominis ad placita dei reſtitutio, quod eſt uita dei uel diuina, & dei uera imago in homine. Hæc certe ut reſtitueretur in nobis, & perficeretur legis iuſtificatio, Chriſtus mortuus eſt iuxta ſcripturas: quæ & tunc præclare certoq́ elucet, cum ſpiritus Chriſti ille potentior nos agit, qui ſtudium legis confirmat plenius, qui non ſecundum carnem ambulamus, hoc eſt, pro cupiditatibus deprauatæ conditionis & naturæ uitam inſtruimus, ſed ductu ſpiritus uitam degimus. Nullis ſiquidem cõdemnatio per Chriſtum ſublata eſt, niſi eis ſolum qui in Chriſto uera fide ſunt, eoq́ ſecundum ſpiritum, & non ſecundum carnem uiuunt, in quibus ductus & inſtigatio ſpiritus uitam potiſſimum regit: in quibus tamen omnibus dum adhuc uiuunt, caro adhuc pugnat contra ſpiritũ, ut ſæpe non quæ uolunt bona, ſed quæ uolunt mala faciant.

Qui enim ſecundum carnem ſunt, quæ carnis ſunt ſapiunt: qui uero 4
ſecundum ſpiritum ſunt, quæ ſunt ſpiritus ſentiunt.

Secundum carnem eſſe, eſt iuxta carnem uiuere, hoc eſt ſequi ingenium naturæ deprauatum: hi quid aliud poſſunt, q̃ curare ea quæ carnis ſunt? Ea uero ſunt quæ uetat deus, & ideo noxia ſunt. Nam quæ cognata naturæ noſtræ ſunt, ac ideo bona, ut ſunt competens corpuſculo noſtro cibus, potus, ueſtimentum, tectũ, uxor, liberi, & cætera huiuſmodi, nos nõ expetimus ut naturæ congruunt, ſed ut cum ea pugnant, nimirum præter modum naturæ congruentem, neq́ in eum uſum, in quem ea deus nobis condidit & largitur. Ea eſt uis ignorantiæ & peruerſæ cupiditatis, quibus caro noſtra detinetur. Qui uero pro ductu ſpiritus aguntur, ea in quæ ſpiritus feruntur. Studet à contrario rem hanc reddere manifeſtiorem, & diuerſitatem ac pugnam ſpiritus & carnis conſiderandam obiicit, in hoc, ut probe perpendamus quàm debeant eſſe aliena à nobis ſtudia carnis.

Nam prudentia carnis mors eſt, prudẽtia autem ſpiritus uita & pax. 5

Adhuc latius probatur, damnatione per Chriſtum non eximi eos qui ambulant ſecundum carnem, ut lux amplior inferatur. Porrò, ait, cum caro tantum in ea fertur quæ uetuit deus, & quæ mala ſunt, ſicut ſpiritus in ea quę præcipit deus & bona ſunt, per ſe liquet, ſtudiũ curamq́ carnis mortem eſſe. Eſt enim ferri contra deum, qui ſolus uita eſt, & uitã donat, ita ut uita eſt & felicitas, quam pro more ſcripturarum nomine pacis intelligit, cura ſtudiumq́ ſpiritus. Omnia autem efficacius ut poteſt pronunciat, ut non dicat, Cura carnis adfert mortem, ſtudium ſpiritus adfert uitã & pacem, ſed eſt mors, ait, uita & pax. Qui enim iuxta carnis deſideria uiuunt, uiuentes ſunt mortui, & deo eatenus exoſi, ut nulla pace fruituri ſint in præſenti & futuro. Qui autem ſpiritus diuini inſtinctu prudentes ſunt, iſti habent in ſe manentem Chriſti uitam, cui ceu membra inſita corpori, influxus chariſmatũ & operũ fidei, à capite Chriſto deſcendentes percipiunt,

& dulciſſima conſcientiæ pace tranquilli fruuntur, alacres ad ſancta omnia.

6 Quoniam ſapientia carnis inimica eſt deo, legi enim dei non eſt ſubiecta, nec enim poteſt.

Qui ſtudia carnis ſectantur & cupiditates, iſti odiunt non tantum legem iſta damnãtem, ſed etiam legislatorem ipſum. Ipſe autẽ uita eſt & uirtus ſumma, donans diligentibus ſe uitam æternam. Deprauata autem caro morti adiudicata eſt & obnoxia, ideoq; deo contraria, quia uoluntati eius aduerſa, quæ lex eius eſt, & nihil aliud q; dei placita enunciat, cui caro repugnat, & ideo quoq; inimicitiam exercet cum deo. Vere igitur mors eſt ſtudiũ & cura quod dicitur ſapientia carnis, & non poteſt reſtitui ad uitam, niſi regeneratione & renouatione totius naturæ. Non poteſt illa natura noſtra, ut nunc eſt, non aduerſari mandatis dei, quæ faciens homo in eis uiuat, & deo placeat, qui ſolus uita eſt, & eam largitur. Dicitur non poſſe ſubiecta eſſe legi, quandiu ſcilicet eſt deſtituta gratia dei, & naturalibus, quæ in ſe continet, ob lapſum primorum parentum deprauata. Sed tamen renouata Chriſti ſpiritu poteſt & cupit, imò oblectatur in legis obſeruantia, & omnem carnis inſolentiam deteſtatur & odit, etiamſi peccare non ceſſet, plerunq; in multis.

7 Qui autem in carne ſunt, deo placere non poſſunt.

Principalis eſt ex prædictis illata concluſio, ut ſine dei gratia per Chriſtũ obtinenda quicquid in carne noſtra agitur, deo placere non poteſt, ideoq; includitur, qui huiuſmodi eſt, ſub damnationis ſententia, quantum eſt ex factis & lege: miſericordia autem dei eximitur, ut in carne uiuens, non iudicetur ſecundũ opera carnis, ſed fide iuſtificatur ut placeat, & in ſpiritu cupiat probari ſe & amari, quamlibet ſeſe carne circundatum & aggrauatum corpore huius mortis, ſe indignum ſentiat, quando non fidit in opera, ſed in gratiam per operà & merita Chriſti, in quo ſolo mundum ſaluandum credit à domino.

8 Vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu, ſi tamen ſpiritus dei habitat in uobis.

Exhortationem doctrinæ ſubiicit, ut ſpiritui Chriſti nos accommodemus, ad mortificandum ingenium naturæ corruptæ. Dixerat, Chriſtianos damnationi non eſſe obnoxios, qui iuxta carnem non uiuunt, ſed ſecundum ſpiritum, ut deo placere poſſint. Subiiciendum his erat, Ergo operam date ut & enitimini, ut non in carne ſitis. Sed quo magis urgeret ad hoc, ſimulat ſibi non eſſe neceſſariam huiuſmodi ad eoſdem Romanos exhortationẽ, ſignificans eos non poſſe eſſe in carne, ſi uere Chriſto credant, ſed alienos ab omni ſtudio carnaliũ rerum, ut amplectantur ſtudium ſpiritus. Quippe cum hi qui ſecundum carnem uiuunt, nequaquam per Chriſtum à damnatione eximuntur. Sed iſta, inquit, uobis Romanis multis commemorare non eſt neceſſe, qui cum ſitis iam Chriſtiani ueri, non uiuitis ſecundum carnem, ſed ſpiritum. Proprium eſt enim fidelium, agi ſpiritu Chriſti, ut ſint filij dei, ut carnalia deſideria non dominentur in corpore. Adiicit quoq; conditionem, Si quidem ſpiritus dei habitet in uobis: qua accẽdere ſtudium molitur, ut uiuãt magis ac magis ſecũdum ſpiritum, ut quicquid Chriſti eſt, & Chriſto placere cognoſcunt per euangeliũ edocti, id conentur ſummopere, ſintq; per Chriſti ſpiritum inſtructi ad omne bonum opus, quo cernatur Chriſtus poteſtatem habere & regnare in corde per fidem ueram, non ſatan uel uitiũ quodcunq;.

9 Si quis autem ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius.

Vbi

Vbi Christus, iustitia, pax, fides & charitas non obtinent in homine regnũ, is non est Christi, adhuc peccati legibus detinetur, omnia eius peccatum sunt, non est ei mortuus Christus, nec ipse peccato mortuus. Hoc ipso autẽ Christi sumus, si per fidem & spiritum Christo insiti sumus, in eo uiuimus, & de eius semper gratia beneficijs & beneplacito cogitamus, ut simus uiua & sana membra eius, renati ex spiritu, & hæredes regni cœlorum: hoc est esse uere Christianum. Alioqui omnia Christi sunt, cui pater in manus tradidit omnia. Electi autem homines eatenus Christi sunt, ut eos renouet ad imaginem dei, quos ei pater donat peculiariter, hinc reliquis dicet: Non noui uos, hoc est, nõ estis mei oues, nõ uos agnoui.

Si autem Christus in nobis est, corpus quidem mortuum est propter 10
peccatum, spiritus uero uiuit propter iustificationem.

Christum esse in nobis, & spiritum dei inhabitare in nobis, & habere nos spiritum Christi, idem est apostolo Paulo. Est ergo spiritus dei & Christi patris & filij idem spiritus, ideoq; Christus uerus deus. Hoc suo diuino spiritu cũ nos Christus adflat & agit, dicitur habitare in corde nostro, per hunc spiritum qui & ipse habitat in nobis. Eadem denicq; mansio est, qua in obseruatoribus sermonis Christi manet pater & filius. Est autem huiusmodi afflatus spiritus Christi in nobis, ut nos immutet ad uitam spiritualem, ut propterea dicamur membra Christi, caroq; de carne eius, ipsi insiti, & uiuentes iam, nõ nostram, hoc est carnalem uitam, sed eius, quemadmodum Paulus inquit, Viuo iam nõ ego, sed uiuit in me Christus. Corpus autem hic, pro ueteri homine ab Apostolo dictũ est, Hoc, ait, mortuum est propter peccatum, quia uita eius nihil est q; peccare. Dum autem in Christo renascimur, dicitur necessario mori & crucifigi corpus nostrũ: id fit, cum nihil penitus à nobis pro uoluntate carnis & uoluptate admittitur, sed omnia geruntur ductu spiritus, qui desideria carnis praua reprimit & extinguit studio nouandæ uitæ in præsenti, ut demum quoq; uere beati tunc futuri simus, quum omnem uetustatem carnis per resurrectionẽ exuerimus. Sic ergo mortificato corpore propter peccatum, spiritus ipse uiuit propter iustificationem. Sicut enim peccatum continet in se mortem & infert, ita iustitia adfert uitam æternam.

Quod si spiritus eius qui suscitauit Iesum à mortuis habitat in uobis, 11
qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, uiuificabit & mortalia corpora uestra, propter inhabitantem spiritum eius in uobis.

Probat eos qui spiritus Christi participes sunt, ut non secundum carnem uiuant, sed carnẽ crucifigunt cum uitijs & concupiscentijs, ut destituatur uita peccati, etiam oportere participes fieri resurrectionis Christi, qua & uita carnis abolebitur, & perficietur uita dei per omnia. Hoc autem facit exemplo Christi hoc medio, Deus pater spiritu suo idẽ effecturus est in ijs quibus spiritum filij sui donauit, quod eodem spiritu effecit in Christo. At qui Christum reuocauit ad uitam diuinam à mortuis, in qua uita nihil carnis, nihil peccati hærere potest: idem ergo faciet in omnibus, quos sibi hoc spiritu obsignauit, quibusq; donauit hunc spiritum inhabitatorem. Si iam hic spiritus olim abolito omni peccato, uitam Christi in nobis totam perficiet, utiq; hic quoq; ad eam nos uitam à peccato perducet & asseret. Nec poterit nos sinere, ut amplius iuxta carnem uiuamus, quamlibet ergo morti obnoxia sint uestra corpora, tamen ad immortalitatem ea deus restituet, ut Christum resuscitauit. Cuius spiritus sic in præsenti inhabitat sanctos per gratiam, ut in cœlestibus quoq; per infinitam gloriam eos non sit unquam desertus, sed in deo beatificaturos semper.

12 Ergo fratres, debitores sumus, non carni, ut secundum carnem uiuamus. Si enim secundum carnem uixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis.

Cõclusio est præmissorum per modum exhortationis. Sic ergo Christo insiti, & per spiritum eius iustificati, atq; resurrectionis eius consortes futuri quotquot Christiani sumus, nihil iam carni debeamus, in nullo obsequamur, quibuscunq; prauis affectibus, quæ odit in nobis spiritus Christi, & quæ mortẽ operãtur. Istis non tantum nihil debemus officij, sed prorsus eliminandos ex nobis sciamus. Omnia potius spiritui debemus, qui nos obtinet, animat atq; regit totos, qui & carnalium prauitatũ expugnator est irreconciliabilis, quas & tandem abolebit prorsus. Vt autem nihil potestis debere carni, spiritui autem omia debetis necessariò: ita est omni studio connitendum uobis, ut per spiritum carnis studia prorsus extinguatis, & agendos uos spiritui consecretis totos. Si enim cura studiumq; carnis mors est, satis liquet eum sibi mortem inducere, qui secundum carnis affectus instituerit uitam, hoc est contra deum. Qui autem secundum spiritũ uiuunt, hoc est contra carnem, cuius actiones comprimunt & conficiunt, uiuent uita dei & Christi, & sunt absq; dubio tales filij dei, quos necesse est inæternum uiuere, quia hæredes sunt dei, & cohæredes Christi, adeoq; participes uitæ diuinæ, sempiternæ & beatæ. Porrò filios dei esse qui non secundum carnem uiuunt, sed per spiritum facta carnis abolent. Vnde & consequenter dicit.

13 Quicunq; enim spiritu dei aguntur, hi sunt filij dei.

Hic enim spiritus est, quo nos sibi deus adoptat, quo naturæ suæ communionem largitur, ut documẽto sit, nos eius filios dici, restituta in nobis eius imagine. Qui ergo non pro sua ignoratione & prauis cupiditatibus agunt, sed hoc spiritu dei, scrutante profunda dei, & probante quæ placita sunt dei aguntur, eos agnoscimus esse filios dei, esse adoptatos in communionem iustitiæ, hoc est uitæ æternæ. Vnde hic spiritus alibi à Paulo dicitur, Arrabo & pignus electionis nostræ, ac obsignatio, qua nos deus sibi obsignauit. Porrò hic spiritus agit nos docendo quid uere bonum sit, & in illud inflammando, reprimit quoq; contrarias cupiditates, ut nihil aliud libeat q; agere quæ recta sunt, ut omnes uires nostræ in ea quę uere bona sunt ferantur, hoc est, ut iam toti agamus & studeamus quæ filios dei decẽt. In hoc igitur actu spiritus sancti summa libertas est, quia nihil prorsus coacti, nihil agimus inuiti, summa alacritate cuncta cogitamus, dicimus & facimus, quod arbitriũ inspirat deus & spiritus Christi. Vere itaq; ubi spiritus domini, ibi libertas, & tamen simul agimur toti.

14 Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum dei, in quo clamamus, Abba pater.

Affirmat peculiariter Paulus, nos donatos esse spiritu adoptionis, donumq; hoc amplificat collatione spiritus, qui donabatur ueteribus, quẽ uocat spiritum seruitutis agentem timore, quia infirmior erat, & fiduciæ minus plenæ. Spiritus enim ueteris populi quo deus electos suos afflabat, faciebat eos cognoscere deũ esse omnium conditorem & gubernatorem, & insuper legis Mosaicæ authorem, ad quam obseruandam obligarentur, ut uitam assequerentur æternam, trãsgressione autem supplicium æternum. Hoc tamen spiritu nondum spiritu & animo sic renouabantur, ut ea quæ domino placent, & in lege dei præcipiuntur, per se probarent; ualebant enim adhuc prauæ cupiditates deprauatæ naturæ, & subinde faciebant mala quæ detestabantur. Et cum facerent quoq; bonum quod uolebant

bant ex consensu legis, id non uolebant plena uoluntate, sed ægre quodammodo à se talia extorquebant, tamen ita agebantur spiritu dei, ut nō possent non abhorrere ab offendendo deo, & quærere necessario se deo approbare. Nam certi erāt ex afflatu spiritus huius, omnem salutem suā à fauore & benignitate dei pēdere. Erant itaq; instar puerorum, qui nondum confirmato iudicio sunt, ut sua sponte uirtuti se darent, metu tamen studioq; parentum abstinent ab ijs quæ uetant parentes, & faciunt quæ præcipiunt, & si id ægre & maligne, unde minimo etiā negotio in diuersum recidunt, & parentum monita prorsus negligunt. Ista ratio est & seruorum, qui uidentes se nisi propitios habeant heros suos, agere infeliciter, animum suum inducunt, ut iussis illorum sese accommodent, nonnullo amore studioq; herorum permoti beneficijs amant illos, magis tamen metu. Et ut plus moueantur amore erga illos q̄ formidine pœnæ, tamen ea quæ iubentibus illis recte faciunt, non per se amant, imò nimium subinde ab eis abhorrent, ita ut quodammodo uim sibi faciant, quando dominis suis morem gerunt: & huiusmodi tamen inter frugi seruos numerātur. Nam serui nequam, nihil ne, studio quidem dominorum, nedum uirtutis ipsius recte faciunt, malo extorquendum ab eis est quicquid tibi boni ab illis impetrare uelis. Sic sunt hi qui planè impij sunt. Nam isti omnia praue, nihil recte, nisi ad quod præsentibus pœnis adacti fuerint, faciūt unquam. At quibus seruilis iste ac puerilis spiritus cōtingit, ij norunt deum esse, & remuneratorem bonorum, & uindicem malorum, noruntq; ab eius nutu pendere omnia, & ab eius beneuolentia se percipere uitam, & quibus uita sustentatur, percepturos quoq; se ampliora adhuc, unde & in eis sit studium dei & amor, ut licet nondum eò peruenerint, ut sanctimoniam ac iustitiam quam requirit perse ament, & cupiant plene, amant tamen hæc, & feruntur in ea, propter deum quem norunt hæc iubere & uelle, ut nisi hæc faciant, deum sibi habere cogantur infensum. Spiritus autem filiorum & adultior, qui Christi est, ut is dei in nos bonitatem propositam nobis in Christo aliquāto reuelat plenius, ita quoq; regignit & refingit mentem nostram, ut non solum deum amplius suspiciamus & reuereamur, & in gratiam eius mala libentius uitemus, & quæ bona sunt studeamus, sed etiam communicat nobis hactenus spiritum dei, ut eodem instigante, nostro iudicio & studio quoq; auersemur quæ deus auersatur, probemusq; quæ probat. Omnia quidem in gratiam dei præcipue agamus, sed proprio quoq; amore & studio in ipsam uirtutem moueamur, utcunq; hic amor & hoc studium nondum est plenum quandiu hic agimus. Multa enim ægre extorquemus à nobis metu & reuerentia dei, & parce nimium expetimus, quæ per se amanda & expetenda erāt. Adhuc enim pugnat contra spiritum caro in nobis, quæ nimirum in resurrectione primum abolebitur penitus. Hic autem adultior spiritus Christi adoptionis & libertatis, non sic addictus est euāgelico tempori, ut is nemini ante exortum eius temporis concessus fuerit, aut quod omnes qui euangelio uere credunt eo polleant. Dabatur enim spiritus ille timoris publicitus credentibus etiam sub lege, & datur hic adoptionis spiritus credentibus sub euangelio. Haud paucos tamen inuenias hodie quos agit spiritus timoris, & erant nonnulli tamen sub lege, quos agebat spiritus adoptionis. At qui solide euangelio credunt, hi spiritu libertatis aguntur, & excitantur ut proficiant iugiter, ut hanc adoptionē agnoscant & sentiant, adeo ut filiali fiducia deum audeant inuocare patrem. Istud uero non est nisi prorsus cum patre consentientium, & qui dei patris beneuolentia in se certi sunt, ut sese hoc patre quasi oblectent, & de hæreditate eius omnia in se bona complectēte iam gaudeant, sentiantq; se frui sorte domini nostri Iesu Christi,

cuius sese cohæredes futuros sciunt. Ista ergo fiducia & audax familiaritas, qua miser uermiculus diuinam maiestatem patrem appellat, cooritur ex gustu quodam spiritus Christi & diuinæ bonitatis in Christo, cũ testimonio quod perhibet spiritui nostro, quod filij dei sumus. Quod Apostolus Hebræam uocẽ cum Græca posuit, seruiuit affectui & animi ardori, quo natiuam linguam in parato habitam, suapte sponte gestientem, resoluit in charitatis dei encomium.

15 Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij dei: si autem filij, & hæredes. Hæredes quidem dei, cohæredes autem Christi, si tamen compatimur, ut & conglorificemur.

Sortem nostram ad quam dominus nos uocauit, modis omnibus amplificat Apostolus, eam præcipue, qua agnoscamus nos carne et concupiscẽtijs mortuos, & resignatos iuxta Christi spiritum sapiendo & uiuendo, Christo ingenerati sumus, cuius & spiritu uiuamus, & non aliter, q̃ iuxta illius ductũ operemur, scientes gratiam dei ad nos, qua per Christum nos sibi reconciliauit, ut spiritu suo certificati, agnoscamus nos dei per adoptionem filios, qua filiatione Christus nos donauit, naturalis dei filius secundum prædicta, non tantum timore pœnarum, sed multo magis filiali amore domino per Christũ adhærere cupiamus, & per oĩa complacere, si spiritus Christi in nobis habitans, gratiarum suarum in nobis fructus ædiderit: quibus persuadeamur & nos & fratres reliqui, filios dei & esse & comprobari. Isti autem fructus primarij sunt, carnis mortificationes & sensuum, & uitæ nouæ studium. Vnde reluceat certo nos esse cohæredes Christi, membra scilicet eius, & insiti corpori eius, capitis diuini gratiam susc ipientes, defluentem in membra uiua, hoc est societatem & communionem domini Iesu sentientes, ut complantati similitudini mortis & resurrectionis eius, prædestinationis quoque gratiam per adoptionis filiationem comprobemus, & habeamus q̃ certissimam & expectatissimam. Sic enim ad Ephesios dicit, prædestinatos nos esse, ut ipsi in filios adoptaremur per Iesum Christum in ipsum, in quo nos pater conuiuificauit, & unà excitauit, & in cœlestibus collocauit illuc prędestinatos & adparatos. Id autem fiet, si tamen compatimur, ut & glorificemur: hoc si, ut uidetur, causaliter accipiãdum, tantum ualet, Cohæredes Christi erimus, ut hæreditatem cœlestem cum eo adeamus suo iure, ut unà glorificemur, patiamurq̃ cũ Christo, quæ minime sustinere possemus, nisi certi essemus, eiusdem nos gloriæ cum ipso consortes futuros esse. Eamq̃ hoc ipso plenius percipere, quo plura pro domino & cum domino aduersa tolerauerimus. Ergo dum unà cum Christo tam multa sufferimus, & grauia agimus ad eius gloriam, ipsi de nobis testamur, & Christi spiritus qui hæc in nobis operatur, indubitatos nos esse cohęredes Christi, & eiusdem gloriæ participes. Comparemus itaq̃ nos ad hanc totis uiribus, & desideria carnis, quæ ab hac gloria reuocãt, reprimendo, & in nouitate uitæ, quæ gloriæ illius quædam est præguſtatio summopere proficiendo. Vtcunq̃ tamen fortiter multa pro domino perferamus, tamen eandem gloriam promissam nullis nostris afflictionibus promerebimur. Hæreditas enim dei est & patris nostri, ad quã nos ex sola sua misericordia & respectu mortis filij sui adoptauit, & ad eam nos per filium quoq̃ suũ adducit. Summatim ergo, Cõpati, est persecutiones tolerare propter spem futurorum, carnemq̃ crucifigere cum uitijs & concupiscentijs, est uoluptates & pompas huius sæculi spernere. Glorificari autem nos cum Christo, est in nobis uitam reuelari diuinam, & glorioſam apparere in deo & iam perfectam. Hæc enim dignitas est & præstantia filiorum dei, ueraq̃ præsentia dei.

Existimo

Existimo enim quod non sunt condignæ passiones huius temporis 16
ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.

Amplificatio est hæreditatis cœlestis, quæ manet cohæredes Christi. Infinita, inquit, gloria est filiorum dei, quam ut plene consequamur, debemus & ipsi carnem nostram omni studio crucifigere & mortificare, ut obtineat in nobis uita Christi. Tam ingẽs enim & perfecta est gloria, ut quicquid in hac uita pati possumus, nihil est, uel æstimari potest, comparatione immensæ istius gloriæ, quæ nobis in futuro exhibebitur. Id nemini Christianorum dubium esse debet, qui ex tenui etiam gustu futuræ gloriæ didicit gloriari in afflictionibus, quas pro nomine creatoris & redemptoris in hac uita ferre cogitur. Experiuntur enim omnes uere Christo credentes, leue & momentaneum afflictionis præsentis pondus, perficere multo excellentissimum & æternũ pondus gloriæ. Non est ergo conferendum purissimum gaudium fidelis & synceræ conscientiæ cũ interpolata tristitia, quæ scilicet aliquid consolationis habet admixtum. Nulla enim fidelium tanta est tristitia, quin consolatione quapiam temperetur. Sed neq; passio leuissima quæ nobis infertur à creatura, cõparari potest cum gaudio summo, quod à creatore ipso accipitur. Hoc sic infigamus animo, ut quoties indigna pati nobis uidemur, animo succurrat, parari nos per illa ad gloriam, quo non modo non indignemur, sed gloriemur quoq; in his quæ nos affligunt, domino seruientes.

Nam expectatio creaturæ reuelationem filiorum dei expectat. 17

Aliter & clarius, Etenim quicquid creatũ est, anxia expectatione expectat, ut cõditio filiorum dei manifesta exhibeatur. Bonum est quod omnes expetunt, maximũ ergo bonum quod uniuersa machina dei, & primitiæ sanctorum ardenti suspirant desiderio. Id aliud non est q̃ gloria filiorum dei, ut reueletur ipsorum adoptio, & plena cõsummatio. Sicut enim propter hominẽ omnia condita sunt, ita suo modo pro conditione hominum creaturæ omnes sese habẽt, & quodamodo conformantur. Terra sterilis propter pietatem inhabitantium si increscat, redditur etiam ipsa fructifera: & terra fructifera, propter inhabitãtium impietatem, uertitur in salsuginem. Initio statim ut homo peccasset, terra maledictioni subiecta est, ut spinas proferret & tribulos. Angeli quoq; cum gaudent super uno peccatore pœnitentiam agente, dolent uicq; pro ijs qui pœnitentiam negligunt. Sic in oĩbus uaticinijs, quibus sancti prophetæ prædicũt populi dei uel calamitatẽ magnam uel felicitatẽ, utrancq; cœlo & terræ & rebus omnibus cõmunicant. Inde cum Isaias de regno Christi prophetat, cœlos pollicetur nouos, & terram nouam, adeoq; nouitate magnifica, ut priorum nullam inde dicat fore memoriam. Et omnium instauratorem Christũ facit Paulus, quæ sunt in cœlo & in terra. Sic hic quoq; Apostolus, creaturę nomine mundum uniuersum intelligere uidetur, cui tribuit suo loquendi modo, perquam anxium desiderium implendæ gloriæ omnium filiorum dei: nec illorũ solum, sed etiam omnis reliquę creaturæ rationalis, præcipue eorum quoq; qui inter sanctos sunt præcipui.

Vanitati enim creatura subiecta est, non uolens, sed propter eum qui 18
subiecit eam in spe, quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum dei.

Exponit causam huius desiderij & expectationis, inanitati enim nunc subiecta est contra ingenium suum, condita enim ut sit & perstet, naturæ appetitu hucfertur, ut semper sit & perstet. At subiecta uanitati & corruptioni est, sub spe, ut cum filij dei reuelabuntur, hoc est manifestabuntur, in sorte dei, ipsa quoq; crea-

tura ab omni corruptione liberetur, ad ornandã & illustrandam gloriosam libertatem filiorum dei. Ergo causæ, ut reuelari gloriam filiorum dei tam flagrãter expetit omnis creatura, sunt, quod nunc inanitati & corruptioni subiecta est, cõtra inditum à conditore appetitum, & quod subiecta est inanitati & corruptioni sub specie liberationis, quæ factura est ad illustrandam gloriam filiorũ dei. Siquidem res omnes eò feruntur, quò conditæ sunt, iam ad cohonestãdam gloriam dei sunt uniuersa condita, ergo huc omnino tandem peruenient, ita idipsum non possunt non suo more expetere, idq; tanto enixius, quo est in hac rerum restitutione summa earum consummatio. Ad hoc pertinet, quod in grauioribus ultionibus dei, cum homines immanioribus calamitatibus inuoluuntur, etiam in astris horrendæ sunt immutationes, & tota creatura cum hominibus laborare uidetur. Hinc est ut prophetæ dum prædicant gentium ruinas atrociores, totam machinã mundi unà commouendam testantur. Similiaq; testãtur historiæ facta in grauioribus euersionibus regnorum & populorum. Ita etiam contrà, cum dominus singulari magnificẽtia opem ferre instituit, facit ad id sibi seruire superna & inferna, idq; ratione aliqua insolita & stupenda, ut sacra testatur scriptura frequentius in lege & prophetis. Sic Christo quoq; domino omnis creatura seruiuit, nascenti, prædicanti, patienti, morienti, resurgenti, & ascendenti, sese glorificanti, sic quoq; iudicaturo uiuos & mortuos. Atqui Christus caput est nostrũ, unde in eo uidere est, q̃ sint & nobis, qui Christi membra sumus, res omnes cognatæ & addictæ, utq; compatiantur suo modo, & collætentur, & malorum quoq; liberationem expectent, qua etiam potiẽtur, nobis tandem penitus restitutis. Vanitati subiecta esse omnia, est obnoxia esse corruptioni, secundum quod dicitur, Vniuersa ut uestimentũ ueterascent, sicut indumentum mutabis ea, & mutabuntur, &c. Id autem patitur creatura omnis, non uolens, repugnante natura destructioni, quod in omnibus cernitur tam animalibus q̃ plãtis. Cum uero res oẽs à corruptione naturaliter abhorreant, non possent homines in illam adeo sæuire, nisi deus eas singulari quadam ratione corruptioni addiceret. Sed sic omnia sub uanitate huiusmodi statuit, ut spes quoq; supersit ea liberandi ab hac uanitate: huius signum eis indidit, naturalem illum renisum, quem non haberent à deo creatore suo, uanitati subiecta, nisi ab eodem cõstitutum esset ut restituantur. Quod autem ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, euangelizatur tantum hoc loco, nõ probatur: futura enim sunt, quamlibet humanum sensum superent. Seruitus corruptionis in eo est, quod sunt obnoxia corruptioni.

19 Scimus enim, quod oẽis creatura ingemiscit & parturit usq; ad huc, non solum autem illa, sed & nosipsi primitias spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum dei, expectantes redemptionem corporis nostri.

Ex ista asseueratione scientiæ suæ, sed quam habet cum multis communem, uidetur eo tempore Iudæis quoq; doctis non fuisse dubium, quod hic dicitur de compassione rerum omnium in mundo cum homine & consensu, de quo hic loquitur Apostolus. Omnino enim hanc sententiam ut certam & notam adducit, ad intellectum prædictum. Quod addit, Non solum autem illa, sed & nosipsi &c. alia consolatio est, Quando futuram gloriam filiorum dei testantur etiam nostri gemitus, qui non erunt uani, quandoquidem à spiritu sunt. Gemimus autem, id est, desideramus redemptionem corporis nostri, hoc est, nostrorum & omnium quoq; fidelium, qui spiritus sancti donũ opulentius effusum habemus à Christo

iam

iam glorificato. Id enim doni apostoli primum & largissime perceperunt. Sicut uocauit quoq; Apostolus Christum primitias resurgentium, quod primus à mortuis resurrexit. Et ipsi intra nos &c. Exaggerat gemitum desiderij glorię filiorum dei, ut ostendat quãtum sit hoc sanctorũ desiderium, & ex eo quanta illa ipsorum gloria, pro qua adeo gemũt & suspirant. Id facit primo à persona gementium, dicens, Et nosipsi qui primi spiritu dei donati sumus, & eo amplissimo: deinde à modo, quia intra nosipsos, hoc est, in intimo cordis nostri, non leuiter in exteriore solo affectu pectoris excitati. Certe, qui tantam uim spiritus perceperunt, ut sic gemant pro gloria dei reuelanda, planè beati sunt, qui non dubitant sibi bono esse omnia, sancteq; & pie uiuunt, adeoq; plene bonitate dei fruuntur, ut possint in omnibus satis habere & gloriari. Hæc autem beatitudo sanctorũ permagna quidem est, sed tamen conferri non potest cum illa futura gloria filiorum dei, de qua hic Apostolus loquitur: quin qui præsentem fruitionem complexi sunt, nihilominus tamen gemunt & suspirant ad perpetuam illam gloriam, idq; ex animo & intimo cordis. Expectantes adoptionem filiorum. Loquitur de consummata in cœlestibus, non de ea quæ nobis contingit adoptione, dum Christo primum per gratiam in præsenti inserimur. Et hoc ipsum exponit Apostolus, adijciens, Redemptionem corporum nostrorum, quæ nunc quidem uenundata sunt peccato, sed sanguine Christi redimũtur, ut iam iustitiæ seruiant, & uitæ beatæ. Hæc ergo seruitus iustitiæ ubi perficietur, redemptio nostra perfecta erit. Et de hac felicitatis nostræ profectione Apostolus hic loquitur, uocans eam uiuificationem, hæreditatem, gloriam, & adoptionem filiorum dei. Sicut & ad Philip. 3. transformationem. Transformabit, inquit, corpus humilitatis nostræ, ut cõforme reddatur corpori glorioso suo. Priore ad Corinth. 6. immutationem uocat, nempe à conditione carnali & terrena, in spiritualem & cœlestem.

Spe enim salui facti sumus. Spes autem quæ uidetur, nõ est spes: nam quod uidet quis, quid sperat? Si autem quod nõ uidemus, speramus, per patientiam expectamus. 20

Obiectionem quam aliquis facere posset ex gemitu sanctorum, quem Paulus confessus est iam, contra felicitatem quam fidei tribuit, hic excipit ad hunc modũ, Dixi eos qui credunt Christo esse filios & hæredes dei, eoq; uere saluos & beatos, uerum spe & expectatione, nondum reipsa præsentiq; fruitione. Iam spes ista & expectatio parit gemitũ, de quo dixi, non excludit: nondũ enim potimur expectatis bonis, at certa tamen est eorũ expectatio, & hinc sanè in gemitũ se & perpetua suspiria animus noster effundit. Spe ergo tenetur salus nostra, uita & hæreditas. In spe autem duo sunt, Absentia rerum quas speramus, & certa earundem expectatio: in illa est afflictio & gemitus, in hac fiducia & alacritas. Vtrunq; autem esse in spe, probat ex ipsa natura spei. Prius, cum ait, Spes uero quæ uidetur non est spes, hoc est, non fruimur illis iam præsentibus, sed expectamus ea futura. Non est ergo requirẽdum ut nunc hæreditate nostra fruamur. Alterum quod in spe est, est expectatio bonorum quæ sperantur. Si, inquit, quod non uidemus, speramus, per sustinentiam expectamus, bona scilicet promissa nobis, & per gratiam conferenda à domino in futurum. Est enim Spes certa expectatio futuri boni, arduí quidem, sed tamen possibilis, quod expectationem conatumq; appetentis facile sustentat & erigat. Ista uero Apostolus de spe dicit, sed in genere. Intelligi autem uult de spe, qua seruati sumus in Christo, quæ est certa expectatio futuræ beatitudinis, hoc est, reuelatæ hæreditatis filiotum dei: nitens promissione dei

& merito Christi: huiusmodi spes solide concepta parit fiduciam, & animi alacritatem, adeo ut forti animo oñia perferamus, donec aduenìat dies domini, in qua corpus hoc corruptibile induet incorruptionem. Quia autem bonum quod speramus, non sensu uel ratione, sed sola fide apprehẽditur: quæ autẽ patimur, sensu percipimus & ratione: fit plerũq; ut plus sit molestiæ de his quæ sentimus, q̃ fiduciæ de his quæ speramus: illud enim naturæ est, hoc autem fidei, & eius imbecillis. Natura aũt frequẽter apud nos plus ualet q̃ fides, ideo de ope spiritus subñcit Apostolus, quam ipse fert nostræ imbecillitati. Illud auxiliũ spiritus, est arcanum illud robur, quod spiritus Christi in nobis operat̃ credentibus. De quo subditur.

21 Similiter autem spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Nam quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

Excitat in nobis spiritus Christi robur fidei & uirtutum, in nobis suspirando ad deum gemitibus ineffabilibus, quo suffulti non concidimus, nondum animos despondemus, sed duramus & manum domini perferimus. Quod auxilium uidemus in Psalmis, quomodo semper sanctis adfuerit, unde illud fuit, quod ne tunc quidem fiduciam in deum deposuerunt, cum nihil q̃ sese proiectos à domino sentirent, & ab afflictione compellerẽtur dicere, Deus meus, quare sic me dereliquisti? Quanquã autem in oratione quæ sequitur, Id quod oramus quemadmodum oportet nescimus, id quod dicitur, Sicut oportet, referri possit ad Nescimus. Videtur tamen referendum esse ad uerbũ Oramus, hoc sensu, Id quod oramus, & quemadmodũ oporteat orare nos nescimus: sicut nec ipsi plene oramus, sed orat in nobis spiritus Christi, idq; oratione arcana, & nobis prorsus ineffabili. At deus tamen qui intima cordis nostri perscrutatur, intelligit & exaudit, quod ille in sanctis & pro sanctis orat, intercedendo pro nobis intra nos, etiam cum id præ infirmitate nostra ipsi non intelligimus. Quamuis autem in experiẽtia sanctorum sit, quod in atrocioribus afflictionibus orant omnino, & quemadmodũ oportet orare opem domini, tamen se orare non intelligant, sic detenti dolore & graui comploratione. Et licet in huiusmodi tentationibus mens tota defixa sit, in eo quod cruciat, atq; ideo nihil q̃ queri & plorare possit, uiuit tamẽ & agit in ea adhuc, etsi latenter, spiritus domini, spiritus adoptionis, spiritus ille per quẽ clamamus, Abba pater. Hic animum inter cruciatus & anxietatem sustentat, sensimq; contra mala ad deum erigit, idq; eò, quod excitat supplices ad deum gemitus, & redeuntis fiduciæ ad patrem cœlestem suspiria, quæ continuo impetrant etiam radium aliquem uultus dei miserentis ampliorem, afflatumq; diuini fauoris recreantem potentius. Quo ipso & grandescunt atq; roborantur suspiria, & maiorem simul apertioremq; aspectum fauentis & iuuantis dei eliciunt, donec in claram & certæ fiduciæ precem digerantur, & animus iam libera uoce patrem deum inuocet, opemq; ab eo perspicue & confidenter & oret & exoret. Sic ergo pro sanctis intercedit spiritus gemitibus ineffabilibus, dum sentiunt quidem se de ope dei desperare non posse, sentiunt sua ad deum suspiria, sed admodũ obscura sunt etiam sanctis, & adeo implicata, ut nesciant quid ea sibi uelint. Deus tamen nouit sensum uotumq; spiritus, quia ipsius sunt ea suspiria, & ab ipso, quia ab eius spiritu & adflatu in nobis excitata sunt, quæ non potest non exaudire. Exaudit itaq; & secreto paternoq; uultu anxios nos respicit, & robur contra aduersa omnia aspirat, ostenditq; q̃ dispensẽt in salutem nobis omnia, sic tamen, ut de solo deo nihil de nobis gloriari possimus.

Qui

Qui autẽ ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret ſpiritus, quia ſecundum 22
deum poſtulat pro ſanctis.

Hoc præcipue indicat Apoſtolũ hic loqui de oratione ſpíritus excitata in íntimo cordis, obſcura adhuc & indigeſta, ut ipſe orans homo non ſatis intelligat quid oret. Formula uero illa loquẽdi, Deum ſcrutari corda & renes, ſcriptura utitur frequenter, monetq; ut ſemper cogitemus, q̃ ſint omnia in nobis deo noſtro nota & perſpecta. Nunquam enim id ſatis perpendimus. Plericq; autem ſic uiuímus, ut uideamur conari deum fallere, et noſtra eum cęlari cõſilia. Hic uero Apoſtolus utitur hac formula ad conſolandum, admonens deum reconditiſſima uota in nobis noſſe, & exaudire quæ etiam ipſos nos latent. Et nihil aliud ſunt orationes fidelium, q̃ uota & deſideria opis diuinæ, per ipſum dei ſpiritum in nobis excitata, quæ non poſſunt eſſe deo nõ placita. Noſtra felicitas eſt, cognoſcere deum bona nobis omnia facere. Hæc ut continuo promoueatur, excitat pater optimus per ſpiritum ſuum nos ad ea deſideranda, quæ ipſe bonitate ſua nobis largiri ſtatuit antequã eum oremus. Eo pacto facit, ut & nos animo toto feramur quò ipſe nos uocat, tum ut agnoſcamus omnia noſtra bona eius gratia dependere. Deniq; ut diſcamus q̃ exorabilis nobis ſit, quamq; indulgens, dum omnia ſcilicet quæ ſic inſtincti oramus, etiam exoramus, ut ex hoc admiratione ſtudioq; dei magis inflammemur, eoq; promouemur, ut uni deo frui expetamus, hoc eſt ut per omnia ſalui ſimus. Et hæc ratio eſt, cur adeo requirit à nobis deus, ut à ſe om̃ia petamus, ipſiq; perpetua & ardenti oratione inſtemus, cum tamen non poſſit exorari, niſi pro eo quod ipſe ex ſua uoluntate dare decreuerit, antequam nos illo orandi ſtudio accendat. Necq; enim alia bona eſſe poterunt, q̃ quæ deus ex ſua uoluntate facere decreuerit: non enim concedit orandi gratiam, cum non habet exaudiendi uotum & uoluntatem, etiam ſi non ſemper exaudiat ad uolũtatem precantis, ſed ad eius fructum & utilitatem quam dominus nouit, non homines. Hinc quoque diſcamus, q̃ omnia ſalutis noſtræ conſtãt ſpiritu Chriſti, nam non modo nihil boni facere, ſed ne optare quidem poſſumus ſancta ex nobis, cũcta in nobis orat hic ſpiritus, & exorat ac perficit.

Scimus autem quoniam diligentibus deum omnia cooperãtur in bo 23
num, his qui ſecundum propoſitum uocati ſunt ſancti.

Siue autem deſiderium præſens orantium fidelium exaudiatur, ſiue aliter accidat q̃ petitur, certum eſt, & ſciunt electi omnes, diligentibus deum omnia adiumento eſſe in bonum ĩs nimirum qui deſtinato uocati ſunt. Certe qui habet aliquam cognitionem dei, & perpendit quo loco ſint deo qui eum diligunt, & ſunt ab eo in conſortium ſalutis æternæ uocati, is ipſe ſibi hanc ſententiã facile reddet probatam, oportere diligẽtibus deum, & ab ipſo certo uocatis, ad ſalutem omnia bono eſſe. Hic nanq; nouit deum facere omnia in omnibus, & cum optimus ſit, diligentibus ſe non poſſe non in omnibus benefacere. Hinc uero quid colligat aliud, q̃ diligentibus deum, & in communionem Chriſti uocatis, unde ſcilicet illis uenit quod diligunt deum, oportere ſaluti eſſe omnia, ut intelligamus nihil omnino nobis poſſe accidere, quod noſtram ſalutem nõ promoueat. Qui etiam deum diligunt, ut faciunt omnes uere credentes, hos deus prior dilexit, & diligit in finem. Cum uero dicit Apoſtolus, omnia nos in bonum iuuare, ad ſuperiora uidetur reſpicere, quibus teſtatus eſt, omnem creaturam nobis congemiſcere, expetere quoq;, ut perficiatur ſalus noſtra, tum ipſum quoq; ſpiritum ſuccurrere noſtræ infirmitati. Ad hæc ergo uelut amplificans nunc dicit, Sic nos iuuat ſpiritus, ſic

opem ferre omnia quærunt: ſic deus in ſalutem omnia inſtituit, ut nihil omnino ſit quod noſtram ſalutem non inſtauret & adiuuet. Hinc diuus Auguſtinus de Correptione & Gratia, Vſq; adeo, inquit, omnia cooperatur deus in bonum diligentibus ſe, ut etiam ſi qui eorum deuiant & exorbitant, etiam hoc ipſum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atq; doctiores. Diſcunt enim, ut in ipſa quoq; iuſta uita cum tremore exultare debeant, non ſibi arrogãdo, tanquam de ſua uirtute fiduciam aſſequantur: nec dicendo, In abundantia ſua non mouebor inæternum, &c. Quis enim dubitet, Petro ſuam negationem ad maiorem & in ſe modeſtiam & erga alios miſericordiam profeciſſe? Sic & Dauidi & Paulo & ſanctis omnibus ſui caſus profuerunt. De propoſito autem loquitur hic Apoſtolus, non noſtro, ſed dei. Vt enim certiora apud homines ſunt, quæ certo propoſito ſuſcipiuntur, ita uoluit hac uoce exprimere certitudinem uocationis noſtræ, quia dei ſit, & incerta eſſe nequit quã propoſuit deus. Cũ itaq; ad Chriſti cognitionem nemo perueniat abſq; dei propoſito, certum cõuincitur eos quibus deus filium ſuum hactenus reuelauit, indubitato decreuiſſe ſeruare. Vtcunq; ergo aduerſis exerceantur, non tamen poſſunt excludi à dilectione dei.

24 Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.

Præſcire & prænoſſe hoc loco, eſt deum ſuos iam antequam ſint, animo præſumere & agnoſcere ut ſuos, & inter ſuos computare. Nam ut ſi quis ex turba aliqua hominum quoſdam animo notet & deſignet, quos uelit ſibi ad rem aliquam peculiariter adhibere: ita deus ex perdita hominum colluuie prouidet ac prænoſcit quos uult, eosq; iam tunc ab alijs apud ſe ſeiungit, & in ſortem ſanctorũ cooptat, id eſt, prædeſtinat, præfinit & ſeligit. Vtcunq; non eſt temporum ſucceſſio in deo, ſed ſunt illi oĩnia præſentia & æterna, ut ſcribit Apoſtolus Epheſijs, deum nos ante iacta mundi fundamenta elegiſſe, id eſt, nos nouiſſe & prædefiniuiſſe. Vnde & hic dicit in hunc ſenſum, Quos prænouit, & præfiniuit, ut conformentur imagini filij eius. Quo planè affirmat, omnes præſcitos etiam eſſe prædeſtinatos: & in hoc prædeſtinatos, ut conformes fiant imagini Chriſti, hoc eſt, ſalui ſint, & uitæ æternæ participes. Præſciti ergo deo ij ſunt, quos cum condidit, agnoſcit inter ſuos, & inæternum beare propoſuit. Hic uero loquitur ſpiritualiter, de ea noſtri ad imaginem Chriſti cõformatione, qua unà cum ipſo glorificabimur, qua & reſurrectionis ſimilitudinem plene conſequemur, in quam Chriſto complantati ſumus, qua uiuificabuntur, & noſtra mortalia corpora, qua geſtabimus imaginem cœleſtis Adami, ſicut geſtauimus imaginem terreni, qua deniq; transfigurabitur humile corpus noſtrum, ut conforme ſit corpori glorioſo Chriſti, per nouitatem uitæ, in oĩni ſanctitate & iuſtitia. Quò itaq; propius accedimus ad uitam Chriſti, hoc certius & plenius obtinemus imaginem filij dei, quæ eadẽ eſt imago dei. Vt ſit ipſe primogenitus, &c. Non tantum unum filium deus habere uoluit, ſed q̃plurimos, Chriſtum autem dominum noſtrum caput eorum & principem, id eſt primogenitum. Primogenitus autem ante & ſub lege fratrũ princeps erat, mortuo patre regebat domum, donec ſinguli fierẽt patresfamiliâs, eoq; duplicem portionem accipiebat. Deus autem uult ſuos inter ſe uiuere q̃decentiſſime, & eo ordine, ut corpus quoddam conſtituant, ſintq; ſinguli aliorum membra. Ad id ergo cum propter noſtram imbecillitatem ad omnia uera & recta, opus eſt ſemper in quauis hominum ſocietate rectore & principe, ſubiecit primum deus totam familiam patrifamiliâs, qua cauſa quoſdam etiam ſeruituti addixit. Patris inde im-

perium

perium transtulit in primogenitum, quo nunquam deesset institutor & director sanctæ societatis, eoq; uitæ communio semper proficeret. Hũc ordinem instituit deus in rebus humanis, sed adeo deprauato ingenio sumus, ut huic ordini non possimus nos rite accommodare, nisi renati per Christũ, nisi Christo insiti, & eius spiritu acti. Hunc dedit pater nobis, qui noua nos mente donet, auocet à prauis institutis, inducat ad ea quæ recta sunt, regat nos & agat, nõ aliter q̃ caput membra sua, idq; in hoc, ut ad imaginem dei reparati, uere filij dei simus, deum omni uita exprimentes. Hac de causa homo factus est uerbum dei deus, mortem quam nos meriti sumus sustulit, pro nobis resurrexit, ad cœlos ascendit, moderatur & instaurat nobiscum omnia. Hinc etiam uocat eum Paulus primogenitum sanctorum, qui patris imperio in nos fungitur, qui regit totam domum dei, & instaurat fratres suos, inde est quod Apostolus uocat eum primogenitum omnis creaturæ, & primogenitum ex mortuis, quod nimirum in omnes res, & singulariter in sanctos, resurrectioni uitæ destinatos imperium habeat, quia per eum conditæ sunt: in regeneratos quoq;, quod his regenerationis atq; resurrectionis author est. Sic igitur cum uisum sit deo, ut Christus uelut primogenitus inter multos fratres regnet glorioſus seruator, inter omnes qui ei credunt, idq; pertinet ad summã gloriam Christi, satis cernit Christus sibi conformare debere & uelle sibi fratres suos cum iustitia tum gloria. Quandoquidem ergo Christo tradita est omnis potestas omnium rerum, & habet ille nos loco fratrũ, quis dubitet eum cuncta in salutem nostram fratrum suorum attemperare?

Quos autem prædestinauit, hos & uocauit: & quos uocauit, hos & iu 25
stificauit: quos autem iustificauit, illos & magnificauit.

Fusius repetit quod de prædestinatione filiorum dei dixerat, usus hic elegan-ti gradatione. Qui Christũ uere inuocant, & in hoc deum diligunt, quia eos constat esse à deo uocatos certo proposito, id uideri uult per se esse notũ, ut est etiam omnibus, qui scientiam salutis uel aliquousq; consecuti sunt. Certe animalis homo, qui per spiritum dei nondum regenitus est, non potest percipere quæ spiritus dei sunt, nec uenire ad Christum. Quicũq; autem ad Christum uenerint, hos pater cœlestis ad eum pertraxit suo spiritu. Ergo eos antea q̃ de Christo quicquã nossent, inter suos agnouit, & ex perdita hominum colluuie sibi designauit, quos per filium suum prænouit, & uocauit secundum suum propositũ, nam deus æterna sapientia est, certo consilio agens omnia. Ex eo quis non uideat consequi necessario, eum destinato firmoq; proposito beneuolentiæ suæ decreuisse, filio suo seruandos donare, quicunq; in illum crediderint. Eos ergo etiam prædefiniuit, & ab alijs apud se designauit ac seiunxit, sortiq; filiorum suorum adlegit, etiam antequam fundamenta orbis iacerentur. Ex hac itaq; prænotione, ex hoc proposito, prædefinitione, selectione, uenit ut cum ei opportunum est, uocet huiusmodi euangelio & spiritu sancto, quo spiritu illis euangelium ad ueritatem persuadet. Cui cum credunt, fide hac eos iustificat, id est securos facit de remissione peccatorum suorum, suaq; paterna gratia. Sic uero filio suo attractos, & per eum deuinctos sibi, solidaq; iam fiducia à se pendentes, indies magis innouat ad imaginẽ filij sui, donatos omni sanctimonia & iustitia, hoc est uita æterna & cœlesti gloria.

Quid ergo dicemus ad hæc? Si deus pro nobis, quis contra nos? 26

Inardescit suo more, & spiritu fiduciæ impletus interrogat, Quid ergo dicemus ad hæc? Innuens neminem credentium his ulla ex parte posse refragari, unde & læta conscientia dicit, Non placebimus nobis, de tanta dei circa nos digna-

tione? non gloriabimur in deo nobis sic propitio? Hoc est quod dicit, Quid ergo dicemus ad hæc? Vnde subiicit, Si deus pro nobis, quis contra nos? Qua interrogatione urget hanc confessionem, Christianos à nemine posse lædi, deum enim qui solus facit omnia, cum pro nobis sit, cum pater & seruator sit, haud posse non omnia in nostram attemperare salutem, præsertim cum ad hanc nos destinarit ab æterno, iamq; etiã uocarit, eamq; etiam fide contulerit, spe facta eius consummandæ aliquando in nobis. Attamen quũ istam dei in nos bonitatem nunquam satis agnoscimus & perpendimus, subiicit alteram rationem, à beneficio dei per Christum, quo sanè pater cœlestis infinitam in nos charitatem declarauit.

27 Qui enim proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?

Cui quis uult amplius parci, & seruatum æque cupiat atq; proprio filio? Imò quid non impẽdat quis, ut saluum habeat filium? At deus sic pro nobis est, sic nostræ saluti studet, ut quo nos æternum salui essemus, non solum filio suo non pepercit, nec eum quouis modo pro salute nostra impendit, sed tradidit ipse eum in mortem. Idem dominus quoq; prædicauit Ioan. 3. Sic deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, &c. Quod hic Apostolus per proprium filium, id dominus per unigenitum expressit: nempe uerum Christum deum & hominem. Et secundum utranq; naturam uere proprius & unigenitus est dei filius. Secundum diuinã, quia uerbum dei & splendor characterq; substantiæ eius: secundum humanam naturam, quia id sanctũ quod in diua uirgine natum est, filius dei uocatur. Hinc sanè homo dominus Iesus, quia omnino secundum humanam naturam imago est dei inuisibilis, ingenium dei præ omnibus filijs dei referens & exprimens, unigenitus & proprius filius dei est, per quem omnes nos id consequimur, ut & ipsi per adoptionis gratiam filij dei simus. Quomodo ergo non & cum eo donabit omnia? Etenim ut nihil obesset nobis, prodessent autem & adiumẽto nobis essent ad salutem omnia, hoc est, ut liberati peccatis æternam uitam uiueremus, deus filium suum proprium donauit. Ergo cum hoc depulsore malorũ, conciliatoreq; bonorum omnium, donauit nobis omnia. Quod quia per se liquet, interrogatione id extulit.

28 Quis accusabit aduersus electos dei? Deus qui iustificat, quis est qui condemnet?

Interrogationes istæ, ut uidetur, non rogant, sed instant, & fiduciam exprimunt ueritatis: ut cum interrogatur, Quis accusabit aduersus electos dei? poscatur responsio, Nemo. Et quod obiicitur, Deus qui iustificat, ratio est confidentiæ, quã interrogatio præcedens expressit. Deo enim iustificante & absoluente, quis ausit accusare? Et ut id quis ausit, & reos nos etiam peragat, præsto est satisfactio, mors Christi. Imò potens patronus, qui nos omni quamlibet merita cõdemnatione eripiat, Christus mortuus, rediuiuus, & ad dexterã dei sedens & regnans, hic enim intercedit pro nobis. Si igitur nullus ausit nos accusare, & si quis hoc conetur, frustra conetur, si eo patrono Christo freti sumus, qui omnem facile auertit condemnationem, nulli possumus utiq; malo obnoxij esse, imò nihil poterit nobis non adiumento esse ad bonum. Id enim à patre contendit nobis noster patronus Christus, & contendit merito suo, & contendit à patre, qui nos iam propter hanc filij sui interceſſionem iustificauit, & habet loco filiorum.

29 Christus Iesus, qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram dei, qui etiam interpellat pro nobis.

Exprimit

Exprimit Apostolus mortem Christi esse satisfactionem unicã & ueram pro nostris peccatis omnibus, si in ipsam speremus & credamus. Resurrectionem autem Christi ex mortuis, facere ad acceptationẽ huius satisfactionis apud patrem. Sedere autem ad dexteram dei, potestatem ostẽdit nobis omnia conficiendi quæ uelit, authoritate diuina & patris, ut nullo aliorum quorumlibet sanctorum meritis adiuuari cupiamus. Intercessione autẽ Christi docetur, uoluntas & studium Christi de nostra salute. Solet autem Apostolus adducere mortẽ, resurrectionem, & summam Christi potestatem, quæ significatur per Esse & Sedere ad dexteram dei, quoties confirmare studet sanctis fiduciam salutis in Christo. Quia in his dei uoluntas de nostra salute plene cognoscitur, quæ scilicet salutis nostræ caussa est prima: qua cognita, de salute nostra dubitare non possumus. Fide certa creditum fuit sanctis patribus & prophetis semper, Christum morte sua peccata electorum expiaturum esse, & resurrectione eiusdem communionem uitæ beatæ illis adducturum, adq; perficiendam hanc beatam uitam in cœlis suprema potestate regnaturum. Horum autem admonuisse magnum momentum habebat, ad confirmandum fiduciam in deum, in qua nimirum cardo pietatis, omnisq; salutis uertitur. De sessione autem in dextera dei, uel translatio est à summis principibus, qui ijs quos apud se primos habent, & uolunt suprema potestate pollere, concedunt esse sedereq; sibi proximos, & à dexteris, ut Salomon matrem, & Christus filios Zebedæi. Sic dum Christus dicitur in dextera dei, illud indicatur quod dixit discipulis, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Et sciens Iesus quod omnia ei pater dedit in manus. Hanc potestatem celebrat Apostolus ubiq; summo studio in suis Epistolis, ad Ephesios, Philippeñ. & Colossen. Qui etiã interpellat pro nobis. Et est hæc quoq; trãslatio ab intercessione hominum, cum ij qui gratia ualent apud principem, ueniam orant his qui principem offenderunt, ac ita precãdo inter principem & illos intercedunt. Sic intercedit pro nobis ad deum satisfactione sua dominus noster Iesus Christus, cuius sanguis est iugis propitiatio pro peccatis nostris, & omnis gratiæ dei impetratio. Secundũ hanc Christus mediator dei & hominum prædicatur, & aduocatus dicitur, id quod proprium ipsius est, & ei soli competit, quia sic à patre constitutus est mediator, & aliorum nullus. Quanquam autem & homines orent unus pro alio deum, & sic quoq; intercessio dici possit, dum utrinq; uiuitur, nihil tamen de mortuis scriptura memorat intercessoribus. Solus Christus intercedit ad patrem pro electis pro officio suo, qui & solus est inuocandus ut mediator. Sanctorum quoq; animæ in cœlestibus, non carent uotis pijs pro salute multorum, & pro gloria dei amplianda: uerũ huiusmodi uotis carere non possunt, iam plene beati, & in zelo gloriæ dei cõsummati. Sed non sunt à uiuentibus inuocandi, quando nulla scriptura doceat eos scire quid cogitent mortales. Et quicquid boni agere & uelle possunt sancti in cœlis, hoc uolunt & agunt sua sponte, non essent rogandi. Et longe clementior deus est ad electos, q; aliquis sanctorũ, uel omnes sancti. Docuit deus quomodo nos orare cõueniat, de intercessione sanctorum monuit nihil. Dilectissimus filius à patre repelli non potest sapienti, amoroso & summe benefico. Merita sanctorum non pendẽt, nisi à sola solius dei gratia, de quibus nemo sibi blãdiatur, qui sumus omnes serui inutiles. Solius Christi meritum sufficit omnibus electis, & abundat in infinitum, & bonitatis diuinæ abyssus est, & credatur, de quo fonte hauriunt & abundant.

Quis ergo nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius?

Sunt magni qui hunc locũ intelligunt de dilectione dei, qua nos deum diligi mus per Christũ, qui de uolũtate patris tanta pro nobis passus est & egit, simulq; interpellat pro nobis, ut nihil prorsus trepidemus accedere eum, & apud ipsum consistere, & eidem adhærere, optime sperare, etiam si totus mundus sese opponat fidei & charitati dei. Alij similiter magni, intelligunt de dilectione, qua sancti certi sunt sese diligi à deo, & diligi quoq; in finem, adeo ut nemo ausit nos accusare apud eum, multo minus possit condemnare. Deus enim iustificat, & Christus nostram causam agit, fidus & potens omnia nobis perficere patronus. Vnde colligit, Si deus pro nobis, quis contra nos? & quis nos separet à charitate dei? Hæc enim omnia eo faciunt, ut non dubitemus quæcunq; inciderint, ea oportere esse nobis adiumento ad bonũ, eoq; boni consulenda. Tribulatio, ait, & angustia &c. His uocibus uidetur in genere significasse quæcunq; molesta sunt & premunt. Persecutionem dicit, hostilem infectationem, qua hostes Christi q̃primum extinguere sanctos satagunt, qualem persecutionem Apostolus sæpe sustinuit. Ea uero quia depellit ab amicis, sæpe etiam amicis ob humanã imbecillitatem spoliat, reddit extorres, facile sequitur Fames & nuditas, hoc est, rerum omnium inopia, quæ ad uitam præsentem sustentandam necessariæ sunt. In his autem quid aliud quàm certum & summum sit uitæ discrimen? unde subijcit Periculum. Sed non solum in mille discrimina sancti inducuntur, sed crudelissime etiã cæduntur, addidit ergo & Gladium. Hunc uidẽtur ista inter se ordinẽ habere, quæ Apostolus hic coniunxit, Afflictionem, angustiam, persecutionem, famem, nuditatem, periculum, gladium. Voluit hic dicere, quæcunq; animum grauant & premunt, quę solent omnia cumulo inferri ex persecutione, quæcunq; summe molesta dimouere nos non poterunt à dilectione dei, qua & deus nos diligit, & qua deum quoq; nos diligimus.

31 Sicut scriptum est, Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis: sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.

Probat ista sanctis competere ex Psalmo, tali argumẽto. Sanctis proprie competit, ut propter deum quotidie mactentur, non poterit igitur ulla aduersitas argumentum esse illos minime diligi à deo, hoc est excludere deum eos à dilectione sua. Perpetua est enim dei ad nos dilectio, ideo oportet à fauente nobis deo attemperari omnia in salutẽ, & nos esse saluos. Ne autem uideretur de suis uiribus tam effuse gloriari, subijcit unde sit hæc sanctis tanta tolerantia, Sed in his, inquit, omnibus. Magnifice dictum In his omnibus. Sanctis enim nihil non bono est. At qui unde hæc tanta nobis uirtus? Per eum qui dilexit nos. Psalmi autem huius & uersuum horum expositionem suo loco inuenies. Hic autem uidetur argumentum esse diuinę indignationis, multis laborare aduersis, at sancti eam opem domini in aduersis experiuntur, ita adiuti spiritu dei superuincunt omnia, ut hinc plenissime demũ discant & sentiant, quãtopere diligantur à deo, & quàm sint indulgentia eius beati.

32 Certus sum enim, quia neq; mors, neq; uita, neq; angeli, neq; principatus, neq; uirtutes, neq; instantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro.

Rationem hic reddit prę missæ gloriationis, & quasi insultationis huius, Quis nos

nos separabit à dilectione dei? an tribulatio, an angustia? &c. Persuasus, inquit, sum, quod nulla prorsus creatura me depellere potest à dilectione dei, securus enim sum de istis, quæ fideles patimur, quæ satan nobis concitat, ut à domino nostro Iesu Christo deficiamus, quasi nullam habente de nobis curam, aut certe nos odiente. Deus autem qui dilexit nos, hoc est, immensa nos & sempiterna dilectione est complexus, hic donat spiritũ suum, quo euincimus omnia mala, & perstamus in fide Christi immoti. Glorior autem pia confidentia in domini gloriam, & fratrum confirmationem, ut neq; mors, neq; uita, &c. Magno affectu prædicandi quæ ipsi erat securitas in domino, & esse debet omnibus Christo credẽtibus, enumeratione ista uoluit clarissime exprimere, quicquid uspiam est uel apparere possit formidabile, uel ad lædendum potens, siue in uita, uel dum uiuendum est, siue in morte, si sit moriendum, posse nobis auertere dilectionem dei, quod alienet à nobis deum, eiusq; nobis fauorem imminuat. Per angelos uidetur intelligere nõ malos tantũ, qui incitant nos ad omnia mala, maxime autem à fide in Christum, sed etiam bonos, & hoc forsitan magis præcipue, ut insit ea hyperbole huic dicto, qualis inest illi, Si angelus de cœlo euangelizet uobis, præter id quod nos &c. ut glorietur Apostolus de ea certitudine diuinæ in nos dignationis, quam nequeãt intercipere etiam boni angeli, si possent hoc uelle. Et non solum nequeant id angeli infimi ordinis, sed nec principatus, & isti qui ampliore quocũq; imperio fungentes. Virtutes quoq;, qui mira & potentia efficiunt, ultionemq; dei exequuntur in malos, quales erant qui euerterunt Sodomã & Gomorram, qui diuiserunt mare rubrum, & alia ædiderunt pro populo dei contra hostes eius magnifica miracula, ut uirtutes dicantur. Hunc autem esse ordinem rerum, scriptura aperte satis indicat, ut per spiritus cœlestes hæc inferiora regantur, & in his cuncta administrentur. Cum itaq; angeli legãtur passim præsides & moderatores regnorum, dominiorum, potestatum, principatuum, uidentur à Paulo hac de causa uocari hisce ipsis nominibus, quibus opus illorũ exprimitur, dicíq; ipsos quoq; potestates, dominationes, principatus, quia curant res hominum, iuxta ordinem à deo illis decretum, suntq; throni & regij præsides populorum. Porrò, quia peccata nostra merentur, ut & malis angelis sua sit in orbe potestas, etiam non absq; certo ordine distribuit Paulus hos quoq; malos angelos, rectores mundi tenebrarum huius sæculi, in principatus & potestates, ut Ephes. 6. & Coloss. 2. Hic autem uidetur de utrisq; intelligere, quum iactat nullos principatus, nullasq; uirtutes posse nos separare à dilectione dei. De angelis quid nos scire oporteat, sacra tradit scriptura. Docet esse bonos angelos, qui pro salute nostra aduigilent, & cũcta nobis in bonum administrent. Siquidem deo & Christo domino nos permittimus, bonitatem dei commendat, & fidem nobis in eam corroborat. Esse quoq; malos, qui nihil omittant quo nos perdant, adfligãt: id reddit nos cautiores, & compellit ad quærendam opem Christi. Hæc ergo, ut salutem nostram adiuuãt, reuelata sunt abunde in arcanis literis, & multis admodum locis contestata. Qui autem utrisq; angelis ordines, quæ sint proprie functiones, & huiusmodi, quia per se pietatem nõ promouent, spiritus sanctus ea nõ exponit, quia nõ putauit nobis esse frugifera. Præsentia & futura, intelligit res præsentis sæculi quæcũq; & futuri. Sicut per celsitudinem & profundum res supernas & infimas, Hebraismo apostolis familiari. Voluit hic Apostolus cẽpleníssime exprimere nihil uspiam esse, quod ualeat nos excludere dilectione dei, ideo istis usus est diuisionibus, quibus totam rerum uniuersitatem exponeret. Neq; creatura alia, id est, si quid præter hæc quæ enumeraui esse poterit uspiam, id quoq; noui quicquid demũ sit aut ualeat, haud ta-

men posse nobis dilectionem dei auertere. Quodq; id non sine euidẽti argumento diceret, subiecit, Quæ est in Christo Iesu. Sic ergo abunde deuicit, oportere nobis cuncta esse adiumento ad salutem. Quia autem Christus summum argumentum est diuinæ in nos dilectionis, repetere uerbo uoluit istam dilectionem dei talem, in domino nostro Iesu Christo exhibitam esse, & sic elucere, ut nemo Christo credens de ea unquam dubitare possit.

CAPVT IX.

1 VEritatem dico in Christo Iesu, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in spiritu sancto, quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo.

Probauit hactenus Apostolus & confirmauit, solam fidem iustificare: nunc tribus sequentibus capitibus tractat de abiectione Iudæorũ ad tempus, deq; uocatione gentium, interim uehementer inculcare studens, nullis operibus, nullis ceremonijs legis, nulla denicq; prærogatiua generis uel gentis salutem donari nobis, sed sola dei gratia & misericordia, in quam solam respiciendum esse, & in nullam omnium hominum personam. Quia autem Iudæi per Romanum imperium totum dispersi, iam tunc quoq; & magno numero Romæ habitãtes, stante adhuc Hierosolyma & templo, cum sacrificiorum ritu utcunq; delato per malos pontifices, ubicq; locorum contra Christianos, tam ex Iudæis ubicq; conuersos, q̃ ex gentilibus passim contendebant, sese præ omnibus populis à deo electos, & ut uelut peculium habitos, solos donatos lege & uera religione instructos, Christi quoq; promissione cohonestatos ex eorum prosapia nascituri. Denicq; ceremoniarum & obseruationum erant superstitiose studiosi, quasi tanto sanctiores essent, sine quibus nemo domino placere ualeret. Contra hæc pariter Apostolus ubicq; uerbis & scriptis laborat, & suadet multis & fortiter in hoc capite, promissiones de Christo factas respicere, non quoslibet Israelitas, qui tunc Iudæi dici cœperãt generali nomine, quamlibet essent de cæteris omnibus tribubus, sed ad hoc electos diuinitus: qui legem & prophetas amplecterent magis q̃ traditiones Iudaicas & humanas, & qui fidei Abrahæ potius responderẽt factis & moribus, q̃ legis nunquã seruandis operibus, & ceremonijs non nisi Hierosolymis iuxta legem transigendis. Sed & iudicium domini nunc manifestum cerni in eos Iudæos, qui tempus uisitationis suæ non agnouerunt, carnaliter omnia intelligẽtes de dei cultu, & regno Messiæ pompatico & carnali, nihil de fide & cultu dei uero, qui consistit in spiritu & ueritate. Quando eo tempore pauciſſimi erãt ex ea gente, quos deus numero uerorum Israelitarum cooptasset, qui fidei iustitiã, quæ sola est, aliquid æstimarent: sed operas iactarent suas, & eas admodum contaminatas, & sine fide deo abominabiles testimonio prophetarũ omnium. Hæc autem & alia quædam consequẽter ostensurus, præmittit hic sanctam ac uehementem cõtestationem, qua profitetur ineſſe sibi incomparabilem gentis suæ Iudaicæ amorem, proq; omnium eorum salute promouenda maximum & religiosiſſimum zelum, quo remoueret à se suspicionem, qua laborabat apud gentem suam Iudaicam, quasi eis esset maleuolus, & legis dei auersator, & persequutor religionis paternæ. Huius autem zeli & amoris in Iudæos causas multo urgentiſſimas subijcit, ut uideatur iurare & testificari, ut merito credatur ab omnibus. Sic autẽ dicere uidetur, Vnice diligo Iudæos, & salutem eorum expeto, desiderio quo nihil potest esse maius, ut pie credentes Christo iam fidelibus, non putent me quicquã damnare eorum, quæ uel in scripta dei lege & prophetis, uel in ceremonijs eius legitime obseruatis,

tis, Iudæi hactenus ut sacra per orbem non falso prædicauerunt iuxta legem, & uerbum domini ad se factum, si tantum uel legitime intellexissent, uel in fide uera & iustificãte domino detulissent cultum & ceremonias. Veritatem, inquit, dico, idq; non humano motu, sed per Christum actus, & dico ueritatem certam, nihil enim hic mentior. Cuius ueritatis testimonium mihi perhibet ipsa conscientia mea, absq; ulla dubitatione, quę non ex humana temeritate mihi adest, sed ui ipsa spiritus sancti permoueor, qui istud sentit in me, & de me testificatur, ut id sancti omnes de se credant, ne odio Iudæorum quicquam per se fieri putent, quo plus ponderis haberent ea quæ oportebat contra cæcitatem Iudaicam proferri. Quoties autem in mentem ueniebat perditio Iudęorũ, ob perfidiam contra Christum, ueniebat autem continuo, aliud non potuit q̃ dolere & cruciari, diligebat enim eos solide in Christo. Hoc uero contrarium non est ei quod ad Philippẽ. scribit, semper gaudendum. Sicut enim simul semper attollebat mentem in iusta dei iudicia, & in exhibitam nobis beneficentiã: sic tanto maiore gaudio mens eius perfundebatur, quã dolor de exitio Iudæorum affligebat, quanto gratia facta sanctis multo maius bonum erat q̃ euersio Iudæorũ malum. Ob quam uero rem ita doleat & excrucietur non exprimit, id quod affectus quidem uehementia factum est, sed ea non incõsulta, ut necesse est esse omnia spiritus sancti. Quod enim ei erat adeo intolerabile excæcatos eos esse, & à deo reiectos, noluit ilico nominare.

Optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, 3
qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ.

Ostendit inde sibi esse tantum mœrorem & dolorem, ob exitium huius gentis, quod optarit utiq; in excessu mentis, tantum respiciendo ad bonũ gentis non proprium, & ad magnitudinem gloriæ dei, esse se à Christo proscriptum & reiectitium. Tanti autem redimere Iudæorum salutem, non poterat esse nisi syncere & ardenter amantis, non tantũ gentem illam, sed & deum ipsum, in cuius honorem & gloriam tanto affectu ferebatur, ut uellet eum habere dignos cultores Iudæos omnes, & non tantum gentes omnes, quarum erat Apostolus designatus, unde & illorum salutem suo exitio redimere in lucro posuisset. Sic & Moses amabat populum suum ardentissime, ut solent uiri dei, eoq; ferre non potuit illos perire. Cumq; sua nusquam quæreret, sed tantum quæ populo cõducere poterant, sua perditione illoꝝ redimere uolebat salutem. Quando uero ista orabant utriq;, totum animum habebãt defixum in exitio tanti populi, quem cum ex spiritu dei diligerent maxime, nihil aliud cogitare in ista extasi poterant, quàm si quo pacto possent eripere illos ab euersione æterna & morte. Quare ut sunt sancti suiipsorum prodigi ad oñia, nihil illis prius occurrit, q̃ ut deo sui commutationem pro redemptione populi Israelitici offerant. Isti excessus deo placent, quia ex uehementi charitate dei, & zelo salutis animarũ proueniunt quæ deo gratissima sunt. Anathema autem intellexit Paulus hic reiectionem à felicitate quam haberet in Christo, eam auertere tantopere quærebat à Iudæis, id est à Christo deuotum, ut pereat inæternum. Pro fratribus, ait, meis, hoc est mihi charitate & sanguine coniunctissimis: unde & addit, Cognatos secundum carnem, hac enim in re ingens causa est uis amoris. Qui quidem sunt Israelitæ. Non ex uulgo hominum fratres aut gentiles, sed ex nobilissimo genere totius orbis, quos non mea solum, sed & dei causa, plurimi faciant omnes, à deo Israel cognominatus in lucta cum angelo deum repræsentante, cui & benedixit, & à dei potentia nomen imposuit, quia deum & homines euicisset. Sic autem sunt omnes electi dei, qui in deo possunt o-

mnia, per quos deus operatur magnifica. Est ergo in nomine Israel insignis dignitas, quæ est, habere in potestate sua deum & homines, & omnia. Nam diligentibus deum omnia cooperãtur in bonum. Hæc dignitas Iudæis præ omnibus mortalibus donata fuerat, maxima ergo causa erat, cur diligeretur à Paulo.

3 Quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa: quorum patres, ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia deus benedictus in sæcula. Amen.

Singula decora quæ huic populo diuinitus sunt collata exequitur. Fides in deum donata fuit huic populo, ea communionem tantam diuinitatis cõciliat, ut hinc filij dei dicamur & simus. Imaginem dei uero iudicio sanctoq; rerum usu ac studio iuuandi quoslibet referentes in hanc sortem filiorum dei, & si imperfectiorem ea quæ nobis per Christum contigit, Israelitæ primi asciti sunt. Seruili spiritu præditos fuisse ueteres Paulus prædicat, & nobis propriam quodammodo facit adoptionis gratiam, sed instituit eo ostendere excellentiam doni, quod nobis præ illis contigit, non negare & illis datum, esse filios dei, quamuis sub pædagogo & tutore constitutos, & dominos esse omniũ. Et gloria, decus, dignitas. Ea erat præclara dei dignatio, qua in filios eos assumpserat, lege ueraq; religione donauerat, eorum uotis aderat, fouebatq; ut pater filios. Gloria illa erat consortium diuinitatis in sacramento, signis, & uerbis, quod illis præ omnibus gentibus donatũ fuerat. De qua gloria Deute. 4. Quæ gens sic ingens, cui dij sic adsunt, ut adest nobis dominus deus noster, dum ipsum inuocabimus? Quæ gens, cui sint adeo iustæ ceremoniæ & leges, sicut est omnis hæc lex, quam ego hodie do uobis? Et testamentum, id est pollicitatio, quę fœderis rationem in se habet, qua se deus populo promittit fore pro deo, id est seruatore, sic ut illi uicissim ipsum debeant colere ut suum deum. Huiusmodi pacta subinde deus pepigit cum Israelitis: primum & sæpe cum Abraham, Isaac, Iacob, & populo toto in Aegypto, qualia & leguntur in Iosue & Deuteronomio. Promissorum autem nomine intelligit alias quoque promissiones, quas dominus huic populo subinde fecit, de ope ferenda contra hostes ipsorum, singulariter autem de Christo Messia. Legislatio & cultus uel obsequium intelligit sacras ceremonias, & cultum soli deo dignum & competentem. Significat autem huiusmodi cultus, priuatum & publicum obsequium & ministerium ultroneum, & mercede cõductum, siue dei siue hominum. Hoc loco Paulus hoc nomen λατρεία pro cultu dei usurpauit. Quorum patres sunt &c. Cum sit certa dei promissio, benefacturum se in mille generationes, eis qui sanctos haberant patres, si deum colant, & ei obediant, constat magni habendum sanctos habuisse patres. Et cum gratiæ singularis fuerit, Christum assumere ex Iudæis carnem, & cognatũ carne habere Christum, per se id præclarum donum est, & si solum & sine gratia fidei nemini prodesse possit. Certe dominus fratrum suorum secundum carnem, etiamsi plerique increduli essent, præcipuam tamen rationem habuit in offerenda & communicanda sua salute. Quàm multa deus genti Hebræorum benefecit, propter Abraham, Isaac, Iacob, Dauid, & sanctos alios? quãto plura igitur propter Christũ. Quin & per omnia sua membra lucem dignationis diuinæ infert suo modo, quibuscunq; se adiunxerit ex ultronea & gratuita beneuolentia dei. Quod ut appareat, fuit aliquando, ut ex malis parentibus nati, præcipuum tamen locum in corpore Christi percipiant, & qua nati ex sanctis, degenerent & euadant scelesti. Qui est super omnia deus &c. Exclamatio intelligi potest in hunc sensum, O uere nobiles & beatos Iudæos, sua si bona nouissent. Ex istis

natus

natus Christus est, Messias, rex mundi totius, cuius regni nō erit finis, qui nouit abscondita cordiū, & regnat in omnibus. Ille qui in omnibus & super omnia exístit deus laudandus. Est Christus in omnibus, & consistunt omnia per ipsum, sicut & condita sunt omnia. Ideo laudandus cū patre super omnia. Et hoc quidem ex illo consequitur, Quia enim in omnibus est, & facit omnia, idq; optime, & est ideo super omnia, merito agnoscitur esse super omnia prædicandus. Est em̄ deus in Christo, & Christus est deus, quia uerbum incarnatum, quod erat deus, & per ipsum facta sunt omnia, & consistunt, seruat in se sperantes, & iudicat omnes.

Non autem quod exciderit uerbum dei, non enim omnes qui ex cir- 4
cuncisione sunt Israel, hi sunt Israelitæ, neq; qui semen sunt Abrahæ, omnes filij.

Exposui, inquit, quantopere diligam Iudæos, adieci causas, quia populus dei, & filij tantis à deo bonis cumulati. Istud uero iure de istis sentio. Non enim fieri potest, ut fides oraculorum, quibus deus huic populo salutem promisit, excidat: quamlibet multi interim salutem hanc pertinaciter à se repellant. His ergo oraculis dei fretus, summa dilectione gentem istam prosequor, utcunq; pauci nunc dignationē dei in se agnoscant. Nec enim omnes quoq; Israelitæ sunt, qui ex Israel nati. Esse enim de populo dei, pendet non à carnali cognatione, sed ex gratuita & libera electione dei. Necesse autem fuit aliquos tum seruari ex hac gente, in quibus deus hasce promissiones præstaret. At non consequebatur, singulis qui carne ex Abraham genus ducunt, Christum communicari oportere, neq; enim singulis promissiones illæ factæ sunt. Semini dicit scriptura simpliciter, & intelligit electum, cui secūdum carnem multi adiūguntur, qui ei apud deum nequaquam adnumerātur. Sicut enim ex gratia Israelitas elegit, sic ex Israel iuxta carnem elígit sanctos, quos compotes fecit promissionum suarum. Quin & ex gentibus semen Abrahæ sunt, quicunq; deo uero credunt & eius uerbo, Christū promissum & expectatum gentibus amplectūtur. Qui caput est huius quoq; seminis, qui & semini Abrahæ inserūtur, ut sint de gente sancta colentium & amantium deum. Quamuis hic Paulus de semine loqui uideatur nato ex carne Abrahæ, in quibus adhuc latet semen dei, cuius olim reliquiæ saluabuntur.

Sed in Isaac uocabitur tibi semen. Id est, non qui filij carnis, hi filij dei: 5
sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine.

Oraculum istud lege Gene. 21. Per Isaac, inquit, uocabitur tibi semen, hoc est, genus sanctum deducetur tibi per Isaac. In quo oraculo aperte deus ex sola electione sua discreuit inter semen Abrahæ. Vterq; enim, Ismael & Isaac, ex Abraham geniti erant, & Ismael prior. Nec adeo referebat quod natus esset ex ancilla, filij siquidem ancillarum Iacob cum filijs liberarum, æquam hæreditatis portionem adierunt. Nec ulla ex parte inferiores illis habiti sunt, proinde quæ promissa erant semini Abrahæ, uidebantur æque pertinere ad Ismaelem, & propter primo genituram amplius quàm ad Iacobum, sed ut uideremus deum quidem genti isti sanctę natis ex carne Abraham præstare, quam promisit salutem: & tamen non propter carnem istam, sed ex ultronea sua dignatione istud fecit in semine isto discrimen, ut Isaac qui natus erat ex semine Abrahę assumeret, Ismaelem natum ex eadem carne repudiaret.

Promissionis enim uerbum hoc est. Secundum hoc tempus ueniam, 6
& erit Saræ filius. Non solum autem illa, sed & Rebecca ex uno concubi

tu habens Isaac patris nostri.

Promissionem intelligit semper gratuitam, pendentem à sola dei beneuolentia, non ex meretis operũ: unde quod hic promissionem dicit, postea dicturus est electionem, quæ constat non carnali cognatione, ut quis Israelita uerus dicatur, & de populo dei, particeps promissionum factarũ peculiariter huic populo. Probat autem institutũ hoc ex quatuor oraculis, duobus æditis de Isaac, alteris duobus de Iacob. Primum iam uisum est ex Gene. 22. Secundum ex Gene. 18. quod æditum est antequam natus esset Isaac. Secundum hoc tempus ueniam, hoc est, reuoluto ferè anno, iuxta hoc anni tempus ueniam, & habebit Sara filium proprium, qui erit promissionis filius, præfinitus in hoc, ut sit germanus filius, qui reputetur in semen, in certum & uerum genus, non secundum eos qui carne tantum genus ducũt ex sanctis. Singularis enim ista de Isaac promissio argumento fuit singularis electionis, à qua sola est, ut quis sanctificato semini adnumeretur. De Ismaele siquidem nulla talis Abrahæ facta est promissio. Solet enim deus eos ante promittere, quos ad magna destinarit. Est ergo in Isaac ostẽsum, eos tantum accensері populo dei, generi sancto, quos certo deus ante apud se in id delegerit, ac inde in generali illa promissione seminis sancti promiserit. Quia autem Isaac ut Ismaeli præferretur, & pater selectæ posteritatis fieret, non ab eo accepit quòd fuit natus carne ex Abrahã, sed quod deus id promisit antequam nasceretur, eo satis indicatũ est, cum deus generali pollicitatione promittit sibi liberos, quibus communionem salutis exhibeat, eos duntaxat ex liberis intelligere, & salutis huius participes facturum esse, quos ipse in id deputarit, sicut hic Isaac deputauit. Non solum autem hoc contigit Abrahæ & Saræ, ut oraculo ostenderetur ipsis, utrum ex filijs eorum deus dignaretur accensere suis, sed & Rebecca ex uno patre nostro Isaac conceptum habens, oraculum huiusmodi accepit, generalemq; promissionem didicit, pro arbitratu dei determinari, ac definiri ad eum quem delegerit deus.

7 Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, ut secundum electionem propositum dei maneret, non ex operibus, sed ex uocante dictum est ei, Quia maior seruiet minori. Sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui.

Altera hic sunt oracula duo de Iacob, ex Genesi & Malachia, quibus ostẽdit, omnia sita esse & geri in dignatione & gratia dei. Oraculum autem primum æditum esse, tum cum neuter adhuc boni aliquid uel mali fecisset. Finem quoq; addit, quem in his spectarit deus, ut propositum dei maneat secundum electionem, non ex operibus, sed uocante & eligente deo, ut uideamus promissa dei, & uniuersa bona pendere per omnia à sola electione dei, & gratuita uocatione dei, non ex operibus, hoc est ulla re quæ præstari queat ab homine. Submouet ergo simul & naturæ meritum & actionis, ut uocationem cõmendet & electionem. Vbi, inquit scriptura, grauior in utero Rebeccæ infantium collisio esset, & illa rogasset dominum, responsum accepit, eam gestare in utero duas gẽtes, & duos populos prodituros, alterumq; populum alteri pręualiturum, & maiorem seruiturum minori. Istud oraculum de utraq; posteritate Esau & Iacob æditum est antequam illi nati essent, nedum antequam boni aut mali aliquid fecissent. Inde ostensum est, electione omnia agi circa sanctos, foreq; ex semine sancto, ꝙtquot sunt iusti: quæro sint & futuri sint, istud est diuinæ electionis & prædestinationis, & à nobis certo cognosci nõ potest, nisi ex effectibus fidei, & inuocatiõis diuini nominis. Confirmatur

firmatur autē electionis gratia ex prophetia Malachiæ 1. ubi huius expositionem require. Destructi fuerant ob impietatem suam & Iudæi posteri Iacob, sed hos restituit dominus. Esau autem adeo reiecit, ut sit exemplum diuinæ ultionis, cuius montana redacta sunt in uastitatem, & in possessionem draconibus, qui insident desertis. Ex his autem Apostolus innuit Iudæorum excæcationem, & non esse illos filios sanctorum patrum, in quibus pollicitus deus fuerat se suam misericordiam per Christū illustrem redditurum. Esse quidem natos iuxta carnem ex illis, sed longe à fide & gratia degenerantes. Sed reiectos ob perfidiam à communione fidei, non aliter q̄ Ismael & Esau reiecti fuerunt à cōmunione populi. Proinde neminem debere offendi, eo quod isti Christi adeo aduersarentur, ut qui nequaquā de ijs sint, quibus Christus promissus est, quālibet carne sint filij Abrahę.

Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas apud deum? Absit. 8

Hac quæstione Apostolus præ se tulit more suo fiduciam ueritatis à se rite dispensatæ, ut sensus sit: Sic quidem ad hæc quibus liberam dei electionem prædicaui, inferre carnalis noster sensus soleat. Si, inquit, deus finxit ex nihilo omnes homines, deditq̄ cunctis eandem naturam, iniquum est ergo sic inter illos discernere, ut alios amet, alios odio habeat, etiam antequam geniti sint, & quicquid boni aut mali fecerint, huncq̄ amorem & hoc odiū sinat eo ualere, ut alijs donet æternam uitam, alios detrudat in mortem æternam. Apostolus uero ut indicaret q̄ impium sit tales admittere cogitationes, crassissima & summe impudenti ratione, hanc obiectionem contemnit, Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas est apud deum? Ad hanc interrogationem quis non iudicet respondendum esse id quod Apostolus respondet, Absit. Ex his quæ ego de dei electione prædicaui nihil tale consequitur. Nemini sacrorum mysteriorum studioso obscurū esse potest, ex his dictis de arcana dei electione, nihil minus consequi, quam tantam impietatem, ut ulla admittenda uideretur de iniquitate dei inquisitio. Hoc potius monere uolo quid religiosæ menti ad tam nefariam obiectionem respondēdum sit, id uero est, Absit. Seuera & constanti reiectione opus est in talibus obiectionibus, nulla disputatione. Quid autem religiosæ menti magis execrabile, q̄ audire tribui iustitiæ diuinæ iniquitatem?

Moysi enim dixit: Miserebor cui misertus sum, & misericordiā præ- 9
stabo cui miserebor. Igitur non uolentis neq̄ currentis, sed miserentis est dei.

Intelligimus ex his uerbis Apostoli, dominum præsenti oraculo uoluisse dicere, nullam aliam esse causam beneuolentiæ & fauoris sui, quàm ipsum suum fauorem & gratiam. Vult autem Apostolus nulla ratione admittēdam esse cogitationem, quæ deum insimulet iniquitatis, & ad inferēdum quod subijcit, Non esse neq̄ uolentis, neq̄ currentis, sed miserentis dei. Etenim si gratia & misericordia diuina in nos à seipsa tota pendet, nec potest extra se ullam habere causam, satis liquet, quocunq̄ ea feratur, & cuicunq̄ sese impertiat, nihil in eo posse admittere iniquitatis, & nostrū esse illam supplicite implorare, & religiose gratoq̄ animo amplecti, non autem inquirere, cur se alij impertiat, alij non impertiat. Etrursus, cum omnia salutis nostræ ab hac una dei misericordia pendent, & illa à nulla creatura uspiam inclinari aut prouocari potest, sed ipsa tota suæ & omnium beneficiorum, ipsa sibi omnis causa est, certe nihil nos uolendo aut currendo efficiemus, sed oīa pendere necesse est à gratuita illa & ultronea misericordia dei. Ratio quidem humana interim audiens omnia quæ deus nobis largitur, misericor-

diæ ſuę dona eſſe, nihilominus obijcere audet. Si, inquit, cum pariter omnes ſunt perditi & pariter figmenta dei, uidetur decere ſummam bonitatem, quę deus eſt, ut etiam ſi nolit paribus beneficijs ſingulos cumulare, qui nulli quicquam debet, non tamen alijs miſericordiam ſuam impendat tam largiter, ut æterna eos uita donet, alios autem ſic miſericordia ſua deſtituat, ut æternum perdat. Atq; Apoſtolus hoc loco omnino inſtituit, rationi humanæ os obturare, & cunctã illi cauſationem & iuſtificationẽ ſubmouere. Id ergo cum pleniſſime præſtet, ſubducta ratione noſtra in abyſſum diuinæ maieſtatis, cuius utiq; eſt omnia ex ſe & ſuo arbitratu facere, nulla prorſus extra ſeipſam re impulſam. Apparet in hunc ipſum ſenſum oraculum adduxiſſe, quem ipſa quoq; uerba admodum exprimũt. Quid enim ex iſto, Miſerebor cuius miſerebor, aliud accipias, q̃ miſericordiæ diuinæ nullam extra ipſam cauſſam eſſe, non decere deum alijs miſericordiam exhibere, quàm ijs ipſis, quibus illam exhibet. Eadem enim quæ dei miſericordia dicitur, ipſius quoq; iuſtitia eſt, quia eius natura eſt, quam nos nõ niſi ex ipſius operibus cognoſcere poſſumus. Proinde neq; uolentis eſt ut ſeruemur, & promiſſa dei conſequamur, neq; currentis, hoc eſt, conantis & ſatagentis, ſed dei uolentis iuſtiſſime, & miſericordiſſime, dantisq; fidem electis, ut talia amplectantur, & ſperantis de ſumma bonitate dei, quam & humiliter implorare, & deſiderare per Chriſtum ſtudeat, & anxie fiducialiterq; petere à domino, eo modo quo Chriſtus orare docuit, cætera diuinæ clementiæ commendando, quæ dat huiuſmodi uelle & poſſe. Si enim domini inter homines tantum ſibi honoris & authoritatis ſumũt in ſuos ſeruulos, tantã prudentię & iuſtitiæ exiſtimationem, ut indigni uideri uelint eoſdem ſeruulos de cõſilijs factisq; ſuis aliquid dubitare, tanquam parum certa ſint illa & iuſta, quamlibet illis uideantur in ſpeciem abſurda & iniqua. Si inquã homines ſibi tantum tribui uolunt, quanto iuſtius requirit deus, ut ſua iudicia ſemper ſuſpiciamus, iudicemus nunquam. Iure itaq; ſuo & bono noſtro proponit illa ſubinde ijs uerbis, quæ uidentur rationi noſtræ alieniſſima, ut ſunt, dimittere peruerſis cupiditatibus, tradere in reprobum ſenſum, excæcare, indurare, decipere, ueniſſe in iudicium, ut uidentes non uideant, abſcondere myſterium ſalutis à ſapientibus & prudentibus, & ſimilia. Diſcamus itaq; hinc agnoſcere, quicquid deus ſibi ſumit, id decere eum, & eſſe iuſtiſſimum, cuius rationem ſanctiſſimus ſolus ſciat, & rectiſſime uelit, etiam ſi nos ignoremus, qui longe minora neſcimus, nec citra confeſſam impietatem, cauſam eius perueſtigari à nobis poſſe.

10 Dicit enim ſcriptura Pharaoni: Qui in hoc ipſum excitaui te, ut oſtendam in te uirtutem meam, & ut annũcietur nomen meum in uniuerſa terra. Ergo cuius uult miſeretur, & quem uult indurat.

Videtur iſtud quod hic dicitur de Pharaone, ſignificare, non eſſe hoc myſterium paucis retegendũ, ſed laudem diuinæ maieſtatis omnibus mortalibus prædicandam, adeo ut in diuinas literas, uniuerſis mortalibus publicandas referendum fuerit. Oſtendit autem hoc oraculum, deum Pharaoni teſtãtem peſſimo homini, & in ſubditos miſeros alioqui ſua malitia duri & crudeli, & deũ contemnenti: ſe illum quoq; ſtatuiſſe & excitaſſe, uel in hoc opus ordinaſſe, ut demonſtraret in eo utiq; digne tractando & puniendo potentiam ſuam. Ex quo primum docemur, deum ordinare etiam impios & prauos ad ſuam gloriam, qui ex peſſimis rebus promouere poteſt, & ſolitus eſt optima. Quantum aũt iuris deo fuit, & quod per eum peſſimum egit, uel etiam per bonos bona, tantundem eſt ei in quoslibet, qui ex nihilo condidit ſolus uniuerſos. Quamuis enim tam impij ſua ſponte mala

agant,

agant, deus tamen illorum opera abutitur in suam gloriam. Et quocunq; se confert impius, & quicquid uult idem, deus tamen suorum salutem ordinat æque ex illorum pessima uoluntate, sicut ex bona. Ne sit salus nostra in uoluntate uel noluntate impiorum, sed in misericordia dei. Pharaonis certe malitia huc destinata est, ut ex ea exerceretur Israeliticus populus, & dei bonitas in suos inclaresceret. Sic sua malitia ille Pharao ferebatur, ut nulla eum quantumuis stupenda, portenta & prodigia, diuinam potentiam & uoluntatem aperte conuincentia, nulla tandem diuinitatis uel agnitio uel confessio, duritiam suæ malitiæ & perfidiæ emollire potuerit, ut dimitteret populum dei domino obediens, quem dominum fatebatur tandem. Ex hoc itaq; iudicio dei in impijssimum Pharaonem ædito, quod in omnes reprobos perinde ualet, abunde cernitur, non esse uolentis aut currentis, ut se homo prauus ad salutem conuertat, sed solius miserentis dei. Qui si non miseretur, homo nihil potest q̃ noxia uelle, & ad perniciem suam pleno cursu currere, ut fecit Pharao in sua malitia induratus, non sine causa dei, & id quoque in gloriam dei, ut patet. Recte igitur ex oraculo præsenti infertur, & id quod Apostolus subiecit, Deum misereri eius cuius uelit misereri, eis qui orant, humiliantur, credunt, admoniti uerbo dei, quod nulli non manifestat, & dictamine sensus communis, ne quis sit excusabilis: Et indurare eum quem uelit, qui scilicet nihil curat eorum quæ deus uult, uel loquitur, uel inspirat. Omnia pendere ab ipsius uoluntate, quę cum ex facto apparet, nullã nobis eius causam esse inquirendam, quia ipsa sibi causa omnium est, & ipsa iustitia, ne quis temere iudicare diuina audeat. Oraculum autem quod Apostolus adducit, uide expositum Exod. 9. & Iosue 11. Esa. 63.

Dicis itaq; mihi, Quid adhuc queritur? Voluntati enim eius quis re- 11
sistit?

Voluntatem cum dicit, notat deum ea uelle quæ homines mali uolunt, quos ad male agendum magis indurat, qui ut non resistũt inclinationi malæ & deprauatæ uolitioni, sed pergunt in malis, dei immemores & osores, sic nõ cessat deus uti malitia eorum ad suam gloriam, & ad exercitium profectumq; bonorum. Dicitur ergo deus uelle, ad quæ hoc modo indurat. Cum addit autem, Quis resistat, indicat uoluntatis dei potentiam uniuersalem, qua & bona uult bone fieri, & mala pessime facta digne punit, etiamsi diutius ferat, ut qui malus est, fiat continuo peior suo malo, hoc est male agentis. Ex his autem si quis eliciat, necessario fieri ea ad quæ deus indurat sicut Pharaonẽ, ne statim suo iussui obtemperaret dimittendo populum Israel: Voluit utiq; deus Pharaonem pergere sic deprauatum, ut deum quoq; contemneret, & suo iussui in finem nõ obtemperaret, imò repugnaret. Et tamen interim Pharao fecit pessimus, quod per pessimum fieri dignũ erat, & à deo præordinatum. Si uero hæc ratio humana nasute & nõ religiose perpendens, dicat, deum esse causam mali huiusmodi, & ideo non reprehẽdendum Pharaonem nec ulciscendum, sicut nec Dauidis numerationem, cuius uoluntatem dicitur deus immisisse in cor Dauidis, ut cogeretur ad peccandũ à deo, cum non possit in suo opere deus frustrari ad huiusmodi em̃ uerba scripturæ ratio humana arguit, indigne punire eos peccatores pro eis peccatis ad quæ ipse impellit, ut ipsa putat, & indurat. Ad hæc inquam respondet Apostolus.

O homo, tu quis es, qui respondeas deo? Nunquid dicit figmentum 12
ei qui se finxit, Quid me feciſti sic? An non habet potestatẽ figulus luti ex eadẽ massa facere aliud quidẽ uas in honorẽ, aliud uero in cõtumeliam?

Deterret Apostolus & depellit ab eo, ut iudicia domini iudicemus, ostendens hoc esse extremæ impudentiæ & impietatis. Id quod indicat ista acclamatione, Quinimò ô homo, & collatione hominis ad deum, ne quid pro quacunq; re uelimus uel audeamus disceptare cum deo, contradicere, & responsatorem sese præbere deo. Est enim homo aliud nihil, q; dei figmentum, ex se nihili, Deus autē ipsa iustitia est, & bonitas ac sapiētia. Quid ergo magis dedeceat magisq; impium sit, quàm hominē contradicere deo, disceptare cum iudicijs dei? Testatur de se deus, se misereri cuius ipsi uisum sit misereri. Credamus hoc simpliciter, & oremus ut nostri misereatur, & minime in malo indurabimur. Quis autem dicet se nō posse orare hanc ex corde orationem? Grati quoq; amplectamur misericordiam, qua nos deus complexus est. Testatur se indurare quos uelit, nimirū iam duros & impios, deum odientes uel contemnentes, dei uerba abijcientes, hos tractat pro meritis, qui se non possunt dicere uel sentire dignos misericordia dei, quā nec precari uolunt, uel implorare cogitant. Nostrū est, tribuere deo laudem iustitiæ, & gratias agere eius bonitati, qui nos non indurabit supplices & timentes deum, quāli bet peccatores. Oremus ne inducat in tentationē, rursusq; dicamus, Remitte nobis peccata nostra. Causam autem quare dat uni piam mentem, alteri non dat resipiscentiam, sed sinit pergere, non inquiras, dominus est, & iustus, & sapientior te, etiam iustior. Nihil ergo in eo mali suspiceris, qui optimus est, & fons bonitatis. Qui uult omnes saluos fieri, paratus omnibus ad salutem, qui neminem prohibet, sed mādat & adiuuat benefacere, quo minus se quispiam ualeat excusare. Nunquid dicet figmentum &c. Adhibet simile, in quo eius nos præcipue admonet, cum ex nihilo deus homines fingit, & ad usus suos deligit sanctos, & mundo necessarios, & pro electis, quibus omnia bene cedunt. Ideo non est omnino fas figmentum cōtradicere fictori, cum sit in manu figuli per omnia, liceatq; ei facere ex suo luto uasa qualia ipsi uisum est, ad usus honestos & sordidos, omnes tamen suo modo, & ad suum finem utiles, si non oīmibus, saltem sanctis. Admonet ergo nos præcipue Paulus in hac similitudine, ne putemus nos de deo queri posse, q^a deo ius est in nos. Qui tamen de mane semper cōsurgit, & admonet ad iustitiam. Nihil obmittit eorum quæ nos ad bonum hortari, & incitare possint & debeant, ea si quis per dei contemptum, quem non potest ignorare, & cuius sentit bonitatem, in se et in alijs pergat male agere, is tandē suo se iudicio necessario damnandum pronunciabit, & sero dolebit, qui nunc deum reuereri, & uerbis eius credere, & propriæ conscientiæ obaudire contemnit. Vnde satis liquet, non nos compelli ad mala, nec uoluntatem cogi nostram, sed deum iustum esse, bonum & fauorabilem figmento suo, & pro eiusdem bono promouendo nihil obmisisse unquam. Sancti ergo omnes domino semper summam iustitiā tribuunt in iudicijs dei, sibi uero culpam omnem, quicquid peccarint. Si quid boni agunt, loquuntur ex animo, uel uolūt, dei gratiæ & misericordiæ tribuunt. Si uero ratio eorum alicubi offenderit in iudicijs dei, statim eam comprimunt, spiritu illud sancto ingerente quod hic dicitur, O homo, tu quis es, &c. Nec unquam se immittunt in abyssum iudiciorum dei, ut ea excuterent, aut causas requirāt, sed ut iumentum sese præbent, ducendos totos se offerunt à dextera clementiæ dei, quæ eisdem abesse non potest, nec negare gratiam.

13 Quod si deus uolens ostendere iram, & notam facere potentiā suam, sustinuit in multa patientia uasa iræ, apta in interitum, ut ostenderet diuitias gloriæ suæ in uasa misericordiæ quæ præparauit in gloriam.

Causam

Cauſam cur deus ferat improbos, hic Apoſtolus innuit potius q̃ explicat, quando talia non decet pronunciare audacius. Eſſe eam, ut declaret iram ſuam aduerſus peccata, & reproborum malitiam, ut eam retundat, tum oſtendat ampliſſimam miſericordiam ſuam in electos, qua ſola illos ab eadem ira liberat, haud eſſe tamen, ut homo deum iniquitatis inſimulet. Sic autẽ dicit, Non licet figmento poſcere rationem à figulo, cur ſe ſic finxerit, ita multo minus poterit nobis fas eſſe, requirere cur nos deus ea cõditione fecerit qua fecit. Attamen ſi hæc omnis ei cauſa ſit, cur impios ferat in hac uita, ut in eis exempla ultionis ædat in peccata, & hinc formidandam potentiam ſuam, & ut infinitam in electos ſuos bonitatem manifeſtiorẽ faciat. Quid putas te, ò homo, habere quod in deo culpes, cum horum prima cauſa ſit domini dei uoluntas? Ea adoranda nobis potius eſt, q̃ iudicanda. Etſi plerunq; uideantur impij magis feliciter hic agere quàm pij, non ſine domini uoluntate. Facile autem ratio humana agnoſcit, ſummo bono nihil bonitatis & miſericordiæ abeſſe. Illud autem ea percipere non poteſt, quomodo conueniat, ut ſummum bonum fingat & ſuſtentet homines, in quos nihil quàm ſæuire ſtatuerit. Commẽdat uero Apoſtolus, & in impijs miſericordiam dei, cum ait, ferri hos à deo multa manſuetudine & lenitate, cum tamen ipſi facti ſint in perniciem, quam tandem incidunt & perferre coguntur. Sic enim deus, ubi extento brachio ſuo, id eſt inſigniter declarata potentia ſua, exterminauit Aegyptios, populumq; ſuum liberauit, trepidatũ eſt undiq; apud impios, Iſraelitæ autem exultarunt in domino, multi denicq; ex gentibus, qui potentiam domini didicerũt, uti de Rahab legimus, conuerſi ſunt ad deum Iſrael: inde dicitur deus exaltari, & extolli nomen eius, dum grauiora illa in homines iudicia exercet, quos ingenti lenitate ſæpe tandiu pertulit, contra deum tam immaniter inſultantes, idq; freti donis ipſius. Deinde admodum conuenit nobis appellatio iſta organi uel uaſorum, hoc eſt inſtrumentorum. Omnino enim hoc domino ſumus, quod inſtrumentum artifici. Niſi enim ipſe nos moueat, & ad opus adhibeat, ne mouere quidem nos ualemus. Hinc & hoſtes ſuos uocat deus uirgã ſuam & ſecurim. Hic autem dicuntur homines inſtrumenta iræ & miſericordiæ, ab ea ira & miſericordia quã deus in ipſis exercet. Ita ut uocantur filij mortis & iræ, qui morti & iræ deputati ſunt. Apta uel coaptata in interitum. Deus quidem etiã malis bene utitur tunc quoq;, quando illi agunt ſceleſtiſſime, & ſeſe præcipitant in interitum. Sic quoq; à deo ſancti dicuntur, ad exitiũ quidem ſuum, ſalutem autem ſanctorum. Et egit quidem ſua malitia Iudas, quod factũ eſt illi in interitum & æternã mortem, ut tamen interim eſſet organum uoluntatis diuinæ, cui tamen non adſcribenda eſt culpa in iſto malo, ſed ſalus ex malo ordinata mundi & omnium ſanctorum. Quicquid enim mali per Iudam contigit, hoc Iudæ quoq; imputandum, qui ex uaſis iræ conditus eſt ad interitum, quem ipſe ſibi ſuo malo minime coactus cõſciuit. Interim autem notas facit diuitias gloriæ ſuæ, hoc eſt opes bonitatis ſuæ, quam in ſanctis quos ſaluat ex gratia reddit illuſtriorem. Mali ſemper bonis moleſtiam exhibent & perniciem, quantum in ipſis eſt, inde fit, ut eorum extinctio ſit ſanctorum uindicatio. Ea autẽ uaſa miſericordiæ antea præparauit, tunc quando ea finxit, idq; ex ſua gratia, non eorum meritis. Præparauit autem eos ad gloriam, non quam illi mererentur, ſed quã liberalitate ſua daret electis figulus totius creaturæ, & paterfamiliâs, qui uineæ cultoribus dedit quantum & quibus uoluit, quia id ei licebat. Gloria autem eſt dei, ſanctificare & glorificare electos, idq; per Chriſtũ. Vrget autem Apoſtolus ſingulis quaſi uerbis, cuncta ſalutis noſtræ bona eſſe gratuitæ bonitatis diuinæ, indeq; ſemper illud inferre uult, non eſſe ergo inquiren-

dum, cur alium assumat, alium reiiciat.

14 Quos & uocauit, non solum ex Iudæis, sed etiam ex gentibus. Sicut in Osee dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectam: & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. Et erit in loco ubi dictũ est eis: Non plebs mea uos, ibi uocabuntur filij dei uiui.

Commoda transitione captata, ex eo quod differuerat de discrimine piorum & reproborum, uiam sibi sternit differendi de discrimine Iudęorum & gentium, quo deus tum illos habere cœperat, assumẽs q̃plurimos ex gentilibus, ex Iudæis autem paucos. Proponit quoq; deo uisum esse, non solum ex Iudęis, sed etiam ex gentibus uocare ad salutẽ. Non dicit autem, Ex gentibus multos, ex Iudæis paucos, quod tamen de Iudæis oracula exprimunt quæ adducit. Malebat istud ipsis oraculis efferre, q̃ suis uerbis, qui ad salutem gentem suam lucrari uolebat. Satis itaq; habuit in propositione, gentibus tantum communionem salutis cum Iudęis & post Iudæos asserere, nolebat adhuc gentes Iudæis præferre. Hoc ergo proponit: Deus uocauit non Iudæos solum, sed & gentes, in communionem salutis per Christum partæ. Ad hoc probandum utitur oraculo Osee, illo quo iudiciũ commemoratur in Iudæos exercendũ, quod & idoneum erat, ut ex eodem Iudæi minore offensione discerent uoluntatem domini etiam de gentibus. Nam ibi minatur deus Israeli & Iuda, eos ita abiiciendos, ut mererẽtur uocari ingrati, repudiati, & non populus domini. Vide proprio loco Osee 2. Vnde monere Paulus Iudæos uoluit, si ipsi hanc expectarent misericordiam, ut ex ingratis fierent amici: & ex non populo, peculium, non adeo alienũ existimarent à deo, si etiam ex gentibus sibi adiungeret, ut essent deo populus charus, uera fide & dilectione sibi inhærentes, longe perseuerantius q̃ unquã Iudæi fecerint: idipsum tamen non explicat, parcens ipsorum zelo & infirmitati, qua huiusmodi uerba ferre non potuissent. Mox autem ex Isaia ostendit, assumendas quidem Iudæorum reliquias, sed admodũ paucas. Ex duobus uero locis desumpsit quæ adduxit, ex primo uersu, & ultimo capitis secundi: & quæ ex ultimo sumpsit præponit. Ratio uero suo loco discatur. Iam uero coram domino filij Abrahæ & ueri Iudæi sunt, quicunq; fidem Abrahæ imitantur. Quales cum innumeri ex gentibus regno Christi adducti sunt, perq̃ idonea erat commonefactio Iudæis ex hoc loco, de eo quod statuisset dominus & gentibus misericordiam suam impendere, adductis Christo domino, quando futurus erat Iudæorum populus non populus dei habendus.

15 Esaias autem clamat pro Israel, Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiæ saluæ fient. Verbum enim consummans & abbreuians in æquitate, quia uerbum breuiatum faciet dominus super terram.

Hic loqui apertius de reiectione Iudæorum incipit. Prætendit autem offensioni Iudæorum authoritatem Isaiæ, & inducit clamantem, in quo uehementiorem attestationẽ innuit, qua percellere fiduciam Iudaicam instituit. Reliquias populi sancti uocat illas minutissimas reliquias populi sancti, quæ reliqua multitudine penitus consumpta & abolita seruandæ erant. Primum quidem restitutione ex captiuitate Babylonica, deinde & maxima conuersione ad Christum, exorta prædicatione euangelij. Tum quoq; reliquiæ illæ licet summe abbreuiatæ, iustitiam in uniuersum orbem uberrime inundarunt, & cognitione dei totum orbem reple-

repleuerunt. Quod uero diuus Paulus in adducendo præsenti oraculo secutus est uulgatam Græcorum æditionem, dedit Romanis fratribus, qui cum maiore parte ex gentibus essent, Græcam æditionem solam uersabant. Cum itaq; sensus conueniret, noluit Apostolus uel uideri derogare æditioni cui assueuerant. Virtute enim spiritus potius q̃ uerbis nitebatur in omni doctrina sua. Apud hunc autem prophetam clarum est, dominum hoc loci prædixisse, se maximã partem populi sui reiecturum: id autem imminutum, quod ex maxima illa populi Israelitici multitudine seruatum, esset iustitia omnia repleturum. Cætera uide suo loco capite decimo.

Et sicut prędixit Isaias: Nisi dominus sabaoth reliquisset nobis semen, 16
sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorra similes fuissemus.

Desumptum hoc est ex primo capite, ubi propheta indicat maximam populi reiectionem, cum affirmat futurum fuisse populum ut Sodomã & Gomorram, quæ penitus deletæ sunt, nisi dominus ex illo ceu semen aliquod reseruasset. Innuit tamen non plene abolendos fuisse. Eo autem quod semen seruandum prædicit, notat eorum qui seruandi erant paucitatem. Tam paucos enim futuros signi ficat, ut non ipsi haberi populus possent, sed uideantur tantũ in semen relicti esse, populi rursum excitandi. Hæc autem reiectio & diminutio, quanquam facta sit ab Assyrijs, Babylonijs, et alijs, tamen maxime hoc intelligi potest et debet de temporibus Christi. Qui iam fide, meritis & numero corã deo minuti, per Christum recolligẽdi erant, primũ quidem pauco numero, & quasi totius gentis reliquias, sed in immensum augẽdi fide, meritis & sanctimonia, qui ueritatis capaces erãt, & nunc sunt, per quos iustitia uera inundauit in totũ orbem. Fuit enim salus per Christum mundo inferenda, deliniata & præfigurata per præteriti sæculi liberationes, temporibus Ezechiæ, & alijs præstitas, in quã uniuersalem salutem illam prophetæ omnes respexerunt. Iste etiam typus salutis exhibitus est in restitutione populi ex captiuitate Babylonica, de qua incõparabiliter pauciores redierunt ad Iudæã, q̃ erant qui maluerunt permanere inter idololatras: sic multo amplior debuit fieri populi decimatio, ut essent uocati multi, electi pauci. Et res ipsa clarissime astipulatur huic ueritati, quando per Romanos sic deleti & uenditi sunt Iudæi, qui euangelium Christi & apostolorum prædicationes spreuerunt, secundum quod prędictum fuerat per prophetas, quia reiecti sunt à gratia, qui tempus uisitationis agnoscere noluerunt, & mundanæ potentiæ Messiam habere uolũt, non animarum saluatorem. Sed sic erat iudicium domini, ut ad Christũ quidem initio regni eius & progressu paucissimi Iudæorum conuertãtur: eos tamen qui ad eum cõuersi sunt, debuisse esse ceu semen populi dei, & iustitiam ueram inundare in totum orbem per eosdem.

Quid ergo dicemus? quod gentes quæ non sectabantur iustitiam ap- 17
prehenderunt iustitiam? Iustitiam autem quæ ex fide est.

Dixerat uocatos in numerum uasorum misericordiæ, non ex Iudæis solum, sed etiã ex gentibus: subiecerat Iudæos ad minimas usq; reliquias fuisse reijciendas: ex his cõsequebatur, debuisse plures ex gentibus ad Christum uenire, quàm ex Iudæis, id quod iam factum erat. Id ostendit consequi ex præcedẽtibus. Quid igitur, inquit, dicemus? Hoc certe. Gentes quæ iustitiam non persequebantur, iustitiam percepisse, sed iustitiam fidei. Hoc mirabili paradoxo uiam præparat ad animos Romanorum suadendos. Apprehendere utiq; persequentium est, at iustitiã apprehendunt, qui eam non persequebantur: consequuntur illam qui eam

minime sectabantur. Adeo tota est donum & opus dei in nobis, nec quicquã ualent ad hanc parandam uires nostrę, utcunq; deus illis utatur, & in recipienda, & in usurpanda iustitia. Hæc enim iustitia est, oblatam euangelio gratiam & misericordiam dei amplecti, & ea sola niti, & ei uni se in omnibus permittere. Vt uero laude aliqua uirtutis uiuerent, plurimi gentilium studuerunt, at ut deo fiderent prorsus, seseq; ei ad usus proximorũ totos addicerẽt, uulgus gentium nunquam quæsiuit. Addit iustitiam quæ ex fide est. Ex fide enim & certa persuasione euangelij, constat nobis omnis fiducia diuinæ bonitatis, quã illud fidelibus pollicetur. Fidem autem intelligit, qua apprehẽdimus misericordiam dei ultro oblatam per euangelium. Hæc fidei iustitia non potest nisi ab ijs qui eam non inquirebant primum percipi. Etenim qui hanc iustitiam nondum habent, in potestate sunt satanæ, & detinentur seruitute peccati, iustitiamq; ueram non tantum ignorant, sed ne ferre quidem possunt. Necesse est igitur ut à domino pręueniantur cum externa prædicatione euangelij, tum interno afflatu spiritus sancti, quo & euangelio credant, & credentes iustificentur. Liquet ergo hanc iustitiam non posse percipi, nisi ab ijs qui ei aduersabantur, & minime eam inquirebant, priusquam ultro donatam acceperunt.

18 Israel uero sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit. Quare? quia non ex fide, sed quasi ex operibus (legis.)

Quia uidebatur abhorrere à uero, Iudęos qui legi student, quæ docet iustitiã, non consequi iustitiam, magis q̃ donari ea diuinitus gentes, quæ eam etiam impugnarũt. Huius rationem uerbo tantum notauit, hic ut plenius exprimat, quærit, Quare? & respondet, Quia non ex fide, sed ex operibus legis Iudæi student legi, hoc est, ceremonias, & externæ tantum iustitiæ officia sectantur, hisq; confidunt, non nituntur fide promissæ misericordiæ. Iam lex fidem in primis requirit, sine qua qualiscunq; externorum officiorum obseruatio nihil domino placere poterat: qui ut spiritus est, sic fide, spe & charitate colitur, non ceremonijs quibuscunq;. Iudæi autem erant toti dediti talibus externis, de internis non tantum parum soliciti, sed eis præferebant externa. Ideo sic doctrinæ Christi aduersabãtur, quæ fidem & interiora docebat, in quibus iustitia stat, quam Iudæi non sectabantur. Ideo ad eam non poterant peruenire. Perueniunt autem qui fide operantur, quæ domino placent & lex docet.

19 Offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est: Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali, & omnis qui credit in eum, non confundetur.

Docere uult cur Iudæi sine fide sint legi studentes, quæ fidem docet & poscit. Ideo adiecit, Iudæos impegisse in petram scandali, Christũ. Id non plane dicit, sed ꝓphetę uerba obijcit, quo minus offendat eos. Et certe offendebat eos q̃ Galilęus haberet, q̃ uilibus ortus parẽtibus, q̃ externis obseruationibus, nõ superstitiose, ut ipsi, inhæreret, maxime uero q̃ tam acriter increparet eorũ hypocrisim. Hinc dicebat dominus: Beatus qui non fuerit scãdalizatus in me. Cum itaq; Christum non agnoscerent, non solum non receperunt, quam offerebat patris beneuolentiam, sed summo quoq; odio eum sunt persequuti. Ita impegerunt in eum, & seipsos perdiderunt, quando ab eo salutem consequi ualuissent. Sic in ruinam cessit multis in Israel, qui credere ei detrectantes cum pernicie sua, operibus legis addicti fuerunt. Quæ hic Apostolus adducit, sumpsit ex 8. cap. Isaiæ. Quicquid dominus in populum suum olim constituit, id typus fuit & delineatio quædam eorum

quæ

quæ per Christum dominum erant perficienda. Erat autem olim dominus plurimis Iudæorum in offendiculum, & lapidem scandali, ergo necesse est hoc hodie esse longe amplius, quo post aduentum domini in carnem, iudicium hoc domini quo alios reiicit, alios assumit, debuit exerceri manifestius & plenius. Causa itaq; cur Iudæorum tam pauci ad ueram iustitiam peruenerint, est, quia credere Christo noluerunt. Omnia illis in Christo displicebāt. Hoc enim fuit illis in fatis, ut respuentes oblatam dei gratiam, & respicientes in potentiam Romanorū, & suam, Christum ipsi sibi faciebant esse ruinæ & condemnationi, qui se obtulerat eis seruatorem & redemptorem. Vtq; clarius doceat idem, cadere oportere qui fidem habere nollent, aliud quoq; admiscet oraculum ex eodem propheta cap. 28. ubi allegoria utitur ponentis fundamētum, ut ibi est legere. Qui, inquit, certo credit promissis dei, is æquo animo expectat, dum domino uisum sit ea implere. Non festinat animo moræ impatiens, ideo nunquam cōfunditur, non solum apud alios, sed nec apud seipsum, tanquā frustratus esset spe sua. Deus autem constituit Christum suum unicum fundamentum domus suæ, unicam fiduciam & salutem electorum suorum. Dum illud Iudæi non recipiunt, sed furiose insectantur, necesse est eos impingere & cadere, & inæternum perire. Cætera uide locis suis.

CAPVT X.

FRatres. Voluntas quidem cordis mei, & obsecratio ad deum, fit pro illis in salutem. Testimoniū enim perhibeo illis, quod æmulationem quidem dei habent, sed non secundum scientiam.

Fratrum appellatione Apostolus exprimit, quanti faceret Romanos fratres, quamq; esset pro salute eorum solicitus, qui magna erāt apud Romanos reuerentia, propter quod tanto affectu oīa testatur & studio. Nemo, inquit, putet, quæ nunc in Iudæorum incredulitatem dico, me odio illorum dicere: amo siquidem eos impensissime. Amoris huius mei in eos documentum est indubitatum, quod perpetuo uoto cordis mei, & iugi deprecatione ad deum, salutem illorū expeto. Quia uero hæc soli deo & mihi possunt esse cognita, adduco aliam quoq; causam dilectionis meæ in eos, & ex hac quoq; solicitudinis meæ pro salute eorū quæ toti orbi patet. Habent studium dei, hoc eis meo quoq; testimonio confirmo. Agnosco ipse eos cultui dei deditos esse. Iam ita fratribus cognitus sum, ut non possint dubitare mihi non charissimos esse, quicunq; deo student, nedū hos fratres meos secundum carnem. At uero hoc de Iudæis queri cogor, quia hic eorum zelus est absq; uera scientia uel iudicio. Et est quidem etiam zelus dei cum ignorātia, cum quis sectatur serio quæcunq; certo nouit placere deo, & inter ea quædam quæ & si placita dei non sunt: ille autem nulla alia causa ea sectatur, q̄ quod omnino putat esse deo placita. Tali zelo fuisse Apostolum uerisimile est, quando persequebatur ecclesiam dei. Considerabat enim legem Mosis esse dei legem, studebat illi ut esset irreprehensibilis, cum ergo arbitraretur Christianos uelle hanc legem dissoluere, censebat eos sibi esse insectandos, & legem dei contra eos defendendam & asserendam. Idem prætexebant primores Iudæorum, hostes domini Iesu Christi. At dominus iure obiiciebat illis, quod nec Mosi crederent, nec patrem nossent, quem deum suum esse gloriarentur, quod suam gloriam quærerent, & iustitiam suam magni æstimarent, minora legis ad ostentationem obseruātes, grauiora autem transgrederentur. His non pauci Iudęi similes erant, de quibus hic loquitur. Sed quia instituerat Apostolus causas, cur Iudæi ita ab euangelio abhorrerent, sic exponere, ut neminem sanctorum uel ex ipsis Iudæis uel ex gentibus, qui lu-

dæos amabant offenderet, sed potius ad pietatem fidei adduceret quos posset, & confirmaret in ea qui illam tenebant, dicere in Iudæos uoluit omnia, quoad potuit mitius. Respiciebat itaq; animo, cum zelum dei illis communiter tribuit, insaniores qui inter eos erant, & qui uero studio dei tenebantur, licet cum ea adhuc ignorantia, ut euangelium Christi admittere non possent. Cum autem subiicit de obstinata fiducia propriæ iustitiæ, & reiectione Christi, respexit in eos qui etiam magis adeo zelo propriæ iustitiæ & iustitiæ dei agebantur. Ideo sic consequenter addit prædictis.

2 Ignorantes enim iustitiam dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ dei non sunt subiecti. Finis enim legis Christus, ad iustitiam omni credenti.

Zelum Iudæorum cæcum esse, & non secundum scientiam, probat, quia conabantur deum sua propria iustitia colere, studio scilicet ceremoniarum, & ciuilis honestatis, iuxta literam legis, sine uera fide. Nam cum statuerũt propriam iustitiam, non potuerunt sola niti gratuita remissione peccatorum oblata per Christum, qui est iustitia dei, quam deus in lege sua docet, quã suis donat, solamq; approbat. Vere itaq; præter scientiam erat zelus eorum, dum deum sua iustitia colere frustra conabantur, & eam quam solam agnoscit, tam obstinate repudiãt. At uero iustitiæ dei Iudæos se non submisisse, etiam dum legi studere plurimum uiderentur, eo probat quod Christus finis est & perfectio legis, ad quem lex ubiq; uocat ducitq;, ut ipse in se credentibus ueram iustitiã largiatur. Notanter autem dicit, Quærentes statuere. Statui enim propria iustitia non potest, cum nulla sit, iustitia autem est donum dei remittentis peccata, & afflantis bono suo spiritu per Christum dominum, non opus uirium nostrarum. Qui autem huius iustitiæ compotes sunt, ij pro stercoribus cum diuo Paulo habent, quæ ante pro eximijs meritis reputabant, & cupiunt inueniri in Christo, non suam habentes iustitiam ex lege, sed eam quæ est per fidem Iesu Christi, iustitiam quæ ex deo est per fidem. Iustitia quoq; dei quã ipse nobis donat, & in nobis agnoscit, est remissio peccatorum propter Christum. Huic subiicimus nos, cum eam fide amplectimur, confitentes nos peccato perditos, & misericordiæ dei nos totos permittimus. Finis autem legis est, ut Christo uiuatur. Lex dei iustitiam ueram docet, finis ergo eius est, nos iuste uiuere. Istud iam solus Christus habet, & largitur in se credentibus, & hoc de eo lex omnis prædicat. Ergo finis & ultimum legis, quo omnia in lege ferũtur, est Christus iustificans in se credentes. Quod autem dicit, Omni credenti, ad uocationem gentium respexit. Hic iterum monemur de uero usu legis & totius scripturæ. Tunc enim illa legitime utimur, & cum fructu, cum eò peruenimus, quò ipsa præcipue ducit ad Christum. Id autem erit, cum agnitis peccatis nostris, redemptionem ardenter desiderabimus. Hæc est iustitia quam dominus à nobis poscit, quam præstat solus Christus.

3 Moyses etiam scripsit: Quoniam iustitiam quæ ex lege est, qui fecerit homo, uiuet in ea.

Locus hic Leuit. 18. est. Facietis, ait, iudicia mea, & præcepta mea seruabitis, & ambulabitis in eis, ego dominus deus uester. Custodite leges meas atq; iudicia mea, quæ faciens homo uiuet in eis. Ego dominus. In eis, hoc est, per ea. Polletq; hoc idem cum illo domini, Si uis ingredi ad uitam, serua mandata. Intelligitur de uita quidem etiam temporali, quam perdit transgressor legis, in multis casibus, tamen principaliter de æterna, quam ex fide seruãs domini uolũtatem assequitur. Adducit autem hoc dictum Apostolus, ad ostendendũ fidei in Christum necessi-

tatem.

tatem. Lex nanq; uitam illis tantum concedit, qui ipsi ex animo sese dedunt, faciendisq; ijs quæ præcepit pro uirili incumbunt. Condemnat uero morte, & malis omnibus deuouet, quicunq; non insistũt inhęrentq; omni studio, hoc est, manent in omnibus quæ præcepit. Atqui nemo hominum sibi relictus studere legi potest. Itaq; ad Christum compellit, qui factus pro nobis maledictum legis, maledictionem à nobis abstulit. Iustitia autem fidei, hoc est solida apprehensio misericordiæ dei, quam euangeliũ offert in Christo, producit & sustinet fiduciam in deum, removens omnem de hac nostri redemptione dubitationem. Hinc est, quod Apostolus iustitiam fidei iustitiæ quæ ex lege est opposuit, cum reuera utraq; eadem sit iustitia. Nam quod lex requirit, fides præstat, quamq; iustitiam lex admittit & iustitiã indicat, eam fides in Christo affert & perficit. Lex enim poscit ut pendeamus in omnibus à deo, & bene mereamur de proximis. Fides uero Christum recipit, qui id suo spiritu omnibus sibi credentibus largitur. Cumq; in his legi iam ex animo incumbentibus, caro tamen spiritui adeo adhuc aduersetur, ut quamlibet legi studeant, nunquam tamen non transgrediantur eam, Christus ueniam illis à patre impetrat, & suam perfectam obedientiam legis cõmunicat, tandemq; eò perducit, ut uita dei ipsis penitus impertita, legi per omnia respondeãt, eamq; plene iustitiã quam lex requirit possideant. Perficit ergo in nobis fides iustitiam quæ ex lege est, quam lex docet & nouit. Dixit enim Apostolus, Iustitiam quę ex lege, pro eo quod est, Quæ à lege pro iustitia habetur, quam lex iustitiã agnoscit. Vna itaq; iustitia est, & ex lege, & ex fide, sed præcipitur ea tantum, exigitur & comprobatur, ab hac uero concipitur, alitur, & perficitur iustitia legalis, ut sit coram deo iustitia.

Quæ autem ex fide est iustitia, sic dicit: Ne dixeris in corde tuo, Quis 4
ascendet in cœlum? id est Christũ deducere. Aut quis descendet in abyssum? hoc est Christum à mortuis reuocare.

Difficillimus hic locus sic à Chrysostomo explicatur. Existimat enim dubitationem damnari ab Apostolo de descensu Christi è cœlis in carnem nostram, & de ascensu ab inferis in cœlum. Iustitia fidei Christo nititur, credens illum pro nostra salute uenisse è cœlo in carnem nostrã, & expiatis morte sua peccatis nostris, è mortuis iterum emersisse, & in cœlos ascendisse. Atqui hæc fides non est humanarum uirium, caro de his facile addubitat. Dubitationi ergo isti obluctatur iustitia fidei, prohibens dicere, Quis ascendet in cœlos? Quis descendat in abyssum? hoc est, Quomodo posset Christus uenire de cœlo in carnem meam? Quomodo posset à mortuis resurgere? Hæc est interpretatio Chrysostomi. Si quis uero per cœlos hic & abyssum simpliciter celsitudinem & profunditatem præcepti dei, ueræq; iustitiæ, quam lex requirat, intelligendam putet, quadrabit satis in hunc sensum quod Apostolus adjecit: Hoc est Christum è cœlo deducere, & à mortuis reducere hoc modo. Iustitia quam lex docet, summam à deo poscit cõformationem uoluntatis nostræ ad dei beneplacita: eam autem non largitur lex ipsa dei, iustitia autem fidei, id est fides ipsa, Christum amplectitur, qui eam conformationem suppeditat, ut non possis dicere, In cœlis est ista iustitia, quis ascendat in cœlum, ut eam nobis adferat? In abysso est, id est ita recondita & abstrusa est, ut adiri non possit, quis descendat illò, ut illam nobis adducat? Christus in hoc mortuus est, & resurrexit, cœlosq; ascendit, ut hanc tibi iustitiam conciliaret, cordiq; tuo inscriberet, ut semper adsit in ore & in corde tuo. De quo si dubites, Christum è cœlo rursus deducis, & ab inferis reducis, hoc est, irritũ facis tibi quod ille pro te mo-

tuus est & resurrexit, cœlosq; ascendit. Mortuus siquidem est, ut tua peccata expiaret, uim quoq; satanæ in te proflígaret, unde erat ut uim legis diuinæ, ne intelligere quidem posses. Cœlos ascẽdit, ut te cœlesti spiritu adflatum, ad imaginem suã plene repararet. Si itaq; credis Christo, dubitare non potes, te iustitię dei compotem esse, & id omne iam donatum tibi quod lex docet & exigit, & erunt ista à te procul, Quis ascendet in cœlum? Quis descendat ad abyssum? hoc est, celsior est, & profundior est hæc iustitia, q̃ ut eam possim assequi.

5 Sed quid dicit scriptura? Prope est uerbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc est, uerbum fidei quod prædicamus.

Volebat persuadere certius, & probe infigere Apostolus, omnem iustitiam & salutem nostram contineri in uerbo euãgelij. Cum itaq; negasset iam à credentibus uim legis, remotam esse solidam iustitiam, consequenter cum interrogatione affirmat, uim legis & ueram iustitiam prope adesse sanctis in ore & in corde, hoc est, ita infixam esse cordi, ut prędicare eam animus desideret semper. Hæc autem grauius eloquitur, ut attentior sit Lector. Hoc est uerbum fidei &c. Ipsum scilicet euangeliũ Christi, in quo inest omnis uis legis, uis quoq; totius iustitiæ. Vere enim filius dei, & apud deum iustificatus est, uitamq; æternam habet, quicũq; euangelio uere credit. Tenet ergo is omne id uerbum & legis præceptum, in quo uita dei, ipsa nimirũ iustitia continetur. Proinde probaturus Apostolus, uerbum fidei ipsum euangelium quod prædicabat, esse id uerbum quod Moses prædixit, fore sanctis in ore & in corde, ut in quo uitam & salutem haberent, subiecit, Saluum esse quicunq; credit & confitetur dominum nostrum Iesum Christum esse à mortuis excitatum, regnare in cœlestibus & terrenis super omnia.

6 Quia si confitearis in ore tuo dominum Iesum, & in corde tuo credideris quod deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris.

Qui Christum fide & consensu sic iam receperunt, ut credant uerbum pro salute mundi incarnatum, Christum esse, qui mortuus sit pro peccatis mundi, & resurrexerit à mortuis, & in cœlis super om̃ia regnet, potestate accepta à patre. Istis semper in confesso est, & absq; dubio credentes fatentur, hac uera fide euangelij constare iustitiam, quam salus æterna subsequitur. In hunc modum iam Romanis persuasum erat, euangelium illud salutẽ adferre omni credenti per Christum. Si quis autem absq; Christo & hoc euãgelio legem sciret, tantum id ei cædere ad damnationem: ex quo sciebant iam saluificum esse euangelium, quod sentiebant inscriptum suis cordibus, per spiritum dei eatenus certum et acceptabile, ut nihil malint, q̃ idipsum ubiq; confiteri & prædicare, ut idipsum alijs quoq; saluti sit ad gloriam dei. Si cõfitearis, inquit, ore, quod credis in corde, spiritu Christi certior de istis omnibus redditus, quæ Christus nobis & pro mundo passus est & egit, recepitq; pro electorum gloria, certe saluus eris ea salute, quam ut electis obtineret sua iustitia unigenitus ipse dei Christus uenit in hunc mundum. Excitatũ autem esse post mortem, summa est euangelij: qui enim hoc credit, credit & satisfeciſſe eum pro mundi peccatis, & iam regnare in cœlis, ut nos quoq; perficiat, & perducat ad imaginem suam. In his sunt quæ de Christo scripturа prædicat omnia. Alius est autem ordo loquendi scripturæ, quàm uulgaris Latinis, & nimium curiosis: quin &, quod maius est, solet plerunq; præmitti, ut hic est, maius confiteri quàm credere, & natura posterius eloquutione tamen prius. Qui ore confitetur Christum, testatur se corde quoq; prius credidisse, & de sua fide non cõfundi uelle, sed fidelis agnosci.

Corde

Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem: 7
dicit enim scriptura, Omnis qui credit in illum, non confundetur.

Probat quod promisit, saluũ esse eum qui confitetur ore, & corde credit Christum excitatum à mortuis. Si enim fides cordis ualet ad iustitiam, & cõfessio oris ad salutem, certo saluus est qui credit corde, & ore cõfitetur euangelium Christi. Fidei cordis tribuit iustitiam, confessioni salutem. Sicut autẽ nec fides cordis esse potest sine confessione oris, nec confessio oris uera & syncera esse potest sine fide cordis: ita nec iustitia sine salute, nec salus sine iustitia, imò salus est ipsa iustitia. Cum enim illa in nobis plene dominabitur, tunc absq; dubio salui erimus & beati. Attamen, quoniam cum fidem nostram alijs quoq; prędicamus, in Christo nos uiuere, & spiritum Christi in nobis ostendimus, ueraq; nos esse membra Christi declaramus, dum omnia agimus quæ nos decent, & actiones noui hominis in nobis ostendimus, quarum præcipua est, confiteri Christũ, & prædicare, aliorumq; pectoribus uelle inserere uerbis & exemplis, oratione & exhortationibus, non erubescere de nomine Christi, sed eius gloriam propagare modis oĩbus quibus possit, etiam non obstantibus impiorum conatibus. Dicit autem scriptura, Non confundendos eos qui credunt in Christum, quia non frustrabuntur spe sua, qua uitam expectant æternam, compotes enim sunt iustitiæ & salutis. Vere enim dictum est, iustitiam esse, credere corde, & ad salutem necessariam esse oris cõfessionem, ut finem bonorum assequantur quem expetunt. Vbi autem fides obtinet, ibi non potest abesse oris confessio. Tam enim nequit uere credens Christo eum non confiteri & prædicare, q̃ non potest se non mouere & agere qui recte uiuit & ualet. Complectitur siquidem qui uere credit, Christum ut omne bonum, & uiuit spiritu in eo, cuius primũ uotum est sanctificari nomen domini. Tunc enim nouit Christo domino in manu esse omnia, quare illum ad prædicandum deum impellunt omnia, & deterret ab eo nihil.

Non est enim distinctio Iudæi & Græci, nam idem dominus omniũ, 8
diues in omnes qui inuocant illum. Omnis enim quicunq; inuocauerit
nomen domini, saluus erit.

Explicare cœperat uim fidei quæ deo commẽdat, & assequitur iustitiã quam deus in lege requirit in Christo, tandem autem confirmauit per Isaiam, non pudefieri quicunq; credunt in Christum, in quibus regnat Christus. Regnum illud Christi ostendit nunc maxime communicandum esse gentibus, quibus datum est præ Iudæis credere euangelio. Subiecit, Nullum enim est discrimen gentium & Iudæorum, sed quicunq; Christo credit, quicunq; nomen eius inuocat, saluus est. Fides uero est ex prædicatione uerbi dei, quod proponendum est omnibus, utcunq; plerisq; ei fidem habere non sustineant. Sic enim deus statuit nunc, non solum Iudæos, sed gentes & ex gentibus plures q̃ ex Iudæis, ad Christum dominum trahere, quod scilicet præcipuum est in Apostoli instituto. Ex se enim patet, ut utrisq; æque perditi sunt, fide utrisq; pariter seruantur. Hoc uero cõfirmauit ex amplitudine bonitatis diuinæ, & quod deus est dominus omniũ. Diues est enim, id est, misericordia eius ualet in omnes qui ipsum inuocant, cum omnium sit dominus. Videmus unumquemq; recte institutum hominem singulari dignatione esse in eos quos genuit, regit, promouit, in ditione sua habet. Id autem à deo est, qui solus bonus est. Deus itaq; hac bonitate summe excellit. Non igitur poterit gentes sic abijcere. Conuenit igitur illi, ut eas quoq; ad communionem salutis adducat, quæ tot sæculis in sua perissent impietate. Proinde dominus ipse seruator

est omnium, ut tamen reprobos abutētes gratia & beneficijs salutecꝫ temporali, tandem optimo iure addicat gehennæ. Generalitas ergo dominij dei infert, ut omnibus populis salutem Christi sui communicet, & ex cunctis populis aliquos tamen deligat, quos illi adducat. Quod autem adducitur ex Ioele propheta 2. cap. loquitur quidem de Zion & Ierusalem restituta, ut semper perstet & regnet. Ea uero est ecclesia Christi, ad quam & gentes accedere debuerunt, & salutē ueram consequi, quę ponitur in inuocatione nominis dei. Non iam etiam in ceremonijs legis, quæ Iudæis tunc inoffenso deo non potuerunt prætermitti: tum quod generaliter illud dicit, Quicunꝫ inuocauerit nomen domini, hoc est, iuxta dei uoluntatem illum coluerit. Nam in cultu dei illud primum est, Deum agnoscere, eum esse à quo sit salus imploranda, qui sit in quouis discrimine inuocandus. Hic autem simpliciter inuocare accipitur pro petere opem omnē & salutem à domino.

9 Quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?

Vtitur interrogationibus propter maiorem uehementiam orationis. Manifestum uero, eum non posse inuocare deum, qui non credit se opem ab eo posse exorare. Eiusmodi igitur fidei affectus est inuocatio diuini nominis, ut sine fide certa deum uelle nos seruare, existere non possit. Quomodo uero credent? Vt enim quidpiā credas de aliquo, necesse est te audire ante id quod credere de eo debeas. Fides habetur dictis. Vt ergo deum omnes inuocent, necesse est ut omnes ei credant: ut uero credant, necesse est ut id de deo audiant quod credere oportet. Quomodo uero audient absqꝫ præcone? Omnino enim præconium est euangelium, quo de Christo renunciatur, uenisse eum ut seruet omnes in se credentes, qui sit iustitia, salus, sanctitas, & beatitudo fidelium, cui credere est uita æterna. Impossibile est autem peruenire ad uitam æternam, nisi audieris euangelium: id uero administratur per hominem, domino autem dante incrementum ut proficiat. Non ergo uerbum uitæ à Christi ministris administratum fastidiamus. Qui enim ministros dei spernit dum uerbum dei prædicāt, deum spernit, & spiritū Christi in eis loquentem, qui fructū uerbi fouet, & adolescere faciat. Et Christus ipse uerbi sui author, in suis loquitur, & omnia operatur in omnibus, maxime uero & ad salutem in electis. Est ergo euangeliū, annunciatio exhibitæ salutis uere credentibus per Christum, mediante ministro facta, qui ut præter uerbum domini nihil loquatur, cui ob id sit credendum docenti externa uoce quæ dei sunt, domino autem spiritu suo incrementum dante, & interius mentes electorum mouente ad salutem, impiorum quoqꝫ ad iudicium & conscientiæ accusationem. Credendum igitur fidelibus, dominum ipsum nobis ac nobiscū omnia agere & loqui, ideoqꝫ ministrorum eius uerba non ut hominum, sed ut dei sermonem admiremur & amplectamur, ut abstineatur ab omni superstitiosa etiam ministrorum Christi admiratione, sed per uerbum dei audiamus in nobis Christi loquentem spiritum ad salutem, diligenter & sobrie discernentes in uerbis prædicātium, quid iuxta hominem loquantur, uel iuxta spiritum & scripturam dei, ne quid ex personarum admiratione peccet. Quādo quotquot homines sumus, in multis offendimus oēs, maxime aūt si de nostro spiritu secus iudicemus qꝫ de humano, qui fallere potest & falli, quandiu in carne uiuitur, & spiritu dei non per omnia dirigitur mens humana.

10 Quomodo uero prædicabunt, nisi mittantur? sicut scriptū est, Quàm

specioſi

ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona?

Quid ueri aliquis de deo renunciet, & ad ſalutem hominis faciens, ad quod non ipſe deus eum mittat & impellat? Non poteſt ulla creatura de dei miſericordia prædicare, ſi id deus non ipſe fecerit eam prædicare. Iam ſi non poteſt prædicari euangelium Chriſti niſi ab ijs qui diuinitus in idipſum mittuntur, & apoſtoli indubitatum euangelium prædicabant, de quo non hic tantum Iſaias, ſed omnes prædicauerunt prophetæ, Gentes quoq; hoc euangelium cupidiſſime receperũt, Iudæorum plurimis id aſpernantibus, liquet abunde dominum uoluiſſe, ut tempore euangelij ad regnum filij ſui adducerẽtur ex gentibus multi, ex Iudæis pauci. Oraculũ autem quod citat Apoſtolus, habetur Iſaiæ 52. & eſt locus iſte omnis de temporibus Chriſti, de reſtitutione & glorificatione eccleſiæ fidelium Chriſto regnante. De quo uide in proprio illic loco, ubi prædicatio euangelij, quæ eſt nimirum renunciatio ueræ & ſolidæ pacis in Chriſto fidelium, uerorum quoq; bonorum ſalutis perfectæ ſic deſcribitur, ut quæ maximum ſit omnium beneficiorum dei, quod non niſi ſuo præfinito tempore exhibere orbi deus uoluerit. Satis hinc conſtat, neminem poſſe adferre uſpiam præconium euangelicum, qui non ſit ad id diuinitus deputatus, miſſus & impulſus. Spiritus ſiquidẽ ipſe patris mei loquitur in uobis, inquit Chriſtus. Vt ergo nihil ueri niſi ab ipſo deo proficiſci poteſt, mendacium eſt enim omnis homo, & diabolus pater mendacij: ita pius quicquid ueritatis iuxta uerbum dei audit & intelligit, ambigere non poteſt id ſibi peculiariter eſſe deſtinatum diuinitus, & quicũq; illud adferat, eum nihil huiuſmodi potuiſſe, niſi miſiſſet eum deus. Si miniſter bonus eſt, hoc amplius admirabitur erga dignationem dei patris. Si malus, agnoſcat ſe meliore indignum. Exoſculabitur tamen quod uerum intelligit, & charitatem dei agnoſcet, qua ſe adeo uerbo ſalutis non ferat deſtitui, ut citius impellat malos, qui ſibi id adferant bonæ doctrinæ & uerborum uitæ, quam ſpiritus Chriſti largitur. Proinde ſemper hoc in primis inquirent filij dei, ſi dei uerbum ſit quod audiũt: de eo ſi conſtet, iam nihil morati quo miniſtro uerbum patris ſui ad ipſos peruenerit, toto illud pectore amplectentur. Interim hic uide gradus miſericordiarum dei: prima eſt, habere apoſtolos: ſecunda, audire illos prędicãtes: tertia, illis credere: quarta, inuocare: quinta, ſaluari, qui ſummus eſt gradus, ad quẽ abſq; alijs non peruenitur. Miſſi autem prædicatores illi intelligantur, qui Chriſtum pure annunciant & uerbum dei, canonicam ſcripturam, citra uanæ gloriæ & quæſtus cupiditatem. Ita enim & Chriſtus ſe probat miſſum à patre, quia non ſe ſed patrem glorificabat.

Sed non omnes obediunt euangelio, Iſaias enim dicit: Domine, quis 11
credidit auditui noſtro?

Hoc in Iudæos dixit, de quibus eſt & querimonia prophetæ, quam ſubijcit. Quàm autem non omnes Iudæi euangelio credant, ſatis manifeſtum fuit tempore Pauli, quem propter euangelium paſſim perſequebãtur, perpetuò ſui ſimiles, qui ad ſe miſſos prophetas nunquam audierunt, ſed occiderunt ferè omnes. Et Chriſtum domini quoq; crucifixerũt, qui euangelium non uolebant, niſi temporalia, faſtum, diuitias, gloriamq; huius mundi annunciaret. Crucem ſemper abominati ſunt, & in hunc uſq; diem non obediunt euangelio. Verum huius inobedientiæ cauſam non modicam præſtat ſcandaloſa uita euangelizantium, & Chriſtianorum ferè omnium, & abominabiles abuſus noſtri, contra totam ſacram ſcripturam nimiũ aucti, & tanto tempore durantes, ſchiſmataq; noſtra, quibus alioqui perturbatæ illorum conſcientiæ amplius abſterrentur, ut & de ſuis dogmati

bus parum teneant, & noſtris accedere doctrinis & moribus minime tutum ſit illis. Cui accedit tyrannis epiſcoporũ nomine, à quibus hactenus fuerunt non tam inſtructi fide, q̃ exuti rebus, & deprauati exemplis, ut facti fuerint proſeliti peiores, & duplo filij gehennæ. Quod addit ex Iſaia, legitur cap. 53. habetq; admiratio nem de paucitate credentium, & ſingulariter Iudæorum. His prædicit adeo non reuelandum brachium domini, id eſt potentiam Chriſti contra omnes errores, & idola multi generis, per Chriſti mortem ſaluificam, ut iudicaturum prædixerit ea promiſſum ſaluatorem Chriſtum, qui noſtra expiauerit peccata, ab eis quoq; reiectum, & percuſſum quoq; à domino, pro peccatis omnium electorũ, & credentium uerbis dei, & euangelio Chriſti. Vide locum.

12 Ergo fides ex auditu, auditus autem per uerbum Chriſti.

Ex prædicatione euangelij, quæ conſtat uerbo dei, fides paratur & augetur. Eſt enim euangelium ipſum uerbum dei, & ex uerbo, hoc eſt, iuſſu dei prædicatur, certa dei miſſione. Huic ergo dum credunt gentes præ Iudæis, manifeſtum fit, domino nunc uiſum, adducere multo plures ex gentibus regno ſuo, q̃ ex Iudæis. Nec hoc ſic intelligendum eſt, ut omnis & tota cauſa fidei ſit auditio uerbi. Loquitur enim hic Apoſtolus de externa prædicatione euangelij, per quam dominus uoluit omnes gentes uocare ad fidei communionem. Eſt autem fides donum & opus dei. Vtitur autem dominus externa huiuſmodi prædicatione, dum fidem ingerit, ut tanto ſit fidelibus commendabilior, ne offendat, minus illam reuerendo. Quia enim plures Iudæorum adeo aſpernabantur euangelium Chriſti, contigit ut etiam gentes ab eodem alienarentur, & in fide euangelij infirmarentur. His autem utriſq; deſeruit potiſſimum Apoſtolus totis hiſce tribus capitibus, nono, decimo & undecimo. Ideo per illud, Fides ex auditu, oſtendit omnes euangelij auditores pertinere ad ſalutem æternã, ſi credant. Per id autem quod additur, Auditio autem ex uerbo dei, docet conſtare omnem euangelij prædicationẽ uerbo & iuſſu dei.

13 Sed dico, Nunquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum.

Ex auditione fidẽ dixerat prouenire & ex euãgelio. Honeſtior ergo cauſa incredulitatis Iudæorum fuiſſet, ſi illi euangelium nondum audiuiſſent. Eam itaq; cauſam Apoſtolus percunctatione ſubmouet. An, inquit, non audierunt euangelium? Cauens uero offenſionem, non exprimit de quibus percontatur, & reſpondet per oraculum Pſalmi 19. Euangelium peruenisſe ad omnes. Adaptauit autem eam ſententiam Pſalmi alluſione quadam prædicationi euangelicæ. Nam propheta illud dixerat de cœlis. His ait, non eſſe ſiquidem ſermonem, nec uerba, nec audiri uocem eorum, attamen in omnem terram prodire regulam certumq; curſum eorum, & in terminos orbis uerba ipſorum, ibidem docet, quæ uideas eo loci. Sicut, inquit, decus cœlorum, lux & motus aſtrorũ, deum ubiq; prædicant, ut nemo uſpiam hinc maieſtatem dei nõ præclare cognoſcere queat: ſic nunc exaudiri undiq; præconium dei per euangelium, ut gloria Chriſti non minus quàm ſplendor cœlorum & Solis, iam ubiq; clariſſime effulgeret. Adeo nanq; currebat tunc prædicatio euangelij, & diffundebatur quotidie, ut ſcripſerit Apoſtolus Coloſſenſibus, peruenisſe illud, ſua adhuc ætate in uniuerſum orbem, & ad omnem creaturam quæ ſub cœlo eſt. Tametſi enim id temporis nondum ad ſingula climata orbis prædicatio euangelij peruenisſet, peruenerat tamen ad præcipuas orbis regiones, ex quibus facile erat illam ad mortales reliquos omnes dimanare.

Ea

Ea tamen ratione, quod ubiq; magna pars semper impiorũ uixit cum pijs & Christo credentibus.

Sed dico, Nunquid Israel non cognouit? Primus Moyses dixit: Ego 14
ad æmulationem uos adducam in non gentem, in gentem insipientem, in iram uos mittam.

Dictum hoc legitur Deut. 32. ubi deus præmittit: Ipsi me prouocauerunt in eo qui non erat deus, & irritauerunt me in uanitatibus suis, & ego prouocabo eos in eo qui non est populus, in gente stulta irritabo eos. Zelotes deus est, nõ fert iuxta se coli deum alienum. Proinde quasi zelotypia prouocauerũt Iudæi deum, cum factitijs suis & nihili numinibus cultum eum impenderunt, qui soli deo debebatur. Inuicem itaq; minatur deus illis hoc loco, assumpturũ se & exculturum beneficijs suis gentes: quæ quia ante religionis ueræ politia destituebãtur, iure dicebantur non esse populus & gens stulta. Porrò primum beneficiorum, quibus deus gentes excolere dignatus est, uera religio est, quam consequuntur bona q̃plurima. Promiserat autem deus hoc dicto Mosis gentibus sui cognitionem in Christo domino, & cum hac omnimodam felicitatem collaturum. Iudæos autem ob contemptum gratiæ suæ abiecturum, tantisq; malis immersurum, ut æmulatione contra gentes inflammarentur, ita ut res utrinq; habet tot iam sæculis. Vtcunq; enim & apud gentes puritas religionis pridem collapsa est, & apud nõ paucas omnino extincta, ac inde regna inter se misere collisa & euersa sunt, omneq; genus malorum in istas incubuit, tamen ut perstitit apud pleraſq; prædicatio nominis Christi, ita plurimum quoq; supereſt apud has pacis, libertatis, & omnimodæ felicitatis, Iudæis ubiq; exilium & captiuorum instar in summa miseria & calamitate degentibus, idq; tot iam sæculis ab ipso nimirum exortu euangelij. Tũc enim cœpit deus Iudæos ad æmulationem prouocare, & irritare in gentibus, qui bus cum Christo suo donauit omnia, sicut Iudæos ob negatum & reiectum Christum, summæ addixit infelicitati & calamitati. Prouocare zelo uel ad æmulationem dicit, quo intelligit eum dolorẽ qui exagitat Iudæos, dum uident gentes frui felicitate, quæ ipsis olim promissa est, ex quo utiq; impellentur, ut ad eam felicitatem rursum aspirent.

Isaias autem audet, & dicit: Inuentus sum à non quærentibus me, pa- 15
lam apparui his qui me non interrogabant. Ad Israel autem dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem mihi.

Clarum est hoc oraculũ Isaiæ 65. cap. loqui & de reiectione Iudæorũ, sua ipsorum culpa, & de assumptione gentium gratuita. Ideo scribit Apostolus, Isaias audet & dicit, Domino aut accedunt & adhærent, qui uerbis eius credunt & obediunt: qui illis non credunt, ad diuersa illico studia rapiuntur, quæ cum iussis dei ex diametro pugnant. His ergo dum detinẽtur, aliud non possunt, q̃ omnem admonitionem dei contemnere atq; reijcere, hoc est, non auscultare uel contradicere. Illam autem impietatem Iudæi compleuerunt, Christum reijcientes, sibi non placentem per humilitatem & mundi contemptum, stilumq; ueritatis, & iustitiæ zelum, ideo huius mox extremas pœnas persoluerunt, quas tum ipsi tum maiores eorum meriti erant. Vere propheta isto uaticinio de ultima & grauissima illa Iudæorum reiectione prædixit, quam accerserunt sibijpsi, ubi euangelium Christi tanta à se peruicacia & crudelitate crucifixo domino, & occisis eius discipulis,

repulerunt. Ex hoc autem loco confirmatur, nos oportere gratia dei preueniri in omnibus. Sic nanq; natura perditi sumus, ut nobisipsis relicti deum quærere & inuenire non possumus, necesseq; est, ut ipse sese nobis priorem insinuet, nos ad se trahat, & prorsus innouet. Sic & populus Israel primũ assumptus est, id quod propheta Ezechiel figuraliter describit cap. 16.

CAPVT XI.

1 DIco ergo, Nunquid deus repulit populum suum? Absit. Nam & ego Israelita sum ex semine Abraham, de tribu Beniamin. Non repulit deus plebem suam quam præsciuit.

Post ostensam reiectionem plurimorum ex gente Iudæorum ob impietatem suam, & fiduciam operum, & perfidiã, nunc docet eandem gentem nequaquam à domino sic esse abiectã, ut dignationem dei in totũ amiserint, sed rursus quoq; esse restituẽdos, quando & casu eorum qui ex hac gente abiecti sunt, salutem esse allatam gentibus conuersis ad dominum. Primum ergo dicit, deum populum Iudæorum non reiecisse, seruaturum autem ex illo eos, quos ipse ut populus sibi essent præsciuit & elegit gratuito. Probat illud exemplo sui & Heliæ. Cum autem interrogat, Num reiecerit deus populũ suum, interrogat de peculiari illa gratia, qua deus eam sibi gentem adiunxit peculiariter, an ea mutata sit, ut sicut genti huic deus hactenus singulariter propitius fuit, ita ei sit nunc infensus peculiariter: & quemadmodum olim gratiæ erat, esse natum de semine Abraham, nunc sit indignationis. Respondet itaq;, Deum populũ suum non repulisse, uel odisse cœpisse nunc, ut ideo quis deo inuisus sit, quia Iudæus sit, gloriatur enim magnifice se Israelitam esse, ex semine Abrahæ, & de tribu Beniamin. Idem intendens quod supra nono, cum causam reddens cur doleret de exitio Iudæorum, Israelitas laudauit, quia ipsorum esset adoptio, gloria, fœdera, &c. Testari enim uoluit, agnoscere esse hæc adhuc iudicia fauoris diuini non iræ, alioqui me quoq; repulisset, sed me assumpsit, ut etiam præco gratiæ eius essem, & hoc beneficij agnosco contigisse mihi ex ea beneuolentia, quam maioribus nostris promisit. Non repulit ergo deus populum suum Israelem, tametsi nunc pauciores ex eis, quam ex gentibus assumat. Non enim mutat deus dona & uocationem suam. Quos semel in uitam selegit, eos nunquam abijcit. Populus autem eius ij sunt, quos ipse sibi in hoc elegit, ut promissionem hanc statueret, ut essent eius populus, hij quos ex eis sibi præsciuit & præfiniuit, ut sui essent.

2 An nescitis in Helia, quid dicit scriptura? quemadmodum interpellat deum aduersum Israel? Domine, prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam. Sed quid dicit illi diuinum responsum? Reliqui mihi septem milia uirorum, qui non curuauerunt genua ante Baal.

Argumentum aliud ex oraculo facto ad Heliam. Deus, inquit, sui similis est, & quod dona eius & uocatio absq; pœnitentia sunt. Nam si cum Helias putaret omnem in Israele pietatem semel extinctam, nec quenquam superesse in toto populo uerum Israelitam, deus tamen septẽ millia sibi seruauit. Si nunc post excæcationem factam tempore euangelij, neminem sibi ex hac gente seruaret, nec sui similis esset, & admitterent dona & uocatio eius pœnitentiam, id autem impossibile est, ergo in præsenti tẽpore habet deus suas quoq; reliquias ex Iudæis, sed quas ipse elegit, quasq; seruabit ex sua gratia, nullo illorum merito. Legitur autem hęc

historia

historia 3. Reg. 19. Videtur autem per septem millia more scripturæ plurima millia intelligendum esse. Solet enim numerum septenarium pro incerto & magno numero usurpare. Si iam deus tunc quando adeo perditæ res erant populi Israelitici, in eo tamen sibi seruauit tam multos, satis intelligi datur, eam nunquã gentem in totum repellendam omni tempore, uel aliquos ex eis sibi seruauit, sicut fecit Heliæ tẽporibus, utcunq; nũc ex ea pauciores sibi eligat q̃ olim fecerit, & rursus facturus sit. Multi em̃ & Pauli tẽporibus ex Israelitis cõuersi sunt ad Christũ, quin & plures discipulos habuit Paulus ex ea gente, & primitiuæ ecclesiæ presbyteri multi ex Iudæis erant, sed & aliquot quoq; Romani episcopi nominantur, qui ex circuncisione conuersi sancte gubernauerunt ecclesiã, ut interim septuagintaduos discipulos, & eorum auditores cum apostolis taceamus.

Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ dei 5
saluæ factæ sunt. Si autem gratia, iam nõ ex operibus, alioqui gratia iam non est gratia.

Quos ex Iudæis seruauit & seruat deus, gratia sua seruat, nullo merito operũ. Quia autem inficiari nemo potest, gratia seruari eos qui seruantur, ideo alterum tantum ostendit, quod non ex operibus, quando gratia & meritum operum sese inuicem tollunt. Si enim gratia est, hoc est gratuito donatur salus, nihil potest huius deberi operibus. Et si quid debetur operibus, iam gratia, id est gratuitum non est. Etsi dicas, salutem simul constare gratia & operibus, facis ut nec gratia sit gratia, nec meritum meritum. Siquidem enim id gratis dari omnes intelligunt, quod prorsus nullo merito datur. Et quod merito datur, nemo nõ agnoscit miníme gratis dari. Efficitur igitur, si gratia seruantur omnes, etiam Iudæi, id quod omnes fatentur, fieri non posse, ut quisquã nec Iudæus quidem seruetur ex operibus. Electionem autem & gratiam libẽter memorat, ut deijceret Iudæis fiduciam gentis, legis, ceremoniarum. Idq; probe inculcaret, esse de populo dei, totum pendere ab electione dei gratuita. Ignorare adiutorem & saluatorem alium, non patronum quemcunq;, nec ex merito operum, sed ex gratia. Loquitur autem Apostolus in his locis de prima causa salutis, ea tota est una gratia & misericordia dei. Qua cũ deus iam nos complexus est, & inter suos assumpsit, donat spiritu suo bono, eoq; agit ad bona opera quæ ipse prẽparauit, eaq; mox, licet dona sunt & opera ipsius in nobis, & per oñia gratuita, amplissime tamen longeq; supra pondus operum remunerat, & hic & in futuro. Inde dicit scriptura toties, rependi nobis à deo secundum opera. Opus enim quodcunq; rectum, sic ualet apud deũ, ut non possit ei non rependere mercedem, non ex dignitate operis, sed ex gratia rependentis, & coronantis sua in nobis opera.

Quid ergo? Quod quærebat Israel hoc non est consecutus, electio au 4
tem consecuta est, cæteri uero excæcati sunt, sicut scriptum est:

Iudæorum uulgus maxime offendebatur, & qui ex gentibus conuersis illis fauebant, quod nulli æque aduersarentur euangelio, atq; Iudæi præstantiores habiti. Istud offendiculum cupit remouere his locis Apostolus, dicens dominũ quidem multos Iudæorum excæcare & indurare, plerosq; tamen ex eis illuminare, & mollire ad placita sua, uerum tantum reliquias, id est paucos. Accipit autẽ hic Israelem p̃o uulgo eorum qui tum pro Israele habebantur. Hos ergo quatenus nihil amplius habuerunt q̃ quod erant de gente Israel, manifestũ, quod salutem quærere potuerunt, consequi nisi credentes non potuerunt. Nam hanc deus electis suis tantum donat, reliqui uero excæcati sunt. A quo? A malo proprio con-

tentionis. Cum enim hæc cæcitas nihil sit q̃ sensus reprobus, q̃ spiritus contentiosus, quàm oculi non uidentes, & hæc deus ipse clare testatur sese immittere ut pœnam reprobis.

5 Dedit illis deus spiritum compunctionis: oculos, ut non uideant: & aures, ut non audiant, usq̃ in hodiernum diem.

Isaias 19. uaticinatur de Aegypto quidem, de quibus similia dicit. Potabit, inquit, dominus Aegyptum spiritu erroris uel cõpunctionis. Significat aũt תרעלה insaniam, & mentis perturbationẽ, inopiam consilij: quam cum dominus immittit ijs, quos punire atq̃ euertere statuit, dicitur sub allegoria agentium in furore nimio potũ infundere, & obtrudere eiusmodi uinum, uel poculum furoris, quo uelut inebriati à recta mente excidant, & consilia sibi pernicioſa sumant. Id uero quid aliud est, q̃ immittere spiritum malum & furentem, qui à ueris bonis auertat, agatq̃ incerta & mala? Qualem spiritum dominus immisit in Saul & Iudam, & immittit omnibus uasis iræ suæ. Ad has ergo scripturas allusit forsan hic Apostolus, sensumq̃ talium locorum significãtius uolens exprimere, dixit, Dedit eis spiritum compunctionis, id est peruersum, & exitiosum, qui cum omne malum accersat, nihil quàm pungit & cruciat. Oculos, inquit, ut nõ uideãt: & aures &c. Hic locus Isaiæ 6. habetur, cum alijs ibi multis sequentibus sententijs, quas ibi uide. Similia q̃q̃ postea Iudæis Romanis corã obiecit, ut legimus Act. 28. Quod uero hic addit Apostolus de suo, Vsq̃ in hodiernũ diẽ, perinde est atq̃ illud 2. Cor. 3. Vsq̃ in hunc diem manet uelum super lectione ueteris instrumẽti. Voluit hoc dictum prophetæ adaptare Iudæis sui temporis, in quibus populi excæcatio prædicta à propheta maxime impleta est. Quãdo immissus est eis spiritus erroris, longe nocentior eo, qui illos tenuerat ante receptam legem. Id quod dominus Iudeis confirmauit sub parabola, Spiritus, qui priore domo relicta, cum per inuia & arida loca ambulans, quietem sibi frustra quæsisset, reuertitur ad domum suam priorem, quam cum paratam & ornatam sibi offendit, assumptis septem spiritibus se nocentioribus, incipit rursus inhabitare.

6 Et Dauid dixit: Fiat mensa eorũ coram ipsis in laqueum, & in captionem, & in scãdalum, & in retributionem illis. Obscurentur oculi eorum ne uideant, & dorsum eorum semper incurua.

Hic locus est in Psalm. 69. quem suo quoq̃ loco uide. Porrò sensus hic est, Fac deus, ut quæ istis comparata sic sunt, ut bono & solatio eis futura uideantur, cædat eis in perniciem. Adime illis omne rectum iudicium, uiresq̃ perficiẽdi quod eis sit utile. Porrò sub metaphora mensæ amicorum laquei & tendiculæ, posteriora sub metaphora obtenebrationis oculorum, & infirmationis lumborum exprimit. Cui enim iam apposita mensa est, is existimat sibi laboribus & periculis defuncto quiescendum & deliciandum esse: ibi ergo si ei paratæ insidiæ sunt, & intercipitur, quo malum est inexpectatius, quoq̃ alieniore tẽpore incidit, hoc grauius est, maiorq̃ calamitas habetur. Ita est etiam cum quis intercipitur uel interficitur ab amicis, cum quibus pacem esse sibi credidit. Vt uero infeliciſſimũ est, ut dictum est, intercipi: ita summa miseria est, non posse uel uidere quod agas utiliter, uel id cum uideas perficere. Id quod Psalmus significat, sub imagine homĩnis, cui oculi sunt obtenebrati, & lumbi nutantes. Sic eis in locis ac alijs spiritus sanctus exequitur extremam reiectionem gentis Iudaicæ, in id præcipuum tempus cum illi Christum reiecissent & crucifixissent. Apostolus autem satis habuit adduxisse, quod cedere in perniciem illis debuerunt, ea à quibus salutem expectarunt,

ctarunt, & quod destituendi essent facultate, res utiles prosequendi uel prospiciendi. In his enim omne malum continetur, & plenissima reiectio. Sicut ergo sanctis bona sunt, & ad salutem cooperantur omnia, etiam ipsa peccata, & peccatis accersita mala: ita cuncta ipsaq; salus est exitio malis, & seruare nõ potest eos qui uiuunt extra Christum.

Dico ergo, Nunquid sic offenderunt ut caderent? Absit. Sed illorum 7
delicto salus est gentibus, ut illos æmulentur.

Mollit Apostolus quod necessario dixerat de excęcatione reiectioneq; Iudęorum, maiore ex parte. Primo, quod ea facta fuerit gentibus in salutem: secundo, quia adhuc supersit illis radix electionis & conuersionis amplissimę: id autẽ agit, ne boni ex Iudæis offenderentur, uel etiam ex gentibus, interim profligãs à se suspicionem iniquioris animi in Iudæos, prædicans dignationẽ dei ad Iudæos, quæ eo ualet, ut & casus eorum mundo prosit. Casum autem hic intelligit totius gentis, ab electione gratiaq; dei. Dicũtur autem impegisse quidem, sed nõ cecidisse, nisi ut gentes in communionem uenirent salutis. Dum enim cõstat gentem Iudaicam adhuc deo sanctam fuisse, eoq; restituendã magna gloria, & id tum demum, cum iam plenitudo gentium ingressa fuerit, effectum est, gentem eam casu suorum, & maioris licet partis, non cecidisse ipsam, sed impegisse tantum, & propter salutem cum gentium tum suam ipsorum. Propter salutem gentium, quia hæ interim ingrediuntur in regnum dei, donec tempus illud decurrat, quo & Iudæa gens sub incredulitate concluſa esse iusto iudicio dei debet, quo & in ea illustrior fiat misericordia dei, quando olim eam iampridem gentem sine misericordia, & non populum ad Christum dominum reuocabit. Visum ergo est deo, tunc euangeliũ uitæ dare gentibus, cum illud Iudæi reiecissent. Hinc Paulus & Barnabas dicebant, Quandoquidem uos Iudæi euangelium dei repellitis, uosq; indignos iudicatis uita æterna, ecce conuertimur ad gentes. Recte ergo hic Paulus dixit, casu Iudæorum salutem allatam gentibus, non datam tantum casu Iudæorum occasionem, ut salus adferretur gentibus. Hinc etiam est, quod hanc sententiam toties repetijt, affirmando casum & imminutionem Iudæorum factam esse diuitias mundi, hoc est attulisse in reliquo mundo copiam tam ingentem credentium, ut illos æmulentur. Salus communicata gentibus, regnumq; dei existens florensq; apud gentes, æmulationem merito excitat Iudæis, ut & ipsi ad Christũ aduolent. Vt enim apud Christianos ex gentibus uera religio, & ex hac omnia ab initio, & postea florueruntac etiamnum, utcunq; superstitio ubiq; plurimum inualuit, & apud multas nationes florent, urgens sanè causa est Iudæis, ut ipsi interim tot superstitionibus, ac inde omni genere calamitatum miserrime oppressi, æmulãdos sibi Christianos iudicent. Et id profecto non paucos illorum admodũ perturbat, pleroscp etiam ad Christum adduxit, & adducit hodie, adducetq; multo plures, cũ religio Christi plenius apud nos restituta fuerit. Nec enim aliud argumentum aduentus Christi est, quod Iudæos hodie tantopere solicitet, atq; hoc unum, q̃ uident Christianos tanto dei fauore uti & frui, se uero habere tam calamitose. Et nisi tam manifeste superstitiones apud nos inualuissent plurimis inter eos iampridem plene concidisset spes omnis futuri Messiæ, & recepissent eũ qui uenit Christum dominum nostrum.

Quod si delictum illorum diuitiæ sunt mundi, & diminutio eorum 8
diuitiæ gentium, quanto magis plenitudo eorum?

Ex eo quod ceciderunt plurimi ex Israel, imminutusq; est in hac gente numę

rus deum uere colentium, maxima illa reliquorum hominum multitudo per totum orbem accessit regno dei. Diuitias autem mundi uocat, copias gentium credentium auctas, & id sanè proprie. Nam est & facit quæcp̃ res id quod deus decreuit, uerbo enim dei sunt & fiunt omnia. Ideo ex uerbo dei etiam de omnibus iudicandum. Plenitudinem autem gentiũ intelligit plenum numerum electorum ex Iudæis & gentibus. Plenus autem numerus Iudæorum in regno Christi is erit, cum tot ex Iudæis Christo nomen dederint, ut iam liceat simpliciter & plene dicere, Iudæi colunt Christum: iam enim id dici non potest, sed dicendũ est, Reliquiæ Iudæorum crediderũt Christo. Et ne gentium quidem adhuc plenitudo ingressa est, quia nondum tam multi fortassis ex gentibus communionem regni Christi perceperunt, ut dicere liceat: Totus orbis, omnes gentes Christum agnoscunt & colunt, id quod prophetæ futurum prædixerunt. Vt autem nunc pauci ex gente Iudaica Christum recipiunt, ita olim pauciſſimi eum reijcient. Et ut hodie haud ita multæ gentes Christum pure colũt, ita cum ingressa fuerit in regnum Christi plenitudo gentiũ, nusquam nõ in orbe pura obtinebit religio Christi. Nunquam autem deerunt hœdi satanæ inter oues Christi, & zizania inimici inter triticum domini. Rationem autem plenioris huius loci intellectus, & illuminationis cum gentium tum Iudæorũ, de qua hic D. Paulus uaticinatus est, inquirere exactius fas nõ est, satis nobis fuerit nosse, & gentes & Iudæos longe ampliore copia Christo domino adducendos esse. Hoc autem ut maturetur oremus, & quisq̃ pro sua uocatione fideliter ad id domino seruiat, ut fieri possit. Studioq̃ nostro incumbamus, ut in primis charitas coalescat, ut subinde æquanimiter ueritas simplex scripturæ sacræ audiatur & credatur, & spiritu Christi concilientur affectus, ne tam fatalibus odijs concitentur utrinq̃. Si id ex hoc loco didicerimus, satis profecisse nos credamus, & in hoc studiosi simus.

9 Vobis enim dico gentibus, quandiu quidem ego sum gentium apostolus, ministerium meum honorificabo, si quomodo ad æmulandum prouocem carnem meam, & saluos faciam aliquos ex illis.

Duplicem sensum hoc dictum habere potest. Primus, Vobis gentibus ista de uestra uocatione & Iudæorum reiectione prædico, quo agnoscatis quanta sit in uobis dei beneuolentia. Vt enim uester apostolus sum peculiariter, ita cupio munus hoc meum ad uos glorioſum esse & Christi, hoc est ad salutem uestram q̃ efficacissimum, quo uestra felicitate Iudæi æmulatione extimulentur, ut & ipsi Christum amplectãtur, non ut à uobis abijciantur. Alter, Dico enim uobis gentibus, quod ideo sic glorifico ministeriũ meum, & præclara de salute uestra, cuius præcipue apostolus sum, prædico, ut Iudæos carnem meam, ad æmulationem salutis uobis præstitæ incitem, non ut Iudæos fastidiatis, aut spem de illis deponatis. Hic autem non solum uoluit simpliciter commendare gentibus salutem ipsis factam in Christo, sed etiam ut erat ab ipso eis administrata. Necessario enim imminuta fuisset salus facta gentibus, cõtempto ministerio Pauli, qui non solum plus omnibus laborauit ad salutem gentium, sed etiam plus effecit. De apostolatu autẽ suo ad gentes passim in domino gloriatur, ut illud reddat commendabile, quoad licet & efficax. Carnem suam Iudæos uocat, ut ex causa diligendi eos quæ ipsi erat, fidem astruat sibi dilectionem eorũ præ se ferẽti. Addit, Vt seruem aliquos ex eis, quia maiorem partem in præsenti reiectam à domino ex oraculis scripturæ probauerat. Seruat omnes solus Christus, at dum fideliter administrant apostoli uerbum dei, dicuntur suo modo seruare & ipsi, per quos Christus uerbum salutis ele-

ctis suis administrat, qui spiritu suo regnat & agit omnia in electis, cui soli debetur honor & gloria: interim tamen, Qui uos, inquit, spernit, me spernit.

Si enim amissio eorum reconciliatio est mundi, quæ assumptio nisi uita ex mortuis?

Apostolus ut exprimeret plenius, ad quid usus sit dominus Iudæorum abiectione, tam audaci metonymia uti ueritus non est, reconciliationem enim gentes assequuti sunt per euangelium in gratiam. Opponitur autem hæc Iudæorum assumptio abiectioni eorum, ei quæ facta est exortu euangelij. Satis autem liquet, Apostolū prædicere hic, fore ut Iudæi olim sic maiore ex parte Christo accedant, sicut in ista eorū abiectione maiore ex parte à Christo alienati sunt præ omnibus gentibus totius orbis. Accedent autem Iudæi olim ad agnitionem Christi, dum domino placuerit, ut intellecturi sint scripturas diuinas, non aliū intendisse Messiam, q̄ eum qui natus est ex Maria uirgine, iam ante mille quingentos & fermè quadraginta annos. Eum credent & sentient regnare in toto terrarum orbe, regno non corruptibili, sed cœlesti, non tyrannide corporū, sed pietate animorum, & spiritus instinctu ad omne bonum: id ubi continget cōuertentur à carneo sensu suo, & in spiritu ac ueritate domino deo seruire incipiēt, & Christi spiritum in scripturis loquentem intelligent, agnoscent, fratres suos filios Abrahæ in fide, & pro pelliculæ suæ abscisione nihil sibi uirtutis & meriti deberi agnoscent, intelligent autem eandem nobis Christianis fidem esse quæ fuit patriarchis, qui sicut in fide Christi promissi, & uenturi, omnes saluati sunt à peccatis suis dei gratia, sic ueros interim Christianos saluos fieri credētes, in exhibitum nobis Christum, & pro tanto præteritū, ut alium nullum sese sperare debere agnituri sint, præter eum quem totum præter se mundus Christum ubiq; credidit, professus est, & saluatorem expertus. Sic ergo assumēdos Iudæos prædicit Paulus, nosq; speramus propediem futurum, si peccata pseudochristianorum non obsistant, quo minus tam Iudæi quàm Sarraceni, iusto odio nos Christianos odire iuste se credāt, quia cum Christianos nos dicimus, nihil tamen simile per uitam & fidem præstare doctrinæ Christi & legi euāgelicæ uidemur. Futurum autem sperabimus, ut recens uel renouatus is modus euangelizandi per uerbū & scripta ueritatis & Christi adeoq; dei summi optimi, profecturus sit beneficio linguarum & librorum in cōciliationem & pacem totius mundi, ad conuersionem omnium gentium in uerum cultum dei, in studium innocētiæ, quantum per carnis huius mortalis infirmitatem fieri potest, quod omnes prophetę futurum esse prædixisse uidentur. Hæc autem Iudæorum restitutio fiet, non sine ingenti bono orbis totius. Cui nimirum adeo profuit ad tempus reiectio, ut tāto glorioſiore sanctimonia seruatorem suum sint amplexuri. Id uero commodius promoueri non posse uidetur humano consilio, quàm si principes neutiquam sinant Iudæos otiosos libidinari ex sudoribus Christianorum, quos exugunt usuris pernicioſissimis, cum summa contumelia & irrisione populi Christiani, quibus uel hac uia dominari sese iactitant. Si quoq; Talmudicas fabulas stultissimas, & scriptæ dei peruersiones continentes, & stolidissimorum pariter & arrogantissimorum Rabinorum traditiones, per quæ decepti sunt sponteq; errant, eisdem per principes tolli præcipiantur, & id fiat. Vtq; simul tertio quoq; ad lectionem sacrarum literarum adigantur solam, quas & habere & legere pariter coganť. Is enim uidebitur opportunior modus agendi post hac cum Iudæis, si tamen auaritia & tyrānis Christianorum principum decreuerit, & fides in uerbum dei & solicitudo proficiendi subiectis increuerit, id quod

nobis à dei gratia precibus fuerit obtinendum, & zelo iusto. Eam autem mundi conuersionem citius consecuturum Christi iudicium & mortuorum resurrectionem semper est creditũ, & doctrinæ Christi & apostolorum cõforme, & patrum fidei dictisq; proditũ, qui hunc locum intelligunt de generali resurrectione mortuorum, quam ita assumptione Iudæorum adfuturam mundo existimant, ut eorum abiectione facta est mundi reconciliatio.

11 Quod si delibatio sancta est, & massa: & si radix sancta, & rami.

Alludit ad ritum quem deus populo Iudaico præscripsit in lege sua, ut sibi omnium rerum primitias offerrent, quo reliqua omnia sanctificabantur. Ita inter cætera offerebantur domino coliridæ, farina oleo consperſa. Ex qua cum delibatio sancta erat, sanctam esse oportuit & reliquam cõsperſionem. Porrò utroq; simili, cum delibationis & reliquæ consperſionis, tum radicis & ramorum Apostolus idẽ colligit. Nempe si primi gentis Iudaicæ patres sancti fuere, necesse est ut sancti sint & eorum posteri. Quæ illatio eo nititur, quod deus patribus promisit se fore deum, & seminis eorũ. Sic & primitiæ dici possunt & sunt apostoli & apostolici uiri, qui primi euangelium receperunt reuelato Christo.

12 Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis & pinguedinis oliuæ factus es, noli gloriari aduersus ramos: quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te.

D. Paulo quispiam respondere posset, Agnosco sanctas esse primitias, & sanctam radicem gentis Iudaicæ, id est patres huius gentis uere pios, uereq; deo charos, ab his autem Iudæi nunc alienati sunt, reiecto Christo, in quem patres eorum omnem spem suam collocarũt. Hanc itaq; obiectionem excipit Apostolus, ut fateatur Iudæos quidem nunc ceu defractos ramos esse, & gentes sanctæ radici insitas, Monet autem, quod nos ex gentibus insiti sumus radici Iudæorum: deinde quod insiti sumus ex oleastro, id est olea agresti & succo destitutæ, ex impia scilicet stirpe, & ex maioribus à deo alienis, eoq; infrugiferis. Hinc infert primum, Iudæos, licet ob incredulitatem defracti sint ex stirpe sancta, tamen nobis colendos esse, quia nos bono ipsorum fruimur, participes facti pinguedinis oleæ, quæ illorum est, hoc est, benedictionis peculiariter promissæ & exhibitæ Iudæis, portariq; nos à radice, hoc est, nos niti salute ueniente à sanctis patribus, & authoribus gentis Iudaicæ. Non nos portare radicem, id est, nihil à nobis salutis allatum esse Iudæis. Si itaq; salus nobis à Iudæis contigit, & nos sanctis illorum patribus adoptati sumus, cur Iudæos ob tantum beneficiũ quod nobis per ipsorum patres uenit, non aliquo in pretio haberemus, salua conscientia fidei, & iusto zelo contra blasphemias, quas non raro ex ipsorum colloquio audire solemus, dum & de prophetis & apostolis parum religiose, & nimium quoq; perfide loquuntur & sentiunt, seseq; ostendũt sæpe Iudæos nõ esse, sed Sadducæos uel Minæos potius, qui Talmudicis expositionibus deprauant sententias sanctissimas legis & prophetarum. Modestos autem & ueritatis auidos Iudæos in pretio habere debemus, & à scandalo ipsorum, quantum fieri potest, cauere, totisq; uiribus incumbere, quo & illi ad Christum dominum suum uelint nolint reuertantur. Beneficium autem quod gentibus per Iudæos olim contigit, eò admonuit quod addit, Insitus es illis, & particeps factus. Gentes enim per fidem Christi factæ sunt semen Abrahæ. Ergo insitæ Iudæis, ut gratia sanctis patribus promissa & facta fruantur, & spiritu illorum uiuant. Id quod Apostolus per communionem radicis & pinguedinis significat. Vt nanq; filij dei omnes eadem dei beneuolentia nitũtur, ita eodẽ agun-

tur

tur ſpiritu, & ſi hic donetur grandior nũc poſt Chriſti reuelationem. Et hic eſt ex præcipuis locis, quibus probatur, eodem ſpiritu ueræ iuſtitiæ donatos fuiſſe Iudæos, etiam ante incarnatum Chriſtum. Ne ergo glorieris &c. Ne ſublatus beneficio quod per Iudæos contigit, Iudæos præ te contemnas & abijcias. Rami enim ſunt radicis quæ te portat, & ex qua tibi ſuggeritur omnis ſuccus uitæ cœleſtis.

Dicis ergo, Fracti ſunt rami ut ego inſerar. Bene propter incredulita- 13
tem fracti ſunt. Tu autem fide ſtas, noli altum ſapere, ſed time. Si enim deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat.

Hic infert ſecundo, Caſum Iudæorum nobis debere adferre ſolicitudinem & cautionem colendi donum dei, quod per Iudæos obtigit, nequaquam Iudæorum contemptum. Nam ſi deus non pepercit ramis naturalibus, id eſt natis ex pia ſanctaq; ſtirpe, certe metus eſſe debet, ne & nos abijciat. Metus, inquam, qui incitet, ut deo nos ſolicite approbemus, non quo diffidamus de promiſſione & uocatione dei. Procliuius eſt, inquit, Iudæos inſeri iterum oleæ ſuæ, q̃ expectare ut inſeramur illi ex oleaſtro. Illud autem exprimit his uerbis, Ne tu gentilis, factus Chriſtianus, glorieris contra ramos oliuæ Iudæos, qui defracti quidem ſunt incredulitate: ſi tu fide ſtas, non ſuperbias, ſed metue. Alloquitur his uerbis uniuerſas gentes ad Chriſtum conuerſas, à quibus iam multis, proh dolor, regnũ dei ſicut primum à Iudæis ablatum eſt, uti ſunt Perſæ, Arabes, Syri, Aegyptij, Aſiani, & aliæ plures. Fides quidem in ſingulis metum excludit. Vt enim promiſit deus uitam æternam, non temporariam: ita dubitare uera fides non poteſt de ſempiterna dei beneuolẽtia. At cum deus in Iudæis præcipue declarauerit, ut regnũ ſuum deus, hoc eſt publicam gratiæ prædicationem, & ueram eccleſiæ dei emendatamq; politiam, transferat à gente non faciente fructum, ad gentem quæ fructum facit, debet ſanè nos exemplum Iudæorum ſolicitos reddere, ut firmãdæ apud nos, & ad poſteros propagandæ religioni ſtudeamus. Si enim deus ramis naturalibus &c. Iudæos uocat ramos ſecundum naturam, quia naſcuntur à ſanctis patribus, primis religionis ueræ in orbe authoribus, unde natura Iudæi ſunt, non ex gentibus peccatores, ut ſe Paulus de ſe & alijs ex Iudæis ſelectis apoſtolis Petro loquutum memorat, Gal. 2. In his uero reſpicit ſemper Apoſtolus ad illud: Ero deus ſeminis tui: carni tamen per ſe nihil tribuit. Promiſſio illa certe ualuit Iudæis eò, ut quãlibet grauiſſimis, & ſæpe inſanis ſuperſtitionibus, omniq; genere ſcelerum deum in ſe prouocaſſent, haud tamen abiecti ſint ſic ab eo, ut nõ eſſent ei peculium præ alijs gentibus orbis, idq; per tot ſæcula, donec Chriſtum ipſum reiecerunt & crucifixerunt, propter quod & ipſi reiecti ſunt. Certe nobis gentibus eo amplius metuendum eſt, ne & nos reijciamur, qui nuper à deo in hæreditatem gratiæ uenimus, nec tanta ſanctorum ſucceſſione, & in his diuini fauoris perpetua proſecutione in ea confirmati ſumus. Cæterum & nos nunc per fidem filij Abraham, eaſdem cum illis benedictiones accipimus, ſicut & noſtri liberi ſancti ſunt, attamen eũ Iudæi in fidei poſſeſſione primi, tot beneficijs affecti fuerint, nos uero illis ex oleaſtro, id eſt ex gentibus tandiu impijs inſiti, merito Iudæi præ nobis naturales rami, id eſt nati ex gente ſanctorum uocantur à Paulo: maxime uero id initio religionis ad gentes translatæ tribuere eis conueniebat, quando ſcilicet hæc Apoſtolus ſcripſit: nunc enim quales ſint, liquet omnibus: ſanè nec iuxta carnem Iſraelitæ, nec ſecũdum fidem, ſed impij, auari, inuidi, & ab omni ueritate abhorrentes, tantum ſuperſtitioſi humanarum ſuarum traditionum obſeruatores, nihil de uerbo domini, lege & prophetis perdiſcendis curantes. Sed & negantes Meſſiam,

tam præteritum quàm futurum, id est omnes prophetas.

14 Vide ergo bonitatem & seueritatem dei. In eos quidem qui ceciderunt, seueritatem: in te autem, bonitatem dei, si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris.

Consideratio ista timorem & solicitudinem bonitati diuinæ sese accõmodandi, & in ea fide firma inhærendi, excitat & urget, diffidentiam non ingerit. Diffidẽtia enim etiam de posteris & gente ipsa deo abominatio est. Oramus quotidie, Adueniat regnum tuum: id ergo fide oremus, & absit metus diffidentiæ. Interim tamen monemur, ne singuli quoq;, ut ab alieno lapsu proprium, maiore metu & solicitudine caueamus, ut qui stat, uideat ne cadat, ne & ipse tentetur. Nulla tamen est admittenda de sempiterna dei gratia dubitatio. Est siquidem duplex metus & trepidatio: altera intendit & auget diligentiam, & excitat conatum, nihil remittens de spe: altera, ut spem remittit, ita adfert ignauiam, omnemq; conatum submouet. Hæc incredulitatis est, illa cautionis, & solidi in deum & gratiam eius amoris ac studij, facitq; perceptæ bonitati inhærere toto pectore. Non est ergo sic semper dei bonitas & gratia prædicanda hominibus etiam fidelibus, uel etiam cogitanda, ut non etiam seueritas eius certa, & iustitia cogitetur & proponatur. Re uera enim iustus est dominus, qui in iudicium intrat etiam cum seruis suis, & magno rigore punit peccantes, aliquando calamitatibus immissis in rebus huius sæculi multifariam, aliquando & sæpius, dum peccata punit peccatis, dum sinit de malis fieri peiores, donec desperetur, uel ad maxima conscientiarum mala perducit, qua non est in hoc mundo maior infelicitas, quæ à pijs & impijs sit omniũ maxime pertimescẽda. Permanere autem in bonitate, nostrum quidem non est, sed gratiæ dei, quã anxie semper petendã à deo docemur, ut sanctificetur in nobis nomen domini. Alioqui & tu excideris. De gentibus loquitur uniuersaliter, non de singulis hominibus. Nam gentibus publicitus & in uniuersum sæpe auferẽ euangelium, cum singuli homines, qui euangelium uere receperunt, excidere à dei regno non possint. Habent enim eiusmodi uitam æternam, & transierunt iam de morte ad uitam. Fit illis nimirum à domino, ita ut credunt: credunt autem se destinatos in salutis cõsortium, ut ea in sempiternum fruantur: ita scilicet glorificandi, ut sint uocati & iustificati.

15 Sed & illi si non permanserint in incredulitate, inserentur, potens est enim deus iterũ inserere illos. Nam & si tu ex naturali excisus es oleastro, & contra naturam insertus es in bonam oliuam, quanto magis hi qui secundum naturam, inserentur suæ oliuæ?

Cum deus prima sit causa salutis omnium, qui omnia potest, & beneuolentia sua omnibus præsens est, facile potest reconciliari peccantibus, & gratiam dare, quos puniendo odisse uidebatur. Qua gratia credere incipiant, qui nuper increduli dominum non timebant. Non ergo impossibile est deum Iudæis iratum iterum conciliari, quando & ab initio sola gratia, dum inimici essent, assumpti sunt: id nunc quoq; fieri potest. Sicut eñ olim fuit gens Iudaica bona & frugifera olea & naturalis, unde nati sunt naturales rami ex sanctis patribus, potest & adhuc eosdem deus donare sua gratia, ut non absonum uel indignum sit sperare, ut Iudæos deus uelit aliquãdo restitutos, quando longe impossibilius & inexpectatius fuit, gentes per tot sæcula omni impietatis genere perditas, & ideo natura oleas agrestis, populo suo sancto inserere contra naturam. Nam quæcunq; uel natura uel institutio gentilium, à suis maioribus accepta, huic insitioni aduersabatur.

Erant

Erant enim & filij iræ à natura, & insuper institutæ ad omnem impietatem. Deus autem declarauit se eo maxime omnipotentem, quod ceu ex lapidibus nos filios Abrahæ fecit, & defractos ramos ex oleastro, hoc est recisos ex impia stirpe, & ex mundo selectos, qui totus in malo hæret, inseuit oleæ bonæ radici, sanctæ familiæ suę, sanctis patribus, Abrahę, Isaac & Iacob. Ex qua salute nostra religiose expensa, agnoscimus bonitatem & misericordiam dei, unde fides uera facile confirmatur, deum quoq; aliquando resumpturos Iudæos, ut nobis futuri sunt fratres, & membra in deo & charitate Christi per fidem. Si tamen dei ueram gloriã, & non tantum suam zelare cœperint, gratia dei reuocãdi ab improba mente & perfidia sua, qua tantum quę sua sunt quærunt, non quæ gloriæ dei: quam, ut apparet, & uerbis & moribus, nihil zelant nisi pro suo bono temporali, qui de spirituali uita & cultu nihil uel modicum cogitãt, uel intelligere uolunt: nostrum interim erit, ut amplius admiremur, & suspiciamus dei in nos dignationem, qua destituuntur in præsentiarũ Iudæi, maioreq; studio & solicitudine retinere illam, eiq; nos per omnia accommodare conemur. Quæ duo præcipue hic Apostolus spectauit, ut nimirum & factã nobis gentibus salutẽ digne æstimemus, & iusta cura tueamur. Sic autem suadet Apostolus tandem. Quod amplioris beneficij fuit & potentiæ maioris, id præstitit deus uobis gentibus, dum perfidos à maioribus, & hæreditario dei maledictioni obnoxios, Christo domino tamen inseuit, & per hũc sanctis omnibus. Cur ergo dubitemus de eo, quod apparet esse & beneficij & operę minoris de restitutione Iudæorum? Quod autem hic dicitur de Iudæis, & eorum parentibus omnibus, considerandum est eis, qui bonos sortiti parẽtes degenerant. Boni enim parentes naturales rami sunt, quibus promisit deus in mille millia misericordiam, & uidemus tamen eorũ filios reprobari. Quid igitur non timendum ubi nullę promissiones parentibus datæ sunt? Sed & hic discimus, de nullius hominis salute quandiu hic uiuit desperandũ esse, potest enim deus rursus assumere, & gratia sua reddere meliores, & rursus acceptos ad salutem.

Nolo enim uos ignorare fratres mysteriũ hoc, ut non sitis uobismetipsis sapiẽtes, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret. 16

Attentiores esse desiderat Romanos ad arcana audiendum & intelligẽdum, quæ non nisi paucis & diuinitus reuelantur. Mysteria autem uocat reconditiora euãgelij, ut quod iuxta prophetarum prædictiones etiam gentibus ad Christum conuersio, & cum populo dei communio sit promissa, & per Christum exhibenda. Hæc autem Apostolus quidem docet, quæ paucissimis adhuc reuelata erant & credita, unde adhuc arcana & uere mysteria habebantur, etiã in ecclesia. Non ergo sitis elato spiritu & insolentes, quasi per omnia Iudæos contemnentes, qui nondum capaces sunt mysteriorum Christi, & intelligentiæ prophetarum. Qui iuxta carnem tantum Israelitæ sunt, non Christi spiritu donati. Quorum adhuc maxima pars est, qui nondum euangelium Christi agnoscunt, de quibus Apostolus loquitur, qui excæcati sunt diuino iudicio, propter odium & superbiã suam, interim tamen Israelis nomen obtinent. Nam qui Christum receperũt, iam Christi, non Israelis nomine censentur. Contigit autem Israeli cæcitas, qui prophetas carneo suo spiritu carnaliter intelligebant, & non nisi propter carnalia domino seruire uolebant, & de cultu tantum ceremoniali soliciti erant. Ideo nec dei uerbum nec prophetarum oracula, nec Christi & apostolorum doctrinam intelligere uel approbare poterant, sicut nec hodie possunt. Sic domino iuxta prophetas

excæcant impios, donec plenitudo gentium aduenerit. Sic enim uisum est deo, ut nunc gentes misericordia dei in Christo fruantur per incredulitatem Iudæorum: & Iudæi sint propter duritiam ceruicis suæ in incredulitate, per misericordiam exhibitam gentibus. Plenitudo autem gentium, plenus numerus gentium est, quem deus assumere è gentibus decreuit & præfiniuit. Non tunc primum, quando & nemo gentilium restat ad ecclesiam amplius peruenturus, quod nunquam fortassis fiet. Etiamsi lapsu totius idololatriæ gentilium, haud parum creuerit toto in orbe ecclesia. Sic enim fiet ultima ista Iudæorum cõuersio ad Christum uniuersalis, ut non ad unum omnes, nec Iudæi nec gentes sunt Christum agnituri. Sed hi quos uocauit, sanctificauit, & elegit dominus clemens & iustus. Totum quoq; Israelem saluandum, intelligi potest hic de electis & fidelibus, qui iuxta fidem Israelitæ censentur deo, quos nouit qui condidit & prænouit omnia. Qualis tunc erit maximus numerus Iudæorũ & gentium, sic ut pauciſſimi ex gentibus mansuri sint tunc extra ecclesiam, & ex Iudæis quoq; rarissimus salutis sit expers futurus. Sic em̃ solet scriptura uniuersa loqui in uniuersalibus, quemadmodum quoq; fert hominum consuetudo.

17 Sicut scriptum est: Veniet ex Sion, qui eripiat & auertat impietatem ab Iacob. Et hoc illis à me testamentum, cum abstulero peccata eorum.

Videtur Apostolus, quod hic adducit, recepisse partim ex 59. cap. Isaiæ, partim ex Ieremiæ 31. cap. secutus uersionem LXX. interpretum, quæ tunc tam Iudæis q̃ gentibus sola in manibus erat, & ueritati Hebraicæ nõ hic aduersabatur. Vult autem quod seruator uenturus sit, etiam ipsi Zion redemptor, & eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob. Nam quod redeant hi ab iniquitate, utiq; Christi opus est, & ipsa eius redẽptio, qui nisi ipse auertat iniquitatẽ, & à deo defectionem, in qua sanè nunc sunt Iudæi omnes, nemo est qui ab ea eripere possit. Fœderis quoq; noui descriptionem notat Apostolus, secundum ea quæ habentur Iere. 31. per totum ferè caput; quem cum priore loco Isaiæ uide in suo loco expositũ. Vbi expresse promittit dominus auferenda peccata Israeli, quæ est perfecta credentium & fidelium redemptio, etiamsi grauia in mundo ferre cogantur in temporalibus & corporalibus damna. Vnde primum est in fœdere dei cum electis peccatorum remissio, & ut de ea per fidem in Christũ certi sint, & ob id ad omnem dei uoluntatem perficiendam tam anxij q̃ alacres. Hæc autem peccatorum remotio prædicta oraculis prophetarum, quando totus Israel eam est perceptura, ad hoc expectanda est, & ueniet, cum patri cœlesti placuerit.

18 Secundum euangelium quidem inimici propter uos, secundum electionem autem charissimi propter patres. Sine pœnitentia enim sunt dona & uocatio dei.

Fatetur Apostolus hic Iudæos habendos sanctis inimicos, sed causa euangelij, quod nobis totis est uiribus promouendum & prædicãdum in mundo: illi uero pro sua cæcitate & inuidia summo conatu oppugnant, etiam odio prosequentes eas gentes, quarum salutem illi enixe auertere laborant, Christum negantes. Sancti autem pro omni uiribi sua promouere conantur. Quanquam & illud, Propter uos, notare posse uidetur quod ante dixit, casum Iudæorum attulisse diuitias gentium, quodq; mox dicet, Gentes misericordiam esse consecutas, Iudæorum incredulitate: sic ergo propter salutem gentium, Iudæi & deo & sanctis inter inimicos habentur, quia excæcari & sub incredulitate concludi Iudæos oportuit, ut gentes dei misericordiam consequerentur, seruatæ per fidem; inimici autem nobis

bis habendi, non quidem ut ipsis noceamus, sed ut conatibus eorum impijs, qui-
bus regnum Christi oppugnant, toto studio contradicamus, conuincamus, & du
riceruicos comprimamus, ne blasphemijs suis ueritati & Christo sese opponant.
Taliterq; eos tractemus, ut iudicium domini super se sentiãt, & se exules esse pro
pter peccata sua agnoscant. Nequando, ut solent, iactent felices se, quia sese de ho
stibus suis uel inuitis Christianis fauore principum uindicare posse, dum pau-
peres expilando fauorem & pacem, munerum pollutorum officio redimere à pri
moribus possunt, & sanguine pauperum inebriari, quos oderunt ex toto animo.
Istis enim magno conatu occurrendum foret, ut dictum est, ne de sua felicitate se
iactare ualeant. Et ipsis cum tempore uexatio intellectum restitueret, ut quid ue-
ra sit pietas, & quis ueri dei uerus cultus sit, iuxta scripturas agnoscere possint. Et
cessent sperare stultum suum regnum Messiæ sui, in quo ipsi omnes reges futuri
sint, & qui in mundo reges sunt & principes, filiorum suorum alumnos & seruu
los, ad omnem illorum libidinem: hæc est enim eorum spes & fides etiamsi perne
gare uideantur. Et ut errare non potest deus, sic nec pœnitere ulla in re: qui enim
de suis factis doleat, quum ea sint semper optima? Pœnitentia autem est, dolor de
incõsulto maleq; admissis. Porrò uocatio, qua deus patres sanctos olim uocauit,
& per fidem iustificauit, & ut peculium habuit propter fidem in Christum, ut pro
pterea fuerit deus eorum, & huiusmodi sui seminis, & æternæ uitæ largitor, reuo
cari non poterit, quin & perfecte impleta est, iuxta omne desiderium Abrahæ, &
in fide sibi similium patrum, qui uidit diem salutis & Christi, & gauisus est, quem
Iudæi impij crucifixerunt, & de omni ea blasphemia, & mala tractatione Christi,
dolere & pœnitere nec uolunt, nec per malitiam & odiũ possunt, donec suo tem-
pore uelamen auferetur, quod sperat & prophetat Paulus, ut Christum in lege &
prophetis promissum agnoscant, & collætentur cum Abraham, subijciantq; se re
gno Dauidis, Salomonis, & Christi, quod durat semper, et est uniuersale, uerum,
felix, beatum, sanctum, & quale decet sanctum sanctorum, ad solam salutem sub
ditorum fidelium, absq; omni grauamine, uel conscientiæ, uel uitæ uirtuosæ, qua
lis est beatitudo sanctorum, hic inchoans, & cum Christo sine fine perseuerans.
Hoc donec Iudæi non accipiunt, sed in carne gloriantur, & mundum diligunt,
coluntq; seipsos magis q̃ deum, nec Israelitæ cẽsendi sunt, nec re uera Iudæi, sed
impij, mundani, gentiles, & uerborum dei osores, quia non quæ cupiunt discunt
ex scripturis, sed omnia illis contraria. Et licet suo tempore reuersuri sunt, & ue-
lamine carituri, tamen nihil prorsus earum rerum assequẽtur, quæ hodie sperant
& optant, quæ nihil nisi carnalia sunt, quæ Abrahæ & sanctis omnibus abomina
tio fuissent, gloriari scilicet imperio multorum subditorum, diuitijs, tyrannide, fa
stu, libidine, delicijs huius mundi. Talia nunquã sanctis promissa sunt patribus,
sed uere tantum bona, & sancta, & iucũda, in deo scilicet omnia possidere, plena
fiducia tutum esse ab omni malo, sancte uiuere, gaudere semper in domino, ama
re omnes ut fratres, uno humero inuocare deum patrem, & quem misit, ut pro-
miserat, filium suum. Hæc olim agnoscent conuertendi Iudæi, & Christi regno
cum multa lætitia coniungentur. Gratias agent de luce sibi affulsura, agnoscent
ueram Hierosolymã & promissionis terram. Summa pace fruentur ubicunq; lo-
corũ cum sanctis fidelibus, & erit Christo regnũ, glorioſius q̃ uel Salomonis fue
rit uel nunc sit, dũ ueritas & fides exulant in toto fermè orbe terrarũ, maxime au
tem in Sarracenis & Iudæis & Antichristianis, quicunq; hij sunt. Nihil ergo di-
cunt, qui aliud Iudæis Christi sui regnum somniant, & maiora promissa pollicen
tur, q̃ optasset unquam Abraham sanctus. Quin longe plures in lege & prophe-

tis leguntur Iudæorũ maledictiones, q̃ piorum ex eis benedictiones, præter eam quã habituri sunt in Christo domino, & in regno dei, quod hic incipit in electis, & perseuerat in cœlestibus sine fine. Non erunt feliciores in hoc mundo, quàm Abraham ipse pater fidei nostræ, qui aliud non magis in hoc mundo desiderauit, quàm amplitudinẽ regni Christi, quod in spiritu uidit, & gauisus est. Illud ipsum & Elias uidit, & Moses, & sancti omnes. Hæc tantisper cogitanda relinquo pijs, ne Iudeis suam meram impietatem uel in minimo comprobare pergant, si Christi regnum expendant, quod non est de hoc mũdo. Felicior hoc in mundo status nemini continget, multo minus Iudæo quamlibet beatificando, q̃ ut Christus uere regnet in suis fidelibus, & si fideliũ numerus q̃ maxime augeatur in orbe. Rogentur sapientissimi optimi & ditissimi reges & audiantur, q̃ feliciter uiuant comparatione eorum, qui uere Christianam uitam uiuant & credunt obediuntq; euangelio. Impœnitentia ergo dei est, præstare Iudæis & gentibus bona, quæ credentibus uerbo suo promisit, pro statu præsentis sæculi & futuri: non ea, si Iudæos faciat dominos orbis & monarchas, quod est miserrimorum hominum.

19 Sicut enim aliquando & uos non credidistis deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum: ita & isti nunc non crediderunt in uestram misericordiam, ut & ipsi misericordiam consequantur.

Quam dispensationem diuinæ misericordiæ in nobis experti sunt populi omnes, eam cur non & Iudæis expectandam putemus? Iudæis olim credentibus, nos increduli fuimus: nunc donati sumus fide, & detinentur Iudæi sub incredulitate. Sicut ergo dominus misertus est nostri, qui fuimus ex impijs parentibus, sic miserebitur Iudæorum, propter sanctos ipsorum parentes & promissiones. Semper enim opera dei inseruiunt gloriæ dei, & saluti electorum: bona enim sunt opera dei, & cõmoda alicui, maxime autem sanctis & deum diligentibus. Fuit autem incredulitas Iudaica utilis & commoda, quia ab ea repulsi apostoli, conuersi sunt ad docendum gentes. Ea quoq; docet totum orbem, ut qui Christum reijciunt, salutem reijciant & iustitiam. Et docemur ex facto Iudæorum, q̃ pernicios a res sit fiducia carnis & operum, utq; à sola misericordia dei omniũ salus pendeat, dum Iudæi sic uiuunt calamitosi modis omnibus, propterea quod suam iustitiã statuere moliuntur, & à iustitia fidei sese subducunt. Et quàm deus nequeat ferre hypocrisim, uerbiq; sui negligentiam, postquam deus sic abiecit Iudæos, tantisq; deuouit malis, contemptores gratiæ suæ. Et est quidem benignitas insignis patientia dei circa Iudæos, sed quæ nobis prodest, quibus sacræ literæ curæ sunt, quas illi parum appretiãtur. Et ut sint nobis exemplum iustitiæ dei, & fidei gestorum per illos contra deum, & beneficiorum dei ad illos. Re uera autem horrendum iudicium dei illis est, qui maximo suo malo, calamitoso exilio, cui ægre quidem assueuerunt, ludibrio & contemptui sunt omnibus totius mundi populis, ut ueritas uerborum dei clarescat. Si enim iamdudum uel extincti essent, uel loco aliquo remoti regnarent, uix de ueritate scripturę & gestorũ possibilitate persuaderi mundus fidelium posset. Sed decreuit dominus perfidia illorum fulcire fidem electorum suorum. Hoc ergo permaximum est, quod arcano dei iudicio sua incredulitate ad id seruiũt, ut nos credamus, & credentes uera iustitia per fidem fruamur. Ab initio quidem Iudæi assumpti sunt à deo, ut nationes reliquæ benedicerentur in Christo, diuinitatisq; consortio donarentur. Ad id perfidia sua contulerũt, propter quam in mundum dispersi, unius dei gloriam & ueritatem gentes docuerũt.

Et

Et nos gentes quoq; assumpti interim sumus, ut fructus iustitiæ æderemus, & Iudæorum iniustitiam iudicaremus. Huiusmodi autem utrinq; fructificatio, sicut tota ex deo est, sic merito etiam ad dei uoluntatem dispensatur. Et sicut olim nos Iudæorum fide humiliabamur ad salutem, dum increduli essemus, & misericordiam consecuti: sic nunc humiliantur ad salutem Iudæi nostra fide, concluſi sub incredulitate. Si casus quoq; Iudæorum adduxit ad Christum copias gentium, quanto plus commodabit orbi eorum assumptio?

Concluſit enim deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur. 20

Sic dominus statuit, ut tam Iudæorum q̃ gentium populi aliquandiu per incredulitatem degenerent, quo ampliore misericordia omnium seruator agnosceretur. Incredulitatis aũt iudiciũ à domino est, ad cuius gloriam pertinet, ut quæcunq; in creaturis dei bene ordinantur ex pœna uel culpa, dei arbitratu & uirtute dicamus fieri, sicut re uera fiunt. Hinc quoq; iudicemus de omniũ excæcatione hominum, non tantum Iudæorum, donec omnino dominus ostendat, qui pecent ad mortem, huicq; misericordiæ dei cui sæpe electi parantur dum sub incredulitate detinentur, summa uigilãtia subseruiamus. Semper enim nobis quærendi sunt ad salutem qui perierunt, & de nullius salute desperandum, nec remittendum studium lucrandi pereũtes, de quibus deus ipse nobis non præscindit spem aperte, & studium lucrandi inchoatum uel tentatum non repellit. Mirabitur interim humana infirmitas, ad quid deus tam multos interim Iudæos perire sinit, & olim gentes, & nunc quoq; non ad se uocauit. At qui cogitauerit nos nihil q̃ figmenta dei esse, illum nihil q̃ bonũ esse & agere in uniuerso, exclamabit statim cum Apostolo, O profundam & amplissimam sapientiam & sciẽtiam dei: & quæ sequuntur.

O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ dei, quàm incomprehen 21
sibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles uiæ eius.

Voluit Apostolus exprimere amplitudinem diuinæ sapientiæ, tam mirifice omnia ad optimum finem dirigentis, etiam ubi nos nihil q̃ perditionem & extinctionem rerum uidemus. Idem autem hic significatur per nomen scientiæ, quod per nomen sapientiæ, nempe plenissima & absolutissima sapientia & scientia salutis. Geminationibus huiusmodi plena est ubiq; scriptura: de illa aũt altitudine scientiæ dei, & incõprehensibilitate iudiciorũ eius loquitur uniuersa scriptura, cuius hic summa breuiter signatur. Quomodo scilicet admirabili & imperscrutabili iudiciorum dei dispẽsatione deus administrat res, & hominum & orbis totius. Isaias post 40. cap. ad finem libri admodum copiose depredicat, ut admiranda & hominibus minime inuestiganda sint iudicia dei, uias eius uĩs nostris tanto esse celsiores, quãto est cœlum terra sublimius. Totus quoq; Iob in eo est, ut discamus deum omnia iustissime de hominibus statuere, rationem autem iudiciorum eius minime inquirere. Docet tota scriptura, Consiliũ domini de nobis et de omnibus creaturis iustissimum esse & optimum, rationem autem eius à nobis inuestigari non posse. Eoq; uiuẽdum est nobis fide promissionũ eius, fiducia bonitatis eius, ut dicamus cum propheta, Ego ad nihilum redactus sum, & nesciui. Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. Tenuisti manum dexterã meam, & in uoluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me. Et Psalm. 36. Domine in cœlo misericordia tua, & ueritas tua usq; ad nubes. Iustitia tua sicut montes dei, iudicia tua abyssus multa. Homines & iumenta saluabis domine. Eodem pertinet quod in Psalmis sancti tantopere celebrant mirabilia & stupenda facta do-

mini. Ex hac itaq; totius scripturæ sanctæ summa ista desumpsit Apostolus, q̃ im perscrutabilia sunt iudicia eius.

22 Quis enim cognouit sensum domini, aut quis cõsiliarius eius fuit, aut quis prior dedit, & retribuetur ei?

Ratio hæc est exclamationis præcedentis. Cum enim nemo possit mentẽ domini pernosse, utiq; cõsilia, iudicia, & uias eius, id est facta, nemo perscrutabitur, in quibus id scilicet exequitur quod mente statuit. Ex factis quidem domini consilium eius ex parte nobis proditur, & ex parte etiam pie inuestigatur: at quem finem in omnibus ultimum spectet mens dei, quia nos latet, impossibile & ideo impiũ quoq; est conari plura intelligere de iudicijs & uijs domini, q̃ ipse in scripturis iubet nos inquirere. Nempe ut agnoscamus, quod quæcunq; tum nobis tum alijs uel bona uel mala dispensat, ijs uelle eum nos docere & monere, extra se nihil nobis boni parari posse, à se autẽ percepturos nos ultra q̃ expetere possumus bona omnia, si modo ei credimus. Quis consiliarius eius fuit? Qui doceri moneriq; à nemine potest, is nouit ex se omnia: est ergo sapientia summa, cui nihil dari potest, is habet omnia à se. Est igitur bonitas summa. In hac itaq; ueritate figamus animum. Et cum non liquet quid sibi deus uelit, quibusuis factis & iudicijs suis, cum clarissime in infinitis alioqui rebus & factis suprema eius sapientia & bonitas elucet, nobisq; cognoscitur: cogitemus eum etiam in illis rebus & factis, quæ nobis non ita patent, nihil admittere, q̃ quod sit facto optimum, quod deceat bonitatem eius.

23 Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ipsi honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Ratio est dicti præcedentis. Voluit enim prædicare, Deum à seipso nullo alio mouente aut instigante: item per seipsum, nemine ei ministrante aut eũ adiuuante: & in seipsum, hoc est propter se unum & sua solius causa omnia condidisse, seruare & regere. Ex hoc itaq; consequitur, quod nemo deo uel aliquid cõsulere uel conferre queat. At si ita penitus sunt omnia dei, & nihil prorsus omnium rerum potest esse aliorum, utiq; deus ius habet tam plenum in omnia, ut nefas & summa impietas sit, rationem ab ipso poscere eorum, quę à deo per omnia de suis figmentis statuerit, nec agnoscere, ut sicut in sapientia summa, & ex bonitate immensa fecit omnia: ita etiam regere, moderari & agere omnia, ut regi agiq; sapientius & melius non possint. Quam utiq; laudem & gloriam, deo omnes in omnibus iudicijs & factis tribuere, & toto pectore celebrare debent. Huc ergo quo nos inuitaret, subiecit: Ipsi gloria in sæcula, Amen: id est sempiterna gloria, quæ scilicet non potest competere nisi ei uni, qui fecit omnia optime, deo & creatori nostro, soli sapienti & bono.

CAPVT XII.

1 OBsecro itaq; uos fratres per misericordiam dei, ut exhibeatis corpora uestra hostiam uiuentem, sanctam, deo placentem, rationabile obsequium uestrum.

Docuit hactenus D. Paulus, certitudinem beneuolentiæ diuinæ & gratiæ ad nos non constare, nisi sola fide in dominum nostrum Iesum Christum. Nunc docet qui mores huic fidei congruant, quæ sint officia Christo credentium, quomodo uiuere oporteat eos qui uolunt gratia dei frui, cõtinuo auctius, tandemq; peruenire ad conuersationem diuinam & sanctam. Et quidem supra 6. & 8. cap. exposuit

posuit studia quædam Christianorũ, nempe quæcunq; deus immiserit, boni consulere, prauas cupiditates innatas extinguere, sanctimoniam meditari, sequi in omnibus spiritum iustitiæ, ostenditq; illa fructum esse iustitiæ fidei. Hic autem ostendit, quam nos uitam agere oporteat, quibus studere moribus, si fidem testari ueram uelimus, & Christiani haberi uel dici. Vtitur exhortãdi uerbo, & fratrum appellatione, ut fortius moueat studium & uoluntatẽ alioqui fidelium. Idq; facit ex syncera charitate ad ipsos, ut libentius auscultẽt. Misericordiã aũt dei allegat, quam per omnia sentimus in nobis, & cui charitati dei in nos, respondere studeamus toto corde, ad eam uitam contendẽtes, quam Christus docuit, è cœlo missus à patre, exhibere, offerre, deuouere & sistere corpora nostra monemur, agnoscere quoque & confiteri domino malum & pernicioſum esse, quicquid libet nobis pro ingenio carnis nostræ, indeq; id omne ex animo detestari & abdicare, uicissimq; agnoscere, salutare esse, ferendumq; quicquid immittit dominus uel etiam iusserit; simulq; orare obnixius, ut deus ipse nos in omnibus actionibus suscipiat, doceat atq; regat, ad sanctificandum nomen suum. Hæc est uera consecratio corporis nostri, & totius externi & interni hominis. Hæc est uera hominis mactatio & oblatio, ut abnegemus nosipsos, & abdicemus carnalia quæq; inordinata. Cum itaq; sic totum externum hominem & corpora nostra offerimus, uiua dicitur hæc hostia, sancta, & deo grata, & esse rationalis cultus. Viua quidem dicitur, quia depellit horrorem mortis, qui inest nostris corporibus. Sancta quoq;, quia diuinis tantum usibus addicendum. Placentem deo, qua deus unice oblectatur de nobis. Respicit autem Apostolus ad hostias ueteris testamenti, quæ uiuæ interficiebantur, certo delectu munditiæ & integritatis deo sanctificabantur, in fide offerentium domino placebant. Hæc autem nostra corpora mactantur quidem, sed ut uiuant ratione meliore inæternum. Et non erant sanctæ carnes illæ oblatæ, nisi quatenus symbola erant sanctificationis offerentium. Nostra autem oblatio sancta est, quia in Christi fide sanctificata. Offundebant illæ odorem suauitatis ex fide tantum offerentium: nostra similiter deo placet ex fide confecta in eum, qui factus est pro nobis peccatũ, & sacrificium pro peccatis. Et iste talis noster cultus, re uera rationalis est, quia mentis & corporis nostri sacrificium est, non irrationalium pecorum: & quia ampliore cognitione uolũtatis dei erga nos benignissimę, & nostro in hoc cultu Christianorum salutis. Credentes ergo Christum pro nobis sacrificium, & nostram iustitiam, nostra sponte studioſi gratitudinis, etiam ipsi nos ad sacrificia conuertamus, non more gentilium uel Iudęorum, qui pecora immolabant, & aliquid dare se deo credebant, sed uarijs modis fidem exercere conemur, & nos totos deo cõsecremus. Nam dum dicit, Exhibeatis corpora uestra. Non solum uult nos carnem in obsequiũ dei offerre, sed uoluntatem & mentem quoq;, atq; adeo quicquid sumus, ex hoc ad uitam deputari æternam, ut à contagijs mũdanis reddamur alieni, compositi autem ad beneplacitum non hominum, sed dei. Rationalis quoq; cultus docebit discernere inter bonũ & non bonum: inter acceptum deo, & non acceptum: inter perfectum & imperfectum: inter figuram & umbram: inter lucem & tenebras.

2 Et nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in nouitate sensus uestri, ut probetis quæ sit uoluntas dei bona, & beneplacens, & perfecta.

Dehortatur hic Apostolus à ratione uiuendi secundum hoc sæculum, hoc est more hominum nondum renatorum in Christo, & timore dei uero, nondum anhelantium ad uitam cœlestem, nondum conuersationem diuinam amantes.

Hortatur autem ad meditandam uitam religiosam & piam, abhorrendo â uanitatibus omnibus mundi, à fastu, luxu, & odio omni, quibus mundani insistũt & dediti sunt. Sed reformamini mente, ueterẽ hominem exuentes, abnegantes carnis concupiscentias, quibus afficitur homo uetus, ut placere incipiant tantum quæ dei sunt, & quæ domino placere intelligimus. Renouandum enim est iudicium nostrum, à quo reliqua uita pendet tota. Quæ utiq; nobis non potest contingere aliunde, q̃; si nos permiserimus penitus deo. Huius enim solius spiritu, à ratione & forma uiuendi huius sæculi possumus immutari in rationem & formam uiuendi secundum deum. Illud tamen demum in nobis existit, cum plene comperta & explorata habemus ea quæ uult deus, quæ nobis præcepit, indeq; solide agnoscimus, eadem sola bona, grata & perfecta esse. Hæc autem certa cognitio uoluntatis dei, & uerorum bonorum, non est nisi renouatoris. Animalis enim homo quæ spiritus dei sunt percipere non potest. Volũtas autem dei est, hoc à nobis postulat dominus, ut mentem omnem nostram, cunctasq; cupiditates ipsi regendas permittamus, ut rebus ad usum corporis conditis utamur eo modo, quo corpus commodissime alatur, & foueatur ad seruiendum proximis. Ea opera & ratione, qua quisq; possit salutem proximorum maxime promouere, tam priuatim quàm publice, & quasi sese ei præstare deum. Vere itaq; bonum & perfectum est, id quod uult & probat deus: id si fecerimus, domino offerimus sacrificiũ bonum, gratum & perfectum.

3 Dico enim per gratiã quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter uos, non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, & unicuiq; sicut deus diuisit mensuram fidei.

Admonet diuinæ beneuolentiæ, ex qua D. Paulus acceperat munus apostolatus, ut mitteretur ad promulgandum euãgelium Christi, ut intelligamus debere nos exhortationes & doctrinam audire percupide, & acquiescere monenti sacra. Nemo enim dubitare poterat eum accepisse hanc gratiã, ideo nunc cum authoritate scribit sic, Dico ego unicuiq; uestrum, per gratiam quæ data est mihi, ut unusquisq; Christianorum id agere uelit, & in eo esse totus, ad quod est uocatus diuinitus, ut unusquisq; locum suum quem accepit in ecclesia in corpore Christi, religiose seruet, & munus suum obeat summa charitate & fide, secundum quod accepit à domino facultatem agendi. Deus enim admensus est mensuram fidei, hoc est facultatem uiuẽdi & agendi ex fide cuiq; propriam, eoq; declarauit, quid quemq; curare uelit & facere. Conuenit igitur, ut quisq; dei erga se uoluntati sese accommodet totum, idq; unum curet, & curet fide optima, quod aduertit sibi singulariter à deo iniunctum. Nemo autem Christianorum ignorare potest, non solum impium, sed & impossibile esse alia sibi agenda desumere, q̃ deus iubeat, cuius sumus toti, ut quicquam aliud recte faciat, obmisso eo quod dominus fieri uoluit & iniunxit. Hoc ergo dicto monemur, ut quisq; pro sua sapiat uocatione, totus intentus ad id quod sibi deus iniunxit: quãdoquidem nõ facile est suo quenq; officio satisfacere, tãto minus de alieno studio solicitari uel officio. Ne quis uel in inferioribus consistens, affectet sublimia, uel in sublimioribus constitutus humiliora sectari uelit, non tam uera uirtute q̃ animi pusillitate, fugientis labores & pericula. Præstat ergo animum curamq; & studium omne sic instituere, hoc est, sic sapere, hoc spirare, ut intelligamus & agamus in oĩbus id quod nobis dominus proprie iniunxit. Fidei autem mensuram hic intelligit, facultatẽ uiuendi & agendi ex fide, in noua & spirituali uita. Hac fide si Christiani sumus uiuimus, & agi-

mus

mus omnia. Hæc tota donum dei est, iuxta cuius mensuram nos agere sedulo oportet, ne infidelium seruorum culpa accusemur, uel obmittendo præcepta, uel agendo prohibita.

4 Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo, singula autem alter alterius membra.

Exponit quomodo deus unicuiq; admetiatur propriam facultatem agendi ex fide Christi, manifesta similitudine humani corporis, quam latius exponit 1. Cor. 12. Sicut nanq; manus id nũquam præstare potest quod oculus, quod auris: neq; oculus & auris quod manus: ita nemo cum salute quicquam perficiet, præter id ad quod eum fecit instruxitq; dominus. In ecclesia ergo Christi omnia agit spiritus Christi. Is exuit nos nobis & impellit, ut ea curemus quæ alijs conducũt, non nobis: sicut non uidet sibi oculus, sed membris alijs: nec manus sibi laborant, sed alijs. Ne ergo tristeris, si non apprehendas omnia mysteria scripturæ uel operum dei. Neq; enim unus deus uni cõcedit omnia, sed uult nos esse in uno corpore uaria mẽbra, in quo unus alterius indigeat ministerio, & alteri non obsistat. Sumus enim mysticum corpus Christi. Vnum enim corpus & unus panis sumus multi. Idq; est quod testamur in sacramento synaxeos, esse nos unum corpus, quod nos ad maiorem charitatem admonere debet, nostra interim sorte contentos.

6 Habentes autem donationes, secundum gratiam quæ data est nobis, ꝫ differẽtes: siue prophetiam, secundum rationem fidei: siue ministerium, in ministrando: siue qui docet, in doctrina: qui exhortatur, in exhortando: qui tribuit, in simplicitate: qui præest, in solicitudine: qui miseretur, in hilaritate.

Vides hic uarios gradus ordinum ecclesiasticorum, quomodo non uni conueniant omnia. Primi sunt Prophetæ, qui futura prædicant, & arcana dei renunciant ad ædificationem ecclesiæ. Et cõfertur hoc prophetiæ donum pro fidei portione, ad utilitatem publicam corporis Christi: quo enim quisq; est animo magis ad gloriam Christi & sanctorum instaurationem adspirante, hoc par est unumquenq; donis & facultatibus ad Christi gloriã illustrandã, ut sit auctior & instructior. Quanquam autem quod additur, Secundum rationem fidei (quod & alijs quoq; donis sequentibus singulis adijciendum uidetur) exponatur à quibusdam quasi Apostolus eo monere uoluerit, pphetias debere non dissentire fidei, tamen Apostolus hic facit aliam facultatem prophetiam, aliam doctrinam. Prophetæ nanq; hic dicunt, qui facultate diuinandi prædicti sunt ex spiritu domini, in quam quia uitium incidere potest, & non suo loco proponi, uel non spiritu diuino, ideo additur, Pro ratione fidei, & ex fide dei, cui semper respõdeat tam prophetia q̃ doctrina utilis, & ex deo profecta. Secundi in ecclesiastico ordine sunt Ministri, qui baptismo, mensæ dominicæ, & similibus in ecclesia officijs seruiunt bona fide, & ministerio sacro, pertinente ad salutem fidelium, & ad profectum ecclesiæ in spiritualibus & temporalibus. Tertij sunt Doctores, qui dilucide tradũt, quod prophetæ reuelarunt, & domini uoluntate docent ex sacris literis: non enim omnes qui arcana intelligunt, etiam gratiam habent dilucide docendi, requiritur enim uirtus & facultas spiritualis, ad hoc munus docẽdi rite obeundum. Quarti sunt, Exhortatores, qui ea quæ cũ persuasione ab alijs docta, mentibus insinuant. Multi enim futura intelligunt, qui docere non possunt, & contra. Quinti sunt, Imper-

tientes, qui ordinati sunt in ecclesia ministri, ad dispensandas facultates ecclesiæ, & sanctorum collationes in usus egentium: qui aliâs Diaconi, id est ministri simpliciter dicuntur. Ei autem additur, Cum simplicitate, ut bona omnia fide dispenset, nihil aliud respiciẽdo, q̃ quod respici debet digne, & omnino oportet, ne quis ibi sinister & non simplex oculus locũ inueniat. Sexti, Miserẽtes, qui in hoc differunt: nam qui mutuum dant, & de facultatibus suis uel ecclesiæ suppeditant esurientibus uel egentibus necessaria, impartientes dicuntur: & hos oportet simpliciter & gratis dare, non respectu amicitiæ uel commodi. Qui uero uisitant ægros & captiuos, & adsunt adflictis, hi miserentes dicuntur, & officiũ suum facere debent hilari animo, & prompta alacritate. Septimi sunt Præsides, in quacunq; congregatione, hos oportebit esse officiosos & impigros. Varia autem hæc dona dei commemorata, excitent nos, ut si quid nobis donatum sit, in utilitatem ecclesiæ gerere, in id bona fide incumbamus, grati tantæ dei in nos beneuolẽtiæ & dignationi. Etsi quid alijs collatũ uidemus muneris præstantioris, remota cuncta æmulatione, subseruiamus gratię dei, neq; domino repugnemus. Vult enim dominus ut recte in ecclesia habeat pietas & sancta conuersatio, ut & corpori quoq; necessaria nõ desint. Semper autem primo apud deum loco habetur uera religio, quæ nobis ante omnia sit quærenda: inuenitur autem dum in unum corpus sub capite Christo compacti, unitiq; penitus fuerimus: &, ut decet membra unius corporis, quisq; suum locum obtinebit, & munus suum religiose obibit. Sic autem uacabit operæ ecclesiasticæ & sacræ administrationis, & sancta docendi, præcipiendi corrigendiq; authoritas. Intercidit enim pridem, proh dolor, in ecclesia politia præscripta, & ordinati sunt alij ordines, tonsurarum, acolytorũ, ceroferariorum, & cantorum, profligatis ordinibus sacratioribus, dum episcopi non Christo sed sibi potestatem omnem in ecclesia exercuerunt.

6 Dilectio sine simulatione. Odientes malum, adhærentes bono.

Simpliciter præcipit, nihil probat: quæ autẽ docet & præcipit, eiusmodi sunt, ut nemo Christianorum nesciat, ea expetenda in primis. Sunt autem officia pietatis & fidelium in Christo, quæ ualent & commoda sunt, non solum sanctis, sed etiam omnibus hominibus, ad instaurationem regni dei in ecclesia, non tantum Romana, sed Christiana. Pro hominũ aũt peruersitate multũ difficultatis & molestiæ ingerit carni, ut in officio permaneat qui non est charitate præditus: primo in fratres & pios, deinde in proximos quosq;, ea autẽ simplicissima & certissima. Primum igitur docet charitatem sine simulatione. Agit siquidem uis dei, & naturæ quoq; impulsus, & officiorum uicissitudo necessaria hominibus, ut mirificam prę nobis charitatem erga quoslibet præferamus: at uerbis & gestu tantum, si renati non sumus, opere autem & ueritate q̃ minimum. Admonet igitur Apostolus, ut pro portione nouæ in nobis creaturæ, attẽdamus nobisipsis, ne uel aliquid odij irrepat erga homines, néue uulgaris sit nostra charitas, simulata magis uerbis & gestu, q̃ reipsa uigens, & suis officijs synceriter exerens, ut perpetuo benefaciat qui uere diligit, idq; propense ad omẽs homines, & semper ubi potest. Subijcit itaq; Apostolus, ut ex animo auersemur quicquid malum sit, & hominibus incommodet: simus autem agglutinati bono, id est summe cupidi & ardentes in omne id quod hominibus gratum sit uereq; bonũ. Animos nostros cupit esse addictos, deditosq; studio beneficẽtiæ, & summe abhorrere ab omni eo quo proximus uideatur lædi aut offendi, ut sine omni simulatione amantes, simpliciter, dextre candideq; colamus amicitias, & auersemur omnẽ uafriciem rationis humanæ. Vt sit id quod sequitur, de odiendo malũ, & adhærendo bono, expositio eius

quod

quod est præmissum, dilectio sine simulatione.

Charitatem fraternitatis inuicem diligentes, honore inuicem præue- 7
nientes.

Coniungit duo, quorum utrunq; insignem & uehementẽ amorem exprimit: amorem fraternum per Philadelphiam, & eiusmodi amorem, quo parentes liberos, & humani gratiq; liberi parẽtes, complectuntur per Philostorgiam. Vult ergo, ut nos inuicẽ uere fraternoq; amore prosequamur, eoq; uehementi, quo alius alio summopere delectetur: iuuare alius alium cupidissime studeat: cumq; datũ fuerit, ut alius alij aliqua in re commodat, ex eo maxima afficiatur uoluptate. Vt autem cunctus noster amor, & beneficentia erga proximum, in deum nobis referenda est, cui omnem eum amorem & officium reddimus, quibus fratribus nos amantes & beneficos exhibemus, subiicit Apostolus, Alius aliũ honore anteuertite. Honoris porrò nomine scriptura ea beneficia intelligit, quæ quidem ultro & cum præcipuo demerendi studio reddimus excellenti merito, uti est, alere parentes, & duplicem honorẽ, hoc est dimensum liberale præbere ijs qui bene præsunt & laborant in uerbo. Nec enim dum proximis benefacimus, ipsos ceu dato beneficio nobis obstringimus: nam deo in illis debitũ cultũ reddimus, nihil de nostro illis cõferimus. Veræ itaq; & Christianæ charitatis est, ut alius alium ducat se præstantiorem, dignumq; cui omni studio inseruiat, quacunq; in re alius alij in domino gratificari uel commodare possit. Quin & deo non hominibus inseruimus & officium præstamus, dum demeremur fratres, ut passim scriptura testatur. Hinc quoq; Paulus beneficium à Philippeñ. ratione acceptum in uinculis, uocabat oblationem suauis odoris, hostiam acceptam, & deo bene gratam.

Solicitudine non pigri, spiritu feruentes, domino seruientes, (aliâs) 8
tempori seruientes uel occasioni.

Natura sumus in nos æquo indulgentiores, facileq; labore frangimur: ideo hortatur nunc ut studio impigri simus, & spiritu feruentes, hoc est animi propensione feruidi, & contendentes singulari studio. Quali contẽtione & feruore prædicabat Christum Apollo, Act. 18. ubi dicitur, Quàm loqueretur feruenter in spiritu, & docebat diligenter quæ dei sunt. Domino seruientes, habent exemplaria tam Latina q̃ quædã Græca, ut intelligamus id esse domino seruire, studere proximis, ita ut hic præcipitur, & obtemperare legi eius. Lex autem tota impletur dilectione proximi. Tunc ergo uere domino seruimus, quando commodis proximorum inseruimus, prout deus mandauit. Secundũ aliam autem lectionem, Occasioni seruiẽtes, Paulus nos iubet seruire occasioni, hoc est eam obseruare attentius, ut solent serui obseruare heros suos, ad quorum nutum attenti sunt. Neq; occasio oblata iuuandi fratres aliud est, q̃ patris nostri cœlestis uocatio ad officium. Si iam uera fide deum patrem inuocamus, si eum ex toto corde diligimus, si intelligimus uitam æternam esse, & consummatam felicitatem, accõmodare nos placitis diuinis, nihil nobis prius curandum erit, & solicitius inquirendum & obseruandum, quàm quid à nobis requirat deus, qua in re uti nostra opera ad gloriam suam dignetur, hoc est, ut nobis occasionem agẽdi aliquid ad salutem fratrum ingiciat: hoc autem fit, si fratres incitentur à nobis ad agnoscendum beneficentiam Christi, ad sanctificationem diuini nominis, ut regnum Christi plenius instauretur & inclarescat.

Spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes. 9

Quãdoquidem difficultatibus & ærumnis huius uitæ ut maxime fratres co-

lere uelimus iustis officijs, tamen sustinẽdis pares non sumus, si nos non sustinet spes aliqua boni præstantioris: ideo obijcit in loco Apostolus hic amplitudinem spei nostræ. Spe, inquit, gaudete. Gaudium de præsenti bono est, spes de futuro. At spes firmior, id quod sperat præsens aliquo modo facit, & inde gaudio quodam afficit. Monet ergo Apostolus, cum nos difficultas & molestia fatigat in præstando officio Christiano, ut animum attollamus in ea, quæ nobis deus promisit, & officiorum præmia proposuit, ut inde gaudio & alacritate conceptis, in eo perseueremus, quod probari nostro deo nouimus. Ad idem facit quod de tolerantia malorum additur, In tribulatione patientes. Et cõsequenter, Precibus instantes. Omnia hæc dona dei sunt amplissima, quæ nos orare à se assidue ipse iubet: tum ipsa uis orationis mirificam in omni difficultate & pressura consolationem à deo impetrat. Recte subijcit de assidua precũ instantia. Quomodo enim nõ audiret indulgentissimus pater nos filios suos, in quauis necessitate ad se clamãtes? ut est in Euangelio. Sed instandum est, & perseuerandum in precibus.

10 Necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectãtes.

Officium omne ad quod nos hortatur Apostolus, situm est in demerẽdis proximis. Primum domesticis fidei, deinde quibuslibet: maxime autem inter utrosq; egentibus. Nominatim commendat necessitates sanctorum, quibus cõmunicare debemus, hoc est impartire quę deus nobis contulit, & inuitat ad hospitalitatem. Hæc enim & præcipua & maxime necessaria officia sunt. Si nanq; cõtemur communicare quorum nobis dominus dispensationem commisit, ijs qui egent, & ad quos iuuandos relicta naturæ bonitas inuitat, idq; sanctis, cum quibus nõ solum una caro, sed unus spiritus sumus, & socij uitæ æternæ: quiq; eo loco & numero nobis esse debent, ut pro salute eorum, si id res poscat, oporteat animam insumere, ut fecit pro nobis Christus, cui tandem benefaciemus? Apud ethnicos sanè nemo uir bonus unquam habitus est, qui non esset misericors & amator hospitum, coleretq; singulariter uiros bonos. Iam soli sancti & Christo credentes, uiri boni sunt. Huc natura propendit, ut ciuibus & domesticis prospiciatur: hospites ergo cum ibi alieni sunt ubi hospites agunt, nec habent suos qui curent eos, dominus qui omnibus prospicit suis, illos ut desolatos pauperesq; omnes, quorum scilicet curam nemo gerit propriam, singulariter commendat. Incumbendum ergo totis uiribus, ut hospites iuuentur, officijs demereãtur, exemplo Abrahæ, Lot, & aliorum multorum. Sectari autem iubet, insinuans non expectandum donec ad te diuertãt peregrini, sed ipse ueneris illos, & inquiras, uel occurras, atq; adeo intrare compellas, ut sunt exempla sanctorum.

11 Benedicite persequentibus uos: benedicite, & nolite maledicere.

Bene precari hominibus, est illis petere à deo bona: male precari, mala. Requirit hoc primum Apostolus, ut insectantibus nos, bene, non male precemur. Cum non solum pijs, sed & impijs, ore factisq; deum negantibus, in omni rerum difficultate, uota ad deum primum succurrant, tam contra hostes ipsorum, q; pro ijs quibus bene uolũt. Deus nanq; regnum suum in hominibus mirifice obtinet, ut illi omnes, etiam qui amicos suos in contrarium obfirmant, eum metuant & inuocent. Quem enim non audias quouis in discrimine opem dei implorare? Tum si quid appareat insignioris boni, quis sit, qui non optet deum id conciliare sibi, auertere ijs quos oderit? Sancti uero inuocant deum, hoc crebrius & instantius, quo frequentius ad deum mentem suam sustollũt, & magis assidue ex operibus, & uerbo dei bonitatis & sapientiæ eius admonẽtur. Monet itaq; in hoc loco Apostolus,

stolus, Cum pij deum semper ut summum bonum & omniũ seruatorem intuentur, ut hominibus salutem ab eo orent, nequaquam perniciem: & persecutoribus eo amplius, quo illi insanius salutem ipsi suam impugnãt, persequendo nimirum filios dei. Geminatione utitur & cõtrario. Bene precamini, inquit, uos persequentibus: bene precamini, & ne male precemini. Cum enim qui uos insectantur, iniurij & malefici sint oportet: siquidẽ nos Christiani sumus, procliue nimium est, ut ultionem eis oremus potius q̃ salutem: nostrũ uero est, cum Christo domino quærere & saluum facere quod perijt, & nostrã causam ipsi domino nostro committere, cui pater omne dedit iudicium.

Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus: idipsum inuicem sa- 12
pientes.

Ascendit ad humanitatis perfectionem, quando non sufficit ad eam nemini male, & cunctis bene precari. Ea enim oportet esse præterea in omnes humanitate, ut mala & bona omnia cum omnibus communia ducas. Eodem modo quo illi quorum ea propria sunt utrisq; afficiaris. Flentibus quidem aliquis facile miserea tur & condoleat, gaudentibus gratuletur & arrideat: at prorsus pari affici modo, ut fleas cum flentibus, & gaudeas cum gaudentibus, id non fuerit, nisi humanitatis & charitatis absolutę. Hanc uero debemus proximis, ergo omnibus adeoq; hostibus & persecutoribus. Idem sentientes alius erga alium. Hic manifestum est Apostolũ orare, dari nobis, ut idem quisq; de alio quod de seipso sentiat. Eodem sit in alium animo, quo est in seipsum, sed secundum Christum, ex spiritu Christi ad gloriam dei, & nostram ipsorum salutem. Sic ad Philippenses scribit, Implete gaudium meum, ut idem sentiatis, eandem dilectionem habentes, hoc est, eodem ferãtur sensus & animi uestri. Sit alius in alium eadem charitate, id est aliũ quisq; ut seipsum diligat.

Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Nolite esse pruden 13
tes apud uosmetipsos.

Docet non affectare præcellentiã, dignitates, aliam quamcunq; sortem, præter eam in quam dominus quenq; constituit, sed ut humilibus, mũdoq; neglectis fratribus, sese Christiani accommodent, eorum casus & necessitatem tanquam suam habeant, ad quod charitas Christiana perducit facile, ut in ipsam humilitatem sese demittant, propter conditionem humilium fratrum, & carni fastiditam. Inuenias uero multos, qui adduci se patiantur, ut etiam infimos & omnium contemptissimos homines adiuuent aliquo modo, sed dignatione & munere, nõ sine fastu & contẽptu. At qui sustineat subire conditionẽ & humilitatem uitæ eorum qui miseri sunt, nulloq; inter homines numero habẽtur, & sese illis exhibere tanquam unum ex ipsis, cunctamq; eorum miseriam propriã facere, hucusq; qui demittant se, & sese humilibus accommodẽt, nulli sunt, nisi eximie Christiani. Addit, Ne insolescatis apud uosmetipsos. Satis liquet Apostolum utrinq; tumorem animi, & confidentiam uelle deijcere, ex qua nascitur aliorum contemptus, maxime humilium. Supra arcere uoluit contemptum Iudæorum, hic quorumlibet hominum, quia humilium res uiliores habentur eis qui sibi plus æquo tribuunt, & sublimius q̃ par sit de se iudicant. Monet ergo Apostolus, ne nostro de nobis ipsis iudicio fidamus, animosq; attollamus, fratribusq; egentibus nostra officia subducamus.

Nulli malum pro malo reddentes: prouidentes bona, non tantũ co- 14
ram deo, sed etiam coram omnibus hominibus.

Ipso nomine deterret à uindicta, bonos siquidē semper bona facere decet atq; præstare. Nulli, inquit: quasi dicat, Etiam ethnicis non malefaciendum. Et satis hoc uerbo taxat, quod à gentibus sumpserūt Iurisconsulti, Licere par pari rependere. Præcipua diligentia curandū subinde docet, necubi desimus officio, ut prospiciamus bona coram omnibus hominibus, ut nemo non opera nostra bona iudicet. Id autem tum impetrabimus, cum benefecerimus quibusuis, male nemini. Loquitur hic de officijs uitæ præsentis. Mundus quidem damnare solet religionem ueram, sanctorum autem uitam ne ipse quidem damnare potest, quæ est exposita quorumlibet usibus, neminem lædunt, student omnium cōmodis: & cum malefacta pro suis beneficijs receperint, non uincuntur malo, sed uincunt in bono malum. Tantum enim relictum est iudicij mundo quamlibet malo, ut uelit nolit, probare cogatur uitam sanctorum & admirari.

15 Si fieri potest, quod ex uobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.

Non potest pax diuturnior cum hominibus haberi, q̄ uelint ipsi, ideo adijcit alteram conditionem, Quantum quidem ad uos attinet, quantum uobis id præstare datur. Istud enim, Ex uobis, hic non facultatem naturę, sed cautionem offensæ significat. Ex nobis ut natura corruptis habemus, ut quæ nostra sunt quæramus, idq; cum aliorum iniuria. At si Christiani sumus, & spiritu Christi uiuimus, studebimus offendere neminem, boni consulemus omnia ab omnibus, cūcta maleficia beneficijs rependemus, eoq; pacto uincere malum bono studebimus. Sic stabit à nobis, ut pax nobis sit, & colatur perpetua cum omnibus hominibus.

16 Non uosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ.

Molestum est carni semper patere malorum iniurijs, & pro beneficijs accipere malefícia, ideo subijcit, Date locum iræ. Ergo uelle seipsum ulcisci, est obsistere ultioni diuinæ, qui uindex est iniuriam patientium. At si nos acceptam retaliare conamur, ipsi iam non patimur iniuriā, sed inferimus: non modo hominibus, qui in nos iniurij sunt, sed etiam ipsi deo, quando iudices nos constituimus in eos in quos nihil iurisdictionis datum est. Deo, quia iudiciariam potestatem, quæ ipsius solius est inuadimus, unde fit necessario, iusto eius iudicio iram suam conuertat in nos suo iudicio repugnantes, & eousq; nos opera malorum exercendo humiliat, donec ad ipsum per patientiam redeamus. Quod autē addit, Dilecti uel charissimi, facit in hunc sensum, Iubeo uos ultionem uestri remittere: non quod iniuria affici uos leue ducam, compatior quidem uobis, quia uos amo ex animo: sed quia noui, si ij ipsi uos ulcisci conemini, uos ultionē uestri, quod est solius dei, magno id uestro malo facietis, quādo id unus deus potest & solet. Velim uos iræ dei dare locum: quod facitis, si causam uestram ipsi patri uestro permiseritis.

17 Scriptū est enim: Mihi uindictam, & ego retribuam, dicit dominus. Sed & si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potū da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius.

Probat ultionem esse solius dei, unde consequitur, eam ab uno etiam deo cunctis expectādam esse, maxime uero filij dei. Oraculum autem desumptum est ex Deute. 32. cap. Deus enim cum iustus sit, non potest deesse officio suo: ita Apostolus docet, Deum indubitato pœnas sumpturum de ijs qui filijs suis iniuriam ingerunt. Id autem, ut omnia, ordinate faciet, omnino suo tempore & modo. De inimico esuriēte, oraculum est Prouer. 25. Licet autem spiritus domini expresse non amplius præcipiat q̄ corporis necessaria inimicis tribuere si egeant, tamen cum cibo

cibo & potu uita ſuſtentatur, commendatur in hoc beneficio charitas, & eiuſmodi officij ſtudium, ut nihil omnium quæ proſunt amicis ad beatam & ſanctam uitam omittere debeamus. Ad quid enim homo Chriſtianus alat hominem, quàm ad id ad quod ille eſt conditus, & nobis ad fouendum commendatus, ut recte uiuat in omnibus. Hoc, inquit, faciens carbones ignis cõgeres ſuper caput eius, ad hunc ſenſum, Tam abeſt ut impune ferat inimicus tuus factam tibi iniuriam, ut ſi ad hunc modum tractes eum, eſurientem paſcas, ſitientem potes, hoc eſt neceſſitati eius cuicunq; ſubuenias, adobruturus ſis eum totũ ignitis carbonibus, igni durabili, ignem ei ultionis ſæuiſſimæ ſuccẽdes. Hicq; ignis ualebit ad ſalutem inimici tui, ſiquidem tua illa beneficentia pudefactus, in ſeſe deſcendet. Tunc ignis quem in eius conſcientia accendiſti, exuret in eo quicquid eſt erga te maleuolentiæ, ſicq; ſeruabis eum, quod utiq; expetendũ tibi eſt unice, utpote filio dei, & docto inimicos diligere. Siquidem, quo tu illi non ſolum uerbo, ſed benefactis ijs ſcilicet adeo præclaris dei bonitatem prædicas, & exhibes illuſtrius & præclarius, hoc ignem ei gehennæ accendes potentius. Sanctorum utiq; fuerit, non aliter uelle uindicari malos, quàm iuſtum eſt, deoq;, qui ipſa iuſtitia eſt, & cuius ſolius uindicta eſt, iuſtum probatur. Hic autem caſtigat alios, ut reſipiſcant: alios quia obſtinati ſunt abijcit in gehennã, & poſcit à nobis, ut ipſi ad hanc bifariam ultionem ſeruiamus, modo quem ipſe præſcribit.

Noli uinci à malo, ſed uince in bono malum. 18

Quid enim fœdius? quid magis peruerſum, cq; bonum dei filiũ concedere malo, & qui fretus eſt bono ſpiritu Chriſti, inferiorem eſſe conatui ſpiritus ſatanæ? Si Chriſto nos credimus, bonus eius nos ſpiritus agat oportet. Boni igitur perſeueremus atq; ideo malo ſuperiores perſiſtamus neceſſe eſt. Id uero tunc erit, cum hominum malitiam & peruerſitatem benefactis expugnare ſtudebimus, nec ulla unquam iniuria patiamur nos depelli eò, ut & ipſi reddẽdo malum malo, iniurij euadamus. Magis uero perſtemus in ſtudio benefaciẽdi, quod ut eſt officij noſtri, ita & ſalutis. Noſtris benefactis peruerſitatem inimicorum uel excludemus, uel ad iudicium ſuum, quod illos à domino manet impellemus: magis autem orabimus pro eis, ut meliorẽ illis mentẽ gratia dei cõmunicet, exemplo Chriſti, qui dilexit inimicos, & pro eis ſeſe obtulit in mortem uſq;. Hoc uere erit uincere in bono malum.

CAPVT XIII.

OMnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non eſt enim poteſtas, niſi à deo. 1

Multis commendare ſolet Apoſtolus obedientiam præſtandam ſuperioribus poteſtatibus & magiſtratibus, ſicut & Petrus, contra peſtiferã doctrinam, quæ iam tunc irrepebat in eccleſiam per quoſdam Iudæos, qui docebãt nullum hominem agnoſcere dominum, fideles deo, eo quod populus dei eſſent, censumq; negare Romanis, cum tributum domino penderent. Aiebant enim hominem dominum ſuſcipere, & tributum ethnicis dare, eſſe confeſſam à domino defectionẽ. Iam Chriſtiani ſublimiori ſpiritu donati, & ita perfectius dei peculium, ut ſolet ſatan ſuos ſemper gregi domini inſerere, idipſum forſitan præpoſtere exaggerantes inſtillarant ſimplicioribus, poteſtatem publicam, quam ethnici tunc adminiſtrabãt, eſſe magis ferendam q̃ colẽdam, & iniuria exigi ab ipſis, quæ conſtituta erant publice. Vnde tametſi adhuc mille exorirent̃ ſeditiones, tamen quoniam per ſe impium erat illud ſentire, eratq; in poſterũ graue damnum eccleſiæ

daturum, putauit merito Apostolus malũ hoc ipso exortu suo statim opprimendum esse. Notã ter autem dicit Apostolus, Omnis anima, Hebraico more loquendi, hoc est oẽis homo, ut exprimeret neminem qui hac uita humana fruitur, non debere potestati publicę subiectum esse. Dum enim hic uiuitur, in societate hominum uiuendum est, ergo communibus legibus & magistratibus obediẽdum est. Non ergo excipiuntur, nec monachi, nec sacerdotes, etiam iuxta Chrysostomũ, addentem, Et si apostolus sis, & si euangelista, & si propheta, aut quicunq;. Non enim auertit pietatem subiectio. Potestates autem sublimiores dicit, eos qui imperium habent uitæ & necis, & gladium ferunt, qui principatu & magistratu funguntur. Istis subiecta sit omnis anima magistratibus, ut sint sub imperio & potestate illorum, à quorum arbitrio pendeat uita & tranquilla conuersatio subditorum. Hortatur ergo Apostolus, Nostra omnia nos ponere debere in manu eorũ, qui publicam potestatem gerũt, sed propter dñm. Ideo quæ dño debemus, ea nihilominus semper & ante omnia præstãda sunt. Interim tamen si magistratus ob id nobis non solum res, sed ipsam etiam uitam conetur eripere, ferendum est, ut domino obediatur deo nostro. Dum hora nostra nondũ aduenit, & eò dominus uocat, ut subditus sit. Licebit quidem cum Christo & Apostolo uim potestatis inî quæ declinare, & se illorum crudelitati subducere legitimis medijs: at ipsam potestatem uiolare non licet, sed legibus & imperio principum & magistratuum suorum in omnibus permittere secundũ deum. Cum enim nihil nisi bonorum conciliationem & conseruationem, & malorũ submotionem & depulsionem ab officio magistratus expectandum sit, deo sic munus istud regente, nostrum plane fuerit potestatem publicam habere sacrosanctam, obseruare & uenerari toto pectore. Quod facimus, cum nos illi per omnia subijciendo, authoritatem atq; reuerentiam omnibus pro uirili deferimus, tributa & uectigalia pendere, impendendo illis et nos & nostra omnia, quo non plenius modo, sed etiã alacrius & maiore animi libẽtia munus suum obeant. Non enim potestas est, nisi à deo. Vt enim finxit deus omnia ex nihilo, ita sola sua uirtute omnia portat & conseruat. Nulli igitur quicquam in ullam creaturam potestatis contingere unquam poterit, quod non à deo proficiscatur, sine cuius certa scientia & prouidentia non cadit in terram passerculus. Cum igitur quæritur cui parendum, non est spectandum qualis sit qui potestatem exercet: nec quo iure uel iniuria quis potestatem inuaserit, qua ratione eam administret, sed tantum si potestatem habeat. Si quis enim potestate pollet, iam indubitatum est, illum à deo potestatem eam accepisse, irato uel propitio. Eidem ergo ex animo pareas, sed secundum deum. Hinc subijcit.

2 Quæ autem sunt, à deo ordinata sunt: itaq; qui resistit potestati, dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationẽ acquirunt.

Quæ, inquit, sunt potestates, à deo sunt ordinatæ. Neq; eẽ unus multis sufficere potest ad res recte & ordine administrandas. Vnde maiores monarchæ semper domino fuerunt uice uirgæ, per quas respublicæ q̃plurimæ euerterẽtur, nulla institueretur salubriter. Sic sanè se habuit monarchia Assyriorũ, Chaldæorum, Persarum, Macedonũ, & Romanorum. Floruit aliquando Aegyptus, sed unum regnum sub uno rege. Habuerũt sæpe feliciter res Israelitarum, sed cum illi suos haberent iudices & principes. Sic Athenæ, Lacedæmon, & aliæ respublicæ quæcunq; insignes unquam recta institutione fuere. Nam cum essent à suis singulæ principibus institutæ & cultæ q̃optime, per monarchas omnes destructæ sunt & euersæ. Singulas itaq; potestates ordinatas esse à deo, utinam agnoscant & ij qui eas

cas administrant, & qui illis subiecti sunt, ut & illi quisq; spartam suam, quam nactus sit, summo studio excolat, & subditi ad id eis plena subiectione pareãt. Summum itaq; ius omnium potestatum, regum, principum & magistratuum, in eo situm est, quod à deo ordinatæ sunt, quem & dominum dominantium agnoscant, & cogitent semper, cui rationem sint reddituri, qui & potenter puniet perfide gubernantes, & sese spernẽtes principes, dum illi placuerit, reddet iusto iudicio suo ignobiles, donec agnoscere ipsi quoq; incœperint quid deo debeant, ut contigit Nabuchodonosor, & multis alijs. Proinde qui oppositus fuerit se potestati, dei ordinationi resistit. Qui aduersarius fuerit, non se ei subiecerit uel obedierit, magistratũ contemnit, & quantum in ipso est dissoluit, eoq; est iam potestati oppositus. Ab hoc malo potentissime sanè deterret, cum subijcit, eum qui se opposuerit potestati, constitutioni dei restitisse atq; resistere. Quis autem non summe horreat obsistere ordinationi dei, quæ sola hominibus salutem adfert, & oppugnari non debet. Quin & huiusmodi inobedientes, & domino resistentes, ultionem dicit capturos sibijpsis, & cõdemnationem accersuros. Faciunt enim hij tales seipsos obnoxios ultioni, ipsi in se iudicium prouocant, & malum sibi ultro accersunt. Cum enim tota Reip. tranquillitas, & omnium officiorum constãtia, authoritate & imperio potestatis publicæ contineatur, necesse est in eos primũ & omnium grauissime animaduertere, qui conantur soluere authoritatem hanc & imperium. Id autem conantur quicunq; detrectant magistratibus esse obedientes. Hinc dominus in Israelitica Repub. statuit, eum qui nollet obtẽperare magistratibus, interfici. Idẽ obseruatum est in cunctis rebuspublicis, quæ unquam bene institutæ fuere.

Nam principes nõ sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non 3
timere potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa: dei enim minister est, tibi in bonum.

Loquitur de munere magistratus in se, non de abusu eius, qui est apud principes impios, sed semper uitio subditorum: ministerium enim dei est hoc munus, quod nemo sua ui inuadere unquam potest: ita nec ullo momento obtinere, aut administrare. Quantũuis autem crudeles & monstrifici tyranni sint, tamen dum aliquã speciẽ legitimi imperij retinent, ut eos retinere necesse est, nisi uelint illico interire, legibus & legitimis imperijs se accommodẽt oportet. Iam in his ingẽs est diuinæ in nos bonitatis miraculum. Nam etiam cum impurissimi homines hisce legibus & imperijs præsunt, ut nostris peccatis exigentibus nimium fit crebro, terror tamen omnis potestatis fertur, qua mala opera, furta, latrocinia, fraudes puniantur legitime. Et fauor omnis curaq; propria est bonis operibus, ut si quis studeat uiuere trãquille, modeste, in omnes benefice, huius testimonium clarissimum existit in omnibus, omnium gentium legibus & institutis. Quæ tametsi soleant à malis principibus nimium negligi, aliquoties etiam opprimi, dum contra leges & instituta publica defendunt nocentes, & uexant innocẽtes, tamen in uniuersum & in præcipuis legum capitibus sic retinentur ui diuina, ut hoc munus magistratus perpetuò sit formidini malis, bonis solatio. Nam plurimi quoq; eorũ qui uidentur à tyrannis iniuria opprimi, id re uera meriti sunt: quanquam non eo quod in eis puniunt tyranni. Qui uero prorsus innocentes sunt, cadunt cum bono Reip. & tam celso & alacri animo, ut nullum prorsus à potestate terrorem sentiant. Simpliciter itaq; uerum est, Principes non esse terrori bonis, sed tantum malis operibus. Hoc experiemur abunde, si uere bonis operibus studeremus, quantũ oportet, hoc est, beneficijs in omnes, ex uera charitate, quæ deum in ma-

gistratibus rite ueneratur & colit, intēti essemus ex toto corde. Hoc officium nō strum, quia pauci præstant, mirum non est, si pauci etiam sentiant inuicem officium magistratus. Vis uero potestatem nō metuere? Non solum quia natura inuiti paremus cuiquam, sed etiam quia nobis semper malorum operum conscij sumus, magistratus potestatem auersamur. Apostolus ergo uelut excipiens, & confutans id quod hominis animus commendationi tantæ potestatis publice reclamare possit, ait: Mali ferè principes sunt, & gladio abutuntur, sed non est ut à magistratu aliquid expectes mali, à te tantum illud tibi existet. Quare si uis liber esse metu magistratus, audi me, Fac bonum, præsta omnibus quod cupis præstari tibi, caue quenquam lædas uel offendas, & laudaberis à potestate. Idem prædicat de magistratu D. Petrus, quod sit in uindictam malefacientium, & laudem benefacientium. Laudis hic nomine cuncta ista significantur commoda, quæ in Rep. probis bonisq; ciuibus constituta sunt. Qui enim laudātur inter bonos, hi eoipso iudicantur digni, qui participent omnibus ijs bonis, quorum gratia Resp. coijt. Huius uero rationem subijcit planè necessariam, cum ait: Dei enim minister est. Omnia id necessario sunt & præstant, ad quæ facta sunt, & seruantur diuinitus. Iam magistratus in hoc factus est & seruatur diuinitus, ut deo ministret in bonū nostrum, hoc est, ut uice dei nobis administret maximum illud beneficium, quod in pace degimus, proq; necessitatibus nostris Remp. habemus, & necessarijs uitæ fruimur, quod ad studia uirtutum uocamur, deterremur à uitijs. Proinde quales cunq; sint, qui potestate publica funguntur, si modo nos bonis studeamus operibus, sentiemus eos ministros esse dei in bonum, ut tranquillam & pacificam uitam degamus in omni pietate & honestate, qua de causa pro magistratibus Apostolus iubet in ecclesia solēnes ad deum fieri preces. Istud ergo, quia indubitatum esse debet sanctis, infigit illud per contrarium.

4 Si autem malum feceris, time: nō enim sine causa gladium portat, dei enim minister est, uindex in iram ei qui male agit.

Et istud maximo uidemus miraculo quotidie fieri, ut quanquam pessimi sint magistratus, de malis tamen sumūt pœnas, & ijs sæpenumero grauissimas, quos aliquandiu habuerunt in maximis delicijs & honore. Quæ nanq; in scripturis de rebus hominum affirmantur, sicut est, dei de hominibus dispensatio, accipienda sunt, hoc est, quæ plerunq; sic cadant, & maiore ex parte atq; uniuerse, non semper & in singulis. Communi enim dispensationi suæ deus semper aliquos eximit, & applicat uocatione extraordinaria, ad quæ illi uisum est: sic est & ultio malorum, quam deus per magistratum exercet, dum sumit pœnas de sceleratis per hosce ministros. Vnde sæpe uidemus homicidas & alios sceleratiores homines, manifesto miraculo detineri, dum in manus ueniant magistratus. Nonnunquam indicare seipsos, & prodere nulla causa quæ appareat. Cumq; uidentur humanitus supereſſe uiæ cōplurimæ elabendi. Interim tamen seruat etiam deus aliquos suo iudicio, quos hic per potestatem publicam non punit, etiam committentes quæ fuerant publice uindicanda. Nec enim frustra gestat gladium. Quæ ergo impudētia eorum, qui quæ hic Apostolus de potestate differit, de alia quàm de summa intelligenda contendunt, ea inquam, cuius est in uitam hominum, cui est imperium merum, quod leges definiunt potestate gladij, ad animaduertendum in facinorosos homines, quod etiam potestas appellatur, Dei enim minister est. Ne ergo metuas ultionē iniquam. Deus per magistratus suos animaduertit in eos qui male faciunt, non qui bene. Nihil igitur graue à potestate publica tibi expectes si bene

benefeceris: si male, nisi dei manum uelis fugere, permitte te castigationi ipsius, quam per suos hos ministros exercet.

Ideoq; necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiã pro 5
pter conscientiam.

Id agnoscet facile quicunq; considerarit quæ præmissa sunt. Et hinc est quod addit, Non solum propter iram, nimirum uitandam, sed etiam propter conscientiam, tantorum scilicet bonorum, quæ nobis per magistratus constant, ut certe si nihil etiam mali nobis à contemptu potestatis metuendum foret, tamen ut cõscij nobis simus tantorum bonorum, quæ nobis beneficio magistratus & concilian-tur & cõseruantur, ipsa nos nostra conscientia, id est propriæ rationis iudicium, merito compellat, ut illi nos subijciamus q̃pleniſſime, quum hoc poscat à nobis deus, quum id sit utile nobis, & officium boni uiri.

Ideo enim & tributa præstatis. Ministri enim dei sunt, in hoc ipsum 6
seruientes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui uectigal, uectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.

Quod præcipuum onus putatur à magistratibus Apostolus hic pro argumento adducit. Nosipsos subditos agnoscere, tributum pensitando testari, quanti sit nobis habendus magistratus, cui nimirum ceu mercedem operæ, quam in salutem nostram impendit soluimus, cum pendimus tributa. Publicum enim domini munus obeunt, & planè diuinũ. Iure ergo illis & summa animi propensione pensitemus, quæ publice exiguntur. Alteram adjcit rationem, quod in hoc ipsum, id est ut sint domini publici ministri dei, ad gubernandam rempublicam intenti & insistentes. Publica ergo illi cum curent, instrumenta huius curæ illis promptissime & liberalissime deferre conuenit. Etsi illi publicis opibus abutantur, nobis tamen spectãdum semper est, quod potestatem nemo nisi à deo accipere, & dei uirtute suffultus retinere potest: quod si consideramus, nullius unquã uel operæ uel pensitationis pigebit. Reddite igitur omnibus. Non damus, sed reddimus quicquid ex officio cuiquam damus, maxime autem omnium quæ pendimus publice. Deinde eorũ quibus ille nos seruos addixit, ipsi sumus quanti sumus, nedum quæ nobis dominus dispensanda proximis credidit. Cui timorem, timorem. Per timorem, reuerentiam: per honorem, liberalissimam oblationem omnium, quæ cuiq; à nobis officij & honoris gratia præstanda sunt. Distribuit quidem hæc, tributum, uectigal, timorem, honorem, tanquam alijs tributũ, alijs uectigal &c. debeamus, cum tamen hæc omnia debeamus magistratibus. Sunt tamen quibus reuerentiam & honorem debemus, tributũ autem & uectigal nõ debemus. Penditur enim interdum alijs tributum, alijs uectigal. Summa eius quod Paulus hic docet, est, ut cunctis persoluamus quęcunq; debemus, priuato uel publico nomine. Præcipue respicit ad id quod præstandũ est potestatibus, simul tamen ab hoc peculiari loco, de officio erga magistratus recipit iterum se ad communem locum, de dilectione, qua & ipsos nos, & nostra omnia addicimus & exhibemus in bonũ quibuslibet, ut charitas uera augeatur.

Nemini quicquam debeatis, nisi ut inuicem diligatis. Qui enim dili- 7
git proximum, legem impleuit. Nam, Non adulterabis, nõ occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces. Et si quod est aliud mandatum, in hoc uerbo instauratur, Diliges proximum tuum sicut teipsum.

Ad iam præmissa respiciens de reddendo cuiq; quod debemus, hortatur, ne quicquã debeamus q̃ dilectionem, hoc est, ut cuiq; id præstemus quod officij est, ne quisquã debiti nos appellare ulla in re possit, excepto debito dilectionis, quod scilicet perpetuo soluere & debere nos necesse est. Ita tamen, ut quicquid illis benefecerimus, tamen agnoscamus nos adhuc illis debitores esse. Itaq; iugi eos dilectione prosequamur, ut debere nos illis censeamus omne id quo illos quouis tempore & casu iuuare dabitur. Ad hoc autem dilectionis debitum incitemur reuerentia legis, non quidem ceremonialis, sed studio nouę uitæ & dilectionis, qua tota nimirum uirtus perficitur. Qui enim diligit alterum, hoc est proximum, legem impleuit. Proximum autem uocat scriptura, qui nobiscũ uiuit, quem in uita hac nobis deus adiungit. Adiungit autem quosdam cognatione, & affinitate, quos qui deserit, fidem abnegauit, & est infideli deterior. Alios societate ciuili uel priuata, in quos esse inofficiosum, mundus quoq; perfidum iudicat: alios solo occursu, ut peregrinos, & quorum necessitas nobis potissimum offertur toleranda. Ita ut adiunctus fuerat Samaritano is qui in latrones inciderat, istos destituere ope nostra, nemo non censet inhumanum & crudele. Alios coniunctione fidei, quorum præcipua ratio habenda ipse poscit sensus fidei. Vt quisq; uero nobis adiunctus fuerit, ita debet nobis proximus haberi, ex animo diligi & iuuari, quacunq; re opus habeat, quæ quidem sit in facultate nostra. Qui huiusmodi proximum diligit, legem impleuit, hoc est, id perfecit quo lex omnia refert. At quis est is qui sibi conscius sit de solida dilectione proximi. Certe qui eò peruenisset, uero amore complecteretur quoscunq;, nec aliam dilectionis causam in quoquam requireret, q̃ quod homo sit, proximus sit, à deo iussus amari. Hic profecto deo uiueret, qui charitas est. Huc itaq; enitendum in omni uita, & in hoc alenda continuo fides, ut tam perfecta per huiusmodi dilectio sese exerat, et sancta operetur. Lex autem dei, de qua hic quædam adducuntur præcepta, triplici ordine præceptorum constat. Primi ordinis sunt, quæ pertinent ad religionem: illa siue præcipiant simpliciter ipsum cultum fidei siue ceremonias, hoc certe quærunt, ut nos deo pentus consecrent, accommodandos ad ea uitæ munia, quibus deo uisum sit, ut proximis seruiamus ad præsentem & æternam salutem, ut organa simus diuinæ in homines bonitatis, ut deum quisq; se proximis exhibeat: id sola dilectione præstamus. Alia sunt, quibus edicitur quæ ad puritatẽ uitæ propriæ spectant, quæ præcipiunt, sancta & uera frugalitate. Et illis quoq; proximis nostris commode inseruiamus, ad quæ illa nos pręparant. Nam si uere diligis proximum, hoc est omnes homines, studens ut illis semper aliquid commodi afferas uita & actione tua: sic certe summo studio corpus & animum institues, eas artes & facultates tibi parare studebis. Sic sensus oẽs, uerba & actiones moderaberis, ea parsimonia & decentia, rebus cunctis uitæ huius sustentandæ natis uteris, ut declares te totum natum & factum esse proximorum cõmodis, illisq; esse te posse & habere quæcunq; esse posse & habere te deus dederit. Tertio sunt præcepta, quibus præscribuntur officia in proximum, ut per ea dilectio operetur. Hic quisq; satis experitur, sola dilectione constare uoluntatem & studium proximos demerẽdi. Cui enim in mentem ueniat ullius iniuriæ in proximũ, siue qua ipse proximus, siue qua res illius lædantur, si eo amore proximum amplectatur, ut mater filium, uxor proba maritum. Sic euidens est totam legem, cunctamq; dei uoluntatem à nobis perfici & impleri, si proximum diligimus sicut nosipsos. Cætera de præceptis his secundæ tabulæ exposita inuenies in locis suis, Exodi & Deuteronomij. Hoc hic notato, Apostolum diuum, in Decalogi enumeratione, quo ad secũdam tabulam unum

habuisse

habuisse præceptum, ut omnes Iudæi, de concupiscentia non admittenda, dum ait, Non falsum testimonium dices, Non concupisces. Id quod & Augustino & cæteris placuit sanctis. Interim separatur in duo, quia in prima tabula præceptū de idolis non habēdis, nescio quo loco habeant. Certe negligere uidentur, & deum non serio sua manu scripsisse, ut cancellari ausi fuerint, quibus tantopere placēt prostitutæ imagines. Quod uero dicitur, in hoc uerbo instauratur, clarius exponitur, summatim comprehēditur, id est recapitulatur, consummat & perficitur.

Dilectio proximi malum non operatur; plenitudo ergo legis est dilectio. 8

Solet scriptura eo quod primum in quaq; re est, rem totam significare per synecdocham. Ita hoc loco, per nō malum facere intelligit benefacere, & quicquid uera dilectio præstare studet dilecto. Nemo quoq; unquam eò ueniet, ut proximo malum nō faciat, qui non uera iam dilectione proximi, atq; studio illi benefaciendi teneatur. Sed constat legem datam primū & præcipue, ut à malis nos auocet, apud quos autem illud obtineas, eos iam bonis actionibus affixeris. Clarum est enim, dilectione proximi, quæ cunctam auertit lædendi proximi uolūtatem, legem impleri. De quo satis aliàs.

Et hoc sciētes tempus, quia hora iam est nos de somno surgere. Nunc 9
enim propior est nostra salus, quàm cum credidimus.

Generalis est exhortatio, ut quo clarius deus nos uocat ad salutem, hoc est ad uitæ religiosæ in Christo innouationem, hoc maiore studio debemus nos huic beneuolentiæ & misericordiæ dei eò uocantis accōmodare. Vrget, inquit, nos nostra ipsorum conscientia. Professi enim sumus Christum, & aduentum eius expectamus in horas, imò in momēta, utiq; satis nouimus, nunc maxime tempus esse, ipsamq; horam ueterem hominem abijciendi penitus, & Christum induendi per omnia, iam nos à somno expergisci, id est à securitate uitæ, & indulgentia carnis nos excitandi. Christus lux est, quo cum planè destituti sumus, nox est intempesta: cū uero eum fide amplexi sumus, luce ueræ uitæ pro portione fidei fruimur, & nobis quasi pleni diei aurora illucescit. Dies plenus & meridies erit in resurrectione. Hanc itaq; monet esse nunc propiorem. Somnus, imago mortis, uitam significat, quæ pro ratione & cupiditatibus carnis degitur, nullo certo iudicio, sed quasi in somnijs. Expergisci ergo à somno, est à uita carnis excitari in uitam, quæ est per spiritum Christi. Salutem proximam intelligit plenam salutem, id est resurrectionem. Hæc illis iam propior erat, quàm cum fidem Christi receperant. In omnia momenta expectandus est nobis aduentus domini, qui ueniet cum homines nihil minus expectabunt. Hinc apostoli de eo soliti erant loqui, ac si eum sua adhuc ætate putarent adfore. Vnde Paulum oportuit ea de re peculiariter monere Thessalonicen. qui ex eiusmodi admonitionibus opinionem conceperant, tanquam dies ille iam tum instaret. Videtur D. Chrysostomo, Paulum hac admonitione notasse Romanos, quod progressu euangelij recepti, minus feruerent q; initio, cum oporteat hoc ardentiores fieri in Christū, quo diutius gratia eius fruimur, & dona dei percipimus plenius. De hac propinquitate loquit Christus, & D. Petrus & Paulus ad Hebr. & Philip. Voluit autem admonere, cum dubitare non debeamus adduci nos à domino ad futuram & plenā salutem, hoc propius, quo magis accedimus uiuentes in fide eius, nostri corpusculi solutionem, omnino tempus uitæ progredientis poscere, ut futuræ isti nostri innouationi studēdo hic quoq; in ea magis ac magis proficiamus. Adsociat se illis, Propius adest no-

bis, inquit, quàm cum credidimus, id est, cum ad fidei communionem uenimus. Vt ita magis illos incitaret, qui nouerat ea, quæ non minus sibi quàm illis ducere expetenda.

10 Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sic ut in die honeste ambulemus.

Nunc maxime opportunum est intendendi studium, & carnem nostrã mortificandi, & in uita Christiano digna promouẽdi, hoc est, ut quotidiè abiectis operibus tenebrarum, & assumptis armis lucis, Christum perfectius induamus, & carni pro suis prauis cupiditatibus nihil prorsus concedamus. Noctem dicit uitam carnalem, quæ iam debuit euanuisse, uita pia in Christo plene iam eluxerat, propius modo accesserat. Viuit enim hic adhuc caro aduersans spiritui, & depellens nos ad multa, quæ aliena sunt à uocatione nostra. Deponamus opera tenebrarum. Eadẽ opera carnis sunt. Arma lucis sunt fructus spiritus. Nunc sanè nobis dies salutis illuxit, & si nondum plene agnoscimus dominum, & uelut coram oculis illius & sanctorum omnium uersamur. Vti ergo homines maiorem cautionem adhibẽt, ut uestitu & omni corporis gestu decentius agant cum dies est, cumq; uersantur in oculis hominũ, q̃ cum nox est & domi sunt: ita decet nos nũc Christi lumine donatos, multo maximam diligentiam adhibere, ut cuncta nostra decenter habeant, postquã Christo domino & patri cœlesti approbandam nouimus uitam nostram uniuersam, utpote quam in eius conspectu degamus.

11 Non in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in contentione & æmulatione, sed induimini dominũ Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desiderijs.

Explicat summatim opera carnis, quibus etiam sancti nonnunquã implicantur. Crassius nominat hæc, Commessationes, ebriosas compotationes, cubilia & lasciuias, quo ab hisce magis absterreat. Hæc autem nos mala admittimus, quando cunq; nobis plus cibi, potus & ueneris indulgemus, q̃ poscat necessitas corporis, & fides coniugij, & hoc enormiora, quo plus ab hac ratione uera usu horum recedimus. In his autem quis modum uerum semper seruet? Contentio & æmulatio ueniunt ex cupiditate principatus. Cum enim in omnibus excellere uolumus, & primas habere, alij uero nobis nolunt nec debent nobis semper cedere, oritur contentio, sicq; appareant illi potiores habere, inuidentia & zelus. Hæc quoq; mala nunquam satis profligare à nobis possumus: semper itaq; opprimẽda nobis est caro, & reijcienda opera tenebrarum, semper mortificanda membra nostra quæ sunt super terram. Sed induimini dominum Iesum Christum. Ista indutionis translatio in scripturis frequens est. Significatur ea, rei quæ indui dicitur ingens copia, & certa possessio. Hic uidetur Apostolus significare immutationẽ, ut qui baptizati in Christo sunt, non in sua iam, sed in Christi persona appareant, uiuentes scilicet uitam Christo dignam. Et cum dicit ad Colos. 3. Induamus nouum hominem, & uiscera miserationum, bonitatem, modestiam, &c. utiq; uult ut hæc in uitam nostram assumamus, ut hæc in nobis existant, & re ipsa cunctis hominibus conspiciantur. Sic in præsenti loco, cum iubet induere dominum Iesum, petit ut dominum Iesum ita in uita nostra meditemur, ita in eius similitudinem immutemur, quo ipsius, non nostro spiritu secundum carnem uiuamus. Sicut cum quis abiecta ueste sordida, induat uestem principis, in qua alius homo & princeps appareat. Iam domini ipsius hoc opus est, ut nos seipso induat, ut suum spiritũ largiatur nobis. Tamen quia nostro quoq; studio ad id uti dignatur, illud ut ex-

citet

citet Apostolus sic loquitur, proponens nobis totius uitæ nostræ metam, quæ est ut referamus & exprimamus dominum nostrum Iesum Christum. Et carnis curam ne feceritis in desiderijs. Caro concupiscit aduersus spiritum, adeoq; aduersus Christum. Proinde si Christum induere, id est uiuere instituemus secundum Christum, carnis procuratio pro illius quidem concupiscentia penitus abijcienda est: ad necessitatē tamen, & ut caro spiritui seruiat ponenda nō est. De officijs Christiani hominis Apostolus hactenus præcepit, scopum itaq; hic proponit totius uitæ nostræ, quo in cunctis consilijs collimandum fixeq; spectandum est, ne quam officij uel remissionem uel labem admittamus. Scopus ille est, Nihil pro libidine nostra, omnia autem huc instituere, ut conformes euadamus Christo domino, plena in deum fiducia, flagranti in omnes charitate, sedulitate incumbendi unumquenq; in munus suum: & in his hunc unum finem præponere, sanctificationem diuini nominis, & amplificationem regni eius ubiq; gentium. In hunc itaq; scopum si semper respiciamus, oportet ut cūcta uita nostra plene exprimat dominum nostrum Iesum Christum, nulla certe apud nos irrepet officij insyncerias uel remissio, toto pectore conabimur ad brauium uocationis supernæ. Quo sanè Paulus totam doctrinæ Christi dispensationem refert, philosophiā nimirum uitæ æternæ. Quæ sequuntur, correctionem in se habēt dissidij, quod inter Christianos exortum fuerat, occasione delectus ciborum & dierum, & aliarum obseruationum, de quibus præceperat Moses.

CAPVT XIIII.

INfirmum autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum. 1
Alius enim credit manducare omnia: qui autem infirmus est, olus manducet.

Appellat robustos fide primum, hortaturq; eos ut suscipiant & complectantur fouendo & curando eos, qui præ fidei imbecillitate nondū intelligebāt Christum libertatem fecisse utendi quibuslibet, monetq; ne illos uel intempestiuis disputationibus, uel exagitent uel aspernentur. Præcipue tamen deterret eos, qui fidei infirmitate laborant à temerario & iniquo iudicio, aduersus eos qui libertate utebantur quam dominus fecerat. Et quia hi quoq; non fuissent aspernaturi illos, nisi & ipsi inique de illis iudicassent, attemperat monitionem, qua ab iniquo fratrum iudicio reuocat ad eum modum, ut utroq; pariter corrigat. Hortatur ergo, ut suscipiantur & ad Christianam amicitiam & curam, complectanturq; qui sunt adhuc fide infirmiores, néue infrugiferis disputationibus perturbentur. Infirmi autem in fide dicuntur, qui adhærebant adhuc ceremonialibus quibusdam institutis legis Mosaicæ, nondum capere poterāt uel uolebant generalem totius mundi expectatum Messiam, & regem uenisse, qui benedicta incarnatione sua omnem carnem mundauerit, & liberū sua charitate fecerit exteriora utendi cum charitate & fide, qui ita patrem placasset, ut cōmunionem uitæ æternæ donarit. Isti infirmi fide non tanti faciebant fidem in Christum, & charitatis legem, ut assi essent discedere à ceremonijs legis, quando adhuc stabat templum & sacerdotium, nesciebāt regnum cœlorum & Christi situm esse in iustitia, pace, & gaudio spiritus sancti, sed erāt solliciti de cibis non admittendis, gustādis, tangendis. Quibus qui iam firmi erant in fide euangelij, & mysterium Christi agnoscebant & regnum, sancta iam libertate utebantur, scientes se fide, non operibus iustificari. Qui ut plures homines Christo adducerent, omnibus quoq; omnia fiebant. Qui nunc docentur firmiores, ut eos qui ex imbecillitate fidei cognitionisq; euāgelij

necessariam putabant obseruationem legalium, assumant, foueant, & corrobo-
rent. Vt eos suscipiant in curam salutis. Adiscit autem & quod impedire poterat
assumptionem huiusmodi, Disceptationes ut uitentur. Non obtũdantur conten-
tiosis disceptationibus, quibus ut plurimũ fides & ueritas magis perditur quàm
eruatur. Ferendi potius docentur, & tempus expectandum cogitationibus, quas
dei spiritus ex collatione scripturarum ingeret, ad eruditionem & intellectũ pro-
phetarum. Adniti quidem debet frater mansueta & charitatiua admonitione, ut
doctrinam pietatis persuadeat adhuc ingrato fratri, ad cõtentiosam autem dispu-
tionem nunquã perueniet, relinquet potius fratrem, & quisquis fuerit domino,
donec apud seipsum quoq; intelligat ueritatem, iam enim palàm uidet dominum
nolle ad hæc opera sua in docẽdo eiusmodi homine uti. Qui autem inter Roma-
nos & alibi in mundo conuersi ad Christum, fide pleniore erant, sciebant finem
esse pædagogiæ Mosaicæ, illuxisse mundo Messiam promissum etiam gentibus
legislatorem, eoq; persuasi erãt, licere bona fide quælibet. Qui uero infirmus est,
qui est fide & intellectu Christi angustiore, edit olera, abstinens scilicet se à carni-
bus in lege uetitis, uel quod à lege iudicatæ sunt ex se immũdæ, uel quod non sint
ad præscriptum legis paratæ.

2 Is qui manducat, non manducantem non spernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet, deus enim illum assumpsit.

Frater in fide firmus, ut sciat in quo domino deo suo placere possit, & displice-
re, edoctus spiritu legis & euangelico, ut iam sana conscientia edere audeat de o-
mnibus, cum gratiarumactione & sobrietate, sciẽtiæ spiritu donatus, is nondum
sic institutos fratres, & ad hanc discretionis mensuram nondum perductos, ut au-
deant contra suam conscientiam edere lege uetita, eosdem sic hærentes per imbe-
cillitatem fidei, robustus in fide non spernat, ob nondũ acceptam gratiam discer-
nendi. Ne ipse de dono dei & gratia superbire uideatur, & sese præferre alijs, non-
dum sufficienter illuminatis. Quando & dominus deus tales non spernit, qui bo-
na fide agunt, putantes sic placere deo, alioqui minime idipsum acturos. Quos e-
nim dominus assumit adhuc infirmos, & boni consulit ignorantiam & zelum le-
gis, hos tu non spernas illustratus à domino, non tuis meritis, sed dei gratia,
quam & suo tempore largietur infirmo, ut in uera fide sit domino magis placitu-
rus humilis & timoratus, quàm tu tua superba fide, & temerario iudicio proxi-
mi, quoniã dominus nondũ dedit quæ ueriſſima sunt nouisse. Vicissim qui non
manducat, lege adhuc, ut putat, prohibitas carnes propter conscientiam, quam
deponere non potest, nondum plene instructus & illuminatus lege, is ob cibos
corporeos quoscũq; quos cum gratiarumactione sumit & sobrie, proximus fide
plena instructus non illum iudicet impium & à deo abominatũ, qui mũdis muta-
dauit omnia, & decreuit ad euangelicam libertatem nihil immũdum, quod cum
gratiarumactione à fideli percipitur. Qui ut iudicium tale habeat, & bona fide ag-
gat, sciens omnia esse ualde bona quæ deus creauit, cui cupit probari in oĩbus,
sic est assumptus à domino, sic illius gratiam habet, sic boni cõsulit, & sola fide iu-
stificatum amicum habet, & dignatur amplecti propter fidem. Hic iterum Iudi-
care est condemnare, & Assumere, est misericordiam donare. Inferre autem uo-
lebat Apostolus, Si deus eos assumit, isti ergo fratres & nobis sunt assumẽdi, hoc
est, ut consortes uitæ æternæ complectendi, non tanquam prophani & irreligiosi
iudicandi & condemnandi.

3 Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat aut cadit.

Stabit

Stabit autem, potens est enim deus statuere illum.

Reprobat temerarium iudicium, quod & dominus Luc. 6. prohibet, idq; uarijs argumentis. Primum, quia omnes ex æquo sumus serui unius dei, & subditi uno omnium uniuersali iudici, cui facta & intentiones actorum soli nota sunt omnia, qui fidei donum sicut & alia dat cui uult, & iuste uult, etiamsi iustitiæ ratio nobis non sit manifesta. Proinde nostrum non est iudicare uel condemnare conseruos, sed omne iudiciũ domino permittamus, qui solus dominus cognoscit cordis nostri arcana, unde iudicium domini sibi usurpat, qui alium iudicat. Maxime uero hoc dedecet seruum erga conseruum in præsentia domini utriusq; causam scientis, & dissimulantis non sine ratione. Tuum est teipsum iudicare, qui conscius es conscientiæ & pectoris tui, si ex fide agas omnia, ne à domino iudicãdus sis, qui nouit abscondita cordium. Curam quidem tibi deus cõmendauit de proximo, sed iuuando, subleuando, assumendo, erudiendo fideliter & mansuete, fouendo charitate, non iudicandi, quod dñi est, qui filio dedit suo omne iudicium, non seruo in seruum. Iudicium autem domini fit per uerbum suum, cui credendum, & quod bona fide perscrutandum, ut inde assequantur fideles uitam æternam. Domino suo stat aut cadit. Tibi cadere uidẽtur fratres & conserui tui, legis transgressione, quod discrimina ciborum & temporũ per Mosen præscripta, negligunt. At si perpenderes, qua sit illos dominus dignatione complexus, potius iudicare apud te debebas, eos à domino cõstitui & confirmari ne cadant. Potens certe deus est, ut eos statuat, hoc est in uere piam & sanctam uitam confirmet. At si potens huius est, ne dubita id eum quoq; uelle, postquam illos dilexerit adeo, ut eos sibi redemerit à casu morte filij sui. Illi commendes proximos conseruos tuos, ut ab ipso erigantur, & statuantur ad uiam salutis & ueræ fidei, de cuius uoluntate tibi nõ licet iudicare, qui seruus es, & creatura illius. Is illum statuet dum ei uidebitur. Sin minus, non tibi perit, sed domino; tu uide ut domino tuo stes.

Nam alius iudicat diem inter diem, alius autem iudicat omnem diem. 4
Vnusquisq; in suo sensu abundet. Qui sapit diem, domino sapit.

Videtur hic Iudicare idem ualere atq; habere præstantiorem & sanctiorem. Nam utit̃ Apostolus uerbo Iudicandi pro æstimandi. Sunt ergo qui iuxta legem Mosis discernunt inter dies, ut unum habeant sanctiorem alio. In quo toti domino adhæreant, & diuinis officijs peculiariter sese dedant. Sed qui fide robustiores ex euangelio & prophetis euaserant, illi omnem diem iudicabant domino dedicandam, sine cessatione de domino cogitabant. Sabbatum agebant ex sabbato, nouilunium ex nouilunio, iuxta prophetarum oracula, toti domino dedicati, & pro eius honore proximo ministrantes in necessarijs rebus spiritualibus & corporalibus. Sciẽtes huiusmodi cultũ maxime deo probari, qui dominus est etiam sabbati, quem uult spirituali sanctificatione coli, & perpetuum haberi à ueris cultoribus dei, qui in spiritu & ueritate uult coli. Est ergo iudicare inter diẽ & diem iudaizantium, quemlibet iudicare uere Christum agnoscentium, & legem dei pro dei uolũtate intelligentium. Qui cum spiritus sit, spiritualibus exercitijs promeretur, fide, spe & charitate colitur. Vnusquisq; suæ menti satisfaciat, hoc est, unusquisq; uitam suam ita instituit, ut se deo placere sciat. Et quod agit cum gratiarum actione agat. Iam nõ de iudicio agit, sed de opere suo, hoc est, siue edimus, siue feriamur, siue non feriamur, gratias domino agamus. Quod uero additur, Vnusquisq; in suo sensu abundet: perinde est, atq; quantum humano intellectui, uel unicuiq; homini concessum est, tantum audeat iudicare. Erasmus, Vnicuiq;

sua mens satisfaciat, uel certam habeat persuasionem. Abundare in suo sensu, hominis est præfracti & mentis obstinatæ.

5 Et qui manducat, domino manducat, gratias ẽm agit deo: & qui non manducat, domino non manducat, & gratias agit deo.

Qui fideles domino adhærent, & eidem probari per omnia cupiunt, & studẽt sese totos domino deuouentes, & sabbatum iuge domino celebrantes, pendendo ex domini uoluntate plena, uel bona fide: isti dum manducãt hæc uel illa, gratias agunt deo, à quo se pasci, & omnia bona accipere credunt & gaudent, & gratias agunt, & bene habẽt, domino enim placent per fidem, pro quo iusti habentur iudicio domini, & eatenus quoq; iusti sunt, & in conscientia firmi & quieti. Si uero qui tales sunt, non manducant, eadem intentione, quia ut domino probentur, sic abstinent, quem adhuc credunt exigere obseruãtiam legalium, adhuc templo & sacerdotio stante. Non manducant quidem carnes, sed olus aut alia iuxta legem Mosis permissa: id uero ex fide sua agunt propter dominum, & deo gratias agũt, à quo omnia se credunt & fatentur accipere, illi quoq; domino probantur ob fidem, quæ illis reputatur pro iustitia, qua domino placent. Dominũ enim qui prædicat, & in omnibus gratiam ipsi habet, ut agnoscit se nihil posse, omnia esse ultroneæ beneuolentiæ dei: ita uere colit deum, & est domini. Debetq; merito nobis haberi maximi, & coli studiose, quicquid imbecillitatis adhuc in eo uel hærere uideatur uel hæreat.

6 Nemo enim nostrum sibi uiuit, & nemo sibi moritur: siue enim uiuimus, domino uiuimus: siue morimur, domino morimur. Siue ergo uiuimus, siue morimur, domini sumus.

Qui toti respiciunt in dominum, & domino omnem gloriã tribuunt, cui unice unico probari ex animo cupiunt, quem habent ob oculis semper in omnibus, adeo domini sunt, ut ipsi non solum hoc obseruẽt discrimen ciborum & dierum, sed uiuant per omnia & moriantur. Ideo subiecit Apostolus: Nemo sibi uiuit, nemo sibi moritur, sanctorum duntaxat: neq; enim nostrij ipsorũ, sed domini sumus quanti sumus. Istis nos Apostolus submonet, ne uelimus uideri iustiores seueriores q; deo ipso, illos aspernando & abiiciendo, quos uidemus assumptos à domino in communionem uitæ æternæ, utcunq; infirmos adhuc fide & imperfectos. Néue sinamus nobis oboriri uel fastidium aliquod fratrũ istiusmodi imbecillium ob ipsorum imperfectionem, cum dominus ea non obstante, tanta illos tamen dignatione complexus sit, sed agnoscamus potius dignos, quos summa humanitate & reuerẽtia etiam foueamus & colamus, quos nimirum adeo foueri coliq; cernimus ab ipsorum & nostro domino, qui pro nobis hac ipsa de causa mortuus est & resurrexit, ut sequitur.

7 In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, ut & uiuorũ & mortuorum dominetur. Tu autem quid iudicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi.

Agnosce tu quisquis sic seuere iudicas fratrẽ tuum, agnosce magnitudinem imperij Christi, an tu non cum fratre tuo subiectus es, qui iudicabit utroq;? Qui uiuẽtes occidere potest, & mortuos suscitare. Ille est qui potestatem omnem tam gubernandi quàm iudicandi habet, acceptam à patre suo, in cœlum & in terram, qui & nos cõseruat & fouet, cui uiuimus & morimur, qui proprio nos sanguine eius redemit, & fecit suum peculiũ atq; regnũ, resurgens ex mortuis, & ascẽdens in

in cœlum, sedet ad dexteram patris sui, ut olim uenturus sit iudex omnium, qui uel mortui sunt uel uiui, omnes enim in manu illius sunt, quos omnes ex æquo manet iudicium, ut in quo quisq; pro se rationem uitę sit redditurus. Nolite ergo fratres ante tempus iudicare, sed expectate Christi iudicium, cui soli datum est, ante cuius tribunal nos omnes stabimus ab ipso iudicãdi. Nolite ergo temere iudicare alios, unusquisq; de seipso iudicãdo solicitus sit, inueniet multa intra suam conscientiam & magna, ut interim obliuiscatur proximorum parua mala. Cogitet de reddenda ratione pro se, cui se imparem statim inueniet, ut sit clamaturus illico, Non intres in iudicium cum seruo tuo domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens: ergo nec tu iustificaberis. Qua fronte ergo iniustus tu, alios iudicare audebis conseruos coram domino tuo, & iudice iusto, cui non potes respondere unum pro mille? Idipsum loquitur Apostolus illis nostris tam procliuis ad condemnandum alios fratribus. Qui primum ut agnouerint quidpiam doctrinæ nouæ uel inueteratæ, statim anathemate feriunt, & ut fratres dedignantur agnoscere, nisi illico subscribant, & sensibus suis abundantibus per omnia obsequãtur, non ueriti schismata in ecclesijs. Præstat ut mutuum audiamus, & respondeamus, admoneamur, expectemus, & expectemur, donec dominus si dei dator & illuminator cordium, suam nobis utrinq; uoluntatem aperiat.

Scriptum est enim: Viuo ego, dicit dominus, quoniam mihi flectetur 8
omne genu, & omnis lingua confitebitur deo. Itaq; unusquisq; nostrum pro se rationem reddet deo.

Ad uerbum oraculum istud habetur Isa. 45. Per me iurauí, inquit, egressum est de ore meo uerbũ iustum, nec reuertetur, &c. Vide suo loco & expositionem. In iuramento quod fit per nomen dei, confessio est diuinitatis, quia supremi iudicij quod in se iurans inuocat. Perapposite uero locum istum adduxit hic Apostolus, in quo uaticinium est de conuersione gentium. Commendat enim gentes, & ab illarum iudicio Iudæos reuocat.

Non ergo amplius inuicem iudicemus, sed hoc iudicate magis, ne po 9
natis offendiculum fratri uel scandalum.

Agit præcipue hic Apostolus cum ijs qui libertatẽ Christi intempestiue usurpant, hoc est, uel cum pernicie uel cum offensione, aut fidei aliqua cõcussione & labefactatione, aut saltem contristatione fratrum diuersum iudicantium. Hæc enim quatuor commemorat incommoda, quę ex ista inconsulta usurpatione libertatis proueniant. Fratrum contristationem, offensionem, scandalum, infirmationem. Et si, inquit, omnia per se pura sint puris, agnoscentibus pura & licita esse, Christiano tamen nihil usurpandum est, quo fratres contristari merito possint, nedum scandalizari, hoc est adduci in discrimen ruinæ, aut infirmari fide aut debilitari. Hoc, inquit, iudicate, id est dignum uobis & ex officio esse arbitramini. Hanc autem regulam de scandalo uitando sectemur. In his quæ fidei sunt uel diuini præcepti, offendiculum non curandum: in alijs uero quæ indifferentia sunt, charitatem in consiliarium adhibe. Id enim erit faciendũ, quo pluribus prodesse possimus. Studium quidem nobis esse debet quomodo ædificemus proximum; quem si iuuare non possumus, saltem scandalo ei non obsimus.

Scio & confido in domino Iesu, quia nihil commune per ipsum, nisi 10
ei qui existimat quid commune esse, illi commune est.

Affirmat secundo id, & cum asseueratione. Esse per se omnia munda, nihilq;

commune. Commune autem uocatur impurum, & quod coinquinat, tropo Hebraico. Atqui nulla res per se inquinata est, ideo conscientia nesciẽtis libertatem habet per Christum. Voluit autem hac affirmatione partim reuocare Iudaizantes ab errore suo, & partim cauere offendiculũ eorum qui libertatem Christi iam cognouerãt, ne scilicet his uideretur errori Iudaizãtium ueritatem cedere. Quo certe offenderat sanctum Petrum Antiochiæ, adeo ut oporteret illum id palàm reprehendere. Quomodo autem nihil commune esse à deo reuelatum sit, patet in Actis.

11 Si enim propter cibum frater tuus contristatur, iam non secundum charitatem ambulas. Noli tuo cibo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.

Libertate non utenda cum offendiculo fratrum, probat primo ex ingenio charitatis, quæ in omnibus quærit ijs quos diligit esse adiumento & oblectamento. Huic ergo aduersum est, admittere ut cibus cuiuslibet specie fratrem contristemus, nedum afficiamus aliquo damno. Hic uero tantũ agit de cibi specie. Secundo arguit à reuerentia Christi & pretio redemptionis nostræ. Confert enim Apostolus hæc inter se, redimere perdere, mortem cibum, Christũ nos, & id erga fratres nostros. Si, inquit, fratres sunt, conuenit ut salutem eorum sicut nostrã quæramus, eoq; caueamus summopere, ne qua re illam impediamus uel remoremur. Si Christum sequimur, ille pro adserẽdis fratribus nostris oppetijt mortem, & nobis igitur pro salute fratrũ ponenda anima est, morteq; magis auersandũ fratres perdere. Iam si salus fratrum etiam nobis morte nostra paranda est, nequicquam illi non posthabendum, q; impium & execrandum sit, si quis perdat fratrem cibo, id est cibi genere, quod nullo suo uitet incommodo. Est enim in hoc nomine Cibo, extenuatio, quo antithesis cibi cum uita Christi, quam Christus impendit pro saluandis fratribus, magis emineret. Quàm enim merito cõmoneat, oportet considerare, quod Christus dominus pro salute fratrum reliquit & impendit omnia, ipsamq; animam suam, ut quiduis non cibos tantũ abijcias, si quid obsit fratrum saluti. Sicut Christianos ueritas uere liberos facit ab obseruationibus legalibus, ita charitas seruos facit. Charitas autem requirit, ut sicut Christus pro me passus, in corpore toto quo redamem illũ in omnibus membris eius, id est proximis. Eos ita diligere debemus, sicut Christus nos dilexit: quando autẽ moriemur pro proximo, qui à cibo nondum abstinemus propter eum.

12 Non ergo blasphemetur bonum nostrum. Non est enim regnum dei esca & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in spiritu sancto: qui enim in hoc seruit Christo, placet deo, & probatus est hominibus.

Tertio arguit à natura boni. Quod enim recte facimus, id natura cupimus sic rectum agnosci, horremusq; bonum nostrum esse obnoxium maledicentiæ, maxime amicorum, & eorum quos iure colimus. Iam dum illi intempestiui libertatis usurpatores coram fratribus illis, qui ius libertatis huius nondũ intelligebant, uescebantur quibuslibet, obnoxium reddebant maledicentiæ bonum fidei amplioris, ex qua sciebant omnia esse pura puris. Nam fratres illi infirmiores, cum non possent agnoscere libertatem illam esse fidei, adscribebant eam neglectui religionis & cupiditatibus carnis. Quarto addit locum ab officio proprio Christianorum, quod est dare operam, ut omnia nostra cedant electis dei ad pacem, hoc est omnimodam commoditatem atq; felicitatem, item ad instaurationem pietatis & profectũ continuum. Ab hoc uero instituto quid alienius, q; opus dei iam coeptum

ptum destruere, idq; cibi gratia, quo nulla molestia abstineas? Bonum nostrum quod adducit Apostolus, perfecta quidem est libertatis cognitio, quæ tamen blasphemat̃, si ignorata fuerit charitas, & abutamur illo in desideriis carnis, quibus solis declaramus nos Christianos. Per cibum quoq; & potum, intellige externa quæuis: nam ab internis Christianum discimus, & regnum dei intra nos est, fides iustificat & quietat conscientias. Iustitia quoq; nostra in Christo est, fide autem iustificamur. Pax securitas est coram deo, ex euãgelicis promissionibus. Gaudium in spiritu sancto, id est spirituale, quod pacem consequitur & durat etiam in mediis aduersitatibus. Per charitatem autem quæ sequitur iustitiam & fidem, tanquam singulari dono dei, etiam hominibus probamur, at non ita per cognitionem libertatis.

Itaq; quæ pacis sunt sectemur, & quæ ædificationis sunt, inuicem cu- 13
stodiamus. Noli propter escam destruere opus dei.

Vsq; adeo cura tibi sit proximi, ut etiam cõmodi proprij obliuiscaris, tantum abesse debet, ne cibo offendas illum. Deum enim cuius opus est obseruare in illo debes. Quando autẽ Apostolus sic cibo, id est præpostero usu libertatis Christianæ, perdi & destrui dicit fratres & opus dei in illis, potuerunt illi quos monebat respondere: Nos uero non adeo moramur cibum, sed donum dei, regnũ Christi, quod proderemus, nisi libertatẽ quam nobis Christus parauit usurparemus. Deinde fratres nostros libertate nostra non perdimus: quod eñ ex fide facimus, bonum est, non noxium, ut eo perdatur frater. Istam responsionem tacitam excipit Paulus & refutat, eo quod regnũ dei non est cibus & potus, hoc est, uis & ius regni dei non est uel declaratur in eo ut promiscue utaris cibo & potu, sed ut ueram mediteris iustitiam, ut in gloriam Christi te totum impendas fratribus, certusq; de beneuolentia in te dei, tranquillo sis animo, & boni consulas cũcta, gaudeas perpetuò ex ui spiritus sancti impellẽtis eò ut proximis ubiq; uelis prodesse, ut dictum est uersu 12. Si autem te cernant infirmi illi uesci quibuslibet, id ad mínimum moleste ferunt: sic turbas eorum gaudium, quod illis te oportuit promouere. Fit autem perfacile ut in hanc tuam libertatem impingant & offendantur illi, adeo ut te iam iudicent hominem irreligiosum, cui renuncianda sit amicitia in domino, & peccent itaq; in charitatem, tum & in ecclesiæ communionẽ schisma facientes, quod est certe malum ipsis exitiale, hoc est offendiculum. Nec autem solum hoc periculi metuendũ, potest etiam fieri, ut offensi tua libertate, iam de ipsa etiam religione & fide Christi minus recte sentiant, ut à qua timeant inferri solutionem legis diuinæ, & inducí uitam licentiosam & prophanam. Talem infirmitatem notasse uidetur Apostolus.

Omnia quidem munda sunt, sed malum est homini qui per offendi- 14
culum manducat.

Timendum quoq; ne illi infirmi fide impulsi tuo exemplo, tuaq; improba in cibos promiscuos inuitatione, & ipsi illis utantur contra conscientiam suam. Existimãtes scilicet se eo admittere quod deus prohibuit. Id uidetur Apostolus intelexisse per offendiculum, quod etiam in bonis rebus non rite admissis incidítur. Munda quidem sunt omnia, sed non semper conscientia munda est, nec munde tractantur omnia, nec ad usum quem deus & natura instituit, uel charitas fraterna efflagitat. Erat à priscis quoq; patribus prædictum, & in arcanis doctrinis Iudæorum adnotatum, omnia animalia quamlibet immunda ex Leuitico, tempore Christi & in regno Messiæ mundãda, & sacra futura ad cibum, unius dei Israe-

lis cultoribus. Id quod & Petro reuelatũ est uisione sua, ut habetur in Actis. Sed tamen non statim læsis conscientijs piorum arripiendum passim fuit, donec Christi doctrina illuminati, & eius collatione ad legis & prophetarum scripta confirmati, & spiritu sancto impulsi, & iussi infringerent facto, quod timorati & imbecilles impium iudicare cogerentur & irreligiosum.

15 Bonum est non mãducare carnem, & non bibere uinum, neq; in quo frater tuus offenditur aut scandalizatur aut infirmatur.

Non dicit simpliciter, Bonum est non edere carnes, hoc enim licere docuit in genere lex & uoluntas diuina. Et uini potus non prohibitus, nisi in certo & rarissimo casu, sed aliquoties laudatus, & semper permissus ad sobrietatẽ, sed ita sunt prohibita hæc ab Apostolo, si ex eo frater peius habeat, alioqui bonum est edere carnem, uinum quoq; bibere, sed ut non offendatur frater in domino. Per se quidem bonum est, fide uti quibuslibet, cum per se omnia pura sint: at non omne bonum coniunctum iam cum offensione fratris, quam non admittas, sed debeas potius in totum & carne & uino abstinere.

16 Tu fidem quã habes penes temetipsum, habe coram deo. Beatus qui non iudicat semetipsum in eo quod probat.

Si quis obijciat, decere ut illa libertas declaretur apud alios. Huic respondet, Non opus esse talis fidei ostentatione, si proximo periculum immineat. Nam satis fuerit eam deo esse notam. Intra temetipsum consoletur conscientia tua, ut si casus incidat aliquis manducandi hoc uel illud, quod lex dixit immundũ, tu nũc certus sis, quæ deus mandauit ut munda te posse edere, & absq; timore trãsgressionis legis diuinæ, quæ ceremonialia statuit ad tempus correctionis, & euãgelij diuulgandi in mundũ omni creaturæ. Ista conscientia tibi sufficit ad salutem, & coram deo tuto edis, quem credis & nosti nihil ægreferre huiusmodi, ut fides est in deum integra, qua sola placemus. Beatus enim qui non facit contra conscientiam suam, miser uero qui agit contra conscientiam. Beatus qui non aliud facit quàm quod probat, hoc est cognoscit utile proximo, & placere deo, & conscientiæ bonæ iuxta uerbum domini nõ repugnare. Condemnatus autem qui iudicat aliquid non agendum, & nihilominus agit. Et hoc est quod sequitur.

17 Qui autem discernit, si manducauerit damnatus est, quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide, peccatum est.

Fides hic est credere, quod deo placeat quod facis. In hoc peccatur duplicíter, uel in manifeste malis, quæ nemo debet credere deo probari, uel in speciẽ bonis, si dubitamus an placeant deo. Scire autem debemus quod deo placemus per Iesum Christum, si in illum credimus, si fauorem dei in illo obtentum persuasi sumus, & nõ ex operibus nostris, quæ sunt omnia imperfecta & uitiosa, quamlibet uideantur speciosa. Nam ubi per Christum grati fuerimus facti deo, etiam opera nostra grata erunt, siue edamus siue dormiamus. Atqui fides illa minime otiosa erit, non est sine charitate: quæ si non agit, charitas non est. Nec tamen aliquid nobis tentandum, de quo non certi simus illud placere deo.

CAPVT XV.

1 DEbemus autem nos infirmiores, imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere. Vnusquisq; nostrum proximo suo placeat in bonum ad ædificationem.

Docet generali regula nunc infirmiores, qui adhuc obseruant delectum dierum

rum & ciborum non esse contemnēdos, ostendens debere nos omnium infirmorum habere curam. Et obserua uerbum, Debemus, neq; enim tanquam cōsiliū sed præceptum hoc iniungit. Nanq; ideo fortiores amplioribus uiribus prædíti sunt, ut infirmiores iuuent, & non propter seipsos. Etenim sicut oculus uidet toti corpori, & similiter manus laborat toti corpori: ita & singuli uires, ut seruiamus alijs, recepimus. Væ igitur iniquis dispensatoribus, uel talentum à domino creditum ad lucrum recondentibus. Imbecillitates uel infirmitates uocat ignorantiam, morositatem, amaritudinem, procacitatem, & si quæ id genus, quas apud Galat. cap. 6. uocat onera, dicēs: Alter alterius onera portate, &c. Porrò aliud est ferre infirmitatem, & aliud conniuere ad malitiam. Maledicitur pastor apud Ezechielem, qui infirma non consolidat, & confracta non alligat. Contra, bonus pastor seipsum lupis obijcit, ut oues seruet. Exemplo sit mansuetissimus Moses, qui peruicacissimam Iudæorum gentem, toties obmurmurantem & lapidantem tam longanimiter tulit. Sibijpsi placere, hoc loco est, quærere commodum proprium: placere autem proximo, est quærere utilitatem proximi. Benefacere enim proximo, ut offendas & contristes, non fuerit benefacere: aliâs prohibetur uelle placere proximo, id est habere & affectare laudem à proximo. Vt Galat. 1. scribit: Ego si hominibus placerē, Christi seruus non essem. Placere ergo proximo debemus, id est prodesse toto affectu ut fratri, quod est in bonū, non ad uanitatem aliquam, sed ut ædificetur & melior fiat, & deo gratior, & proximis quoq; suis utilior, exemplo Christi.

Etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est: Improperia 2
improperantium tibi ceciderunt super me.

Efficacissimo exemplo Christi nos docet, nè placeamus nobis, hoc est, ne niam nostri curam habeamus, & quæ nostra solum sint curemus, sed quæ proficiant proximo, & Christo placeant. Dicis autem, Quomodo Christus sibijpsi potuit displicere, qui summe bonus & peccatum non fecit. Sed ad hoc dicit, Quod semetipsum exinaniuit, propter nos prodigus sui sanguinis & uitæ. Perinde ac si seipsum odio haberet. In hoc igitur Christū sequi debemus, ut odio habeamus animam nostram in hac uita, ut inæternum custodiamus. Porrò qui cōtemnunt infirmiores, peculiariter sibi placent, & sapere sibi uidētur. Quod autem scripturam adducit ad id, habetur Psalmo 68. qui totus in Christum dictus est. Hoc autem uersu prædictum fuit, quod quicquid alij peccarent in deum, hoc Christus dolebat & ferebat. Id quod & apud Isaiā cap. 53. habes, quod iniquitates nostras tulerit. Huius dicti & nos in cōuitijs oportet memores esse. Neq; enim seruus melior est domino, neq; rarum, si ministri dei male audiant. Non enim possunt placere mūdo. Vnde & Matth. 5. Beati eritis, si maledixerint uos homines propter me. Et Ezech. 36. Pro eo quod desolati estis & conculcati per circuitum, & facti in hæreditatem reliquis gentibus, & ascendistis super labium linguæ & opprobrium plebis, &c.

Quæcunq; enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut 3
per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.

Hoc de scripturis hic uidetur subiectum, non solum ad id ut rationem redderet cur præsens testimonium adduxerit, sed cum iam finiret Epistolā, causam exponeret, cur toties scripturas citarit, simulq; & ad scripturæ lectionem eo pacto inuitaret, rationemq; ostenderet, qua illę certo cum fructu legantur. Nam cōmemorat ad quid illæ nobis datæ sint, quoq; earum nobis lectio conducere debet.

Ex eo iam illud etiam manifestum est, quæ sit uera ratio illas uersandi, utiq; qua eum assequare finem, in quem illas accepisti diuinitus. Videtur ergo hic sensus esse. Iam iterum induco scripturã, ut & supra subinde feci: hoc ideo facio fratres, quod nihil in omni scriptura est, quod non conferat nobis, si id religiose excutiamus, ad id, ut malorum tolerantiores, & ad bona omnia alacriores, & studiosiores spem in deo habeamus, continuo auctiorem & solidiorem. Nam quæcunq; inquit, ante scripta sunt, ad nostram doctrinam dudum scripta sunt, & ad eiusmodi doctrinam, ut per tolerantiam indubie malorum, & exhortationem nimirum ad officium, ad uera bona assequenda spem habeamus. Nam dominus hæc nobis in scripturis administrauit, et earũ religiosa lectione largitur, ut spem habeamus, spem, inquam, qua salui & beati simus. Siquidem extremum bonorum hoc nobis in hac uita est, bene sperare de deo, cæterũ esse beneuolentiæ eius, ex qua hæc nobis sint bono uniuersa, ut mox communicetur nobis reuelata gloria Christi, felicitas consummata. Proprium est enim sacris literis, ut meliores nos reddãt, aliqui à fabulis & prophanis nihil distarent. Et ex solis sacris literis spes solida concipi potest, quod in gentilium disciplinis denegatum est. Neq; enim certũ uerbum habent, quo recte in eas fidatur, quandoquidem omnis homo mendax. Quæ autem in sacris tradita sunt, fallere nequeunt, utpote à spiritu sancto dictata, in quibus continuo & patienter uersandum est, & lac consolationis earum sugendum.

4 Deus autem patientiæ & solatij, det uobis idipsum sapere in alterutrum secundum Iesum Christũ, ut unanimes, uno ore honorificetis deum & patrem domini nostri Iesu Christi.

Ad finem transiens Epistolæ, familiariter quædam adijcit, & primum Romanis precatur, ut omnes uere sapiãt ea quæ sunt digna Christo. Ita enim uocat sentire secundum Christum. Vnde & futurum, ut & uno ore glorificent deum. Atqui nemo Christum recte sapit, qui regnum eius adhuc in externis illis situm putat. Spirituale autem regnum eius est, quod si saperemus, statim ad unitatem perduceremur, & non digladiaremur de externis, sed uno animo unoq; ore gloriam domino diceremus, quod erit ultimum & æternum opus nostrum in cœlis. Ad hoc necessarium est nunc interim, ut unusquisq; alium summa charitate complectatur, ita ut nos Christus suscepit, & est complexus. Quæ sanè susceptio, quisq; complexus, facile cauebit omne offendiculum. Facit enim, ut quisq; erga alium, ut erga seipsum affectus, idem iudicet & sentiat. Hoc ut præcipuum orat Apostolus, eis dari à domino, Deus, inquit, tolerãtiæ & exhortationis, à donis suis deum cognominãs. Istud uero orando, simul ostendit, quàm ipsi id quoq; sibi orare à domino debeant, & totis expetere uiribus.

5 Propter quod suscipite inuicem, sicut & Christus suscepit nos in honorem dei.

Semper inculcat exemplum Christi. Valde efficaciter Christus nos assumpsit & adiuuit, non egens nostro auxilio. Nos autem imbecilles alter alterius auxilio opus habemus, quod & pro uiribus præstare debemus, qd est suscipere. Id quoq; mutuum, quando uarijs donis à domino homines ornantur, non unus omnibus, ut mutuum adiuuent, & inseruiãt, quemadmodum Christus suscepit & adiuuat nos. Omnia autem referenda sunt in ultimũ finem, qui sit nobis in omnibus gloria & honor dei, ut illius per omnia nomen sanctificetur & ab omnibus, sicut omnia faciebat Christus in gloriam patris. Vnde & eodem animo proximis nos semper prodesse cupiamus, ut simus filij dei, ad ingenium eius instituti, ut multis

& potius omnibus benefaciamus, exemplo patris cœlestis.

Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circuncisionis, propter 6
ueritatem dei, ad confirmandas promissiones patrum, gentes autem su-
per misericordia honorare deum.

Hortatur Iudæos ac gentes, assumptos in gratiam fidei per Christum, ut con-
cliati pariter & concordes in idipsum uocatos, glorificent deũ uno corde & ore.
Id latius nunc prosequitur, prædicans Christum ministrum, id est peculiarem ad
ministrum salutis fuisse circuncisioni, id est Iudæis, quod de se dominus testaba-
tur, cum diceret se missum ad oues quę perijssent ex domo Israel. Vnde & factus
est sub lege, uolens ut eos qui sub lege erãt redimeret, & filios faceret adoptionis.
Eo nanq; promissiones illis patribus factas in lege & prophetis impleuit. Deinde
gentes nunc glorificare deum pro misericordia, qua & ipse in communionem sa
lutis cum Iudæis assumptæ essent, quemadmodũ & ab initio fuit expectatio gen-
tium, hoc est expectatissima salus mundi, qui à peccato & erroribus liberaret de-
prauatos natura, & improbis institutis, reduceretq; ad unius dei uerum cultum,
fidem & amorem, in quibus saluarentur, quod erat officium & spes Messiæ pro-
missi ab exordio mundi, non tantum Dauidi, patriarchisq; Iacobo & Abrahæ,
sed & Adæ ipsi primo parenti, nedum Israelitici populi, sed omniũ gentium. Vn-
de & de gentibus ad unitatem fidei reducendis, & in Christũ credituris scriptu-
ras adducit.

Sicut scriptum est: Propterea confitebor tibi in gentibus domine, & 7
nomini tuo cantabo. Et iterum dicit: Lætamini gentes cum plebe eius.
Et iterum: Laudate omnes gentes dominum, & magnificate eum omnes
populi. Et rursus Esaias ait: Erit radix Iesse, & qui exurget regere gẽtes,
in eum gentes sperabunt.

Oracula adducit, in quibus de gentibus prædictũ erat, ut Iudæi uel hinc plu-
ris facerent gentes quoq;, utpote quos sacri prophetę prædixissent ipsis fide Chri
sti sociandos. Ista enim omnia quatuor oracula, quorum Primum adductum est
ex Psalmo 18. Alterum, ex Deuteronomio 33. Tertiũ, ex Psalmo 117. Quartum,
ex 11. Isaiæ, manifeste prædixerunt, communicãdam gentibus omnibus laudem
dei, de redemptione per Christum peragenda, & in Christũ fiduciam. Ea aut ce-
lebratio & collaudatio, hoc est communio laudis dei & fidei in Christum, prædi-
cta est futura aliquando, ex gaudio de redẽptione populi, quo erãt gentes quoq;
perfundendæ. Idq; ex eo quod & ipsæ redemptionis eiusdem participes essent, ut
Apostoli tempore uisum est esse perfectum. Reliquam autem horum locorũ ex-
positionem, quære in propriis suis locis.

Deus aũt spei repleat uos omni gaudio & pace in credendo, ut abun- 8
detis in spe & uirtute spiritus sancti.

Precatur consequenter in fine Epistolæ, Romanis incrementum spei per spi-
ritum sanctum. In ea enim, ut dictum est, omnis salus & felicitas nostra. Hæc au-
tem spes fructus est fidei, id est persuasionis certæ euangelij, quod scilicet dei in
nos tantam bonitatem prædicat & exhibet nobis per Christum. Hinc enim dum
fidem habemus, & de tam beatis dei promissis minime dubitamus, nõ possumus
nõ esse spe optima de deo, eaq; spe sic uiuimus planè salui & beati. Ad fidẽ hanc,
id est promissorum dei persuasionem, mirifice firmat, sentire q; attemperet deus
omnia in salutem nostram. Orat ergo Apostolus, ut deus spei largitor & fidei, im-

pleat Romanos in credẽdo gaudio & pace: hoc est, ut uero in rebus omnibus succ cessu fruantur, & inde perpetuò de domini in se bonitate gaudeãt, & pacem con scientiæ ad deum assequuti, certi sint de gratia dei, & assequenda gloria, quo mi- nus desperatione retrahãtur à sanctis fidei & charitatis exercitijs, sed indies sem- per proficiant fide & sanctis operibus, unde magis confirmetur spes sancta per opus spiritus Christi in electis, qui hæc largitur, & ad incrementa perducit.

9 Certus sum autem fratres mei, & ego ipse de uobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia: ita ut possitis alterutrum monere.

Excusat se Apostolus, quod nõ tanquam ad malos uel indoctos scripserit, sed quod uniuersitati gentium prodesse cupiens, officio suo fungatur. Nam supra 1. cap. dictum est, ut non scripserit Romanis ceu contentiosis, sed ut per illos toti or bi consuleret, eo quod Roma tunc erat caput orbis. Nec hic loquitur de perfecta plenitudine dilectionis, qualis in Christo uel præcipuis apostolis, sed de ea quæ di scipulorũ. Amat enim scriptura in loquẽdo simplicitatem quandam, iuxta quam & impletos uocat. Alioquí nemo tam bonus uel doctus est, cui nihil addi possit id quod satis liquet ex eo quod additur, Valentes inuicem admonere.

10 Audacius autem scripsi uobis fratres ex parte, tanquã in memoriam uos reducens, propter gratiam quæ data est mihi à deo, ut sim minister Christi Iesu in gentibus, sanctificans euangelium dei, ut fiat oblatio gen- tium accepta & sanctificata in spiritu sancto.

Audacius dixit, pro familiarius, siue liberius, & referendum est ad superiora. Non est uobis opus mea admonitione, cum ipsi possitis inuicem admonere, fre- tus tamen uestra bonitate, non ueritus sum ad uos scribere commonefaciẽdi gra tia, magis q̃ docendi. Fratres semper nominat, quales habebat in Christo, & eos dem haberi cupiebat iuxta morem Christi, qui fratres dixit, quibus nouam chari tatis & amicitiæ legem commendauit. Ex parte autem addit, mitigans quod dixe rat audacius, perinde ualet, quasi dicas aliquantulum. Admiscuit enim nõnulla liberius dicta de stulta sapientia, de idolis, de libidine præpostera. Proinde dixit se quædam liberius loquutum, non quod illos contemneret, sed quod illis fideret, ueluti peculiaris illorum Apostolus. Plus enim audemus apud illos quos familia rius amamus. Tanquam in memoriam uobis reducens. Vbi uides etiam perfe- ctioribus admonitione opus. Et non est mirum ab apostolis admoneri, cum Mo- sen Ietro quoq; socer multo inferior admonuerit. Id autem fecit ex debito mune- ris sui, qui nimirum esset publicus Christi minister, & sacerdos ad gentes, qui ad ministrãdo euangelium deberet gentes offerre misericordiæ dei, ceu oblationem acceptam. Propter gratiã, inquit, quæ data est mihi. Hoc munus suum, ut à prin- cipio Epistolæ, uocat sæpe gratiam dei. Vti quoq; gratia erat multo maxima, ut il lis plenius approbaret suam doctrinam & admonitionem. Eam autem gratiam præ alijs adeo consequutus est. Primo enim plus alijs laborauit in conuertendis gentibus, ideo administrat euangelium, ut fiat oblatio gentium, id est ut gentes offerantur & accedant ad Christum. Discipuli enim & auditores dicuntur esse uictima doctorum, quam immolãt cultro uerbi dei & per spiritum sanctum, qui & sanctificãtur, dum sanctam uitam in illis spiritus operatur. Hinc obseruemus, quanta cura & qua ratione administrandum sit uerbum dei, quo fructificet pluri mum in ecclesia uniuersali. Item quod sit sacerdotium noui testamenti, quibus sa

cris

cris operandum, nimirum euangelio, ad hoc ut plurimi mortalium deo cõsecren
tur, & Christo inserantur.

Habeo igitur gloriam in Christo Iesu ad deum. Non enim audeo ali- 17
quid loqui eorum quæ per me non efficit Christus in obedientiam gen-
tium, in uerbo & factis, in uirtute signorum & prodigiorum, in uirtute
spiritus sancti: ita ut ab Ierusalem per circuitum usq; ad Illyricum repleue
rim euangelium Christi.

Quia pseudapostoli Pauli apostolatum ubicunq; occasio erat eleuabant, com
mendat ipse eum Romanis, in gloriam Christi & ad salutem ipsorum Romano-
rum, nempe quo doctrinam Christi per ipsum administratã pluris facerent. Com
mendat autem eum à uirtute ampla spiritus, qua illum est executus, quam uerbo
& opere per signa & portenta potentissime exercuit, ea re q; plurimas gentes ad
Christum perduxerat. Hierosolymis quoq; & in eius circuitu gentibus, Arabia,
Palæstina, Syria & Cilicia, & per Asiam totam ac Græciam, usq; ad Illyricum. In
his enim omnibus regionibus impleuit euangelium, hoc est, perfecit prædicatio-
nem euangelij, eoq; omnia euangelio impleuit. Gloriatur ergo ad deum, qui tan-
tam illi gratiam contulit, & in officio demandato adstitit, ut non fuerit otiosum à
magno fructu auspicijs Christi domini, qui illum uocauerat, cõuerterat, miserat,
& adiuuerat, usq; in præsens & semper. Doctrinã quoq; suam dicit nõ suam esse,
sed Christi, qui spiritu suo sancto illum inspirauit, ut non alia dixerit usquam, q;
ea quæ didicit raptus in tertium cœlum, ubi Christi mysterium clare aspexit, in
qua schola didicit quæ doceret, & multo plura q̃ quę decuerit proloqui inter mor
tales. Et nihil sibi prorsus tribuit, nec doctrinæ, nec operum, sed omnia Christo
regnãti in suo regno, & omnia agenti in omnibus, qui per Paulum, ut uas electio
nis, plurima agere uoluit & confecit. Finis autem tam uerborum q; operum Pau
li, fuit obedientia gentium, ut Christi euangelio obedirent, & agnoscerent domi-
num deum patrem cœli & terræ, & quem misit saluatorem mundi dominum Ie-
sum Christum. Fuit præterea eius doctrina ubiq; manifestata & comprobata ua-
rijs modis, nempe potentia uerbi, factorum, signorum, & spiritus.

Sic autem prædicaui euangelium hoc, non ubi nominatus est Chri- 18
stus, ne super alienum fundamentum ædificarem, sed sicut scriptum est:
Quoniam quibus non est annunciatum de eo, uidebunt: & qui non au-
dierunt de eo, intelligent.

Studuerat maxime Paulus ibi Christi euangelium prædicare, ubi ante eum
nemo prædicasset, quo semper latius perferret euangelium: unde & gratia dei in
eo glorioſior apparuit, quod sua ædificia à fundamentis extruxit & absq; adiuto-
ribus. Eo quod gentibus prædicauit, qui antea prophetas non audierant. Aposto
li uero prædicarunt Iudæis, qui receperãt prophetas: tametsi nemo alius frequen
tior sit in citandis prophetarum testimonijs, quamuis prophetæ ab initio ignoti
essent gentibus. Ita ergo effecit, ut iuxta uaticinium Isaiæ prophetæ, uiderẽt iam
suam salutem, & ab errorum tenebris eruerentur, & ad dei inuocationẽ per Chri
stum adducerentur gentes multæ, quibus antea non fuisset annunciatum. Ha-
betur autem Isa. 65. cap. ubi non de Paulo solo propheta loquitur, nec id Paulus
uoluit, sed de uocatione gentium ad Christi regnum perpetuum & uniuersale,
quæ illud promptis olim essent manibus susceptura, utpote quod semper & ab
exordio gentium illis fuerat expectatum. De qua uocatione & loci interpreta-

tione inuenies proprio loco allegato.

13 Propter quod & impediebar plurimum uenire ad uos, & prohibitus sum usq; adhuc. Nunc uero ulterius locum non habẽs in his regionibus, cupiditatem autem habens ueniendi ad uos, ex multis iam præcedẽtibus annis. Cum in Hispaniam proficisci cœpero, spero quod præteriens uideam uos, & à uobis deducar illuc, si uobis primũ ex parte fruitus fuero.

Excusat tardiorem suum ad Romanos aduentum, id quod & 1. cap. fecerat. Excusat autem se duabus rationibus. Primo propter euangeliũ annunciandum: secundo propter Diaconatum. Hactenus fuerat impeditus ob latitudinem regionum, & amplitudinem ecclesiarum, quas diligenter instituerat multo tempore et labore, currens & discurrẽs, multa passus, non sine eximio fructu & gloria Christi & dei, per annos multos in multis regionibus, Asiæ & Græciæ, uel Macedoniæ. Et iam satis agnouerat, non defuisse Romanis suos apostolos & Christi discipulos, qui plures illac iamdudum peruenerant, tam ex Iudæis q̃ gentilibus conuersis ad ecclesiam Christi. Quæ & Romæ usq; in illud tempus creuerat ualde, in eruditione sacra, & personarũ multitudine, hoc est numero & merito. Ideo non illuc festinabat, sed ad ea loca, ubi nondum fuerat auditus Christus per euangelium. Hæc fuit prohibitio, studium propagandæ gloriæ dei per Christum. Cum autem non amplius locũ habeam uacuum, quem ob id quærebat, quod plus esset fructus, sicut ante dixerat, in his regionibus, Macedoniæ & propinquis, usq; ad Illyricum, &c. Ad uos, inquit, ueniendi, ad ecclesiam fidelium confirmandam & consolandam, & pariter consolari quærens cum eis in Christo, non cupiditate uidendi Romam, quæ tunc florebat maxime. Nec dicit salutandi Petrum uel similia, multo minus loci sanctimoniam, ut nostri, magnificiens, sed ad ecclesiæ fructum & Christi gloriam. Iam multi lapsi anni fuerant apostolatus Pauli, quando hanc scripsit Corinthi epistolam, primo ferè Neronis anno. Certe supra uiginti quatuor annis, quos impleuit discurrendo propter euangelium. Hispaniã autem Hebræi omnes obmissa prima syllaba, Spaniam dicunt, quomodo & Paulus scribere potuit, more quoq; Germanico sic dictam. An uero hæc Pauli sancta cupiditas perueniendi ad Hispaniam, transita Roma impleta fuerit certo tradere non possumus. Certum quidem esse uenisse Romam, Acta probant, idq; anno 2. Neronis. Qui si 14. tandẽ eiusdem Neronis anno occisus est Romæ, satis cõstat eum multis annis quoq; potuisse lustrasse & laborasse in Hispania, & redisse Romam tandem, domino uolente & ordinante. De his quædam Faber Stapulensis rationabilia scripsit, & id quidem quoq; post alios uiros sanctos & doctos.

14 Nunc igitur proficiscar in Ierusalem, ministrare sanctis. Probauerunt enim Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctorum qui sunt in Ierusalem, placuit enim eis, & debitores sunt eorum.

Opportune incidit in memoriam eleemosynæ, ad quam aliorum exemplis incitat passim quos potest. Vocat autem eleemosynam communicationẽ, eo quod eleemosyna cedat in utilitatẽ tam dantis q̃ accipientis. Horũ aũt fraternam bene uolentiã cõmendat, & testatur tamen eos illam Iudæis fratribus debuisse, nempe Achæos & Macedones, à quibus scilicet spiritualia acceperãt. Ita latenter & prudenter ad eandem beneuolentiam inuitat Romanos. Collationem, inquit, facere in pauperes sanctorum. Duplici ratione dicit dignos misericordia Hierosolymitanos: & quia pauperes erant, & quia sancti & fideles. Laborabatur enim Hierosolymis

solymis penuria annonæ, quæ tempore Claudij Imperatoris erat. Insuper & propter persecutionem sæuiorẽ in Christi discipulos ibidem erant pauperes, qui & propter Christũ propria amiserant. Debitum autem est subuenire eorum, qui fideliter docẽt, necessitatibus, ut habes 1. Corinth. 9. & Gal. 6. & Matth. 10. Sed torquent hunc locum quæstionarij & Papistæ, qui hoc nomine suas indulgentias uenditant, & ceremoniarũ onera, similiter & fratres mendicantes, & alij religiosi utriusq; sexus, qui tamen non docent, sed merita sua communicant, & pro temporalibus beneficijs uenditant literis fraternitatum suarum, quod Paulus non docuit.

Nam si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles, debent & in 15
carnalibus ministrare eis. Hoc igitur cum consummauero & assignauero eis fructum hunc, per uos proficiscar in Hispaniam.

Spiritualia multa assequuta est uniuersa gentilitas, per reliquias ultimas populi Israelitici & superstitis Hierosolymæ quæ adhuc stabat, in qua plurimi sanctorum multa patiebantur, & ex eo loco processerunt euangelium in orbem terrarum, apostoli & apostolorum discipuli, omnis eruditio sacra, & euangelica doctrina, Testamentum dei in scripturis ueteribus & propheticis. Quorũ omnium participes facti sunt reliqui populi gentilium. Vnde non magnum reputari debuit, si uicissim de superfluis suis gentes fidelibus Christianis egentibus necessarijs pie succurrerent. Ad hoc procurandum apostoli monuerunt Paulum, quod & egit fidelissime in propria persona collecta adferens, unde & istis uerbis fidem suam indicat in reddẽda eleemosyna, ut discamus non derogare dignitati episcopali agere officium Diaconi. Fructus refertur hic nõ ad sanctos qui Hierosolymis, sed ad eos qui contulerãt Græcos. In beneficijs enim Christianorũ lucrum est penes dantem, non penes accipientem. Quod si Paulus integre ac tuto reddidisset eam pecuniam, futurum erat, ut Macedonibus cæterisq; qui cõtulerant, ceu thesaurus quidam in tuto reconditus uideretur. Diligenter ergo & certa fide uoluit Paulus reddere eam pecuniam, quando huiusmodi tractatio pecuniarum suspecta esse solet, præsertim Iudæis auarissimis.

Scio autem, quoniam ueniens ad uos, in abundantia benedictionis 16
Christi ueniam.

Quanquam in transitu tantum Romanos se inuisurum scribat, tamen promittit se aduenturum ad illos cum ampla benedictione euangelij. Hoc autem fecit, ne uideretur sibi plus æquo sumere erga Romanos, quasi ij in fide Christi tam inopes adhuc essent, ut necesse haberent multa ab eo doceri. Abundãtiam autem benedictionis intellígit generaliter, omnem uirtutũ & officiorum gratiam, quam certo cognouit se Apostolus à Christo accepisse tunc quando apostolatum suscepit in gentes, quarum primi habebantur Romani, & erant. Si ergo in alijs nationibus uerbis & operibus proficere multũ potuit ad gloriam dei, & ecclesiæ Christi profectum, multo magis apud Romanos se posse in Christo dubitare non debuit. Nihil autem uirium sibi tribuit, sed Christo omnia, qui in sanctis regnat & operatur.

Obsecro ergo uos fratres, per dominum nostrum Iesum Christum, 17
& per charitatem sancti spiritus, ut adiuuetis me in orationibus uestris pro me ad deum, ut liberer ab infidelibus qui sunt in Iudæa, & obsequij mei oblatio accepta fiat in Ierusalem sanctis.

Quod tantopere orat pro se fundi preces ad deum, ut à Iudæis incredulis liberaretur, & credulis officium suum probaret, indicat quàm Apostolo mali Iudæi, quorũ pars maxima erat, infesti fuerint. Qui ab illo tempore in præsens usq; apostolicæ doctrinæ & Christo saluatori oblatrãt multo maxime, ubicunq; possunt, quos & in toto apostolatu suo semper & ubiq; habuit & sensit atrocissimos infestatores. Cum ille nihil aliud promoueret, q̃ unius dei ueri cultum, & regnum Dauidis in Christo: quod illi miseri & impij aliud non optant uel uolunt, q̃ ad suam gloriã, non dei, & domini Zabaoth, de cuius cultu & gloria magna semper pars Israelitici populi parũ fuit solicita, cum eam sancti patriarchæ & prophetæ unice desiderarint, & in spiritu uidentes, & fide uera, gauisi sunt: unde nulli mirum sit, iusto dei iudicio eam plebem tandiu retineri captiuã & exulem, ac omnibus exosam, omnibus dei cultoribus, & scripturis sacris credẽtibus in exemplum. Erant tum etiam machinatione satanæ ex bonis quidã à Paulo alienati, quamlibet plus omnibus cæteris laboraret Paulus, ad promouendum regnum Christi. Id autem nos doceat, quanto studio incumbendum sit, ut fratribus placeant quæ ipsis benefacimus. Et ut de nostra etiam gratia quam dominus confert, non nimium præsumamus, quando uidemus Apostolum tantum, tam deo charum, & electionis uas, orare ut pro se dominus oretur in causa apostolatus sui. Orat autem, nõ propter patrum quorumcunq; merita, sed per dominum Iesum Christum, & charitatem, quæ donum est spiritus, ut pro huiusmodi affectibus sanctis permouendis orent dominum, & orando adiuuent functionem suam. Tantum abest ut uendicauerit sibi & suo arbitrio usum quoq; diuini spiritus, qui inhabitabat eũ, de quo minime dubitabat. Sic deus amat orationem fidelium humilem, fide & charitate depromptam, pro rebus sanctis, & ad dei gloriam spectantibus. Tam horrẽdum quoq; malum est, domesticorum inuidia & persequutio, quando inter suos & in suo genere pauere cogebatur, magis q̃ inter ethnicos & idololatras gentes. Cũq; passim ubiq; Iudæi obturati, infesti essent Paulo propter euangelium, maxime tamen sæuiebant in eum illi qui Iudæam adhuc inhabitabãt: urgebat enim eosdem iudicium domini, post Christi & plurium sanctorum cædem, quod de proximo illis superuenturum erat, quando mensuram impleuissent criminum suorum. Cumq; summo studio exequeretur apostolorum uota, cupientium ut collectas pro fratribus faceret nutriendis, tamen animos crudelium Iudæorum placare non potuit, affatim offerens multo labore & cura collectam eleemosynam. Cui & præmium ipsis nebulonibus dignum rependerunt uiro dei sanctissimo, ne quis miretur, qua ratione urbs & gens tam crudelia fata sustulisse legatur.

18 Vt ueniam ad uos in gaudio per uoluntatem dei, & refrigerer uobiscum.

Vbi orationibus uestris & benignitate dei, & auxilio Christi domini euasero manus Iudaicas Hierosolymitanorũ, ueniam ad uos in gaudio: quod & factum est, quamlibet captiuus & exul, & multa passus incommoda. Gauisus est tamen ex Romanorum ecclesia, quum eam bona ex parte sibi obuiam suscepisset, & benigne audisset, &, ut uerisimile est, per omnia promouisset. Quod autem addit, Per uoluntatẽ dei, perinde est, ac, Si quidẽ domino placuerit, ut ueniam ad uos, uel cum gaudio ueniam, quando ex deo omnia pendẽt, qui solus nouit quæ uentura. Quamuis & ipse non ignorauerit se sistendum Cæsari, quomodocunq; casus huius mundi inciderent circa se. Refrigerari cupit, nempe post tot exantlatos labores tanti itineris, ut ibi manens aliquantisper, uiribusq; resumptis, sufficere possit

possit itineri, quod in Hispaniam instituerat.

Deus autem pacis sit cum omnibus uobis. Amen. 19

Pacis nomine Iudæi intelligunt salutem & sospitatem animæ & corporis, cuius largitor solus est dominus, à quo solo petenda omnibus qui eam optant, quo minus diuos imploremus quoscunq;. Sed & unanimes & concordes optauit in Christo, quod scopus erat Epistolæ.

CAPVT XVI.

COmmendo autem uobis Phœben sororem nostram, quæ est in 1
ministerio ecclesiæ quæ est Cenchris, ut eam suscipiatis in domino, digne sanctis, & assistatis ei in quocunq; negotio uestri indiguerit. Etenim ipsa quoq; assistit multis, & mihi ipsi.

Quamuis ultimum hoc caput fermè in solis uersetur salutationibus & cõmendationibus, non tamen est inutile. Discere enim possumus, quibus laudibus siue titulis Christiani sint prædicandi. Nam qui hic laudantur, non laudantur à diuitijs, ab eloquentia, uel potestate sæculari, sed nec ab ingenti & admirãda eruditione & doctrina, sed à charitate, simplicitate, obedientia, fortitudine fidei, & fidelitate ministerij. Quin & in titulis ac epithetis relucet mira simplicitas. Vocantur enim ministri ecclesiæ ad summum, adiutores in Christo dilecti, multum laborantes in domino, insignes inter apostolos, probati in Christo. Præterea uides hic haberi nullum respectum personarum, nam à salutatione & ministerio etiam mulieres & domestici non fuerunt reiecti. Quã hodie, ô deus, dissimilis est ritus loquendi, alloquendi, & commendandi ecclesiæ Romanæ personas. Quàm dissimilis facies & institutio eorum qui ecclesiæ præsunt, & sese seruos seruorum contra conscientiam nominant, & omnem orbis potestatem sibi oportere subiectã esse contendunt. Vtinam tandem toties admoniti cogitent, quid illis agendum, & sub cuius prospectu agant omnia in cœlestibus & in terra. Ne semper putent orbem laturum, sic sibi & à talibus imponi. Cogitent potius sese ministros dei, & dispensatores ministeriorum in ecclesia sancta, ut re uera sint sancti, etiamsi non sanctissimi, quod uocari non possunt, etiam si uelint. Vtinam autem sint qui dicuntur, & mentiantur omnes qui testantur contrarium. Per hanc Phœben putant reddi tam hanc fuisse Epistolam Romanis. Sororem nominat, quemadmodũ & fratres in Christo fideles. Ministrare aũt ecclesiæ potuit multũ, in hospitalitate, eleemosyna, oratione & doctrina, hoc est opere & sermone. Cenchreensis ecclesia penes Corinthum fuit, statio naualis Corinthiorum, ubi oppidum & fideles q̃plurimi, & emporium. Quandoquidem constat hanc epistolam à Corintho missam. Cupit ualde sic eam suscipi cum charitate, qualiter docet charitas fideles in Christo, digne scilicet sanctis. Valde aũt prædicatur hospitalitatis uirtus. Phœbe illa quia hospitalis fuit meruit etiã ab alijs hospitari. Et quia omnes sanctos hospitio suscepit, meruit & Paulum suscipere apostolum Christi. Quomodo Lot & Abraham ob eximiam hospitalitatẽ, angelos recipere hospites meruerunt. Orat ut assistant fœminæ in causa, quam nimirum sanctam, iustam & æquam habuit, exigendam forsan in curia Cæsaris, ad quẽ appellabatur ex toto orbe Romano, quod & Paulus coactus est experiri per Iudæorum sæuitiam, & iniquitatem præsidum corruptorum auaritia pro more. Et erant iam tunc quoq; ex conuersis ad fidem, quidam de Cæsaris familia, qui eam iuuare & promouere poterant, quibus Paulus fama notus & gratus erat. De quibus ad Philip. dicitur, Salutant uos qui sunt de Cæsaris domo.

2 Salutate Priſcam & Aquilam, adiutores meos in Chriſto Ieſu, qui pro anima mea ſuas ceruices ſuppoſuerunt: quibus non ſolum ego gratias ago, ſed & cunctæ eccleſiæ gentium: & domeſticam eccleſiam eorum.

Origenes putat Priſcam eandem eſſe quam Lucas in Actis cap. 18. Priſcillam appellat, cuius maritus erat Aquila Ponticus genere, Iudæus religione & origine ſtirpis, artificio ſutor tabernaculorum. Qui poſt mortem Claudij redierit Romam, qui nuper omnes Iudæos Roma abegerat per ſæuitiam, qua ceſſante redierit. Quandoquidem & multos Iudæos illic ipſe Paulus poſtea ſub Nerone offendit, ut patet Act. ultimo. Laudantur autē à fide in Chriſtum, qua permoti auxilio fuerunt Apoſtolo cum eis commoranti, in prædicationem euangelij, & propria confeſſione Chriſti, parati etiam mori cum Paulo pro ueritatis conteſtatione, uel etiam pro Pauli liberatione, cuius uita utilis & neceſſaria erat euangelio propagando, per gentium omnium regiones, quod eſt ceruicem ſupponere pro anima alicuius, id eſt uita ſeruanda. Quibus & cunctæ eccleſiæ gentium gratæ eſſe debent, qui tantum ipſorum Apoſtolum ſuo periculo è mortis faucibus eruerunt. Habebant iam Romæ manentes Priſca & Aquilas, familiam honeſtam, non ſibi in fide & moribus diſſimilem, partim Paulo quoq; notam, cum quibus hoſpes uixerat Corinthi. Hos nominat eccleſiam, id eſt congregationem ſanctam, quos & in domino bene ualere optat ex animo pius Apoſtolus.

3 Salutate Epænetum dilectum mihi, qui eſt primitiuus eccleſiæ Aſiæ in Chriſto Ieſu.

Sonat Latine Epænetus laudatum uel laudabilem. Dicitur autem primitiæ ſecundum aliam literam, & Græcos, Achaiæ, non Aſiæ, ſiue quod hunc primum Achiuorum conuerterit ad Chriſtum, ſiue quod hic eſſet conuerſorum ibidem præcipuus, qui ſeſe interim Romam contulerat, & ibidem quoq; Chriſtum prædicabat fidelibus, propter quod & dilectus dicitur Paulo, qui nihil aliud ſpirabat quàm Chriſti gloriam, & eccleſiæ profectum inter omnes gentes, quibus Romani dominabantur. Quod additur, In Chriſto Ieſu, ſignificat inſigniter Chriſtianū fuiſſe illum uirum.

4 Salutate Mariam, quæ multum laborauit in nobis. Salutate Andronicum, et Iuniam, cognatos & concaptiuos meos, qui ſunt nobiles in apoſtolis, qui & ante me fuerunt in Chriſto Ieſu.

Satis apparet fuiſſe eam Mariam iam ciuem Romanam. Quid autem laborauerit, incertum. Dicitur quod pro concordia fidelium ex Iudæis & gentibus conuerſorum laborauerit pia mulier & inſignis aliqua ratione, præcipue autem fide. Quæ & dicitur Paulo renūciaſſe diſſidium illud, ut illud componeret per epiſtolam, uel præſens ſuapte perſona. Quod cognatos nominat, fortaſſis de eadem ſecum tribu Beniamitica erant nati & conſanguinei. Qui & non leuia ſecum aliquando incommoda ſuſtinuerint in Iudæa uel Græcia. Qui & nobiles dicuntur, hoc eſt inſignes meritis, doctrina, zelo & fama. Qui & apoſtoli nominantur, hoc eſt ex ſeptuaginta Chriſti diſcipulis, qui Chriſtum audierunt & uiderūt cum cæteris, ante Paulum conuerſis ad Chriſtum, adhuc uiuentem & prædicātem. Qui in prædicatione quoq; Chriſti præceſſerunt tempore conuerſionem Pauli, & inter primos Romæ nomen domini prædicauerunt, & eccleſiam conſtituerunt Romanam primi. Cum Petrus eccleſiæ præeſſet Antiochenæ, quem ſine dubio ſalutatis adſcripſiſſet præ reliquis omnibus hic nominatis Paulus, ſi tunc Romæ tot annis

annis ecclesiã sustinuisset. De quo & in Actis nihil Lucas retulit, qui cum Paulo Romam peruenit. Sed de his alij plures plura & diligentius scripserunt.

Salutate Ampliatum dilectissimum mihi in domino. Salutate Vrba- 5
num adiutorem nostrum in Christo Iesu, & Stachyn dilectum meum. Sa
lutate Appellen probum in Christo. Salutate eos qui sunt ex Aristobuli
domo. Salutate Herodionem cognatum meum.

Pro Ampliato legendum Ampliam, & pro dilectissimo dilectum syncera dile
ctione, hoc est propter Christum. Satis apparet Iudæos passim in orbe Romano habitantes, ex quibus multi Christum credebant, prædicabant, colebant, Latina quoq; suscepisse nomina, sicut & Græca olim, ut patet in libris Machabæorum. Vnde & hic Amplias & Vrbanus, quo minus quoq; de Pauli nomine conuerso ex Saulo dubitetur uel contendatur. De Appelle Origenes addubitat, num hic sit Apollo Alexandrinus, uir in scripturis eruditus, cuius mentio fit in Actis apo stolorũ cap. 18. ut fuerit & ipse Romanæ ecclesiæ doctor inter primos & magnos. Verum suspicio est, alio eundem cognomine uel epitheto fuisse appellaturum, quàm probo in Christo, quamlibet ingens laus sit probum esse in Christo, hoc est fideliter prædicantem. Ex Aristobuli domo, id est, eos qui pertinent ad familiam Aristobuli nomen habentis ab optimo consilio. Cognatus Herodion salutatur, non in exordijs, sed cum uulgo dilectorũ, ne quid sanguini datum intelligatur.

Salutate eos qui sunt ex Narcisci domo, qui sunt in domino. Salutate
Triphenam & Triphosam, quæ laborãt in domino. Salutate Persidam 6
charissimam, quæ multũ laborauit in domino. Salutate Rufum electum
in domino, & matrem eius & meam.

Et hunc quoq; Narcissum quidam presbyterum fuisse, uel etiam episcopum putant in ecclesia Romana insignem in uerbo & opere, qui & familiam habuerit fidelem in Christo: quamuis non omnes, quia dicitur, Qui sunt in domino: quam uis dici possit, intellexisse eum omnem familiã fuisse in domino. Tres consequen ter matronas salutat, quarum tertia illustrior fuerit in operibus pietatis, seruiẽdo proximorum commodis, eleemosynas largiendo, ministrãdo peregrinis & egen tibus, facultatibus, obsequio, & consolatione Christiana. Semper enim in eccle sia fuerunt huiusmodi sanctimoniæ matronæ, etiam Christi exemplo. Labor au rem commendatur ubiq; ab Apostolo, qui est in domino, hoc est, pro gloria domi ni, & ad eius beneplacitum ordinatus ad profectum ecclesiæ. Rufum electum di cit, quem sacerdotem, hoc est eruditum exponũt in uerbo domini, ut alios quoq; instruere ualeat atq; uelit. Qui tunc Romæ degebat cum matre, à quo plura bene ficia Paulus in Iudæa susceperat, propter quæ & matrem appellat suam, & pro pter ætatis reuerentiam.

Salutate Asineretum, Plegontam, Herman, Patrobam, Hermen, & 7
qui cũ eis sunt fratres. Salutate Philologũ & Iuliam, Nereum & sororem
eius, & Olympiadem, & omnes qui cum eis sunt sanctos.

Pro Asineretum, Plegontam legendum Asyncritum, Phlegontem. Asyncri tus sonat incomparabilem, Phlegon incendẽs. Hermen, Patrobam, Herman, di uersa nomina sunt, prius est Herman, alterum Hermen, quod Latine sonat Mer curium. Hunc Hermen Origenes in libris Periarchon arbitratur esse autorem li bri apocryphi, cui titulus Pastor, unde frequenter adducit testimonia: unde appa ret eundem Pastoris librum non fuisse minoris authoritatis in ecclesia primitiua,

quàm Apocalypſis. Quandoquidem & utilia multa continet, & non abſonantia à ueritate catholica, & clarior in multis ꝙ Apocalypſis. Putat Origenes ſcriptum afflatu diuino, quanquã non negat à multis eundem contemni. Quandoquidem Græci legunt Olympam, apparet uiros eſſe, nõ mulieres, ex articulis quoꝙ duobus. Erant apud hos plures ſancti, uel ignoti Paulo de facie uel nominibus, uel quos ſufficeret in genere ſalutaſſe poſt tot perſonarum nomina, quæ obmittere non poterat.

8 Salutate inuicẽ in oſculo ſancto. Salutãt uos omnes eccleſiæ Chriſti.

Oſculo charitatis & concordiæ in publico quoꝙ ſeſe fideles oſculabãtur. Qui modus & in eccleſia permanſit, & ſignum eſt ſacræ quoꝙ communionis. Vnde & præmittitur ſacroſanctæ Euchariſtiæ, & communioni corporis & ſanguinis domini. In oſculo ſancto dicit, non adulatorio, ut Abſolon: non ſimulatorio, ut Ioab: non proditorio, ut Iudas: nec impudico, ut mulier adultera in Prouerbijs capite 7. ſed ſancto & ſyncero. Eccleſiæ quas tranſiens docuerat Paulus cupiebant ſeſe quoꝙ commendari fratribus in eccleſia Romana, quã omnium maxime augeri numero & merito cupiebant aliæ per orbem eccleſiæ, in cuius pace & profectu ipſæ quoꝙ proficerent inter gentes idololatrię deditas, in orbe toto Romano. Et erant multæ quidem in urbibus multis eccleſiæ, quæ tamen una dicuntur catholica ſponſa Chriſti, unica pro qua mortuus eſt, & quam lauit ſuo ſanguine, cuius quoꝙ eſt caput, & rex gloriæ in uniuerſo mundo, quamlibet diſperſa ſit locis & perſonis, ſed & uarijs ceremonijs, una tamen eſt, fide, ſpe, & charitate, ſub uno pontifice ſummo, qui apud eccleſiam ſuam eſt ſemper, uſqꝙ ad mundi conſummationem. Spiritu ſuo docens & ſaluans, ut uicario nullo egeat, ſed miniſtris, quos gratia donorum multiplici ornat ad ſalutem fidelium, quam Chriſtus exhibet uerbo & ſpiritu ſuo conſcientijs credentium.

9 Rogo autem uos fratres, ut obſeruetis eos qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam quam uos didiciſtis faciũt, & declinate ab illis. Huiuſmodi enim Chriſto domino noſtro non ſeruiunt, ſed suo uentri, & per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium.

Præmunit Apoſtolus Romanos contra pſeudapoſtolos, quibus tribuit uerborum blanditias, offendicula & diſſidia, circa doctrinam Chriſti & ſtudiũ uentris. His notis deprehendamus & hodie falſos doctores. Occulunt illi quidem ſæpe ſeruitutem uentris, offendiculis autem & diſſidijs circa ſanam doctrinã ſe ſemper produnt. De qua re & ad Galatas quædam ſcribit. Cur autem de his moneat nũc quoꝙ Romanos, hãc cauſam reddit. Celebris erat eorũ fides, peruenerat longe lateꝙ in orbem terrarum fama eius, cupiebat ergo eſſe cautos contra omnem impoſturam ſatanæ, & puros à malis. Ne autem hinc deijcerentur, orat, & prædicit fore, ut ſatan conteratur ſub pedibus illorum cito. Sic ergo diligẽter obſeruandi ſunt inquieti, qui noui aliquid & alijs non cogitatum producere ſtudent, quo uideantur alijs uel doctiores uel ſanctiores, & diuinæ quoꝙ gloriæ ſtudioſiores, quo nomen aſſequantur & famam apud homines præ alijs. Inde oboriuntur ſchiſmata, dum non ſimpliciter, ſed ad affectus auditorum quorundam docetur, non pure ex uerbo dei claro, & ſimpliciter expoſito. Tales autem ſcandaloſi in doctrina pietatis, uarij & obſcuri, animo ſunt declinandi. Non enim quærũt quæ Chriſti ſunt, ſed quæ ſua, gloriam, quæſtum, famam, commodum, quod eſt per otium ſibi uiuere, non eccleſiæ uel Chriſto. Dulces ſermones Græcis ſunt blãdiloquentia ſeu blandiloquium, & benedicentia: non qua uulgo benedicunt epiſcopi, ſed

sed qua per adulationem studetur, tantum ut ea dicantur quæ placent & audiun
tur perlibenter. Quibus sermonibus seducũtur simplices, & minime subdoli, qui
expertes sunt fraudis ac suspicionis, quales Latini nominant innocentes.

Vestra enim obedientia in omni loco diuulgata est. Gaudeo igitur in 19
uobis, sed uolo uos sapientes esse in bono, & simplices in malo.

Obedientia Romanorũ alia hic non intelligitur q̃ fidei, ut uerbo dei & euan-
gelio per Christi discipulos prædicato sese subiecerint, simpliciter credendo scri-
pturis sacris, de filio dei incarnando, & nunc per Christi aduentum præstito, se-
cundum euangelij prædicationem. Quæ fides audiebatur passim in orbe Roma-
no à Christianis omnibus, cum ineffabili gaudio. Vnde & Apostolus gaudet pro
omnibus pijs, qui meliora sperabant de gloria dei diffundenda per euangelium,
quando audiebant intra Romanam urbem, tot pios Christianos religiose uiuen-
tes, & Christi doctrinam amplexos. Sed de perseuerãtia in bono fidei, & constan
tia in sancto proposito solicitus erat Paulus pro Romanis fidelibus. Ne forsitan
sæcularis sapiẽtia & philosophia gentilium, & uanitas eruditionis fastuosæ, quæ
tunc uigebat in multis, corrumperet bonum quod intellexerant. Vnde cupit eos
uere sapientes in bono, & simplices in malo. Non omnis simplicitas bona est, sed
quæ est ad malum, ut nemini malum infligas, non subdole agas cum proximo,
haud aliter proximo deditus q̃ ad bonum, abhorrendo ab omni malo. Cupit ergo
sapientes eos ad intelligenda diuina mysteria, & ad benefaciendum proximo.

Deus autem pacis conterat satanã sub pedibus uestris uelociter. Gra- 11
tia domini nostri Iesu Christi uobiscum.

Quanto diligẽtius Paulus & cæteri apostoli & apostolici uiri errores idolola
trarũ, & Iudæorũ quoq; uesaniã contra euangeliũ extirpare conabantur, tanto
satan astutius & maiori opera aduersabatur ueritati & gloriæ dei per Christum,
passim instigando amatores huius mundi, ad opprimendum fideles, qui mundi
potius contemptum docebant uerbis & operibus. Omnes ergo ueritati obsisten
tes, siue sint falsi apostoli, quales satan multos solicitabat, siue alij, hos optat Pau-
lus breui per deum conteri, ne sinat clementia dei suos tentari ultra quàm ferre
possint, uel diutius quàm expediat. Conteretur autem & triumphabitur, non ue-
stris uiribus, sed gratia domini nostri Iesu Christi, si illa non fueritis destituti, si in
Christo permanseritis, si summi patris cœlestis gratiam mundo ostensam in in-
carnatione filij sui unigeniti agnoueritis sana fide, & ostenderitis charitate ad
deum & homines.

Salutat uos Timotheus adiutor meus, & Lucius, & Iason, & Sosipa- 12
ter cognati mei. Saluto uos ego Tertius, qui scripsi epistolam hanc in do
mino. Salutat uos Gaius hospes meus, & uniuersa ecclesia. Salutat uos
Erastus Arcarius ciuitatis, & Quartus frater. Gratia domini nostri Iesu
Christi cum omnibus uobis. Amen.

Adscribit Apostolus Romanis salutem, nomine aliquorum apud quos tum
erat, precaturq; gratiam, ut finis respondeat initio. A gratia enim & beneuolen-
tia dei pendent omnia. Timotheus autem adiutor dicitur Apostoli, hoc est, socius
& consors operis quod agebat in domino, cuius & opera utebatur, instruẽdo ec-
clesias in uerbo uitæ, & euangelio prædicando, quasi collega aliquo & coopera-
rio. Vnde quidam habent, Consors laborum meorum. Tertius autem dicebatur
scriptor huius Epistolæ à Paulo dictatæ, quemadmodũ apud Romanos quidam

dicebantur Sexti, Quinti, & Decimi. Quanquam in nonnullis codicibus quoq; legatur Terẽtius. Arcarius ciuitatis intelligitur uel quæstor ærarij, uel præfectus rationibus aut ærario. Et hic quoq; tantus in tota urbe quæstor Corinthius Christianus erat, ut sciamus Christianos quoq; fungi posse huiusmodi magistratu & officijs publicis. De Gaio hospite, Latinus sermo habet amphibologiam, quod incertum an Gaius hospes Pauli Romanos salutet cum tota congregatione, an intelligendus sit hospes non Pauli tantum, sed totius etiam ecclesiæ.

13 Ei autem qui potens est uos confirmare iuxta euangelium meum, & prædicationem Iesu Christi, secundum reuelationem mysterij, temporibus æternis taciti, quod nunc patefactũ est per scripturas prophetarum, secundum præceptum æterni dei, ad obedientiam fidei in cunctis gentibus cogniti, soli sapienti deo, per Iesum Christum. Cui honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Postremo concludit laude dei & gratiarum actione, & quod quærebat præomnibus, soli deo omnem gloriam tribuit. Huius autem hiatus obscuritatem facile intelligemus, si postremo loco legere cœperimus, Soli sapienti deo gloria in sæcula, & ad initium regrediamur, Ei qui potens est. Et laudat in deo potentiam & sapientiam, qua fideles & electi instruuntur & confirmãtur in scientia salutis & ueritatis per spiritum Christi, & prædicationem euangelij Iesu Christi. Quod nihil aliud est quàm reuelatio eius secreti, quod fuit gentibus omnibus absconditũ, & multis temporibus ignoratum, quod tamen prædictum fuit patriarchis & prophetis, de saluatore totius mundi, & de cõuersione orbis ad unius dei ueri uerum cultum, obmissis falsorum deorum falsis cultibus & erroneis. Hoc autem mysterium à sæculis paucis gentibus reuelatum, nunc per apostolorũ officium & prædicationem cognitum factum est cunctis gentibus, ut obediãt fidei in unũ deum, & patrem domini nostri Iesu Christi, quando prophetarum prædictiones de saluatore mittendo paucis cognitæ erant gentibus, donec per apostolos in omnem terram exiuit sonus euangelij, quod & creditum est ab omnibus electis, & hactenus non sine tentationibus est prædicatum, sed cuius ueritas clara semper eminet, & erroribus uniuersis præualet in Christo Iesu, qui uita est credentium, uia & ueritas, eritq; semper. Qua abrogatur omnis dæmonum cultus & idololatria. Verbi autem diuini maiestas fulget in perpetuum, & illuminat credẽtes in deum patrem, cui cum filio & spiritu sancto omnis debetur honor & gloria, in omnia sæculorum sæcula. Amen.

FINIS.

COMMENTARIVM IN EPISTOLAM D. PAVLI APOSTOLI AD CORINTHIOS RRIMAM.

ARGVMENTVM.

PERIVNTVR NOBIS IN HISCE DVABVS D. PAVLI apostoli Epistolis permulta de nascentis ecclesiæ Christi primordijs, de quibus comes eius Lucas solus pauca quædam attigit. Vtinam plura præstitissent cæteri quoq;, pro amolienda successorum superstitione, qui ecclesiam superuacaneis ceremonijs onerarunt, & usq; in nostra tẽpora adauxerũt, usq; ad dogmatũ definitiones, quibus labefactata est non solum exterior cultura dei, sed etiam synceritas fidei apostolicæ. Scribit autem fidelibus qui erant Corinthi, ubi ceu in Achaię metropoli & celeberrimo emporio & opulẽtissimo, corruptissimi mores uigerant, necdum ad plenum fuerant extirpati. Manebant enim adhuc ingenij uitæq; prioris nonnulla uestigia, eratq; periculum, ne per philosophos crucis prędicatio ut humilis & indocta fastidiretur, quin & pseudapostoli ad Iudaismum à Christi synceritate eos alienare studebant. Accedebat tumor eorum, quod ex dignitate apostolorum, à quo quisq; fuerat baptizatus, sese efferebant, spiritualibusq; donis superbiebãt. Cœnam dominicã indigne celebrabant. Philosophiam suam contra Paulum appretiabantur. Mortuorum resurrectionem reuocabant in dubium. Impune uacabant in ea urbe libidini. Viri comati, fœminæ nudo capite interesse cœtui non uerebantur. De re pecuniaria inter se litigabant, etiã coram gentilibus iudicibus. Matrimonium fidelibus non laudabile censebant. Quibus Corinthiorum morbis opportunis per singula remedijs occurrit. Primum, ne in personis gloriẽtur quibuscunq;, sed in Christo unico, à quo salus proueniat uniuersa, supercilium detrahit humanæ philosophiæ, ut crucis humilitatem suscipiant, ne quid à pseudapostolis discant, quod sit mox dediscendum, sed fidei suæ autori & fundamento iacto adhæreant. Incesti scandalum manifestum disciplinę publicæ subijcit, ut emendetur cum cęteris ethnicorum flagitijs. Christianos pro lucro nõ decere lites & forum admonet. Scortationem & libidinem inconditam damnat omnem. De matrimonio, uiduitate, & impari cõnubio, deq; uirginibus præcipit. Idolothita Christianis prohibet, propter scãdalum. Et disciplinam instituit obseruandam in cœtu ecclesiastico, & in sacris epulis mensæ dominicæ, pro charitate augẽda in Christi corpore, quã præfert prophetiæ dono, quod & ipsum docet cum fructu tractandum. Varijs tandem argumẽtis astruit resurrectionem mortuorum, declarans qualis & quibus modis sit ea futura. Addens familiaria quædam, pro more. Varij itaq;, ut uidetur palàm, loci sunt huius Epistolæ & occasiones scribendi.

CAPVT PRIMVM.

PAVLVS uocatus apostolus Iesu Christi, per uolũtatem dei, 1
& Sosthenes frater, ecclesiæ dei quæ est Corinthi.

Vt fuerit binomius sacer hic Apostolus, & in Iudaismo Saulus dictus de tribu Beniamin, missus tamen per spiritum Christi & ecclesiæ, ad euangelizandum gentibus toto terrarũ orbe, communi Græcis & Latinis nomine sese

ſemper Paulũ nominat, non iam Chriſti perſequutor, ut Saulus Dauidis, ſed pro pugnator magnificus, & operoſiſſimus. Qui & in hoc eſt uocatus à Chriſto, ut qui uerbo dei in Iudaiſmo fideliter operam nauarat, & ſuper omnes coætaneos zelum oſtendiſſet pietatis, ad gloriam dei propagandam in obſeruantia legis, is nunc in propagando euangelio Chriſti domini, & promiſſionum diuinarum impletione agnita per miraculum, ſuper reliquos omnes laboraret in diuulgãdo regnum Meſſiæ, in toto terrarum orbe gentibus, quæ idipſum iamdudum expectauerant, & contemptoribus Iudæis digniores erant gratia dei: quam ſunt aſſequutæ miniſterio fideliſſimo Pauli, qui à Damaſco, Hieroſolyma, & ab Arabia incipiens, omnem Aſiam ac Græciam repleuit euangelio Chriſti, per Illyricum Romam perueniens, & in Hiſpaniam tendens, longe gratiã Chriſti ꝙ Moſis legem, profuſiori fructu & ardentiore fide commendauit orbi: non tantum perſonaliter accedens, ſed diſcipulos mittens, per quas regni pomeria Chriſto ampliora pararet & excoleret. Id autem optima fide agit, nõ ut pſeudapoſtoli, nec ut uſurpator apoſtolici muneris aſcitus eſt ad hanc functionẽ, ut Chriſti legatus eſſet, per gratiam uocatus, dum perſequutor eſſet & male meritus. Sic enim erat uoluntas domini eum uocantis, non ſua ſponte currentis, ut miniſterio ſuo diffunderet gloriam Chriſti, maxima fide, non quærens quæ ſua eſſent, ut Corinthiorũ quidam apoſtoli qui ſubintrauerãt, ſed quæ Ieſu Chriſti, cuius ſe gerat Apoſtolum, aliud ſibi officij nomen nullum arrogans. Vt autem arrogãtiam aliorum deprimat, adiungit ſibi in ſalutatione Soſthenem, quem principẽ ſynagogæ fuiſſe Acta teſtantur apoſtolica, factũ ſcilicet Chriſtianum, odio autem Iudæorum Corintho eiectum, qui cohabitabat Paulo Epheſi, unde putatur hanc ſcripſiſſe Epiſtolam, ubi & permanere uolebat uſq; ad Pentecoſten. Fratrem autem nominat more apoſtolico, quem à Chriſto didicerat, pro charitate quam ſuis ante omnia & ſerioſe, receſſurus ex hoc mundo ad patrem, commendauerat. Delatorem autem qui eundem faciunt, qui Paulo exceſſus & uitia retulerit Corinthiorum, præter cauſam id agunt. Quamuis bono animo feciſſe potuerit quiſquis fecit, & ſancto zelo ad ædificationem Corinthiorũ. Scribit autem eccleſiæ quæ erat Corinthi, ut per dei gratiam unanimi concordia coaleſcant, & deſinant diſſentire, & quicquam ſenire perperam uel agere, ut decet eccleſiam dei, quæ deum agnoſcit, credit, & in ſpiritu, non litera colit, mutua charitate cõglutinatæ. Corinthi erat eccleſia ſancta, in perditiſſimo luxu olim deprauata urbe, quam nouam ac cœleſtem condiderat uerbo euangelij, ex terreſtri & corruptiſſima ciuitate. Quæ ut erat metropolis Achaiæ, & ob Iſthmũ opulentiſſima, ſic quoq; fuerat & uoluptuoſiſſima, ob mercatorum licentiam, ſed per dei gratiam, & Pauli opera cõuerſa iam erat maxima ex parte ad dominum.

2 Sanctificatis in Chriſto Ieſu uocatis ſanctis, cum omnibus qui inuocant nomen domini noſtri Ieſu Chriſti, in omni loco ipſorum & noſtro.

Repurgati iam fuerant per euangelium Chriſti à priſtinis uitijs & cupiditatibus, faſtu diuitiarum, ſupercilio philoſophię, reliquiſq; morbis, unde ſolent intermortales pullulare diſſidia & digladiationes, à quibus oportet longiſſime abeſſe, quos idem deus, idem aſſertor Chriſtus, idem baptiſmus, eadẽ religio, idem præmiũ, tot modis connectit & copulat. Priſtinæ uitæ uitia ſemel gratis abſtulit Chriſtus, ut poſthac innocentiam reſtitutam ſancte uiuendo tueantur. Non enim aſſi, Veſtro merito uobis ea parata eſt, neq; enim eam debetis uel opulentiæ, uel philoſophiæ, uel obſeruationi legis Moſaicæ, ſed Chriſto Ieſu, qui uos ſemel expurgatos

tos suo sanguine, uocauit ad iugem & perpetuam uitæ integritatem ac sanctimoniam. Necp uero ait, Hic sermo ad uos solos pertinet, pertinet ad omnes quicūcp ubilibet terrarum profitentur nomen domini nostri Iesu Christi, & suis opibus diffisi, ab huius pendent præsidio, siue apud Iudæos, siue apud gentes. Eadem est omnium ecclesia, idem contubernium, uni Christo debent ex æquo cuncti, quod à uitiorum fœdissimo seruitio manumissi sunt, & ad sanctimoniæ professionem delecti. Nec locus nec genus discernit euangelij causam. Christus ex æquo communis est omnium, æque gratuitum est, quicquid ab illo confertur in quoscunc̄p. Sic enim Paulus omnem locum suum ducit, in quo sunt, qui inuocant nomen domini, quod inter Christianos charitas communia faciat omnia, maxime uero Christus omnibus iustitia est & sanctificatio, ex fide qua confitētur dominū Iesum Christum in toto orbe.

Gratia uobis & pax à deo patre nostro, & domino Iesu Christo. 3

Tum profitentibus in omni loco nomen domini, tum uobis Corinthijs communem opto gratiam dei, fauorem & misericordiam, per quam iustificemini per fidem, quæ per spiritum infusum pacificat conscientiam, & hilarem reddit, propter condonationē peccatorum. Vtruncp autem præstabit, non alius cp is cui debentur omnia, deus pater noster & dominus Iesus Christus, à quo uno deo profiscitur omnis nostra felicitas, qui solus largitur gratiam & concordiam, remissionem & tranquillitatem. Ea dei gratia à peccatis assertos deo cōciliat, id quod non datur nisi à deo. Cū itacp & à Christo datur domino nostro, satis probatur & Christum dominum esse deum, qui dat & pacem & gratiam. Gratia tuebitur innocentiam, hanc comitatur concordia, illa sentitur beneficium, ut author non ignoretur. Per hanc declaratur, quod non titulotenus modo, uerumetiam ipsa re Christianismum sitis amplexi. Per illam cœlestis beneficētiæ participes estis, per hanc quod diuinitus accepistis, pro modulo uestro uicissim alij in alios transfundatis.

Gratias ago deo meo semper pro uobis, in gratia dei quæ data est uo 4
bis in Christo Iesu.

Nullum post impletum dominicæ incarnationis mysterium, & exhibitā deo oblationem, qua uniuersa restaurauit in passione & morte, relictum est in ecclesia sacrificium, præter solam Eucharistiam, hoc est gratiarumactionem, pro perfecta salute per Christū: ideo tam familiaris est semper Paulo gratiarūactio, quam deo offert per Christum dominū; pro fidelibus quos suo ministerio, per gratiam autem dei cōuertit ad Christum, quales inter primos erant Corinthij, apud quos ut delictum abundauerat, sic cœperat abundare & gratia. Cum enim omnium fuerint corruptissimi per flagitia plurima, idola colentes, & mūdo per omnia seruientes: sic per euangelij gratiam & Christi spiritu sunt eatenus conuersi ad dominum, ut non solum idola abiecerint, sed & uitæ nouitatem adorsi fuerint, maxima pars illorum, ut gratia dei superabundauerit in illis insigniter, non ex meritis, sed gratuita beneficentia dei, qua conuersi sunt toto corde ad dominum per euangelium Christi à Paulo prædicatum, & fidelissima opera inculcatum.

Quod in omnibus diuites facti estis in illo, in omni uerbo, & in omni 5
scientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in uobis.

Gratias agit eorum nomine domino deo suo, quod huius bonitate sic exuberarit in Corinthijs Christi munificētia, ut qui ante hac opes terrenas fluxas ac temporarias uenabantur, & genio per omnia indulgebant, nunc cœlestibus, nec unquam perituris opibus, Christi beneficio & gratia sint locupletati, & in uitæ

innocentiam maxima ex parte restituti, quæ solæ beatos reddunt. Nullum est enim uel sermonis uel scientiæ donum, quo ecclesiam spiritus Christi tum adornare consueuit in eius exordio, quod non sitis ampliter assecuti. Dudum inanis philosophiæ supercilio tumebatis, nunc pro falsa ueram amplexi sapientiam, colitis modestiam. Quondam qui ex uobis humana eloquentia freti sibi placebant, nūc cœlitus afflatis ex dono spiritus linguis, cœlestia loquimini, atq; in eo quod optimum cognoscitis, qui inter illos meliores constanter persistitis. Vnde & euangelij ueritas, & Christi fides facta est illustrior per uos & confirmatior, dum ipsa re declaratum est omnibus quod in uobis gestum est, non esse gestum humanis auspicijs, sed authore deo, qui suis dotibus additis, nostrā apud uos prædicationem comprobauit. Et quę per prophetas dudum & semper gentibus per Christum dona promiserat & gratiam, ea impleuit in uobis, & confirmauit suo spiritu, qui uobis abunde datus est, ut constanter crediderītis prædicationi de Christo, hoc est euangelio, quo dei gratia per Christum prædicata est uobis quoq;, & prædicabitur in toto mundo, ut cognoscat amplitudinem misericordiæ & gratiæ dei, quæ effusa est per Christum, per quam & deus ipse & opera eius in nobis cognoscuntur, ut discamus amare deum, & parati esse in omnem uoluntatem eius.

6 Ita ut nihil uobis desit in ulla gratia, expectātibus reuelationem domini nostri Iesu Christi, qui & confirmabit uos usq; in finem sine crimine, in die aduentus domini nostri Iesu Christi.

Quamuis nec Petrum nec Iacobum uideritis uobis euangelizantes, quos ex uobis quidam uel solos uel præcipuos apostolos esse putāt, tamen nihil est earum rerum, quibus deus solet apostolorum ministerium comprobare, in quo uideamini cęteris inferiores, ut satis liqueat, licet diuersus sit minister & legatus, authorem tamen esse eundem, cum idem effectus atq; fructus legationis & prædicationis consequatur. Iam ut ista dei in uobis dona ceu pignora immortalitatis futurę tenetis, ita ex his quæ cernitis magnalia Christi in uestra ecclesia, fidem eorū colligatis quæ nondum cernitis. Expectatis autem diem illum, quod Christus qui nunc in membris suis adhuc laborare uidetur, palàm aperiat maiestatem suam, segregans impios à pijs, & omnem afflictionem à suis depellens. Huius diei desiderio toleratis incommoda, huius metus cōtinet uos in officio. Siquidem ut perperam damnent aut absoluent homines, certe dies ille certis calculis, aut æternis supplicijs addicturus est, aut immortalitati beatæ destinaturus. Nec est quod diffidatis, quem olim estis habituri iudicem, nunc habetis opitulatorem. Huius muneris est, quod ab erroribus pristinæ uitæ sitis ad innocentiam restituti. Eiusdem munere continget, ut quemadmodū cœpistis piam puramq; uitam agere, ita perseueretis esse moribus inculpatis, ne quid reperiat in uobis dies ille formidabilis domini nostri Iesu Christi, quod atrum calculum mereatur.

7 Fidelis deus, per quem uocati estis in societatem filij eius Iesu Christi domini nostri.

Confido fore non meis aut uestris præsidijs, sed dei bonitate fretus, qui neminem sancta sua spe destituit, neq; quicquam nō præstat quod pollicetur, ut is qui gratuito fauore suo uos asciuit & adoptauit in consortium unici filij sui domini nostri Iesu Christi. Is & fauebit adnitentibus uobis, ut in adoptionis honore perseueretis, & non excidatis ab hæreditate, cuius iam arrabonem pignusq; cœleste Christum tenetis. Id uobis non uestris meritis contigit, nec in posterum innocentia uitæ assequimini, quæ expectatis, ô Corinthij, quādo impura sunt, & indigna deo

deo opera etiam sanctorum, sed per gratiam dei in Christo speretis assequi societatem filij dei in ecclesiasticam unitatem, sub capite Christo in præsenti, in futuro autem participes fieri gloriæ dei, ad quæ toto corde semper adnitamini.

9 Obsecro autem uos fratres per nomen domini nostri Iesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in uobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia.

Hactenus dictum est, de quibus uobis gratuler, & in quibus cupiam uos uestri similes esse, & in quibus uos usq; progredi uelim. Nunc accipite quid in quibusdam uestrum desiderem, quidq; mutatum oporteat, & in quo magnopere uestram, quod ipsi non ignoratis. Tantũ obtestor uos fratres charissimi, per nomen domini nostri Iesu Christi, quod optimo iure sacrosanctum est omnibus illi semel initiatis, sicut & nomen domini dei patris eius, cui in gloria & maiestate æqualis est, & in omni ueritate & diuinitate consubstantialis, per hunc oro uos, ne uestra concordia fœdis dissidijs scindatur. Sed animis pariter & linguis consentiatis in uero & bono, ut uere sitis unum corpus, membris omnibus inter se cohærẽtibus integrum. Mundana sapientia dogmatis & placitis uarijs discinditur, & hinc familiarum & opinionum æterna certamina. Christianæ philosophiæ eadem apud omnes sunt dogmata, neq; nouit istos sectarum & opinionum humanarum riuulos. Vnus est omnium præceptor & author. Proinde par est, ut quemadmodum animorum consensu iunguntur huic initiati philosophiæ: ita temperent à uerbis, quæ dissidium sonent. Intus dissentire impium est, uerbis tantũ pugnare fœdum. Reuocat his uerbis Paulus ad concordiam spiritus, ut omnes hunc spectet, ut gloriæ dei, & publicæ tum saluti tum utilitati consulant pariter & unanimes.

10 Significatũ est enim mihi de uobis fratres mei, ab ijs qui sunt Chloes, quia contentiones sunt inter uos. Hoc autem dico, quod unusquisq; uestrum dicit: Ego quidẽ sum Pauli: Ego autem Apollo: Ego uero Cephę: Ego autem Christi.

Ne me putetis hæc de uobis uana suspicione colligere, delata sunt ad me per eos, quorum pietas & integritas fidem meretur. Nostis Chloën religione spectatam fœminam, nostis huius suæ patronæ non dissimiles familiares, ab ijs, dum & uestris fauent commodis, & meis curis auxiliantur, accepi, inter uos esse contentiones, ceu factionibus quibusdam inter se decertantibus ob doctrinas & doctores. Quid enim aliud sonant ista uerba, quę passim inter uos audiuntur? dum exempli gratia hic dicit, Ego sum Pauli, hoc est, de doctrina & baptismate susceptis à Paulo, de ordine Pauli: ille uero dicat, Ego Apollo sum. Qui cum Iudæus fuerit Alexandrinus, uir eloquẽs, & in scripturis potens, in Achaiam uenerat ab Epheso, multum contulerat credentibus, uehementerq; & publice reuincebat per scripturas Iudæos. Is Corinthi quoq; erat, & multum pro Christi gloria egerat, & in magna authoritate erat. Cephas autem qui & Petrus, ut Corinthum non uenisse legatur, sed tamen eius discipuli illò peruenisse credunt. Vel ex Corinthijs quosdam accessisse Petrum Antiochiæ præsidem, quemadmodũ & Paulus illic eum conuenerat. In hoc autem reprehensorio sermone Christum ultimo loco ponit, quasi diceret: Sunt tamen pauci licet inter uos, qui dum alij pleriq; hominum ipsi solius Christi appellatione gloriẽtur, & hi soli fideles solidiq; iudicio & uerbo haberi debent, non sectarij quicunq;, quales & philosophorum schola, & in mona-

chorum instituto nimium multi nominari & esse studuerunt, quamuis hoc loco admoniti de contrario: quasi nō sufficiat uel placeat generalis appellatio, ut Christiani dicantur.

10 Diuisus est Christus? Nunquid Paulus crucifixus est pro uobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?

Non est Christus diuisus per multas ecclesias, nec in sectarios diuidenda ecclesia, qui aliud q̄ Christi nomen profiteantur & euangelium, qui seruos sese alterius q̄ dei & Christi domini iactare audeant. Docuit synceriſſimam charitatem Christus, & simplicem regulam uitę ueritatis & fidei. In huius professionem familiæ & religionis, sacramentum baptisma Christi institutum est, non in alterius nomen q̄ in patris & filij & spiritus sancti. Quamuis & Christi nomen complectēs hæc nomina, & indicans uirtutem remittendi peccata per dispensationem Christi in sanguine peccatorum ablutionem efficiat. Solus ergo est Christus, in cuius nomine baptizamur, non alterius cuiuscunq;. Quin & Ioannes Baptista non in suo nomine, sed eius quem prædicabat uenturum agnum dei, peccata mundi tollentem, suos baptizarit, & instituit in fide eius quem docuit. Cur ergo huius professionis gloriam, quæ tota uni illi debetur, partimur in homines, ex ministris authores facientes, quasi aliquid esse uelint uel debeant, quod ne Moses quidem & Aaron suis esse & haberi uolebant. Cui ergo, ô Corinthij, debetis innocentiam? Nónne ei qui lauit uos sanguine suo? Cur igitur aliud nomen prætexitur, quàm eius cuius est beneficium? An Paulus pro uobis crucifixus est? Soli Christo debetis ex æquo omne salutis beneficium, quādo pro omnibus solus est mortuus: cur ergo diuersorum hominū titulos uobis ascisciti, ueluti illis tribuentes, quod uni Christo acceptum ferri oportuit? Per baptismum inferimur Christo, & huius nomine baptizamur, unde uis omnis baptismi proficiscitur. Qui uero cōuenit, Pauli uos dici potius q̄ Christi, cum non Pauli sed Christi nomine sitis baptizati?

11 Gratias ago deo, quod neminem uestrum baptizaui, nisi Crispum & Caiū: ne quis dicat quod in nomine meo baptizati estis. Baptizaui autē & Stephanæ domum. Cæterum nescio, si quem alium (uestrum) baptizauerim.

Si per hanc baptismi occasionem, gloria quæ deo debetur, hominum nominibus uindicatur, gratias ago deo, quod neminem uestrum baptizauerim, præter Crispum & Caium, qui, ni fallor, nihil hinc arrogant sibi glorię, & me ministrum tantum Christi agnoscunt, Christum ipsum authorem. Quod si plures baptizassem, fieri poterat, ut existerēt qui se pro Christianis Paulinos appellari uellēt. Verum interim succurrit, quod Stephanæ familiam baptizaui: præterea, non satis commemini, si quem alium baptizarim aqua, docui autem complures, & uos omnes, ut Christi spiritu baptizati fueritis. Domum autem baptizari, est familiam omnem, non tantum prouectioris ætatis, sed qui membris Christi adnumerari, & mystico corpori ecclesiæ incorporari possunt, quales non minus nostri infantes sunt, q̄ Israelitarum olim, qui per circuncisionem octauæ diei inserti fuerunt fidelium synagogæ. Sic quoq; initiati fuerunt sectis à sectarijs secundo baptismate, quod uocant, dum iurare docēt in Regulas Franciſci, Benedicti, & aliorum, quibus et signa imponūt agnitionis in ueste: nec alios gestare sinūt nisi suos cōsortes.

12 Non enim misit me Christus baptizare, sed euangelizare, nō in sapientia uerbi, ut non euacuetur crux Christi.

Minimum

Minimum est in baptismo quod confertur ab homine, cuius & non magnopere meminit. Solennia illa uerba quiuis proferre potest: uolētem ac promptum aqua tingere, tum procliue est tum tutum. Verum efficaci sermone, & spiritu zeloso, traducere à uitijs homínem, quibus diutissime iam quisquam asueuit, à patrijs institutis & ritibus transferre in longe diuersam religionem & uitam: id non sine magno capitis tui periculo fit. Id uero munus est apostolico uiro dignū, hinc erat iustior gloriandi causa, si fas est quicquam homini uendicare. Non quod improbetur baptismus, sed quod potiora præferantur, quæ potissimum Apostolo sunt delegata. Nec enim Christus ideo destinauit hanc Paulo delegationē ad gentes, ut minister esset baptismi, sed ut præconio suo nominis Christi gloriā illustraret apud omnes, & q̄plurimos per euangelicam doctrinam illi adiungeret. Non ut humano more quicquam inde glorietur, neq; enim id fieri uoluit, humanæ sapientiæ facundiæq; præsidijs, quibus nihil huiusmodi præstare poterat. Incompositoq; simplicíq; sermone rem tam arduam geri uoluit, ut tota laus facti deo trāscribatur. Cui placuit per contemptam & ignominiosam Christi crucem innouare mundū uniuersum. Videtur autem obiter Paulus taxare eos, qui sese apud Corinthios elegantia orationis uenditabant, cum ipse non tanta eloquentia euangelium prædicaret & pompa uerborū, sed neq; opus fuit. Imò contra, sermone simplici usus est, ne crux Christi euacuaretur, & ut spiritus dei in corde fidelium esset uiuacior.

Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est, ijs autem qui 15
salui fiunt, id est nobis, dei uirtus est.

Humilis & abiecta res uidetur Christi crux, sed hæc humilitas uincit omnem huius mundi celsitudinem. Stulta quidem & indocta res uidetur sermo rudis & inconditus, quo Christum prædicamus cruci affixum, & in cruce mortuum dei filium. Sed quibus tandem ita uidetur? Nimirum ijs, qui pristinis excæcati uitijs, carnis sensu abundantes, & quæ mundi sunt sapientes, non audiunt intus sermonem euangelicum, quod Christi morte uita contigerit ijs qui in mundo uiuunt credentibus, & ideo pereunt, eo reiecto, unde poterat salus obtingere. Cæterum ij qui salutem æternam hinc consequuntur, qui credunt euangelio salutis, de peccatorū remissione per Christi mortem obtenta, illi profecto sentiunt non esse rem imbecillam, sed omnibus humanæ sapientiæ præsidijs efficaciorem, ac prorsus à sapientia dei admirabili ac bonitate profectam esse. Tribuit autem euangelio tria nomina. Sermonem crucis uocat, eo quod carnem offendat. Stultitiam, quia contra sapientiam carnis. Potentiam dei, quia mundum uicit.

Scriptum est enim: Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam 14
prudentium reprobabo. Vbi sapiens? Vbi scriba? Vbi inquisitor huius
sæculi? Nónne stultam fecit deus sapientiam huius mundi?

Visum est sapientiæ dei, noua hac minimeq; uulgari ratione mundum uniuersum instaurare, quod olim se facturum per Isaiam prophetā promiserat, apud quem cap. 29. ita loquitur, ut comparet humanam sapientiam & prudentiam his quæ per insomnia uidentur dormiētibus, quod suo proposito pulchre aptat Paulus, dicens in euangelico negotio abnegandam esse, & euacuandā omnem mundi sapientiam: quandoquidem crucis mysterium perscrutari nequeant uel nosse. Tam abest ut quicquam hic promoueat, ut etiam reijciatur. Quid enim hic potest scriba sapiēs, aut sæculi inquisitor? De quo Isaias 33. Nihil plane. Nónne uidemus innouari mundum? nónne uidemus homines pristinæ religioni, pristinæq;

philosophiæ diffisos, Christi crucem amplecti? Nónne iam intelligunt impiũ esse quod antea pietas habebatur: & stultissimum esse, quod prius sapiens uidebatur? Vbi interim sapiens, legis scientia tumens? Vbi scriba, legis interpretatione superbus? Vbi philosophus, qui scrutat arcana naturæ, & opificis oblitus, res conditas admiratur? Magnum quiddam pollicebantur omnes, uerum & falsi sunt & fefellerunt. Iustitiam & felicitatem promittebant, infelices interim ipsi, & uitijs operti, passus est illos deus (sic merebatur illorum arrogantia) per cæcitatem ire præcipites in omne dedecoris genus, ut illos sibi ostenderet, ac resipiscentes tandem intelligerent, inanem esse sapientiæ professionem, & inefficacem. An non igitur deus, huius mundi sapientiam stultam esse declarauit?

15 Nam quia in dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam deum, placuit deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes.

Declarauerat iam antea deus suam sapientiam per hoc pulcherrimum spectaculum mũdi, summa ratione conditi, ut ex operis admiratione homines raperentur in admirationem opificis. At ea res ipsorum uitio cessit in diuersum. Res conditas admirati ueneratiq; sunt insipientes, facti authorem uelut incognitum contempserunt. Et ita uixerunt, quasi deus aut faueret uitijs, aut quod condidisset, non idem moderaretur. Proinde rem eandem diuersa uia aggressus est. Visum est ut quibus sapientia declarata per res cõditas, cessisset in deterius, hos restitueret per prędicationem rei, quæ mortalibus stulta & humilis uideretur. Vt qui philosophantes, muta saxa pro dijs colebant, iam credentes salutem ueram assequerentur per crucem Christi. Iamq; diffisi præsidijs humanę philosophiæ, per fidem diuinæ fiderent bonitati. Nec enim spes erat salutis, nisi fuisset intellectum, unde salutem sperare oportuisset, nempe à Christi passione & cruce, & quod deus dedisset filium suum unigenitum in mortem, ut credentes uiuamus per eum. Hoc enim est euangelium quod prædicauerũt apostoli, quod & stultitia uidetur omni carni, sed pereunti impio & incredulo homini.

16 Quoniam & Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt, nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalũ, gentibus autem stultitiam, ipsis autem uocatis Iudæis atq; Græcis, Christum dei uirtutem, & dei sapientiam.

Auferenda semel erat fiducia sui, non solum Iudæis, uerumetiam gentibus. Etenim ut Iudæi prodigia postulant, ac maiorũ suorũ miraculis sese iactitant: ita Græci sectantur eruditionem, ac philosophiæ cognitionem, ab hac sibi pollicentes felicitatem & gloriam. Vtroq; sua fefellit opinio: nam & Iudæi fiducia legis exciderunt à Christo, factis suis iustitiam quærentes, & sibi promittentes, cerem nijs institutis à deo si seruassent. Et philosophi sapientiæ persuasione sibi placẽtes & turgidi, non recipiunt humilem in speciem prędicationem crucis. At nos neq; Mosi cum deo colloquia, nec angelos hospitio receptos Abrahæ, nec Solem stare iussum, nec huiusmodi quicquam prædicamus, unde Iudæi cristas tollunt: neq; rursus orbium motus, aut syderum uires, aut fulminũ causas prædicamus, quarum rerum cognitio Græcis addit supercilium. Quid igitur? Rem prima fronte stultam & humilem prædicamus, uidelicet Christum crucifixum, cuius humilitas Iudæis ruinæ fuit occasio, qui Ionæ tamen prodigium admirãtur, Christi tanto maioris Iona facta calumniantur. Græcis uero, qui rationibus humanis inuestigant omnia, stultum uidetur uirginem cœlitus concepisse fœtum, sub homine latuisse deum, morte uitam esse restitutam, reuixisse qui semel esset mortuus. Ita

Christus

Christus utriſq; uidetur aſpernabilis, ſed his dūtaxat qui ſuis adhuc præſidijs male fidunt. Cæterum ij quos diuinus afflatus ad fidem uocauit, iamq; transformati ſunt per euangelij prædicationem, ſiue Iudæi ſiue Græci, ſentiūt humilem illum crucifixum, dei uirtutem eſſe, ac dei ſapientiam, ut iam nec prodigia deſiderent Iudæi, qui maiora reperiunt in Chriſto, nec ſapientiam Græci, ſemel reperto omnis ſapientiæ fonte Chriſto.

Quia quod ſtultum eſt dei, ſapientius eſt hominibus: & quod infirmum eſt dei, fortius eſt hominibus. 17

Vehementi comparatione amplificat diuinam ſapientiam, quaſi diceret, Minimum quod deus ſapientia ſua operatus eſt, quodq; noſtro iudicio ſtultiſſimum uideri poſſet, iuxta æſtimationem hominum ſtultam, id longo interuallo omnem mundi ſapientiam ſuperat. Deiecit enim ſe deus à ſua ſublimitate, ad noſtram humilitatem: deſcendit à ſua ſapientia, ad noſtram ſtultitiam: & tamen quod in illo ſtultum eſt uiſum, præcellit uniuerſam mundi ſapientiam: & quod in illo uiſum eſt imbecille, ualidius fuit omnibus humanis uiribus. Quid abiectius, q; inter maleficos ut maleficum tolli in crucem? Atqui hoc pacto mortem nulli nō inuictam ſolus deuicit. Quid ſimplicius aut popularius euāgelica doctrina? quam & Chriſtus populo propoſuit, & à populo intelligi potuit.

Videte enim uocationem ueſtram fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles. 18

Hæc ut uidetur dei ſtultitia, orbē uniuerſum mutauit & innouauit, quod antehac nulla philoſophorum profeſſio ualuit efficere, ne quid huius laudis humanis præſidijs aſcriberetur. Id erat futurum, ſi opum aut eruditionis adminiculis per potentes ac ſapiētiæ profeſſione celebres, res adminiſtrata fuiſſet. Nunc cum per idiotas & piſcatores expugnatum ſit humanæ ſapientiæ faſtigium, totius huius negotij gloriam intelligimus uni deberi deo, cuius occulta uis contrarijs rebus contraria præſtitit. Nec in Chriſto tantum aut apoſtolis locum habet quod dico, idem apparet in ueſtro grege, quos deus ad hanc gratiā uocauit. Videtis ipſi fratres, q; pauci ſint inter uos humana eruditione prædīti, q; non multi potentes, iuxta uulgarem æſtimationem, q; pauci maiorum imaginibus clari. Per humiles orta eſt euangelij gloria, per humiles dilatatur, ut uerſis rerum uicibus, humilitas expugnet altitudinem, ſimplicitas coarguat humanam aſtutiam.

Sed quæ ſtulta ſunt mundi elegit deus, ut confundat ſapientes: & infirma mundi elegit deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit deus: & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrueret, ut non glorietur omnis caro in conſpectu eius. 19

Quæ uero rudia & indocta uidentur apud mundanos homines, ea potiſſimū delegit deus, quo magis pudeat humanæ ſapientiæ profeſſores friuoli conatus. Quæq; iuxta uulgarem hominū æſtimationem uidētur imbecilla, ea potiſſimum elegit: quo magis irrideat iſtos, qui factionibus ac opibus aut tyranniде, aut alia quauis facultate ſibi potentes uidentur. Quæq; iuxta mundum humilia ſunt contemptaq;, imò quæ pro nihilo ducuntur, hæc præcipue delegit, ut antiquaret ea quæ plurimum habere momenti uidebantur. Ne quid haberet mortalitas aut ſenſus humanus, quo ſibi fidat apud iudicem deū, ſed in hoc fidat, ſi de ſeipſo humiliter ſentiat corā deo. Nam apud homines inanis eſt gloriatio, inter diuina autem & humana nulla prorſus eſt comparatio.

20 Ex ipso autem uos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio, ut quemadmodum scriptum est: Qui gloriatur, in domino glorietur.

Quamuis mundi iudicio uiles estis, minimiq; pretij, tamen dei patris beneficio ueram & summam dignitatem estis consequuti, qui uos asciuit in consortium filij sui, per quem alia ratione largitus est uobis omnia, quæ mundi celsitudo falso pollicebatur. Per hunc contigit salutaris & uera sapientia, ut philosophia non sit opus. Per hunc contigit innocentia, ut nihil iam sit quod Mosaicæ legis opem desideretis. Per hunc accessit uitæ sanctimonia, ne quis hanc suis ascribat meritis. Per hunc contigit libertas, ut cuius sanguine redempti sumus à uitiorum tyrannide. Breuiter, felicitatis summam uni Christo debemus & authori patri, quo plane fiat quod scripsit Ieremias cap. 9. Ne sibi placeat sapiens ob sapientiam suam, nec fidat potens uiribus suis, nec efferatur diues opum fiducia: nam hæc nõ præstant felicitatem. Verum si quis uelit uere gloriari, glorietur hoc nomine, quod deum agnouerit, omnium uerorum bonorum authorem ac fontem: ac ita glorietur, ne quam huius negotij portionem mundi præsidijs arroget.

CAPVT II.

1 ET ego cum uenissem ad uos fratres, ueni non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, annuncians uobis testimonium Christi.

Quemadmodum supra de cæteris loquutus est, ita & in præsenti capite de se loquitur. Viderint, inquit, quid uobis præstent, quos pudet humilitatis Christi, sed legis operum & opum sapientiæ quoq; titulo sese iactant, apud uos altiora loquentes q̃ ut à simplicioribus percipi possint ad nullam utilitatem, sed ad sui ostentationem: id quod agebant quidam falso nomine Apostoli. Certe nõ hac conditione uos ad Christum ego cõuerti. Etenim cum primum uenirem ad uos, arcanam & reconditam euangelij sapientiã uobis traditurus, non ueni admirandæ cuiuspiam eloquẽtiæ uiribus instructus, aut eximia quadam philosophiæ cognitione suspiciendus, quod hominum genus sciebam apud uos plurimi fieri. Quanquam enim harum rerum non eram omnino rudis, neglectis tamen his, solum testimonium dei uobis annunciaui, quod à deo mihi demãdatum erat, illud strenue & constanter exequebar. Quod deus ipse suo uerbo de se solus fert, deq; sua uoluntate, misericordia, & beneuolentia, de remissione quoq; peccatorum, & huius certitudinis nota id nominat testimonium dei, quod per euangeliũ prædicabat Paulus de Christo, pro salute mundi crucifixo.

2 Non enim iudicaui me scire aliquid inter uos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.

Non statui aliud me uelle scire aut docere, non quæ mũdo præclara uidebantur professus sum, sed tantum Iesum Christũ, & hunc crucifixum. Neq; gloriam, neq; lucrum apud uos uenatus sum, neq; me apud uos pro docto uenditaui. Ad hoc unum spectaui, ut uos Christũ Iesum filium dei agnosceretis, qui uestri causa factus est homo, proq; uestris peccatis maledictum factus & sacrificium, cruci affixus est, ut nos peccatorum uinculis alligatos eximeret. Christum autem prædicat, qui fidem in eius crucifixionis meritum docet, & simul quoq; mores uiuendi iuxta Christi exemplum, ne seruiatur peccato, quemadmodum eum decet qui accedit ad compagem corporis Christi, ut corpus quoq; nostrũ crucifigatur cum uitijs & concupiscentijs. Sicut autem prædicatio mea apud uos humilis fuit, sic & persona.

Et

Et ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud uos, & ser 3
mo meus, & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ
uerbis, sed in ostensione spiritus & uirtutis, ut fides uestra nõ sit in sapi-
entia hominum, sed in uirtute dei.

Quanquam humilis prædicatio de Christo crucifixo, efficax in uobis fuerit,
tamen hinc nihil mihi laudis arrogaui, sic uiuens apud uos, non ut potens quis-
piam, sed ut imbecillis ac tenuis, non ut regnũ affectans, sed ut insidijs impiorum
& periculis omnibus obnoxius. Potentium uires tolerantia uicimus. Porrò qua-
lis erat uitæ habitus, talis & oratio. Quemadmodũ illa nullis hominum præsidijs,
sed solius dei protectu munita erat aduersus improborum uiolentiam: ita sermo
meus nequaquam instructus erat rhetorum ornamentis, aut philosophorum ar-
gumentis, qui declararet quantũ ipse pollerem uel eloquentia uel eruditione, sed
tamen efficax fuit ad transfigurandos uos, non ostentatione doctrinæ, sed spiritu
& uirtute dei, qui afflatu & miraculis, nostro licet incondito sermoni uim adde-
bat, ne quis hoc quod à superioris uitę tenebris ad euangelij lucem estis translati,
re tam incredibili penitus persuasa, existimet uos humanæ doctrinæ aut eloquen
tiæ debere, quam nobis non uindicamus, sed potentiæ diuinæ, per quam sermo
noster efficacior fuit, q̃ philosophorum oratio, quamlibet arguta aut composita.
Discimus hic eos non recte ad scopum intendere, qui euangelium absq; timore
& periculis, sineq; uirtute & exemplo sanctitatis prædicant, qui cunctatores &
frigidi, omnia socorditer agunt, & uerbis effluendo tantum tractant. Spiritus ad-
sit & potentia, ut fidem, studium ac feruorem ostendãt uerbis & factis, parati ad
crucem quoq;, quando absq; cruce crux prædicari non possit mundo.

Sapientiam autem loquimur inter perfectos: sapientiam uero nõ hu- 4
ius sæculi, neq; principum huius sæculi, qui destruuntur, sed loquimur
dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est.

Qui stultitiam docere uidemur apud incredulos, & humano intellectu disten
tos, & sapiẽtiæ iactatores, dum Christi crucem prædicamus, ijdem nos apud eos
qui uerbo scripturæ plene credunt, & mysteria legis didicerunt, ueteribus tradi-
ta & prophetis indicata, eximiam quandã sapientiam prædicare uidemur. Omni
no enim apparet quosdam Iudæorũ, mysteria multa de Christi regno & gentium
conuersione didicisse à priscis illius gentis sanctis patribus, etiam per manus tra-
dita, quorum adhuc farragines inueniũtur in monumentis doctiorum, quæ sub
pedibus Gamalielis quoq; didicerat imperfectius. Perfecte autem spiritu sancto
illustratus, qualia apud gentis suæ doctiores proferebat, & in Christo ostendebat
impleta, & indies impleri. Ea sapientia longe diuersa erat ab ea quam mundi hu-
ius sapientes promittebant, qui mundi huius causas humanis rationibus frustra
scrutantur. Et quam uulgo iactitant summates tam gentium q̃ etiam synagogæ,
qui ueterem mysteriorum traditionem ob quæstuosam suam theologiam negle-
xerant iamdiu. Et senis Simeonis & Gamalielis traditiones ridebant incredul,
qa auari. Supererant tamen huiusmodi perfecti nõnulli, ut Apollo & similes, qui
mysteria prophetarum callebant clarius & legerant, quæ hodie quoq; extare pro
duntur, opera Pauli olim de Hæredia, Pici senioris, & Galetini. Harum itaq; tra-
ditionum sacrarum doctos putarim hic perfectos dici à Paulo, inter quos loqua-
tur sapientiam, non huius mundi, hoc est philosophicam. Neq; Rabinorum aut
Phariſæorum uel Sectariorum apud synagogam sapientiam, quam iactãt contra

euangelium. Quorum omnium authoritas, unà cum ipsa illorum sapientia per Christum abrogatur & antiquatur, & cum synagoga sepelitur, prodita tam illorum stultitia, q̃ sanctorum uera sapientia quam loquimur. Loquimur autem diuinam sapientiam de lege & prophetis, mysteria in Christo completa, sed à sectatoribus uanitatum huius mundi abscondita, quæ potens est & efficax uiribus ad parandum fideles, in uera sapientia consummandos.

5 Quam prædestinauit deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo principum huius sæculi cognouit. Si enim cognouissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent.

Sapientia illa quæ sanus est intellectus legis ac prophetarum, mysteriũ quoq; de Christo incarnando & mundũ saluaturo passione & morte sua, eam dominus prædestinauit & præordinauit ante omnia sæcula. Quin & ante quædam sæcula patriarchis & pphetis inspirauerat & reuelauerat, eis quos dignos habuit, à quibus peruenit fideli traditione tam sacrorum librorum, q̃ interpretum usq; ad sæculum Pauli, & adhuc durat, etiam in Iudæorum scriptis. Id autem cessit in gloriam non tantum Christi, sed & apostolorum & credentium, qui illa non tantum humana traditione, sed & ex spiritus sancti immissione sic didicerunt, & Christi domini familiari instructione, dũ interpretabatur scripturas apostolis seorsum, ut ea mundo quoq; protulerint & persuaserint credita, quãdo deus dignatus est huius arcani participes facere ecclesiam non tantũ Iudaicam, sed etiam gẽtium, & ad Christum conuersorum. Eam autem mysticam sapientiam in scripturis de Christo contentam, nemo Rabinorum et magistrorum magnorum in synagoga, nemo Scribarum & Pharisęorum, nemo principũ in illa synagoga, qui tunc principes erant sæculi illius, cognouit. Eorum nulli dominus reuelauit, & spiritus Christi, qui simplicibus tantum & puris animis delectatur, quales apostolorum erant & discipulorũ Christi. Alioqui si eam mysticam de Christo sapientiam cognouissent primates illius gentis & urbis, nunquam Christum dominum gloriæ abnegassent, minime crucifixissent. Sed & si cognouissent futurũ, ut quamlibet humilis aut stulta crux Christi suo fulgore mundi gloriam obfuscaret, & quamlibet imbecillis, mortis & peccati tyrannidem expugnaret, (Id uero erat mysterium absconditum mundo à sæculis) nunquã illum principem ac fontem omnis gloriæ cruci affixissent.

6 Sed sicut scriptum est: Quod oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit deus ijs qui diligunt illum.

Quamlibet eruditos in cognitione rerum uisibilium, quamlibet turgidos scientia legis, & traditionum pharisaicarũ, tamen huiusmodi arcanum mysterium dei in Christo illos fefellit, solis ijs communicandũ, quos animi modestia deo conciliasset. Id enim fore prædixerat Isaias, declarans hanc de qua loquimur sapientiam, secreto mentibus inspirari. Quæ, inquit cap. 64. nec cõspecta sunt unquam humanis oculis, nec humanis auribus audita, nec unquam cuiusquam hominis cogitatione concepta sunt, ea parauit deus ijs à quibus syncere diligitur, qui fide philosophantur, non ratiocinationibus. Qui uerbo dei humiliter se submittunt, & Christũ in scripturis sacris inquirunt, quem & inueniunt & agnoscunt, à quo & saluantur in præsenti sæculo & futuro.

7 Nobis autem reuelauit deus per spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda dei. Quis enim hominum scit quæ sunt homi-

nis,

nis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?

Mysteria Christi tantum spiritualibus nota, non meruerunt scire elati principes synagogæ, nec etiam tumidi gentilium philosophi. Nobis uelut amicis arcanum hoc patefecit deus, non per humanam doctrinam, sed per afflatū occultum sui spiritus. Is quoniam diuinus est, & à deo profectus, etiam abditissima retrusissimaq; dei secreta rimatur, quò non pertingit humana curiositas. Id uero probat à simili. Faciem hominum cuiuis promptum est cernere. Cæterum quid lateat in intimis animi recessibus nemo mortalium prospicit. Id solus nouit ipse spiritus, et animus humanus sibi conscius. Iam cum uos arcanum hoc dei consiliū, quo uos per filium suum à morte liberauit cognoscitis, à solo deo edocti sitis oportet. His uerbis probat fidem in deum per Christum, non esse hominis, sed solius dei, quasi diceret: Si id cognoscitis & creditis, hanc cognitionē & fidei huius reuelationem à deo accepistis. His autē uerbis Paulus occulte semper perstringit pseudapostolos, qui se uerborum lenocinio, & curiosis quæstionibus apud Corinthios uenditabant, ut dicat: Nihil horum apud uos egi, sed in humilitate ueni, & tamen uos interim potentes estis in fide & cognitione dei. Videtis ergo sola uirtute dei hoc factum. Illos uero pseudapostolos eloquētiæ suæ nitentes, nihil potuisse solidum & nouum afferre.

Ita & quæ dei sunt nemo cognouit, nisi spiritus dei. Nos autem non 8
spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex deo est, ut sciamus quæ à deo donata sunt nobis.

Rerum quidem conditarum cōtemplatio & inuestigatio complurium est, & eorum quoq; infidelium. Cæterum quę sunt abstrusa in mente consilioq; diuino, nemo nouit, nisi spiritus æternus, qui deo intimus est, & ob id illarum conscius omnium. Homo impartit homini cogitationes arcanas tacito susurrio. Deus impartit pijs suum consilium per spiritum, non hominis, qui præter humanas res nihil adferre potest, sed dei. Qualis est spiritus, talia docet. Habet & mundus hic spiritum suum, eo qui corripiuntur, mundana tum sapiunt tum amant. At nobis diuini spiritus afflatus cœlestia suggerit, ut intelligamus quantum bonorum deus nobis largitus sit per Christi crucem, nempe salutem mūdi, & cum patre cœlesti reconciliationem, & quæcunq; olim mundo promiserat per prophetas. Et inter Iudæos qui legem & prophetas in manibus habebant, pauci hoc mysterium intelligebant, quia spiritu huius mundi iam tum imbuti erant. Qui uero intelligebāt, spiritu dei docente hoc intelligebant, & hij semper anxie desiderabant Messiam.

Quæ & loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ uerbis, sed in do 9
ctrina spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes.

Hanc philosophiā cœlestem, quam ut à spiritu Christi hausimus, ita uicissim tradimus pijs ac simplicibus, non uerbis arte compositis, quemadmodum tradūt philosophiæ professores, id quod profitentur. Sed uerbis inconditis quidem, uerum spiritualem doctrinam tradentibus. Conuenit enim, ut quoniam magnopere diuersum est sapientiæ genus, diuersa sit & tradendi ratio. Humana quæ sunt, humano more traduntur. Quæ cœlestia ac spiritualia, nouo modo tradenda erāt. Nec id sanè quibuslibet, sed ijs duntaxat, qui hausto spiritu Christi, iam habiles sunt doctrinæ spirituali, quippe spirituales & ipsi. Auditor enim spiritualis, spirituali philosophiæ congruit, & is simplex & absq; simulatione: mysteria enim spiritus eis qui spiritu ducuntur ut intelligant, explicanda sunt.

10 Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt spiritus dei: stultitia enim est illi, & non potest intelligere quia spiritualiter examinatur.

Homo crassus & animalis, qui rerum uisibilium scientia tumet, & humanis affectibus ducitur, non recipit ea quæ sunt spiritus diuini, pro stultitia ducens ac derides quicquid ab ijs quæ sapit diuersum est. Non enim credit nisi quod uel experimento compertũ habet, uel humanis rationibus approbatum. Nec animaduertit, quod hæc philosophia quæ docet Christum è uirgine natũ, uerum deum fuisse, pariter & uerum hominem, moriẽdo deuicisse mortem, à morte reuixisse, idem præstaturum in membris suis quod in se præstitit, per afflictiones iter esse ad ueram felicitatem, per mortes peruenire ad immortalitatem. Hæc, inquam, omnia non comprehenduntur humana ratione, sed afflatu diuini spiritus. Ne mihi huc adferas ingenium uafrum & acutum, simplicem ac puram fidem adferas. Hoc organum idoneum est artificio spiritus, quod se totum illi præbeat fingendum formandumq;. Interim acutum ingenium, si uelit agat suum negotium, & non inueniet in uniuersa philosophia certi quippiam, sed meras opinantium uarietates & nugas, si fide & credulitate præcipientiũ authorũ fuerit destitutum.

11 Spiritualis autem iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur: sicut scriptum est, Quis enim cognouit sensum domini? aut quis instruxit eum?

Qui iuxta ingenium carnis & naturæ corruptæ uiuit, & mundo, is res spirituales, cœlestes & diuinas capere non potest: nec ut sunt iudicare, non magis quàm de saporibus, is qui febre infectam habet linguam. Nec enim uel iustitia uera uel peccatum cognoscitur, nisi spiritu retegente. Qui solus est arguens mundum de peccato, iustitia, & iudicio. Solus spiritus uerax est, proinde solus de peccato uere iudicat: negligit enim quæ mundi sunt & carnis, æterna sectatur & inquirit, interpretaturq; omnia ut sunt, & iudicat sacrosancta esse quæ uerbo dei docentur, etiamsi contraria uideantur & existant carni & sanguini. Vnde & cognoscit mysterium dei in Christo, qui per mortem filij introduxerit uitam mũdo, qui iustitiam homini impossibilem reddere posuit in hominem, non carne corrupta uiuentem, sed qui sit ipsa iustitia, æternitati unitum. Qui sic spiritualis est, & iudicat iuxta uerbum dei, de sapientia dei & salute iustorum, is non iudicatur, & non potest falsitatis argui uel iniustitiæ à quoquam. Sic de omnibus dei operibus tum iræ tum misericordiæ, aliter iudicat spiritus, aliter caro: maxime autẽ de mysterio Christi. Quæ enim à deo per Christum sunt acta, ex intimis diuinæ mentis arcanis cõsilijs gesta sunt & deprompta, non ex humanis ratiocinationibus comprehensa, sed propheticis tantum reuelationibus indicata per spiritum dei. Quis autem mortalis nouit consilium & institutum dei, nisi à deo reueletur? Quis hominum caducorum deo potest esse à cõsilio, tanquam arcanorũ diuinorum conscius? Noua ratione diuina mens uoluit asserere & saluare suos, qua falleret omnem hominis curiositatem.

12 Nos autem sensum Christi habemus.

Nobis reuelauit deus per spiritum suum, & per prophetas admonitos mysticas doctrinas, ut crediderimus euangelio, ut sciamus quanta sit dei misericordia erga nos, qui pro peccatis nostris Christũ tradidit, & peccatum peccato, hoc est, sacrificio pro totius mundi peccatis oblato expiauit. Cuius ut doctrinam agnouimus, etiam dei patris uolũtatem didicimus, eam scilicet qua fidei & operis nostri rationem & typum nobis in Christo proposuit. Fidei, ut peccati grauitatem cogitemus, pro quo filius dei mori debuit iudicio dei. Factorũ quoq;, ut Christi uestigia

gia imitantes, conemur domino complacere in mititate spiritus, & in humilitate extrema, in perpetua charitate. Hæc enim re uera sentiũt qui Christi habent sensum, qui mysterium & dispensationem incarnationis uerbi, & operum Christi, quæ uiuens gessit & moriens, euangelioq; suo docuit, plene agnouerunt, ut Paulus, & qui simili uel eodem spiritu imbuti sunt, ut Paulus.

CAPVT III.

ET ego fratres, nõ potui uobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. 1

Blande primum eos Paulus alloquitur, mox cum insigni manſuetudine uitia proponit, & emendanda desiderat. Cum, inquit, primum uos aditem, sermonem meum accommodaui uestro captui. Ideoq; non potui uobis summa tradere, tanquam iam plene spiritualibus, qualia uobis nunc quidã interim proponere uidentur, ut appretientur magis q̃ ego in uestra ecclesia. Deieci autem sermonem meum ad uestrã tunc imbecillitatem, apud rudes rudi sermone usus, crassis crassius loquutus sum, & uelut apud infantes balbutij. Habet enim sicut fides sic quoq; doctrina & sermo profectus suos. Quanquã igitur Christi sensum haberem, sciremq; mysteria Christi omnia ex scripturis, non tamen totum uobis meum spiritum effundere potui, quãdo capere non poteratis, necq; mysteria Christi eximia, & omnia è scripturis explicanda intellexissetis, quandoquidem adhuc carnaliter uiuebatis, feci uobiscum quod potui, non quod uolui.

TAnquam paruulis in Christo, lac uobis potũ dedi, non escam, non- 2
dum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis, adhuc enim carnales estis.

Cum adhuc uos infantes uiderem in philosophia Christi, doctrinæ crassioris ceu lacte uos alui, non solido cibo doctrinæ perfectioris: non quod nos nõ potuerimus uobis tradere maiora, sed quod uos ob carnalem affectum, ac pristinæ uitæ caliginem nondum essetis capaciores altioris doctrinæ. Sic enim agendũ cum paruulis, ut quæ captui conueniunt, à præceptoribus fidis tradant̃: non ad ostentationem docentis, sed ad profectum discentis. Quamuis autẽ paruuli non essent sensu, & eruditione humana, in Christo tamen paruuli erãt, nondum initiati mysterijs scripturarum, quæ de Christo prostabãt, & non nisi à paucissimis tenebantur. Simplicia ergo capere potuerũt, & simplicibus apta dogmata, quæ lactis pabulo significantur, non solidam escam uirilis ætatis, & potiora mysteria dei in scripturis contenta. Quandoquidem carnali adhuc sensu detenti, spiritualia capere ægre tunc poterãt, & nec nunc quoq; possunt, dum nimium carnaliter sentiunt & dissentiunt.

Cum enim sit inter uos zelus & contentio, nónne carnales estis, & se- 3
cundum hominem ambulatis?

Sunt nunc quoq; inter uos, qui licet per baptismũ Christo nomina dederint, tamen nondum exuerunt affectus humanos. Qui tales sunt, hactenus certe carnales sunt, nõ spirituales. Quid uerbis opus? Aut cur id uerear de uobis pronunciare, cum ipsa res clamitet? Ex effectu uis rei cognoscitur. Cum Christi spiritus gignat concordiam: contrà, liuor, contentiones & dissidia, non nisi ex humanis affectibus oriãtur, nónne hæc inter uos comperta, coarguunt uos adhuc affines, crassis & humanis affectibus? Vnde alioqui uoces istæ inter uos audiuntur, quæ dissidium sonant, nisi à mente corrupta? Dum sese quiq; alijs præferunt, uel ut al-

tius & perfectius eruditos, uel à celebrioribus magistris, & primoribus Christi discipulis. Quemadmodum nunquam ecclesias molestare cessauit magistrorum fastuosa nomenclatura, qua quidam huius, alij alterius præceptoris nomine gaudent appellari, quasi non sit magis curandum, quas quis doctrinas assequatur, quàm à quibus.

4 Cum enim quis dicat, Ego quidem sum Pauli: alius autem, Ego Apollo, nónne homines estis? Quid igitur est Apollo? Quid uero Paulus? Ministri eius cui credidistis, & unicuiq; sicut dominus dedit.

Cum author ac princeps communis sit omnium Christus, tamen alius apud uos dicit, Ego sum Paulinus, dogmatis & fide Pauli imbutus, sectatorq; disciplinæ illius. Rursum alius uobiscum dicit, Ego sum Apollonius, à quo sum institutus in fide & ueritate. Nam his titulis inter se decertant, humanæ quoq; philosophiæ discipuli. Ego sum, inquiunt, Aristotelicus, Ego Platonicus, Ego Stoicus, Ego Epicureus. Non quod ex meo aut Apollonis nomine huiusmodi quicquam sit natum, sed his nominibus abuti uolui, quo rei indignitatem euidentius perspiciatis. Etenim si indignum est, ut gloria & authoritas quæ Christo debetur, transferatur in homines, qui ueri sumus apostoli, neq; quicquam uobis tradidimus, nisi quod hauserimus è spiritu Christi, quis ferat si ascitis hominũ qualiumcunq;, fortassis pseudapostolorum cognominibus, salutis & religionis authoritatem uni Christo debitam homunculis tribuatis? Quemadmodum superioribus quoq; & nostris sæculis, eis qui commẽti sunt aliquod uitæ genus, sectatores illi co ipsorũ cognomentis illorum elati, fœdũ susceperunt certamen inter se, ut obliterato ferè Christi nomine, homines fecerint ueræ religionis authores, cuius unicus author est Christus. Quid ẽm supereſt, nisi ut quemadmodũ factitijs cognominibus, ita cultu & moribus dissidium animorũ declararint? Quasi parum gloriosum sit, dici Christianos. An pudet huius cognominis? An non satis est hunc uitæ innocentia profiteri? Quales autem sint illi nondum eloquor, sint Apollo, sint Pauli, ut summates apostoli sint, quid aliud sunt q̃ ministri Christi, cui creditis? Authores non sunt, & negotium alienũ administrant suo periculo. Atq; hanc ipsam administrandi facultatem Christo debent. Hoc authore communi, alij alijs partibus funguntur, ut cuiq; delegatum est à deo, sic agunt, non aliter uel aliud possunt. Dat autem dominus illis, non ut sua ipsorum uirtute quicquam agant, aut etiam loquantur, sed in illis ueluti instrumẽtis dominus loquitur, & agit uirtutes & munera sua, cui & accepta soli referri debent omnia bona & dona.

5 Ego plantaui, Apollo rigauit, sed deus incrementum dedit. Itaq; neque qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat deus.

Primam ego conseui plantulam, iactis uidelicet euangelicæ doctrinæ fundamentis. Nemo enim ante me Corinthijs prædicauit Christum. Apollo rigauit, pijsq; monitis suis fouit, quod à nobis est cœptum. Cæterum quod adolescit arbuscula, quod aucta diuitem fœtuum prouentum effundit, id deo tribuendum est, non nobis. Siquidem frustra laboret qui plantat, frustra qui rigat, nisi cœlum afflet uim suam occultam, sed hoc magis efficacem. Quæ si destituat agricolã, neq; qui plantat quicquã agit, neq; qui rigat. Sin fauerit, totus prouentus cœlo deoq; debetur. De quo quoq; D. Augustinus, Homo exterius ministrat, quasi seruus, non ut aliquid de eo speretur. Deus incrementum dat, qui iustificãdo informat, & rigando fœcundat: homo loquitur, deus docet intus. Vnde dicitur: Beatus quem tu erudieris domine, Qui plantat, & qui rigat, foris operatur: qui dat incrementum,

mentum, intus opitulatur. Si non dant sancti incrementum, impendunt tamen adiumentum, sed non de suo, quia inquit, Sine me nihil potestis facere. Igitur fides rigando est nutrienda, hoc igitur loquendo agitur, docendo, suadendo, Christus interius docet inspirando. Illa inspiratio unctio est, sine qua sermo hominis perstrepit inaniter. Creator qui redemit, & ad fidem uocat, intus suadendo loquitur, quibus uult. Cum uerbum dei auribus insonat, miscetur potentia dei cum sono uocis, ut qui incitat prædicantem, confirmet auditorem: uocem format homo exterius, sed deus imprimit intus, & ei obedit, quem gratia præuenit, quia deus operatur uelle & perficere. Hæc ex Augustino, Glossa ordinaria, contra nimium deferentes uirtuti ministrorum ecclesiasticorum nostris etiam temporibus.

Qui autem plantat, & qui rigat, unum sunt. Vnusquisq; autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Dei enim sumus adiutores, dei agricultura estis, dei ædificatio estis. 6

Ministrorum unus altero non sit superior, ambo enim nihil sunt, nisi ministri unius domini. Ad unum quoq; omnes tendere uelint, ad gloriam unius Christi. Ad hoc unum omnes spectant apostoli, ut multos Christo adducãt. Ad eandem laudem pari conditione attinent omnes. Alienum enim non suum agunt negotium, accepturi præmium officij sui, non ex hominibus, sed à deo cui inseruiunt. Apostoli uero uelut operarij conducti in dei opere laborant sedulo, ecclesiæ fideles fundus sunt diuini seminis, quẽ Christo colũt apostoli, non sibi. A quo & mercedem ut ministri accipient, non laboris sui fructum sibi usurpabunt, sed domino acceptũ referent. Officij ipsorum est laborare uerbo, opere, solicitudine, diligentia, iuxta spiritum à deo acceptum, sibi autem nihil tribuere, præter id unum, ut agnoscant seruos se dei esse, nimium inutiles, qui nondum impleuerint mensuram gratiæ susceptæ, & præcepti iniuncti sibi à domino. Nec eget dominus adiutorio nostro, sed spirituali quadam gratia sua, quod fieri uoluit, instrumẽti ueluti loco, opera quoq; nostra utitur, etiam in opere sancto, sed nõnunquam ministro indigno, ne quis ministrorum glorietur. Talis agricultura Corinthiorum ecclesiæ commendata quidem primum est Paulo, quam & est strenue prosequutus, ab exordio solida fundamẽta supponens. Viderint reliqui successores, quale superposuerint ædificium.

Secundum gratiam dei quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui, alius autem superædificat. Vnusquisq; autem uideat quomodo superædificet. 7

Ab architectonica ad doctrinam ecclesiasticã pulcherrime ludit Apostolus, opus suum, id est ædificium libere commendans, spirituale & ecclesiasticum, taxans interim succedentium doctorum & pseudapostolorum impostu ram. Nos, inquit, obligamur deo nostram operam, iuxta gratiam dei quam nobis largitus est, quotquot sumus ministri euangelij Christi. Dispiciat quisq;, quã domino præstet operam. Si fidelem & synceram, accepturus est honestum præmium: sin secus, aut luserit operam, aut mercedem se dignã retulerit. Ego, ut exempli gratia sic loquar, ut doctus architectus ieci fundamentum ædificio, non meis uiribus, sed eius ope & opera qui delegerat ad hoc officij. Alius atq; alius fundamentis per me iactis superstruit, sed etiam atq; etiam uideat eorũ quisq; quid superstruat: nam fundamentum quod à me positum est, mutari non potest.

Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod po- 8

situm est, quod est Christus Iesus.

Quod ad fundamentum attinet, quod ego solidum posui, non dissident à me, quod credo, apostoli uestri. Nam aliud (quod scio) ponere nō possunt, præter hoc quod à me positum est, nempe Christum in lege promissum, non tantum Iudæis, sed omnibus quoq; gentibus saluatorem istis nunc temporibus exhibitū, qui tollat innocētia, iustitia, & pœna sua omnia mundi peccata. Qui liberauit à maledicto, non tantum legis, sed Adæ & Euæ primorum hominum, quo ad reatum culpæ, non quo ad restitutionem naturæ. Id uero omnibus contingit fide per illum omnipotenti adhærentibus. Illa autem fides, si legitima sit & uera, non est otiosa, sed per dilectionem operatur opera dei, non hominum uel hypocritarum. Huius
8 ædificij fundamentum est Christus, qui suapte uirtute & stabilitate subsistit, & infallibili ueritate. Si quid ab apostolis adiectum est, non aliunde illis desumptum est, q̄ à Christo domino, & eius spiritu diuino. Ne quis apostolos quoq; aliter fundamenta ecclesiæ fabuletur, quàm ut primitiui euangelij Christi præcones.

9 Si quis autem superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscuiusq; opus manifestum erit. Dies enim domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & uniuscuiusq; opus quale sit, ignis probabit.

Succedant nobis quocunq; nomine prædicatores, nisi Christum Iesum prædicant, & eum crucifixum, audiendi non sunt. Quod si fundamentum probant, superest, ut structuram inducant tali fundamento dignam. Cœleste ac spirituale fundamentum est, non cōuenit huic structura carnalis, ac doctrinæ terrenæ. Vt hominum iudicium fallat, inanis ac fucata structura, dei iudicium non effugiet. Huic igitur fundamento, si quis superstruat eximia solidaq;, uelut aurum, argentum, lapides pretiosos: aut cōtrà, si quis addat friuola uiliaq;, ueluti ligna, fœnum ac stipulam, euentus ipse declarabit, quam quisq; operam commodarit. Dici hæc possunt crassius, quo magis intelligantur: Christum Paulus scopum proposuit. Si quis huius exemplo in ecclesia doceat innocenter uiuendū, bene merendum, etiam de inimicis, non fidendum opibus, aspernandos honores huius sæculi, fœdas uoluptates ut pestem execrandas, omnia ad Christi gloriam referre, præter immortalitatem nullum sperare præmium recte factorum, mortem etiam optandam, si pro Christo sit obeunda, is structuram addit Christo fundamēto dignam. Sin humanas addit constitutiunculas, de cultu, de uictu, de frigidis ceremonijs, deq; similibus rebus quas homines comminisci solent, non in rem Christi, sed in suamipsorum gloriam, aut etiam in quæstum, ut orsi à tam nobili fundamento degenerēt in superstitiosos, iam lignum, fœnum ac stipulam induxit. Sed uniuscuiusq; opus, cum propius admotum fuerit ad lucem ueritatis, & regulam euangelicam, palàm arguetur quale sit in die domini, hoc est in diuino iudicio, uel iustissima ultione, quādo Christus est cum uindicta & animaduersione uenturus.

10 Si cuius opus manserit quod superædificauit, mercedem accipiet: si cuius opus arserit, detrimentum patietur. Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.

Si doctrina quæ accessit fundamento euangelico, reddat inuictos ad omnes humanos affectus, palàm est efficacē esse. Sin reddit imbecilles ad ferenda incommoda, si irritabiles, si morosos, si contentiosos, si obtrectatores, si fucatos, hic satis
8 liquet adulterinam fuisse doctrinam. Quibus dies dictus est, apud iudicem hominem,

nem, frequenter elabuntur. Sed exacta sunt dei iudicia, perinde quasi rem explo
res igni. Rebus tranquillis fortasse non apparet inutilis substructio. Cæterum si-
mulatq; ingruerint persecutionum procellæ, aut irritamenta cupiditatum, tum
labascentes, re declarant ex ceremonijs aut humanis dogmatis, non hauriri spíri-
tum, quo qui præditi sunt, hæc omnia pro Christo cum gaudio tolerant. Hic est
ignis, qui cuiusq; opus quale sit probaturus est. Proinde si in hoc incendio perdu
rarit, quod hic aut ille superstruxit, nihil hinc laudis sibi uindicabit apud homí-
nes, sed à deo, cui laborauit mercedem deportabit: sin exustum fuerit huius aut il
lius opus, operarius operæ suæ iacturam fecerit, præmioq; frustrabitur, etiam si
ipse fuerit incolumis, sed sicuti, qui ex incendio nudi subduxerunt sese, neq; quic-
quam supereſt, nisi ut nouis impendijs superstruat quod fundamẽto respondeat.
Primum & optimum erat ijs, qui Christo fuissent initiati, nihil tradere, nisi Chri-
sto dignum. Id si factum non est, utriusq; conduplicatus est labor, & his qui docue
runt dedocenda, & his qui didicerunt dediscenda. Spes tamen est salutis, quan-
diu manserit fundamentum Christus. Quid conuenit turpi uitæ cum ista profes-
sione? Quid frigidis ceremonijs cum ignea Christi charitate? His rebus qui uos
sua doctrina inficiunt, dignas deo pœnas dabunt.

Nescitis quia templũ dei estis, & spiritus dei habitat in uobis? Si quis 11
autem templum dei uiolauerit, disperdet illum deus. Templum enim dei
sanctum est, quod estis uos.

An non meministis uos esse templum deo consecratum, quod diuinus ille spí
ritus inhabitator sanctificat? Quod si afficitur supplicio, qui templum ab homine
dicatum prophanat, an non hunc perditurus est deus, qui suum templũ conspur
carit? Cum deus spiritu suo templum hoc semel purum sanctumq; reddiderit, ad
nitendum, ut à nobis purum sanctumq; seruetur. Innocentia ac moribus Christo
dignis seruatur, ambitione, libidine, dissidio, & his similibus affectibus ac morbis
prophanatur conspurcaturq;. Vos igitur cum sitis templum dei, è uiuis saxis con
structum, in deum impius est, qui mores aut affectus, aut doctrinam Christo in-
dignam in cœtum uestrum inuehit. Est autem plurimum delectatus Apostolus,
figura sumpta à templo dei, qua frequenter utitur, quandoquidem templum dei,
tabernaculum dei, sanctum dei, & huiusmodi uoces nunquã sine magna empha-
si ponuntur, & significant omnia illa fieri in spiritu, quæ fiebant in templo corpo
raliter, quod significabat fidelibus præsentiam dei, & gubernationem gratiosam,
qua prosequebatur deus electum suum populũ, iuxta illud Ezechielis 37. Et erit
tabernaculum meum in eis, & ero eis deus, & ipsi erunt mihi populus.

Nemo se seducat. Si quis uidetur inter uos sapiens esse in hoc sæcu- 12
lo, stultus fiat, ut sit sapiens.

Neminem fallit Christus si quis huic innitatur. At uideat quisq;, ne præsidijs
humanis male fretus, fallat seipsum. Nihil est quod felicitatem uestram à philoso-
phiæ aut legis præsidijs expectetis. Neq; quisquam hoc sese cæteris anteponat, q
humana doctrina polleat. Imò qui sibi uidetur esse sapiens, iuxta mundanã æsti-
mationem, sapienter stulteſcat, ut uere fiat sapiens. Desinat esse stultæ sapientiæ
turgidus professor, & idoneus erit, qui sit sapientissimæ stultitiæ discipulus. Ete-
nim ut opes huius mundi non reddunt uere diuitem, ut honores mundi non effi
ciunt uere clarũ, ut uoluptates mundi non faciunt uere felicem: ita sapiẽtia mun-
di huius nõ reddit uere sapientem apud deum, cuius iudicium nemo fallit, etiam
si apud homines sapientiæ magnificum titulum sibi uindicet.

13 Sapientia enim huius mundi, ſtultitia eſt apud deum. Scriptum eſt enim: Comprehendam ſapientes in aſtutia eorum. Et iterum: Dominus nouit cogitationes ſapientium, quoniam uanæ ſunt.

Abuſiue ponitur hic ſapientia, ut ſæpius aliâs, pro aſtutia. Maxima eſt autem temeritas & ſtultitia hominum, uolentium metiri intellectu ſuo diuina, excedentia omniquaq; captum humanum, non ſecus atque Solis iubar & ſplendor nocturnæ oculos offendit & opprimit: ideoq; irridet deus ſapientiã huius mundi, dum eam declarat adeo non eſſe ſalutiferam, ut officiat etiam ad ſalutem parandam, & ſtultos reddat, dum elatos ac feroces, & ob hoc indociles reddit. Prædictũ eſt autem hoc iam olim in libro qui de patientia & iudicio Iob conſcriptus eſt, cum ait de deo loquens: Qui comprehendit ſapientes per ſuam ipſorum aſtutiam. Cuius expoſitionem quære cap. 5. libri Iob. Ac rurſus: Dominus nouit cogitationes hominũ, qui ſibi ſapientes uidentur, quod uanæ ſint, & inefficaces ad præſtandum quod pollicentur. Quære Pſal. 94.

14 Nemo itaq; glorietur in hominibus: omnia enim ueſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cephas, ſiue mundus, ſiue uita, ſiue mors, ſiue præſentia, ſiue futura. Omnia enim ueſtra ſunt, uos autem Chriſti, Chriſtus autem dei.

Cum hoc ſalutis noſtræ negotium totum diuinum ſit, non eſt quod homines ſibi quicquam hinc uindicent, nec eſt cur illam gloriæ portionem homini ueluti authori tribuatur, cum tota debeatur deo. Iam cum unum ſitis corpus, mutua charitate compactum, nõ eſt quod aliud alius ſibi peculiariter uindicet, cum in commune ſint ueſtra omnia. Siue quid ualet aut poteſt Paulus, aut Apolles, aut Petrus, beneficio dei in ueſtrum commodum ex æquo ualent, & uobis ad ſalutem prodeſſe debent. Siue quid obſtrepit mundus, in ueſtrum id cedit bonum: bonis enim oñia cooperant in bonũ. Siue nobis obtingit uita, uobis doctrina cõfirmandis uiuimus: ſiue mors ingeritur, uobis exemplo roborandis morimur: ſiue occurrunt præſentia, neglectim utendum eſt momentarijs: ſiue futura bona, ad hæc uobis magno animo connitendum; quæ licet non cernatis oculis corporis, tamen oculis fidei cernitis. Faceſſant igitur partium ac factionum uocabula, cum per unicum authorem omnia ex æquo ueſtra ſint, etiamſi ipſi ueſtri non eſtis, ut ius ueſtri in hominem traducatis, ſed Ieſu Chriſti cui uos pariter ac uos ipſos debetis. Porrò Chriſtum deo debetis omnium ſummo authori, filium patri, qui per illum omnia uobis largiri uoluit. Non ſunt ergo miſſi apoſtoli, ut uos eorum ſitis, ſed ut ipſi ueſtri ſint, hoc eſt miniſtri ſalutis ueſtræ ad gloriam dei, quorum opera ad Chriſtum duceremini, in cuius ſolo nomine gloriandũ. Porrò Chriſtus dei eſt: ſi ergo uos Chriſti eſtis, & dei eritis perpetuò per Chriſtum.

CAPVT IIII.

1 Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpẽſatores myſteriorum dei. Hic iam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inueniatur.

Qui uere gloriari uult, in Chriſti tantũ nomine glorietur, non in nomine hominum quorumcunq;, uolumus quoq; & nos non æſtimari ab hominibus, quaſi authores & domini, ſed ut æſtimari par eſt, qui ceu miniſtri Chriſti negotiũ agũt, quiq; rem ab alio creditam diſpenſant, myſteria non hominum, ſed dei. Cum igitur in confeſſo ſit, quod omnes quales quales ſunt rem adminiſtrent, ſummã quidem

dem, sed alienam, quod ad horum æstimationem attinet, nihil aliud interim spectetur in his, nisi ut quod à deo creditum est, bona fide dispenset aliquis, non aliò spectans, q̄ ad Christi gloriam. Qui pro diuinis humana docent, qui uestra obedientia ad quæstum ac fastum abutuntur, qui sub euangelij prætextu rem suam agunt, qui sub umbra gloriæ Christi tyrannidem affectant, malæ fidei dispensatores sunt: & quamuis imponant humano iudicio, deum non fallunt, cui probari summum est.

Mihi autē pro minimo est, ut à uobis iudicer, aut ab humano die, sed 2
neq; meipsum iudico. Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: qui autem iudicat me, dominus est.

Obijcere poterant Corinthij, Quis nos certos reddet an & tu fidus sis? Apostoli nostri dicunt se non minus fidos esse q̄ tu sis. Ad hæc respondet, Nihil moror uestrum iudicium, ô Corinthij, si uestro tantū iudicio prober aut improber, imò si quocunq; iudicio humano. Tantum enim abest, ut homines de hominis conscientia recte iudicare possint, ut nec de meipso ausim pronunciare, an laudem merear apud deum, nec ne. Ipse siquidem pro uiribus adnisus sum, ut officio delegato satisfacerem, iuxta gratiam spiritus donatam à domino, nec ullius fraudis mihi sum conscius. At non hinc ausim mihi uendicare iustitiæ laudem: siquidem fieri potest, ut imprudēs siue excedens, siue deficiens fecerim aliquid secus q̄ oportuit: id cum soli deo sit cognitum, hunc unum habeo iudicem officij mei. Huic igitur, cuius oculis perspicua sunt omnia, iudicium omne de occultis deferamus, pronunciaturo de singulis, cum ipsi tempestiuum uidebitur, interim rem uobis inexpertam & indiscussam, nolite iudicare. Per diem humanum iudicium hominum intelligit.

Itaq; nolite ante tempus iudicare, quoadusq; ueniat dominus, qui & 3
illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuiq; à deo.

Vobis itaq; cauendum est, ne cum serui sitis Christi, sententiam domini anticipetis, iudicātes ante tempus. Nec enim tempus est de his pronunciandi, donec aduenerit dominus iudicaturus & cœlestia, & terrestria, & subterranea. Is tum in lucem proferet, quicquid nunc in tenebris abditum est, & oculis omnium conspicuum reddet, quod nunc in sinuosis humani cordis recessibus occultatum, fallit hominum conscientias. Tunc ab eo cuius certa sunt iudicia pro meritis contingent præmia. Qui syncere functus erit officio, laudem æternam feret à deo, etiam si parum commendatus fuit hominibus: qui secus, pudefiet, & pœnas dabit condemnante deo, quamlibet apud homines in pretio habitus. Potest tamen & ad omnē diem domini referri, dum uisitat dominus, & punit sceleratos in hoc quoq; sæculo, protrahens plerunq; in lucem omnem perfidiam & impietatem, quamlibet cæletur ab impijs. Quo minus temere iudicemus minus perspecta aut dubia, uel improborum uicti malitia per impatiētiam deficiamus. Longanimitate opus est & patientia his qui Christum sequuntur, ut in finem usq; durātes, saluentur.

Hæc autem fratres transfiguraui in me & Apollo propter uos, ut in 4
nobis discatis, ne supra quàm scriptum est, unus aduersus alterum infletur pro alio.

Ne quid erretis, hactenus sermonem in me atq; Apollo transtuli, non quod nos sumus huiusmodi factionum occasio: nam neq; nos uindicamus nobis quic-

quam, neq; quisquã apud uos se Paulinum aut Apollonium iactat, sed intelligẽs inter uos esse uaria partium studia, ne quem irritarem, malui rem fictis nominibus proponere, ut lecta in commune Epistola, se quisq; tacitus agnoscat. Idq; uestra causa factũ est, ut nostris nominibus res odiosa tractaretur, quo citra ullũ tumultum disceretis, q̃ indecore gloriantur quidam pseudapostolorum cognominibus, alios præ se despicientes, impieq; tribuentes hominibus, quod est dei: nec ob aliud attollentes sui quisq; Apostoli dignitatem, nisi ut ipsi interim præstantiores habeantur: non minus stulte de se iudicantes, q̃ de illis iudicant, quorum titulis efferuntur. Forsitan ferri poterant hæc, si stulta tantũ essent, nunc, cum hinc pernicioſa nascantur dissidia, nõ potest dissimulari. Neq; enim plus tribuendum est uiris apostolicis, quàm, ut modo dixi, alienæ rei dispensatoribus tribuere par est. Neq; cuiquam huius aut illius nomine gloriandum, cum hoc ipsum etiam quod per illos adfertur, deo debeatur. Hæc cum mecum perpendo, nõ possum non admirari unde inter uos ambitio fœdissima uel apostolorũ, stulte sibi uendicantium quod est Christi uel discipulorum, qui malunt de homine ministro, q̃ de authore deo gloriari.

5 Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?

Appello te quisquis es, qui ob fucatam gloriam eius, à quo baptismum remfacilem accepisti, tibi uel places uel displices. Quis est istius discriminis author, ut hic minus, ille plus accepisse uideatur? Si quis in aureo uel gemmeo labro baptizetur, satrapis susceptoribus, idq; per Apostolum, aut si hoc parum est, per summum apostolum, qui toto strepitu regum opulentiam superet: quis ausit pronunciare huic plus esse collatũ, q̃ si per Petri piscatoris, aut meum coriarij ministrum aliquẽ in alueo siculneo baptizatus esset? Rursus appello te quisquis es, qui stultissimum hunc errorem inseris in animos simplicium, aut certe aboteris errore, quem castigatum oportuit, quid tandem est istud, unde tollis cristas? Tua tradis, an aliena? Si tua, teipsum prædicas, non Iesum Christũ: sin aliena, qua fronte uindicas tibi à deo acceptum, quasi à te profectum esset? Si credis tuum esse, quod diuini muneris est, quid te cæcius? Si intelligis, & tamen hinc te iactas ac uenditas, perinde quasi tuum esset, quid te impudentius? Tanto autem humilior esse deberes, & ad seruiendum deo promptior, ex tanto percepto dei munere, quanto obligatiorem te esse conspicis in reddenda ratione.

6 Iam saturati estis, iam diuites facti estis, sine nobis regnatis, & utinam regnetis, ut & nos uobiscum regnemus.

Ab humili fundamento quod nos fideliter & syncere posuimus uobiscũ, quo magnitudinis uenistis, ô Corinthij? Nos famelici, tenues & egentes apud uos, adeo ut corijs consuendis nobis diurnum uictum parauerimus, nos humiles & indignis modis afflicti, Christum uobis pure prædicauimus. Nunc eò uenistis, ut nobis fastiditis per alios apostolos, & saturitate tam sitis feroces, & opulentia turgidi, & regno seditiosi? Et tantam rerum amplitudinem possidetis, nobis qui dissimillimam istius negotij portionem exhausimus à principio, nunc tandem ueluti seclusis? An magnum aliquid assecuti sitis, uos uiderimus. Optarim certe uos uere regnũ Christo dignũ adeptos esse. Ingereremus nosmet in aliquã portionẽ istius regni, ut qui rudimẽta iecerimus, simulq; uobiscũ regnaremus. Nec em̃ arbitror uos usq; adeo futuros inciuiles, ut à quibus felicitatis uestrę nata fuissent exordia, hos prorsus à consortio felicitatis excluderetis. Nisi prorsus hac infelicitate nati

sumus,

sumus, ut cum alij doctrina non syncera tantam gloriam sibi comparent, nos
præter contemptum, famem, infamiam, carcerem, plagas, capitis discrimina, ni-
hil præmij reportemus.

Puto enim quod deus nos apostolos nouissimos ostendit, tanquam 7
morti destinatos, quia spectaculum facti sumus mundo, & angelis, & ho
minibus.

Si præmijs humanis pensandum erat officium apostolicum, arbitror præci-
pua deberi nobis, qui tãtis periculis Christum primi uobis inseuimus. At si recte
regnant apud uos, qui optimo fundamento per nos iacto qualiacunq; superstru-
xerint, opinor irato deo, nos solos infelices esse. Illis opes & sapientiæ titulus au-
thoritatem ac tyrannidem apud uos conciliat, nos opinor omnium postremos,
Christus ad apostolicum munus acciuit, ut supplicijs ac mortibus obijceret, simi
les ijs, qui ob maleficia sua bestijs obijciuntur, quo plebi spectaculo sint. In quod
prætorium non sumus pertracti? Quis est carcer non cõscius afflictionis nostræ?
Quod forum est, in quo nõ simus publico ludibrio affecti, adeo ut spectaculo fue
rimus, non solum huic mundo, qui Christum damnat; nõ solum hominibus, qui
terrena sapiunt: uerumetiam ipsis dæmonibus, qui nostris malis oblectantur.

Nos stulti propter Christum, uos autem prudentes in Christo: nos 8
infirmi, uos autem fortes: uos nobiles, nos autem ignobiles.

O rerum uices in diuersum uersas. Nos ceu stulti despicimur ob Christum,
quod hunc crucifixum & humilem prædicauerimus, uos ut sapientes sustulistis
animos fiducia Christi. Nos ut imbecilles deiecimus nos ob Christi gloriam, uos
ut potentes insolescitis. Nos contempti & obscuri, uos insignes & clari. Ad nos
præter laborem & molestiam nihil redijt, totus fructus penes uos est. Quanto di-
ligentius ueritatem prædicauimus, tanto mundi gratiam magis amisimus.

Vsq; in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & cola- 9
phis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus
nostris.

Quid nobis accessit præmij pro tot periculis ac malis? Ad hũc usq; diem adeo
non regnamus, sicut quidam apostolorum nomine sese uenditantes, ut sæpe desit
quod edamus, sæpe quod bibamus, sæpe quo uestiamur: tantum abest, ut opes
collegerimus ex euangelio. Quin & colaphis subinde cædimur, tantum abest ut
honorem lucrifecerimus. Adhuc incertis uagamur sedibus, quod quidem extre
mæ tenuitatis est, nec ædiculas esse proprias, in quibus hoc cõmodius feras pau-
periem, quo tectius. Adeo non expilamus quenquam, ut opificio manuario no-
bis uictum paremus.

Maledicimur, & benedicimus: persecutionẽ patimur, & sustinemus: 10
blasphemamur, & obsecramus: tanquam purgamẽta huius mundi facti
sumus, omnium peripsema usq; adhuc.

Adeo non aucupamur humanam laudem, ut deuouentibus nos bene precea-
mur: ut pro cõuitijs quibus afficimur assidue, benedicta rependamus. Adeo non
opprimimus quenquam, ut persecutorũ sæuitiam taciti perpetiamur. Quid mul
tis opus est? Alij gloria potiuntur apud uos, nos uestri causa in hunc usq; diem,
ut reiectamenta habemur huius mundi, quibus nihil esse possit abiectius aut con
culcatius. Si iuxta morem quorundam meos labores, mea pericula, mea officia
uobis imputare uellem, nónne foret expostulandi iustissima ratio?

11 Non ut confundam uos, hæc ſcribo, ſed ut filios meos chariſſimos moneo. Nam ſi decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos patres: nam in Chriſto Ieſu per euangelium ego uos genui.

Nunc nõ hæc ſcribo uelut alienatus à uobis, ob ingratitudinem quo uos afficiam pudore, quin potius ut amãtiſſimus pater, filios chariſſimos admoneo, non mea cauſa, ſed ueſtra. Nam ſi res uobis in bonũ cederet meo malo, meum incommodum pro nihilo ducerem, gratularer uobis, quorum commodis & meipſum non dubitem impendere. Nunc cum uideã uos per nouos apoſtolos in peius delabi, cogit me pietas erga uos, ut uos admoneam periculi, quod ego meũ eſſe duco. Non eſt uobis hic animus aſpernãdus, ô Corinthij, uere germaneq; paternus. Immenſum diſcrimen eſt inter pædagogum & patrem: ille pro tempore ſæuitiam exercet in ætatem innocentem, & mercedis gratia, aut mali metu facit officium, ſi tamen facit: at pater ob inſitam penitus à natura pietatem, uel ſuo malo, filiorum commodis conſulit. Vt contingant uobis uel decem pædagogorum millia, certe paucos in his experiemini patres. Cur autem non appellem me patrem, uos filios? cum primus omnium uobis prædicarim euangelium, cum per me ſitis renati Chriſto. Nónne ego quodamodo uos genui? Quæ mater tantum laboris in nixu patitur, quantum ego paſſus, dum uos Chriſto parturirem?

12 Rogo ergo uos, imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.

Si patrem hunc agnoſcitis, ſi uere filij eſtis, obſecro per mutuam pietatem, patrem uita ac moribus exprimatis. Cur è nobis prognati, aliorũ ſimiles uideri malultis? Iſta quæ ad me deferũtur de uobis, unde ſint, uos uideritis: certe à me non hauſiſtis. Audiant interim hic D. Paulum hi religioſuli, qui uitam apoſtolicam ſe profiteri iactant, ut ſuos quoſq; patres, quos elegerũt ſectandos, eatenus ſectentur quatenus illi ſui Chriſtum ſectati ſunt. Expendantq; diligẽter mores, uitam, & uerba Chriſti ad ſuas illas regulas, quas ſibi præfixerunt ſtrenue obſeruãdas. Si omnia illic habeant conformia Chriſto: inuenient, ni fallar, innumera prorſus contraria uerbis non tantum Chriſti, ſed & apoſtoli Pauli. Quandoquidẽ totum ipſorum ſtudium eſt, canere ſacras literas, quas non intelligunt, nec intelligere laborant, nec laborandum ad hoc credunt. Offerre pro uiuis & mortuis, pro eis in primis, quorum muneribus & eleemoſyna, propterea alioqui otioſi, uiuunt. Sed quid talia moror, quæ iam ſatis clare ſuperſtitioſa, & plane impia, quia à uerbo dei & apoſtolorum Chriſtiq; exemplo prorſus aliena, nemo niſi inſanus non intelligit & contemnit?

13 Ideo miſi ad uos Timotheum, qui eſt filius meus chariſſimus, & fidelis in domino, qui uos commonefaciet uias meas quæ ſunt in Chriſto Ieſu, ſicut ubiq; in omni eccleſia doceo.

Si quid excidit uobis noſtri, quando mihi nondum uenire licet, mitto ad uos Timotheum, uelut alterum me, nimirum filium, haudquaquam degenerem, ſed dei beneficio fidelem, qui ut primum per me Chriſtum imbibit, ita à paternis ueſtigijs nuſquam diſcedit. Is uobis in memoriam reuocabit inſtitutum uitæ meæ, quod ad exemplum Ieſu Chriſti & ſequor & trado: non uobis tantum, ſed cuiuis eccleſiæ Chriſtum profitẽti. Quemadmodum is communis eſt omnium author, ita debet omnibus eadem eſſe uiuẽdi ratio. Qui germanus eſt filius, is ex animo, non mali metu, ſuo fungitur officio. Non autẽ natura ſed charitate filium uocat, & quod eum per euangelium genuerit, & quod in omnibus obſequens illi fuit,

exprimens

exprimens fidem patris ac diligentiã in euangelij prædicatione, quæ potissimum in ministro uerbi requiritur, ut populum & familiam dei recte regat, & omnem impietatem & iniustitiam ex eis eliminet.

Tanquam non uenturus sim ad uos, sic inflati sunt quidam. Veniam 14
autem ad uos cito, si dominus uoluerit, & cognoscam non sermonem eo
rum qui inflati sunt, sed uirtutem.

Sunt inter uos qui ob absentiam meam, excusso pudore, sic insolenter se ge=
rant, quasi nunquam sim rediturus, sed fallentur isti, nam propediem adero, si do
minus permiserit. Ac tum re ipsa experiar, non quantum sermone polleant isti,
qui tam insolenter efferunt sese, sed quantum factis. Neq; enim in magnificis di=
ctis sita est euangelij uis, quæ cuiuis in promptu sunt, sed in ui ac uirtute cœlesti,
quæ malorum tolerantia, quæ concordia, quæ totius uitæ innocentia, quæ mira=
culis declaratur. Virtutem & uim intelligit Paulus, efficaciam & energiam spíri=
tus, quæ apparet in doctrina & uita, ideoq; nemo nisi habens spiritum, quo & ui=
uat, potest docere spiritualia. Verum non hic Paulus minatur, ut quidam ei op=
probrãt potẽtiam & imperiosam authoritatem, sed pseudapostolos eorum taxat,
quibus non satis doctus uidebatur. Ait ergo se corã ecclesia cum illis uere & stre
nue acturum. Cognoscam, inquit, non sermonem, sed uim. Non moror loquaci=
tatem & curiositatem, uidebo qua fide diligentia & uigilantia doceant. Id in ue=
stris moribus luculenter perspiciam, si promouistis & decessistis à uitijs: id si uide
ro, cognoscam planè eos fide summa docuisse. At metuo ne uentris causa uobis
blandiant, & sermonis suauitate demulceant, ne etiam peccantes uos offendant.

Non enim in sermone est regnum dei, sed in uirtute. Quid uultis? In 15
uirga ueniam ad uos, an in charitate & spiritu mansuetudinis?

Est mihi authoritas à Christo tradita, uirga suppliciorum, coërcendi præmen
dicq; rebelles & intractabiles. Verũ ego malo hac non uti, malim huiusmodi mo=
ribus esse uos, ut ceu pius & propitius ac mitis pater, aut gratuler innocentiæ ue
stræ, aut si quid fuerit leuium erratorũ, molli paternaq; castigatione emendetur.
Augustinus, Terroris uerba infert, ut inflati humilientur, & se præparent ad re=
cipiendum eum. Absit autem ut pij filij dicerent: Si in uirga uenturus es, noli ue=
nire: melius est enim erudiri in uirga patris, q; perire in blandimentis prædonis.

CAPVT V.

OMnino auditur inter uos fornicatio, & talis fornicatio, qualis 1
nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat. Et uos
inflati estis, & non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio
uestrum qui hoc opus fecit.

Incipit de fornicatione, redarguens fornicatorem illũ, qui publice nouercam
suam loco uxoris habebat, nec aliqua tergiuersatione poterat tegi crimen, cuius
occasione in sequentibus de omni fornicatione scribit, corporali & spirituali. Ve
rum, inquit, est illud, & notius q; ut negari possit, & grauius q; ut ferri debeat, &
perniciosius q; ut differri expediat, quod inter uos, quos ut templum deo sacrum
decebat omnis puritas. Fœdus rumor est libidinis, & huiusmodi libidinis, ut eius
infamia, nec apud ethnicos, & à Christo alienos cõperiatur. Videlicet, ut aliquis
nouercam suam uxoris loco habeat. Quanto cum probro putatis Christiani no=
minis, iam huiusmodi flagitia publicus rumor de uobis spargit? Et uos interim,
perinde quasi tantum uestræ professionis dedecus nihil ad uos pertineret, uobis

ipsis placetis, inani sapientiæ persuasione turgidi, cum magis cõueniret publico luctu testari uobis turpissimũ admissum uehemẽter improbari, profligato à contubernio uestro tanti sceleris authore. Primũ, ne fauere turpibus admissis uideamini, si ceu familiarem ac contubernalem agnoscatis eum, qui nondum declarauit se pœnitere flagitij. Deinde ne pestis exitialis semel admissa, latius serpat apud uos. Postremo, ut author nepharij criminis, si uitetur à uobis, uelut omnium publico iudicio damnatus, pudore tactus, resipiscat, donec certa pœnitudinis signa declarent hominem idoneum, qui in sanctorum consortium recipiatur. Id à uobis illico factum oportuit, ubi fœdus rumor hominem (nam parco adhuc nomini) reũ ageret nefandi criminis. Hoc ipse facturus eram, si præsens apud uos fuissem. Quis non uidet quantum adhuc à studio ueræ pietatis absitis, quum tantum scelus ex uobis non eijcitis? Certe apparet fides & zelus uestrorum nunc doctorum, qui uentris gratia parcunt peccantibus.

2 Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui ut præsens eum qui sic operatus est, in nomine domini nostri Iesu Christi, congregatis uobis & meo spiritu, cum uirtute domini nostri Iesu Christi, tradere huiusmodi hominem satanæ, in interitum carnis, ut spiritus saluus sit in die domini nostri Iesu Christi.

Quandoquidem uideo tam segnes & socordes esse eos, quorum maxime intererat, & qui apud uos præsentes degunt. Ego nunc quidem absens, sed perinde quasi sim præsens, ut sum quoq; authoritate spiritus, fero sententiam, quam uos quoq; sequi debetis, ut à publico cœtu frequentiq; cõuentu decernatis, (ne quis hoc authoritatis sibi priuatim uendicet) quem oportet nullo humano affectu conniuere, sed nihil aliud spectantem, q; gloriam domini nostri Iesu Christi, cuius nomine conuenietis, qui nostram sententiam sua potentia reddet efficacem, ut qui scelus hoc tam turpiter admisit, eiectus ex uestro contubernio, tradatur satanæ, qui iuxta carnem affligatur, pudefactus humano iudicio, ut spiritus & animus sit incolumis apud iudicem Iesum Christum omnia iudicaturum, non hæc tantum, aut hunc tantum. Expedit interim hoc & isti, ut exactum illud ac seuerum dei iudicium anteuertat, & temporaria castigatione maceretur, potius q; æternis supplicijs addicatur. Nostrum est medelam potius parare q; pœnam. Sic enim agendum cum nocente, ut sit qui possit emendari: nec enim hominem è medio tollimus, sed extincto peccato, seruamus hominem. Hac pœna debet esse contenta Christiana mãsuetudo. Lapidare Iudæorum est, mederi flagitijs Christianorum. At nihil horum uobis curæ fuit, neq; uos commune dedecus, neq; uos commune periculum commouit. Perinde quasi re bene gesta, uosmet efferentes, de Christianismo uobis placetis. De excommunicationis ecclesiasticæ causis, modo & ministerio, uideantur loci communes.

3 Non est bona gloriatio uestra. Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit.

Quod in hominibus quibuscunq; gloriationem quæritis, & de uestris apostolis uos iactatis, uobisipsis quoq; placetis, & interim tanta flagitia conniuentibus oculis aspicere potestis, & ferre impunitos tantæ fornicationis authores, bonum esse non potest, sed indicium est subsecuturorum malorũ, quæ reliquos quoque cum tempore fascinabunt. Dedecori uobis est omnino ista gloriatio, quę Christianos non decet, qui non nisi in Christo gloriari debent, & imitari illius uestigia, ac doctrinas

doctrinas sectari, qui damnat quicquid lex Mosi damnat, imò pater cœlestis & dominus. Cõfundi potius oportet de uestrorum segnitia, qui tanta flagitia ferenda ducunt, q̃ de personarum quarumcunq; prærogatiua gloriari. Esto, inquitis, unus est qui peccauit, quid hoc ad totam congregationem? An ignoratis, quod ingentem farinæ conspersæ uim, paululum fermenti afficit & acidam reddit? Et quod ut modicum putatis ferendum flagitium, segnitia uestrorum ministrorum & doctorum inertia dissimulatum, occasionem dabit aliorum quoq; criminum, non exhorrẽdorum. Non cogitetis unius hominis flagitium ad totam ecclesiam non pertinere. Membra estis unius corporis. Cauẽdum ergo uobis & uestris, ne sic uitijs & sceleribus fenestram aperiatis, ut totum corpus unius contagio inficiatur.

Expurgate uetus fermentum, ut sitis noua conspersio, sicut estis azy- 4
mi. Etenim pascha nostrum immolatus est Christus.

Similitudines capit Paulus ferè à uisibilibus rebus, quæ tum in usu & præcepto erant Iudæis, ut & ueteris testamẽti figuras aperiat, & utriusq; populi, Iudæorum scilicet & gentium, eandem ecclesiam esse ostendat. Ne aut Iudæi supercilio sius insolescant: aut gentes, quod Iudæorum ceremonijs carent, sese Iudæis inferiores arbitrentur. Paria ergo facit Apostolus, quum illis nostra, nobis uero Iudæorum sacramenta communia facit. Cum ergo de fermẽto dicere cœpisset, aperit quid per fermentum, quid per conspersionem & azymos intelligat, ansam ad hortandi nimirum capiens ab eo præcepto quod olim Iudaico populo toties inculcauerat deus. Fermentũ siquidem est, quod è corrupta massa supereſt. Si quid igitur ueteris uitæ residet in uobis, diuersum à simplicitate Christi, fermentũ est, prorsus à uobis expurgandum, ut per uitæ nouitatem sitis noua conspersio, nec in uniuersa massa quicquam pristinæ malitiæ sit admixtum. Sicut enim Christus uos à peccatis semel immunes reddidit, ita uobis danda est opera, ne rursus irrepat in uos aliquod superioris uitæ contagium, & innocentiæ Christianæ uitiet syncerítatem. Amat deus qui hoc carent fermento, an non id olim typis mysticis adumbratum est? Hebræi, cum transito mari rubro, liberati fuissent ab Aegyptia ca seruitute, iussi sunt quotannis in huius rei symbolum ac monumentum statotempore mactato agno anniculo, septẽ diebus uesci panibus, nullo fermento corruptis, quemadmodum fecerant iam fugam adornantes ex Aegypto. Interea farinam puram secum efferunt, fermentum omne relinquunt Aegyptijs. Neq; dignus habetur qui uescatur agno paschali, nisi qui septem diebus fermentum non attigerit, imò piaculum habebatur, quicquam usquam fermenti reperiri in domibus Hebræorum. Vmbras rerum habebant illi, nos uerũ phase tenemus, agnum omnis maculæ nescium. Is est Christus Iesus, humano generi dudum promissus, & nunc exhibitus, pro totius mundi abluendis peccatis, & à teterrima mortis ac uitiorum tyrannide liberandis, in crucis ara deo patri est immolatus.

Itaq; epulemur, non in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis 5
syncerítatis & ueritatis.

Duo ergo in his nobis significata sunt: primũ, ut his externis ad agnitionem & fruitionem diuinæ charitatis ad nos permoti, & ad salutis nostræ fiduciam certam erecti, & similis charitatis feruore ad mutuam beneficentiam inflammati, domino deo nostro per Christum, & hoc tantum sacramentum commendatum nobis corporalibus & mysticis sacramentis, & à deo institutis signis, ardenti gratiarum actione permoti, illi pro nostris uiribus respondeamus q̃ officiosissime. Vt il

lius tantæ charitatis creberrime memores, tantopere amati à domino, uicissim illum amemus, & quem nobis omnium maxime commendauit proximum, perpetua beneficentia prosequamur. Alterum est, ut nos puri, synceri, & incontaminati simus. Si enim deus uoluit, ut populus ille carnalis omni uitio careret, quanto magis nos decet, qui per sanguinem filij dei liberati & loti sumus, consperſionem esse nouam & mundissimam? Illis agnus mactabatur, in typo agni illius dei, qui ablaturus esset peccata mundi, nobis Christus uere exhibitus, & sine macula agnus oblatus occiditur. Idem utriusq; populi saluator, repræsentatus autem uarijs sacramentalibus signis. Non autem perinde Paulus curat ut fermentum efficiant, quantum ut ipsi sint nouus & syncerus panis, ut nihil admisceant sordium pristinarum, quos Christus semel à peccatis abluerit. Necq; enim temere Christus oblatus est, sicut nec olim agnus trāsitus dominici. Semel Aegyptum euasimus, supereſt, ut iugiter hoc festum celebremus. Haudquaquam gaudentes atq; attollētes nos ijs rebus, quibus olim capiebamur, cum adhuc haberet nos fœda simul ac dura seruitus, hoc est, non fermēto legis Mosaicæ, rudius intellectæ à rudibus. Non fermento ueteris malitiæ & nequitiæ, quam contraximus ex gentilibus etroribus, sed libis ac panibus, nullo fermento uitiatis, id est moribus innoxijs, simplicibus, synceris, nulloq; fuco maculatis. Quotidie euacuantes quicquid uitiorum in nobis residet, ut sint mores incorrupti, & uita sancta ad Christi exemplar restituta.

6 Scripsi uobis in epistola, Ne commisceamini fornicarijs, nō utiq; fornicarijs huius mundi, aut auaris, aut rapacibus, aut idolis seruientibus, alioquin debueratis de hoc mundo exisse.

Præter has duas epistolas quæ extant, alias quoq; Corinthijs Paulū scripsisse hic locus declarat, in quibus de adulteris & scortatoribus, cæterisq; facinorosis uitandis, eos nimirum admonet. Necq; tamen hunc locū cum superiori, de solenni excommunicatione eundem putemus, sed Paulū hic loqui de quotidiana consuetudine, ne scilicet cum sceleratis conuersemur, aut cibum capiamus, ut ab eorum familiaritate abstineamus, quorum cōsuetudine uita nostra facile infici possit. At ne, inquit, erretis, quod paulò ante iusserim à uobis uitari consuetudinem, infami libidine contaminatorum. Non hoc sentio quod postulem, ut uniuersos huius regionis impudicos deuitetis, nec cum ullo consuetudinē agatis, qui auaritiæ rapacitatisue infamia laboret, aut simulachrorum cultui deditus sit. Quod si conemini, tota Græcia uobis sit relinquenda, cum istiusmodi nusquam non occurrant.

7 Nunc autem scripsi uobis, non commisceri, si is qui frater nominatur inter uos, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere.

Quanquam autem cupiam omnes malos uitari posse, uel esse bonos: nunc tamen quod fieri non potest, non exigo. Illud exigo, ut si quis titulo Christianus, palàm huiusmodi uitijs infectus sit, quæ plurimum absunt ab instituto Christiano, puta scortatione, aut auaritia, aut simulachrorum cultu, aut maledicentiæ morbo, aut temulentia, aut rapacitate, adeo uitetis hominis familiaritatem, ut ne cibum quidem cum illo capere dignemini, donec resipiscat, etiamsi ab ecclesia publice excluſi non sunt. Eam autē nominationem Paulus uoluit intelligi eam quæ in quenquam cum sententia & ordine iudiciario profertur. Nam si quælibet nominatio sufficit, multi damnādi sunt innocentes, quia sæpe falso in quoquam criminā

mina nominanť. Quibus uerbis ostendit satis, non temere & quolibet modo, sed per iudicium auferendos esse malos ab ecclesiæ cõmunione. Aut si per iudicium auferri non possunt, tolerentur potius, ne peruerse malos uitando quisquam ab ecclesia discedens, eos quos fugere uidetur, uincat ad gehennam. Nec alia ratione uitandus, q̃ ut corrigatur.

Quid em̃ mihi de his qui foris sunt iudicare? Nónne de his qui intus 8
sunt uos iudicatis? Nam eos qui foris sunt, deus iudicabit.

Vestra plurimũ refert, ut uester cœtus purus sit & incorruptus: quales sint alij, uiderint ipsi, illorum uitia nec uos inficiunt, nec cedunt in probrum Christia ni nominis. Ergo qui tales sunt, non oportet sinere impunitos, si modo crimen in propatulo est, id satis est mihi. Quorsum enim attinet, ut de his quoq; iudicẽ, qui ut sunt à Christo alieni, ita non pertinent ad uos? Nónne domi quisq; suæ censorem ac iudicem agit, nec sua referre putat, quid agatur in ædibus alienis? Si quid domi suæ commissum est, id existimat ad totius familiæ rem pertinere. Proinde satis est nobis, si Christiani de Christianis iudicemus. Qui sunt alieni à professione Christiani nominis, hos diuino iudicio relinquimus, qui dominum suum habẽt, & iudicem non declinandum.

Auferte malum ex uobis. 9

Si nemo sinit domi suæ sceleratum ac pestilentem, ita uos quoq; tanti facinoris authorem à uestro contubernio profligatæ. Hoc & illius refert & uestra, & ad Christiani nominis dignitatem pertinet. Nam & ille pudore correptus ad se redibit, & uos periculum contagij simul ac suspicionem à uobis propelletis. Et intelligent omnes hæc non probari Christo, qui uitæ docuit ac præstitit innocentiam. Circa hunc autem locum notãdum est nobis, magna tantum à Paulo & infanda scelera nominari, ob quæ uitãdus est frater: nam alioqui in multis offendimus omnes. Non ergo temere aut ob quoduis uitium uitandus est aut eijciẽdus est frater, sed ob ea tantum, quæ hic recenset Paulus, aut si qua sunt similia aut etiã grauiora. De abstẽtione quam excommunicationem uocamus, hoc habeto. Quandoquidem omnis Christi tum doctrina tum uita hoc docet, ut populus eius innocens, purus & sanctus sit, à cæteris populis non solum nomine, sed & uitæ innocentia & puritate segregatus, debent hi qui grauibus flagitijs sunt contaminati, è cœtu fidelium excludi, si publice offendant, ne cæteri greges eius cõtagio aut inficiantur aut pereant. Quod si ecclesia tam negligens est, ut publice peccantẽ nec resipiscentem non excludat, si denicq; cesset etiam magistratus fontes gladio ferire, priuatus quisq; ab improborum & impudenter peccãtium consuetudine sibi temperet, ne aut alienis flagitijs fauere uideatur, aut alieno crimine commaculetur, maxime si resipiscentiæ spes nulla supersit. Siue ergo uitandus est frater, siue adeundus, charitatis Christianæ regulam adhibe in deum & homines, & nunquam errabis.

CAPVT VI.

AVdet aliquis uestrum, habens negotium aduersum alterum, iu- 1
dicari apud iniquos, & non apud sanctos?

Hactenus quidem ostendi fermentum seditiosę contentionis, & fœdæ libidinis à uestra ecclesia reijciendum. Sed alias quoq; comperio in uobis priscæ uitæ reliquias, quæ fermentum auaritiæ sapiunt. Vt uestra non interest de ijs qui ab ecclesiæ consortio sunt alieni ferre sententiam, ita uehementer indecorum est, Christianos à non Christianis iudicari. Primum illud admiror, quo pa-

cto quis Christum professus, si quid extiterit controuersiæ de re pecuniaria, pos-
sit animũ inducere, ut non uereatur ad iudicem prouocare: & quod grauius est,
ad iudicem impium potius q̃ Christianum. An æquum iudicabit, qui tota uitæ
professione iniquus est? An non uidetis q̃ præposterũ sit, ut mũdus, cuius impie-
tas ex sanctorum fide uitaq́ sit olim damnãda, nunc ceu iustior ac melior de san-
ctis ferat sententiam, & illorum lites dirimat. Quod si tanta res uobis committe-
tur, ut per uos totius mundi, hoc est, omnium impiorũ uita dijudicanda sit & da-
mnanda, & in meliorem statum reuocanda & reformanda, an parum uobis ido-
nei uidemini, qui de rebus friuolis ac leuissimis iudicetis? Vnde satis apparet, Co-
rinthios parum pietatis adhuc hausisse ex euangelio, moribusq́ haud multũ ad-
huc fuisse mutatos, qui fratres iniuria adhuc afficerent, aut impotẽter animo fe-
rent iniurias, alterq́ alterum coram iudice conueniebat: & quod turpius erat, co-
ram ethnico & iniusto.

2 An nescitis, quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt? Et si in uobis
iudicabitur mundus, indigni estis qui de minimis iudicetis?

An obliti estis dignitatis uestræ, quod qui olim magna cum gloria, fide & iu-
stitia uestra, euãgelicaq́ interim doctrina & uita infideles estis iudicaturi, & eos-
dem ad uobis consentiendum in fide, & ad mutandum uitæ genus prouocaturi,
& errorum suorum conuicturi, quia facta eorũ mala sint, & falsa religio, iniquaq́
iustitia, qua sibi in religionibus suis & legibus placent, nunc cum tanto dedecore
religionis uestræ & doctrinæ, qua charitatem fraternam tantum docetis uerbis
& symbolis sacris, iam pro leuiculis rebus, quæ ad quotidianum uictum & uesti-
tum cultumq́ & facultates pertinent ad eos prouocatis? Et si deo quoq́ tam cha-
ri & pretiosi estis, ut iudicium impiorum uobis commiserit, & conuersionem ad
uitæ emendationem, cur uosipsos sic turpiter abijcitis, ut pro rebus leuissimis iu-
dicium eorum expectetis, qui à uobis sunt iudicandi? Et cum apostoli filij essent
Iudæorum, Christum quem Iudæi blasphemabãt ac reijciebant, saluatorem mun-
di sunt amplexi. Iam Iudæorum perfidia ex fide apostolorũ iudicari dicitur, quod
scilicet ipsis credentibus, Iudæi in perfidia permanserunt. Sic quoq́ sancti mun-
dum iudicant, quorum fides ac uita, impiorum in mundo perfidiam ac conscele-
ratam uitam iudicabit, & quasi in eos feret sententiam, non habentes excusatio-
nem uel effugium, quum neq́ promissionibus nec minis propheticis auscultari
uoluerint, imò Christum ipsum ueram salutem aspernati sint, quem tamen pij &
sancti mũdi saluatorem agnouerunt, confessi sunt, & martyrijs contestati, fideq́
perfecta & sancta uitam sunt assequuti æternam.

3 Nescitis quoniam angelos iudicabimus, quanto magis sæcularia?

An ignoratis, quod non homines solum mundo deditos, uerumetiam angelos impios huius mundi tyrannos olim iudicaturi estis, & suam impietatem prodituri mundo. Quin & optimos quosq́ in mundo uiros, & sapientissimos, ob fidei defectum in Christo, siue etiam ex Israelitis sint, & comparatione gentiliũ an-
geli dici possint, ob timorem dei, & zelum legis ac ceremoniarum, ostendetis do-
cente uos euangelio & Christi spiritu, sine fide in Christum non posse saluari. Ne
magnum uideatur, si causas infimas de rebus quæ ad uitæ corporalis usum perti-
nent, inter uos finiatis. Vestra credulitas, illorum incredulitatem: uestra pietas,
illorum impietatem: uestra innocentia, illorum impuritatem condemnabit, atq́
hodie cõdemnat, si uitam Christo dignam egeritis. Et obliti dignitatis uestræ, eos
iudices facitis rerum uestrarum, de quorum omniũ capite & salute per uos pro-
nunciabitur,

nunciabitur, & qui salutis doctrinam à uobis sint percepturi?

Sæcularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in eccle 4
sia, illos constituite ad iudicandum. Ad uerecundiam uestram dico. Sic
non est inter uos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem
suum? Sed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles?

Si tam contentiosi estis, si tam amantes rerum fluxarum, quarũ contemptum
profitemini, ut super his non solum dissideatis inter uos, sed ita dissideatis ut om-
nino iudices sint adeundi, uel ad quoslibet, quantũuis in uestro contubernio con
temptos & humiles, causas istiusmodi deferatis. Non hoc dico, quod ita fieri ue-
lim, sed ita loquor, ut uos uestri pudeat, cum apud ethnicos iudices decertatis. Si
respondetis professioni uestræ, qui inter uos abiectissimus est, præstantior est eis,
qui apud impios summi habentur. Vsq; adeóne uosipsos cõtemnitis? adeo nullus
est inter uos qui tantũ sapiat, ut de rebus tam leuibus arbiter sedeat, & inter duos
Christianos litẽ dirimat? Inter quos quoniã fraterna charitate, ac rerum omnium
communione conglutinantur, oportebat facillime conuenire. Nunc adeo non
conuenit, ut Christianus cũ Christiano contẽdat iudicio, idq;, quod est fœdius, a-
pud hos, qui à Christo sunt alieni, quasi possint illi ad legũ humanarum regulam
quod iustum est pronunciare, uos ad euangelicam regulam non idem possitis.

Iam quidem omnino delictum est in uobis, quod iudicia habetis in- 5
ter uos, quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem
patimini?

Videte hic, ô uos Corinthij, quot modis hic peccetis. Primum, hoc ipsum uo-
bis turpe est, quod huiusmodi controuersiolas inter uos admittitis, tam pro rebus
leuiculis. Deinde, quod eadem non ipsi inter uos componitis, citraq; tumultum
aut contentionem ullam trãsigatis, sed eò pertinaciæ uentum est, ut dum neutra
pars alteri uel cedit, uel cõcedit aliqd, apud publicos iudices, teste populo, res sit
exigenda. Non carebat uitio, si hæc agerentur apud iudices ecclesiasticos, nunc
quàm fœdum est spectaculũ, apud iudices impios decertare de rebus nihili? No-
stra religio pax est, ac per Christum in unum corpus insiti, plus q; germani facti
sumus: ad hæc rerum illarum uilium, pro quibus hic mundus depugnat, negle-
ctus nos reddit Christianos. At cum pro his ipsis tam acriter contenditis, ut non
pudeat Christianũ in ius trahere Christianum, & apud impium iudicem reum
agere, quid creditis in mentem uenire ijs qui conspiciunt? An non sic apud se co-
gitabunt? Vbi inter istos Christianos pudor? ubi fraterna charitas? ubi rerum o-
mnium communitas? ubi pax, quam semper habent in ore? ubi pecuniæ cõtem-
ptus? ubi lenitas illa euãgelica, qua iubentur & tunicam ultro relinquere, si quis
pallium ademerit? Ecce quantula de re quàm turpiter digladiantur, non solũ uo-
biscum, uerum & inter ipsos. Qui fit, ô Corinthij, ut adhuc tãti uobis sit pecunia,
ut huius gratia tantum dedecus in Christianum nomen asciscatis? Respondebit
aliquis, Nisi meum ius persequar, nõ abfuturus sum ab iniuria: nisi quod meum
est uindico, futurus sum in damno. At etiam atq; etiam uidete, ne dum leuem ia-
cturam timetis rei pecuniariæ, graue damnum faciatis innocẽtiæ bonæq; famæ,
præstabat non euincere rem, quàm hanc ansam præbere incredulis, obtrectandi
Christo & Christianis. Satius erat leuem iniuriolam negligere, quàm dum sic per
sequeris, animum ulciscendi cupidum profiteri.

Sed uos iniuriam facitis & fraudatis, & hoc fratribus. An nescitis 6

quia iniqui regnum dei non possidebunt?

Tantum abest ut Christiana mansuetudine damnum aut iniuriam impune feratis ab alijs, ut ipsi ultro afficiatis iniuria, ultro fraudetis ac circumueniatis alios? non incredulos tantum, uerumetiam religionis consortio germanos, an non ista pristinæ uitæ fermentum sapiunt? An non ista longissime dissonant, & à doctrina nostra, & à professione uestra? Quisquis Christum profitetur, innocẽtiam profitetur, & his factis promissum est regnũ cœlorum. Nec enim satis est tinctos esse liquore, non satis est insitos esse Christo, nisi tota uita Christi doctrinę respondeat. Ideo à mundo exempti, cooptati estis in corpus Christi, ut posthac integrita te uitæ Christo capiti respondeatis. An illud uos fugit, q̃ iniuste uiuentes, quamlibet baptizati, excludẽdi sint ab hæreditate regni cœlestis? Hæredibus regni cœlestis nihil conuenit cum iniustitia, iustis & deum timentibus cœlestia bona parata sunt.

7 Nolite errare, neq; fornicarij, neq; idolis seruientes, neque adulteri, neq; molles, neq; masculorum concubitores, neq; fures, neq; auari, neq; ebriosi, neq; maledici, neq; rapaces regnum dei possidebunt.

Vsu ueniebat etiam Corinthijs iam conuersis ad Christum, quod uulgo iactatur, Corrumpunt mores bonos colloquia praua. Gentiles enim qui cohabitabant fidelibus, lucro, delicijs & idololatria dediti, ridebant Christianos, mundo abstinentes ut fatuos, interim delicijs intenti. Id offendebat pios, dum interim uiderẽt impios feliciore fortuna uti, se uero uexari. Ideo hoc loco Paulus dicit, Ne erretis, ne seducamini uerbis prophanorum inanibus, aut prosperiore fortuna impiorum. Etiam atq; etiam dico, edicoq; uobis, Neq; scortatores, neq; simulachrorum cultores, neq; adulteri, neq; molles, qui uelut euirati prodigiosæ libidini obseruiunt, neq; qui masculis mulierũ uice abutuntur, neq; fures, neq; auari, neq; ebriosi, neq; maledici, neq; qui per uim inuadunt aliena, consortes erunt regni dei. Ea autem recensuit uitia & flagitia, quæ Corinthijs uulgatissima erant. Quicunq; ergo se scelere huiusmodi temere commaculant, ostendunt se filios dei nõ esse, neq; unquam erũt, etiamsi maxime uideri uelint. Tam abest ut euangelium nostrum huc tendat.

8 Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine domini nostri Iesu Christi, & in spiritu dei nostri.

Ne omnibus hoc ascribere uideretur, aut certe omnes ab his criminibus immunes faceret, si taceret, prohibuisse enim uidebatur, nõ reuelasse crimina. Ideo ait, Non exprobro quod fuistis, modo ne eodem reuoluamini. Hæc quidem dedecora, quæ modo commemorauí, quondam in uos competebãt, antequam essetis per Christum renati. Sed abluti estis à pristinis commissis, gratis abluti fuistis, cauete ne rursus inquinemini. Neq; solũ ablutis suo sanguine restituit innocentiam, uerumetiam ultro sanctimoniam contulit & iustitiam, idq; non præsidio legis aut meritorum uestrorum, sed per Iesum Christum, cuius nomine baptizati estis, perq; spiritũ dei nostri, cuius arcano afflatu efficacia sunt ecclesiastica sacramenta. Quo magis adnitendũ, ne tantum beneficium quod gratis cõtigit, uestro uitio perdatis, simul & ingrati erga authorem, & in uosipsos pessime consulẽtes, si gratiam assecuti, impulsione malorum doctorum his dei beneficijs exuamini, sed magis ad primam sententiam reuocati, recuperetis quod fueratis consecuti.

9 Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed

sed ego sub nullius redigar potestate.

In his quæ sunt necessitatis naturæ, mihi licita sunt omnia. Nullus enim me uetat uti eodem iure, quo cæteri utuntur apostoli. Sed fortassis non semper expedit uobis, ut utar meo iure. Qui uestro cibo uiuunt, qui uos expilant, qui mendicatione uobiscum negotiantur, uelut empti uestra munificentia, non audent libere uos admonere turpitudinis uestræ, ne offensi commodum alio conferatis. Mihi quoq; ius erat, grauare uos sumptu, ius erat accipere mercedem operæ impensæ: præsertim cum plus laborarim q̃ alius quispiam. Nō mihi deerat potestas hæc agendi, sed nolui committere, ut utens eo iure hac tempestate, redigerer sub alienam potestatem, & cuiquam uestrum deuinctus uiderer. Quo magis uobis liqueret, si quid doceam, me uestrum non meum negotium agere: & si quid obiurgem, uos patienter audire debere. Non enim facile offendit libertas admonentis, qui nullo nomine sit obstrictus ei quem corripit.

Esca uentri, & uenter escis, deus autem & hunc & has destruet. 10

Non ita magni refert, cuius utare cibo, cum omnino cibo sit opus. Escæ siquidem destinatę sunt uentri, uenter uicissim escis dicatus est, age, seruiatur interim pro tempore necessitati, ut cibus quæratur, sed nemo uentris gratia prędicet, nec prædicatoribus denicq; uictus necessarius & sustētatio inuideatur. Vtamur hisce rebus corporeis, tanquam non utentes: nec uenter nos à ueritate dicenda cohibeat. Pascet nos deus, si in ministerio commisso fideliter egerimus. Breui quoq; futurum est, ut & uentrem & escas deus aboleat, hoc est, ut neq; uenter nos fame torqueat, neq; ullus sit escarum usus necessarius fidelibus, iam incorruptibilitati donandis.

Corpus autem non fornicationi, sed domino, & dominus corpori. 11

Vt necessitati parēdum est nobis, qui Christo sumus initiati, quod habemus commune cum ethnicis, ita uitiorum nulla debet esse communio. De cibis nihil ueto, uescatur quisq; quibus uelit, fœdam libidinem interdico. Neq; enim ut uenter escis dedicatus est, ita corpus dicatū est spurcæ libidini. Imò corpus nostrum domino Iesu consecratum est, & ille uicissim nobis adglutinatus est. Sic enim illi uisum est, ut nobis membrorum, illo capitis uice fugente, mysticum corpus pariter constituamus. Hæc cōglutinatio temporaria non est. Mors soluit uescendi necessitatem, & non dirimit coniunctionem cum Christo. Non ergo digladiādum est adeo acriter pro rebus friuolis, quæ in diem perirēt. Nec scortationi uacandū.

Deus uero & dominum suscitauit, & nos suscitabit per uirtutē suam. 12

Quemadmodum deus pater dominum Iesum caput nostrū suscitauit à morte, ita nos quoq; illius membra unà cum illo suscitabit, simulq; cum illo donabit immortalitate. Potens est enim deus & idoneus, qui hoc præstet, etiamsi quibusdam incredibile uideatur. Igitur ut anima nostra non erit particeps illius immortalitatis, nisi fuerit eam hic per iugis integritatis studium meditata: ita corpus resuscitatum non erit particeps illius gloriæ, nisi hic à peste uitiorum fuerit immune. Vehemens id est consolatio, his qui affectibus adobruti, fœdæ libidinis sunt mancipia, ut Christum respiciant, hoc est, ut fidant, quemadmodum deus Christum suscitauit à mortuis, ita & eos uitæ puritati restituat.

Nescitis quoniam corpora uestra membra sunt Christi? Tollēs ergo 13
membra Christi, faciam membra meretricis? Absit.

Quàm prodigiosum spectaculum, si membra capiti innocentissimo dissimilia uideantur? An non uenit uobis in mentē, quod, ut diximus, corpora uestra mem

bra sunt Christi? Quid igitur? Eò ne dementiæ ueniam, ut cum hæc sciam, cum summa contumelia capitis tollam membrum Christi, & ex eo faciam membrum scorti? Id quidem auertat deus, & tamen quid aliud agit, qui cum scorto rem habet? Prophanat enim membra Christi, rem sacram, sitq; iuxta legem Leuitici 22. mortis reus.

14 An nescitis, quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim (inquit) duo in carne una. Qui autẽ adhæret domino, unus spiritus est.

An uos illud fugit, quod est clarissimum, eum qui adglutinatur scorto, idem corpus cum eo fieri? Sic enim legimus in Genesi de marito & uxore, E duobus fiet una caro, idemq; corpus. Nam ut in licito matrimonio honestus consensus, è duobus animis unum reddit, corporum legitima commixtio è duobus unum efficit: ita in nefario coitu quisq; fit idem cum eo, cui se turpiter admiscet. Quod si fœdum habetur, si corpus suum uxor, fraudato marito, cum adultero misceat: ita nefarium est, corpus semel Christo legitime consecratũ, putido scorto miscere. Nam qui domino Iesu adglutinatur ob corporis & capitis communionem, unus cum illo spiritus redditur, cui, cum purissimus sit, pessime conuenit cum spurca libidine, quæ mentis usum adimit homini, ac uelut in brutam pecudem transformat.

15 Fugite fornicationem, omne enim peccatum quodcunq; fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.

Cum alijs uitijs conflictari potest homo, & cogitationibus uarijs abstrahi, ut institutum incipiat displicere, hoc autem fornicationis uitium, cogitatione & impugnatione crudescit, & magis magisq; irritat calcitrantem: proinde non leuius aut facilius uincitur, q̃ fugiẽdo occasiones. Vnde monet Apostolus, summo studio fugiendam libidinem. A maioribus autem & minoribus crimen auget. Cætera, inquit, scelera quæ patrant impij, licet nascantur ex corpore, tamen cum alieni corporis iniuria coniuncta uidentur, nec totum ut uidetur hominem conspurcant. Cæterum qui libidine peccat, in suum ipsius corpus cõtumelioſus est, quod turpi admixtu polluit atq; contaminat. Nec enim adulter adulteram conspurcat, nisi simul conspurcato proprio corpore, sine quo flagitium non admittitur. Homicida qui iaculo configit hominem, intacto suo corpore lædit alienum, & unaduntaxat sui parte pollui uidetur. Libido totum conspurcat hominem, quod uulgus etiam intelligere uidetur, cum à coitu solet uti balneis, quo sordes à cõmixtu corporum cõtractas abluat. Facinus est in corpus alienum esse iniurium. At dementiæ simillimum est, proprium corpus ignominia afficere. Graue est, & auaritia & fornicatio, utrunq; in gehennam intrudit. Sed cum ad persuasionem Paulus oẽia moliatur, quibus potuit rationibus fornicationis crimen auxit, & de fornicatoribus loquitur cum pondere graui & serioso.

16 An nescitis, quoniam membra uestra templum sunt spiritus sancti, qui in uobis est, quem habetis à deo, & non estis uestri? Empti enim estis pretio magno.

Superius templum dei dixit, hic templum spiritus sancti, quia in substantia hoc est spiritus sanctus, quod est deus patri & filio consubstantialis. Ne, inquit, putetis leuem esse culpam libidinis. Etiamsi corpus potissimum conspurcaretur. Et corpori suus habendus est honos, quod animæ immortalis est domicilium, quod ablutum sacro liquore, iam ipsum quoq; sic deo consecratum est, ut templum sit spiritus

ſpíritus ſancti, quē hauſiſtis in baptiſmo, per quem Chriſto conglutinamini, nun quam ab eo diuellendi. Quod ſi ueſtri contumelia uos nihil commouet, certe mo ueat, quod iſtud cum graui iniuria Chriſti cōmittitur. Semel in ius illius toti ceſſi ſtis, in cuius corpus eſtis cooptati, ille uos à morte redemptos ſuos effecit, ut poſt hęc ueſtri iuris non ſitis. Ius emptitij corporis penes emptorem eſt, id qui alienat, aut qui ſecus tractat, quàm ex arbitrio domini, iniurius eſt in eum cui debet ſei ipſum. Neq; uero uili uos emit Chriſtus, qui pretioſum ſanguinē ſuum uobis aſſe rendis impendit. Meminit ergo magnitudinem beneficij, & modum ſalutis, cum oſtendit nos alienos emptos eſſe: & non ſimpliciter, ſed pretio magno.

Glorificate & portate deum in corpore ueſtro. 17

Quandoquidem toti deo dicati eſtis, ne uelitis in huius contumeliam pollue re corpora ueſtra: uerum ut animorum innocentia, ita corporum integritate nu men inhabitās in uobis circumferatis, & apud homines illuſtretis. Vtrunq; illius eſt, utrūq; caſtum præſtate, ne ob ueſtra dedecora apud impios male audiat Chri ſtus, cuius nomine cenſemini. Nam quemadmodum dominorum claritas ad ſer uos quoq; pertinet, ita ſeruorum turpitudo dominis gignit infamiam. Proinde deus, licet nec gloria clarior, nec ignominia poteſt obſcurior reddi, tamen apud homines quodam modo & infamatur malefactis ſuorum, & cohoneſtatur inte gritate morum ac ſanctitate uitæ dum ex horum uita apud uulgus æſtimatur.

CAPVT VII.

DE quibus autem ſcripſiſtis mihi, Bonum eſt homini mulierem 1
non tangere, propter fornicationē autem unuſquiſq; ſuam uxo rem habeat, & unaquæq; ſuum uirum habeat.

Cum tria grauiſſima uitia Paulus coarguiſſet, primum diſſenſionis eccleſiæ, alterum fornicatoris, tertium auaritię, iam māſuetiori utitur ſermone, & interim admonitionem & conſiliū de nuptijs & uirginitate affert, & à moleſtioribus exi mit auditorem. Erant autem apud Corinthios quidam, qui caſtimoniam ſimulan tes, à matrimonio abhorrebant, in ſcortationem turpiter lapſi. Alij prætextu caſti tatis matrimonia contracta ſoluebant. Hos ergo, ut ſupra cœperat, hic acriter re prehendit. Huiuſmodi autem errores tum ſuboleſcunt, quum contempta dei or dinatione noſtra conſilia friuola ſequimur. Non, inquit Paulus, exiſtimo quouis coitu contaminari corpus, quemadmodum quidam uobis perſuadere conātur, quo ſibi, ut hypocritæ, cōcilient apud uos opinionem ſanctimoniæ. Eſt & caſtus quidam ac legitimus uſus coniugij, ſed omnibus ex æquo uitādus eſt illegitimus coitus. Legitimo matrimonio eatenus cuiq; utendum aut non utendum, quate nus ad euangelij negotium expedit aut officit. Proinde ad quæſtiones de quibus me per literas conſuluiſtis, paucis reſpondebo, quid faciendum ijs, qui iam matri monio ſunt irretiti. Rurſus quid ijs qui in cœlibatu degunt, & uiduis. Item quid ijs qui matrimonio moleſto aut etiam impari ſunt implicīti. Poſtremo quid uirgi nibus elocādis aut non elocandis. Primum igitur, ut nunc eſt temporum ſtatus, multis de cauſis commodum erat, in totum ab uxorum cōmertio temperare, quo magis liberum eſſet euangelico negotio bonæq; menti uacare. Nam quamuis ho neſta res eſt matrimonium, tamen curis mūdanis, quamlibet nolentem inuoluit hominem, & quantum his additur ſtudij, tantum rebus ſacris deciditur. Deinde, huius uſus habet craſſum quiddam, quod totum hominem ad tempus abſor bet, atq; ipſum ſibi aliquanto minus hominem reſtituit. Video quidem quid ma xime ſit optandum, ſed quod opto, nō auſim exigere, ne parum feliciter quod eſt

optimum affectantes, per occasionem in deteriora prolabamini. Noui q̃ sit indomitus ac uiolentus hic affectus, nec me fugit q̃ in hunc sitis peculiariter propensi. Tutius ergo arbitror, ut sua cuiq; sit uxor, & suus cuiq; maritus, ut mutuo officio uterq; alterius intemperantiæ medeatur. Hic autem Paulus non solos admonet sacerdotes, sed omnes in uniuersum ecclesiasticos, & Christo fideles. Non enim dicit: Bonum est magistro mulierem non tangere, sed uniuersaliter dicit: Bonum est homini. Sicq; omnino per totam Epistolam huiusmodi procedit oratio.

2 Vxori uir debitũ reddat, similiter autem & uxor uiro. Mulier sui corporis potestatem nõ habet, sed uir: similiter autem & uir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.

Quandoquidem ad carnis affectus tam procliues sumus, tutius est, ut quisq; suam, quæq; suum habeat. Lex ergo est, & dei constitutio, ut quisq; suam habeat, & solam habeat. Nam dixit deus: Erunt duo in carnem unam. Quod si aliquãdo legi derogatum est, ut unus plures habuerit, abrogata tamen lex non est. Necq; enim paucorum exempla communem legem faciũt, necq; omnibus licet quod paucis est permissum uel indultum. Honesto aũt uocabulo cõgressum maritalem circũloquitur, ut discamus uel de eo nihil extra necessitatẽ loqui, uel parcissime & honestissime. Inuicem aũt sibi subiicit illos in causa, ut quia unũ corpus sunt, una eorũ sit & uoluntas in lege naturæ. Hac, inquit, in parte æquum ius est utriusq; licet alicubi potior sit authoritas mariti. Siquidem nec maritus hactenus sui corporis dominus est, ut quod ad usum cõiugalem attinet, eius copia fraudet uxorem, & alteri copiam faciat, uel obsequi nolit cui obligatus est. Vicissim ius uxorij corporis penes maritum est, quod ad usum matrimonij pertinet, nõ penes uxorem, quæ sui copiam nec marito negare potest. Mutuum est debitum, & utrinq; bona fide cum res poscit præstandum. Reddat ergo maritus quod ex lege coniugij debet uxori: reddat uxor quod ex iure matrimonij debet marito. Cæteris in rebus fortassis imperium & authoritas penes maritum est, hic mutuum obsequium ex æquo debetur: id negare poscenti, fraus est. De quo subiungit.

3 Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut uacetis orationi, & iterum reuertimini in idipsum, ne tentet uos satanas propter incontinentiam uestram.

Vult ut cõueniat in re uxoria, ne dissensio generet fornicationem. Non is solum fraudator est, qui pecuniam debitam non reddit, uerumetiam qui debitum detrectat officium. Neuter igitur studio castitatis fraudet alterum, nisi si quid inter uos conuenerit, utrinq; assentientes, ut ad tempus à cõgressu temperetis, quo magis defecatis animis uacetis precibus sacris, ac cœlestium rerum contemplationi, quod corporum ille complexus nonnihil hebetare soleat animi uigorem. Ergo aut neuter aut uterq; contineat, sed ex pacto: nec ob quamlibet causam, sed studio rerum cœlestium: nec nimium diu, sed ad tempus aliquod, ac mox ad priſtinam consuetudinem redeatis. Non quod non intelligam optimum esse, si quis iugiter uacet pietati, sed quod periculum uideam, ne satanas, qui nusquam non uigilat, in uestram perniciem, uos ad libidinem procliues, per hanc occasionẽ pellicat ad deteriora. Malo quod est imperfectius, modo sit tutũ, quàm id quod præclarius est, sed tamen magni mali periculo coniunctum. Quamuis enim sine intermissione orandum sit, & quotidie creator meditandus, munda quoq; sint matrimonia, & à uero dei cultu non abhorrent, nec impediunt, sed multũ quoq; adiuuant pios, deiq; & proximi charitati deuotos, temperãdum tamen est & à licitis,

tis, ut fiant sanctiores, & post orationem redeundum est ad usum humano generi naturalem, ne maioris mali detur occasio diabolo.

Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. 4
Volo autem omnes uos esse sicut meipsum, sed unusquisq; proprium donum habet ex deo, alius quidem sic, alius uero sic.

Non autem hæc loquor, quo quenquam cogam uxorem ducere, aut uetem amplecti iugem castitatem, si tanto proposito iustū adsit robur, & in matrimonio mutuus intercedat consensus, sed conscius imbecillitatis uestræ consulo uestris periculis. Alioqui si liceat, cupiam omnes mei similes esse: ut autem prorsus liberi sint à uinculis coniugalibus, aut uxores sororum loco habeant, puriq; cum puris, casti cum castis coniugibus degant. Verum quod Christus non exigit à suis, non ausim à uobis exigere. Beatos pronunciat ille, qui se castrassent propter regnum dei, non reiicit, qui iure coniugij caste moderateq; uterentur. Eximia quædam res est perpetua castitas, ob Christi negotium suscepta. Sed honesta res est & legitimum connubium, cuius author est ipse deus: quod ut bonum est à domino institutum, ita bono quod in hominibus deus agit, & uero diuino cultui, perfectæq; pietati minime aduersatur in sanctis. Verum ingens est corporū & animorum uarietas, nec pares sunt dotes oīmibus à deo datæ, fortassis supra uires hominis sit, in totū à coitu temperare: felices quibus hoc robur à deo contigit. Sed amauit ille uarietatē hanc in suo populo, ut alij alijs dotibus præminerent in ueritate, non figmento hypocritico, & professione magis q̄ actione. Atq; ista rerum uarietas ad totius harmoniam & decorum mire faceret, si legitime obseruaretur. Proinde neq; damnet quisquam alienum statum, neq; sui pœniteat quenquam, sed quisq; pro sua uirili, dono quod re uera se agnoscit accepisse à deo respōdeat. Est castum coniugium, quietum & religiosum: est & impura uirginitas, & emētitus cœlibatus, deo quoq; exosus, & in ecclesia minime cum scandalo ferendus. Habetis meum consilium de ducendis ac habendis uxoribus. Vtinā omnes qui castitatis sunt auidi, sibi temperare possent quemadmodum ego: nam hoc mihi dei singulari dono contigit, ut tot periculis, laboribus & curis exagitatus, æstus carnis non tantopere sentiam. Verum scio, q̄ paucis hoc datum sit. Scio q̄ prona sit caro: scio q̄ paucis expediat, ut lege dei præterita, suis cōsilijs hæreant. Metiatur ergo quisq; se iuxta uires suas, ne quum id sequitur quod negatum est, id quod concessum est grauiore iactura amittat. Nam non debemus putare Paulum sensisse ut mundus desinat prope tempus, quod tamen factum oportuit, si nemo duxisset uxorem, quod stulti hoc ex loco euincere uoluerunt.

Dico autem non nuptis, & uiduis: Bonum est illis, si sic permanserint 5
sicut & ego.

Ad digamiæ quæstionem sic dico: Sunt, ut audio, qui licet non adimant uobis ius coniugij, tamen nolint iterari matrimonium, simulatq; mors alterius alterum liberarit. His de rebus ita sentio: Si quis à morte cōiugis cœlebs est, & si qua ab obitu mariti uidua est, si uires adsunt ad perpetuam continentiam, præclarum fuerit, si nec ille repetat uxorem, nec illa maritum, sed suam uterq; libertatem rebus diuinis consecret. Quod optimum iudicaui, id ipse sum amplexus: ne quid me remoretur ab euangelij negotio, quod mihi sic cordi est, ut eius studio facile contemnā uoluptatem uxoriam. Quod si sciam omnibus eandem esse mentem, non dubitem omnes ad exemplū mei uocare. Hic igitur quoniam dispares sunt corporum atq; animorum habitus, idem consilium omnibus dari non potest, sed

ſuas quiſq; uires probe conſulat oportet, & ad quod uitæ genus natura maxime ſit appoſitus, id amplectatur prudenti & circumſpecto conſilio.

6 Quod ſi non ſe continẽt, nubant: Melius eſt enim nubere quàm uri.

Qui ſemel experti coniugium, uel non experti, ſentiunt ſeſe adhuc impares eſſe uiolentis libidinis ſtimulis, repetant uel amplectantur potius coniugium, ut legitimo & naturali remedio ſuæ medeantur incõtinentiæ, q; ut in cœlibatu grauiter pruriẽte libidinis affectu, grauioris flagitij periculis affines eſſe uelint. Cum ergo prædictum ſit, fore ut uitia carnis potiſſimum regnent nouiſſimis temporibus, maximeq; id noſtris temporibus uidimus accidiſſe, miníme uulgandus fuerat cœlibatus. Nec uirginitas, nec nuptiæ præceptæ ſunt, ſed in cuiuſuis arbitrio relinquũtur, eatenus, quatenus alterutrũ eligas ſine peccato. Nam his qui uruntur, hoc eſt flammis luxuriæ infeſtantur importunius atq; frequentius, certe ſunt præceptæ nuptiæ.

7 Iis autem qui matrimonio iuncti ſunt præcipio non ego, ſed dominus, Vxorem à uiro nõ diſcedere: quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut uiro ſuo reconciliari. Et uir uxorem non dimittat.

Corinthij uolebant aut Iudæorum lege uxoribus dare libellum repudij, aut more gentium repudiare uxores. Præſcribit ergo eis Paulus quid in hac re præceperit dominus Matth. 19. Tametſi uero Pauli uerba à Chriſti uerbis nonnihil uarient, nam Paulus exceptionem non apponit, debent tamen eius uerba non aliter intelligi q; Chriſti, cum ipſe ſeſe ad Chriſtum referat. Non, inquit, quenquam cogo ad matrimonium, nec interdico cuiquam, ſed quid expediat, ex ſuo cuique animo perpendendum relinquo: nihil enim habeo quod à domino præſcriptum uobis tradam. Quanquam illud à Ieſu Chriſto præceptum non dubitem à uobis exigere. Qui carẽt coniugio, ijs liberum eſt, ut dixi, pro ſuo iudicio uel amplecti uel non amplecti coniugium, modo nõ aliò ſpectent q; ad Chriſtum. Verum ubi ſemel coijt matrimoniũ, nolim id fieri, quod paſſim fit apud Iudæos & ethnicos, ut quibuslibet de cauſis dirimatur coniugiũ. Vetuit enim dominus, ne uir uxorem reijciat, ob mediocres offenſas. Licet hoc indulſerit Iudæis olim Moſes, non quod hoc rectum eſſe iudicaret, ſed quod metueret, ne homines natura uindices & obſtinati, plura longeq; atrociora diuortio committerent. Vnam cauſam excepit dominus, ſi uxor cum alio rem haberet, ſiue quod tum exciderit à iure coniugij, quæ uni pacta ſui copiam, ſe alteri communicauit: ſiue quod iniquum uideatur, à quoquam exigere, ut cum ea domum, lectum, focum, ac menſam habeat communem, quæ prodita coniugij fide, qua nihil eſt ſanctius, turpi adultero ſeſe admiſceat. Adeo Chriſtus ſocietatem hanc firmã & indiuulſam eſſe uoluit. Proinde niſi quid huiuſmodi interceſſerit, nec uxor diuertat à marito, nec maritus uxorem eijciat. Quod ſi oborto diſſidio, contingat uxorem à uiro diuertere, ne ſi ſpem reditus intercludat, abſtineat ab iterando coniugio. Intactam fortaſſe maritus iam placatior recipiat, corruptam quis recipiet? Quod ſi nec tantiſper temperat mulier, ut à coitu ſe cõtineat, det operam ut cum marito redeat in gratiam: id ſi non impetrat, meminerit cuicunq; ſeſe adiunxerit, nomine coniugium fore, re adulterium.

8 Nam cæteris ego dico, non dominus: Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam: & ſi qua mulier

mulier habet uirum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat uirum.

Quemadmodũ cum de abijciendis meretricibus disputat Paulus, correctionem rem facit faciliorem: ita hoc loco multa utitur in consulendo facilitate, inquiens, Iam ad ea quæ de impari matrimonio interrogatis, nõ habeo quod ex authoritate domini respondeam, sed est quod pro mea sentẽtia, uelut utilius suadeam. Adeo res est odiosa diuortiũ, ut nec ob religionem diuersam dirimi uelim, semel initum matrimonium. Si contigerit, ut mulier Christiana iuncta sit marito, nondum professo Christum, atq; is licet alienus à Christi mysterijs, non tamen adeo infensus est, ut ob diuersam religionem putet eam repudiãdam, si me audiet, non relinquet maritum. Rursus, si obtigerit ut uir Christo initiatus coniũctus sit uxori, quæ à Christo sit aliena (quando non conuenit quenquam ad suscipiendam religionem compelli) nec ea quærat diuortium, offensa diuersa religione, meo consilio non eijciat illam. Nec enim est quod horreat Christianus aut Christiana, ne admixtu hominis à Christo alieni labem sibi contrahat. Licet impura sit alterius religio, tamen legitimum ac purum est cõiugium, quod illos, licet aliâs impares, ex æquo copulat. Non inficit deterioris impietas, alterius pietatem, quin illud potius præponderat, quod melius est & efficacius. Dominum ergo loquentem hic facit Apostolus, quum ea præcipit quę uerbo & lege dei sunt expressa. Se uero loqui dicit, quæ tametsi à domino expresse non sunt præcepta, fide tamen dictante & charitate suggerente præscribit. Sic cum tremore & reuerẽtia omnia agit Paulus, ut etiam ea quæ spiritu suggerente, & bona fide consulit, quoniam à deo præscripta non sunt, sua dicit esse, non dei, ne sua quantumuis bona pro diuinis uendítet. Non enim debent quæ diuina sunt, humanis permisceri & uitiari, nec nostra pro diuinis hominibus obtrudi.

Sanctificatus est enim uir infidelis per mulierem fidelem: & sanctifica 9
ta est mulier infidelis per uirum fidelem, alioquin filij uestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.

Non timeat uxor fidelis se immundam fieri, propter immundi uiri consuetudinem. Est quidem unum corpus, non autem immundum, sed uincit uxoris pietas uiri immunditiam, & fidelis uiri puritas rursum infidelis uxoris immũditiam superat. Non autem hoc in loco, de his qui adhuc coniuncti non sunt, sed de coniunctis loquitur. Siquidem non dicit, Si quis uult accipere infidelem, sed si quis habet infidelem, hoc est, si quis post nuptias pietatis uerbum susceperit, & alter in incredulitate permanserit, neq; mutuam amabit habitationem, non diuidantur. Sanctificatus est enim uir infidelis per mulierem fidelem, tanta est pietatis uehementia. Itaq; maritus quamuis religione prophanus, tamen per uxoris Christianæ consortium, quod ad coniugij negotium attinet sanctus redditur. Item, uxor nondum initiata Christo congressu mariti Christiani, quodãmodo sancta puraq; redditur, ob legitimum matrimonium. Quod ni esset, liberi, inquit, uestri cõmunes uelut ex incesto coitu nati, prophani impuriq; haberentur. At nunc constat eos legitimos ac puros esse, tanquã ex legitimo congressu progenitos. Siquidem uxor baptizata cum rem habet cum uiro nondum baptizato, nõ admiscetur ethnico, sed obsequitur marito, nec amat impium, sed tolerat futurum pium. Hanc spem de se præbet, qui licet ipse nondum profiteatur Christum, tamen in uxore non horret dei cultum. Non enim totus ethnicus est, & aliqua ex parte Christianus est, qui æquo animo cõuiuit uxori, quæ Christi nomen profitetur. Nulli tam

ægre cohærent, quàm quos diuersa separat religio. Hæc igitur spes retinere debet in conuictu eam, quæ prior Christum amplexa est. Si quoq; mulier dimitteret uirum uolentem habitare secum, & alij se copulet, immũdi essent eorum filij, essent enim adulteri, & per hoc quoq; filij eorum spurij, ideoq; immundi. Nunc autem sancti sunt, quia sub creatoris ueneratione & professione nati sunt, propensiore ex parte.

10 Quod si infidelis discedit, discedat, non enim seruituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi: in pace autem uocauit nos deus. Vnde enim scis mulier, si uirum saluum facies? Aut unde scis uir, si mulierem saluam facies? nisi unicuiq; sicut diuisit dominus.

Si diuortium oriatur ab eo qui nondũ credidit, isq; odio Christi repudiat uxorem, quando iam spes non est illius mutandi, non est cur amplius cum impio cohæreat. Excidit à iure matrimonij, qui deum horret authorem matrimonij. Negq; enim Christo dicatum hactenus obstringit matrimonij fides, ut impiũ maritum assidue iurgantem, Christoq; conuitiantem ferre cogatur. Vtatur igitur diuortij libertate quam ille dedit, ac trãquille Christo seruiat. Nec enim ideo uocauit nos dominus ad euangelicam uitã, ut in iurgijs, sed ut in concordia paceq; uiuamus. Proinde si non conuenit inter impares, & diuortiũ postulat incredulus, non hæreat inuito uxor Christiana. Sin conuenit, spe mutandi mariti maneat uxor, ac uicissim spe mutãdæ uxoris maneat maritus. Etenim qui scire potes, an domesticis alloquijs, cum modestia suauitateq; morum, an affectu coniugali sis effectura ut resipiscat maritus, tecumq; seruetur? Aut qui scire possis marite, an his rationibus sis uxorem seruaturus & lucrifacturus Christo? Quod si contingit, an nõ ingens est lucrum? Si non succedit, tamen approbabit deus bonam mentem tuam quæ id studuerit. Sed interim dum incertum est, successurum sit nec ne, bona spe cohæreat coniugium, nec mutet diuersa religio uitæ statũ. Nec enim baptismus uindicat uxorem à iure mariti, si is eo legitime utatur, nec seruum à iure domini, si is quatenus fas est eo utatur.

11 Vnumquenq; sicut uocauit deus, ita ambulet, & sicut in omnibus ecclesijs doceo. Circuncisus aliquis uocatus est, non adducat præputium: in præputio aliquis uocatus est, non circuncidatur.

Vt cuiq; sua sors obtigit à deo, in ea Christo seruiat. In quo quenq; statu deprehenderit euãgelica doctrina, in eo perseueret. Religionis nouitas ueterem peccatorum abolet uitam, nõ abrogat ueterem statum politicũ, quod cum quouis conditionis genere conueniat Christianismo, qui nequaquam ob id inductus est, ut turbet publicum rerum humanarum statum, sed ut in omni statu sancte pieq; uiuatur. Hæc est mea sententia, quam non uobis solum, uerumetiam omnibus ecclesijs propono. Nec grauabimini sequi quod omnes amplectũtur. Itaq; si dei uocantis afflatus deprehenderit te coniugatum, non est cur ideo rescindas matrimonium: si circuncisum, non est cur pigeat te tuæ sortis, & præputium uelis accersere. Nihil enim officit præputiũ nouæ in Christo domino religioni. Rursus si alicuius es à circunciſione, non est cur optes circuncidi. Hæc à Paulo ad consolationem dicuntur. Nec patrocinantur his qui sectarum & factionum falsam religionem tuentur. Porrò qui liber est uocatus, hac parte nihil præcellit, nam & caro eius iam domita, Christo mortua esse debet, ut Christo uiuat, non sibi.

Circum-

Circuncisio nihil est, & præputium nihil est, sed obseruatio mandato 12
rum dei.

Vbicq; contra eos pugnat, qui gentes à synceritate & libertate Christiana ad Iudaismum pelliciebant, in circuncisione omnia exteriora reijciens: nam Circuncisio omnium ceremoniarum Iudaicarum caput est: & qui circuncisionem accipit, debitorem totius legis se constituit. Quantum ergo attinet ad nouatam religionẽ, nihil refert circuncisus sis, an incircuncisus. Illud ex æquo refert utriusq;, ut posthac nõ iuxta cupiditates carnales, sed iuxta iussa dei, cui iam initiatus est, uitam agat. Satis est uitam mutari, statum nihil necesse est, quod id absq; rerũ perturbatione fieri non queat. Fidei autem iustitia non obest publicæ tranquillitati. Quemadmodum autem fides te tibi notum facit, filius dei sis nec ne: ita & mãdatorum dei obseruatio te notum facit proximo, quę est fidei fructus. Electum ergo à deo esse aliquem, aut filium dei, solus deus nouit: nobis uero tandem ex fide & mandatorum dei obseruantia innotescit. Fieri enim nõ potest, ut is qui deo fidat, electus non sit: & impossibile est, ut fides in electis non obseruet mandata, dicẽte Christo: Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Qui ergo mandata dei seruat, & uere bona opera facit, hunc intra ecclesiam fidelium, quæ nobis constat, censere debemus, etiamsi nõ ex fide faciat. Qui uero mala opera facit, hunc extra ecclesiam esse pronũciare possumus. Nos enim de externis tantum iudicamus, solus deus corda nouit.

Vnusquisq; in qua uocatione uocatus est, in ea permaneat. Seruus uo 13
catus es? non sit tibi curæ, sed & si potes fieri liber, magis utere. Qui enim in domino uocatus est seruus, libertus est domini: similiter qui liber uocatus est, seruus est Christi.

Quod de matrimonio deq; circuncisione dictum est, idem sentiendum de seruitute. Quos euangelica doctrina deprehendit obnoxios seruituti, æquo animo ferant sortem suam: nec ideo se putent manumissos à iure dominorum, quod à tyrãnide uitiorum sint manumissi. Rursus qui ingenuus uocatus est ad Christum, non est quod mutatum uelit statum suum, ac semet in seruitutem conijciat, quin potius illud agẽdum, ut si detur occasio libertatem arripiat, ac mutet seruitutem. Si dominus odio Christi reijcit seruum, nõ est cur nouum quærat herum: nec est cur sibi displiceat quod domino careat, cum Christum habeat patronũ, ex seruo factus huius libertus. E diuerso, qui ingenuus natus, per baptismum renatus est, non est quod sibi uel displiceat uel placeat conditionis nomine, cum is per baptismum factus sit seruus Christi, ut rerum uicibus permutatis, libertas cõtigerit seruo, seruitus accesserit ingenuo, quo moderatius uterq; suã sortẽ ferat. Sunt enim hæc ex eorum genere, ad quæ Christus ueluti conniuet. Arripiatur ansa commodior, si grauat seruitus, hoc nomine te cõsolare, q̃d licet dominus qualecunq; ius habeat in corpus, tamen animus exemptus à uitijs, Christo manumissus est.

Pretio empti estis, nolite fieri serui hominũ. Vnusquisq; ergo in quo 14
uocatus est fratres, in hoc maneat apud deum.

Si quid erigit animum ingenuitas, cogita te emptum à Christo, nec emptum pretio mediocri. Habes dominum modis omnibus obseruandũ, ne tibi putes esse liberum, ex affectuum tuorum arbitrio uiuere. Et qui debet seruitutem homini, eatenus manumissus est per Christum, ut si quid impium iubeat dominus, Christo potius auscultet nouo patrono, q̃ ueteri dño. Faueo libertati si contingat: nam

Christi seruitus uera ingenuitas est. Impio seruire Christianum, uidetur indignum. Et conueniebat, ut domino Christiano serui abeant in nomen & affectum fratrum ac filiorum, ob communem dominum, à quo communi pretio redempti sunt utrique. Verum ne prætextu religionis Christianæ turbetur ordo reipublicæ, suam quisque sortem ferat, & in eo perduret: sed ita perduret, ut interea meminerit dei iussa hominum imperatis anteponenda. Parete dominis, sed approbāte deo, cui plus debetis, ut à quo pluris sitis redempti, q̄ ab istis empti. Quæ de seruitute ac libertate dicta sunt, quadantenus locum habent in matrimonio & cœlibatu. Nam qui matrimonij iugo semet implicuit, quodāmodo seruus est: at qui cœlebs uiuit, huic liberius uiuēdi potestas est. Semper igitur id quod commodius & tutius est, oportet sequi, si liceat. Nec enim usquadeo libertas est affectanda, ut huius studio in grauioris periculi scopulum impingamus.

15 De uirginibus autem præceptum domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consequutus à domino, ut sim fidelis.

De eo autem quod consequenter quæritis, an Christiani filias uirgines elocare debeant, an ueluti Christo sacras in perpetua uirginitate tenere domi, quo liberius domino seruiant. Licet non habeam domini præceptum, ex quo uobis certo respondeam, habeo tamen cōsilium, quo suadeam quod mihi uidetur optimum. Nec opinor uobis aspernandum meum consilium, quando mihi quoq; delegata est authoritas apostolica, mihi quoq; licet immerēti contulit diuina bonitas, ut ex eius animo dem fidele & salubre consilium, non spectans quid in rem meam sit, sed quid uobis expediat. Suggerit enim mihi spiritus is qui me elegit, ut sim fidelis ad dandum fidele consilium.

16 Existimo enim hoc bonum esse, propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse.

Si incommoda ac tribulationes huius uitæ spectetis, quibus nunc urgemur & adfligimur, propter prædicati euangelij fidem, cedo undiq; commodā & tranquillam rem esse, si quis innuptus permaneat, & liber ad apostolicos discursus & labores. Non enim parum impedit uxor & liberi, sicut & possessio temporalium ingens, ut cunctatius obeas apostoli aut euangelistæ munus, id quod ego probe experior. Vt præsens necessitas etiam ad Paulum referri possit, & à Paulo transferri ad omnes hoc sensu: Ego tot malis didici, opportunam rem esse euangelio prædicando, hoc maxime persecutionum tempore, & discursuum necessitate, si quis non sit alligatus uxori, ut permittam & alijs qui in hac sententia sunt, ut castimoniam seruare cupiant propter imminentes aduersitates, commodum esse si sis innuptus. Arbitror enim eam libertatem optandam, quæ prosit diuulgando euangelio & gloriæ Christi, ut quæ Christum hoc tempore profitetur uirgo, nulli sese addicat nisi Christo. Non quod negem sanctam & honestam rem esse coniugium, sed quod cura educandorum liberorum, & familiæ gubernādæ multum secum trahat solicitudinum & afflictionum. Hanc necessitatem ac ueluti seruitutem effugit, qui sine carnis adustione consistens, & gratiam castimoniæ consecutus, uel curis sacris unice dicatus, abstinet à coniugio. Præstat igitur libertatem mentis amplecti & corporis, si sit uel integrum uel tutum. Integrum non est his qui sese iam matrimonij uinculis implicuerunt. Tutum non est ijs, qui sibi temperare per carnis importunas ustiones non possunt.

17 Alligatus es uxori? noli quærere solutionem: solutus es ab uxore? noli quærere uxorem.

Hæc

Hæc remediorum consilia sunt: dicit enim, non debere quenquam absolui ab uxore, nisi causa fornicationis. Frequenter em̃ suas dimittentes sub tegmine continentiæ, alias decipiunt, refrigescente proposito. Ideo dicit: Si iam alligatus es uxori, ne Christi prætextu quæras diuortium. Si contigit tibi libertas, noli affectare matrimonij capistrum, ita tamen ut à cæteris temperes: si quo minus, quid prodest desiderium carnis premere: hoc est, rem licitam spernere, & illicitis concupiscentijs subiacere. Satius est, à deo propositum remediũ incontinentiæ amplecti.

Si autem acceperis uxorem, non peccasti: & si nupserit uirgo, nõ pec- 18
cauit, tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Ego autem uobis parco.

Si diffisus tuis uiribus duxisti uxorem, non est quod te pœniteat, nihil enim sceleris admissum est, quia quod tibi concessum est fecisti, remedium institutum à domino non spreuisti, à multis concupiscentijs quo minus infestent iugiter, animum tuum exemisti. Rem quidem obnoxiam curis, sed legitimã suscepisti. Nec ideo Christo deterior eris quod uxorem habeas, sed afflictior, & curis mundanis, sed nõ illicitis, eris magis obnoxius. Quin etiam si uirgo malit esse materfamiliâs, non peccat, si uiro legitime nupserit. Nihil est incommodi, nisi quod ob curas rei familiaris, minus liberum erit assidere lectioni ac precibus, aut alijs officijs pietatis. Solicitudinibus distrahetur, feret cum dolore uterum, curabit nutrimenta filiorum, uictum, amictum, tegumenta, dotes, ægritudines, domus, apparatus, mariti dominatum. Itaq; dum utrunq; uobis liberũ facio, duplici nomine uobis parco. Qui potest carere coniugio, huius libertati consulo: qui non potest, huius periculo succurro. Laudo cœlibatum legitimum, castum & quietum, ut feliciorem: probo matrimonium, ut tutius. Ne quis me putet coniugium detestari, aut ab eo mentes hominum auocare uelle, interim non recensebo omnes coniugalis uitæ molestias.

Hoc itaq; dico fratres, tempus breue est, reliquum est, ut & qui habẽt 19
uxores, tanquam non habentes sint: & qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquã non gaudentes: & qui emunt, tanquã non possidentes: & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur: præterit enim figura huius mundi.

Hac de re quid quisq; statuat, ipse uiderit. Necq; compello quenquam necq; uetо, duntaxat in his, quæ dominus nec exegit nec interdixit. Illud à uobis promiscue exigam fratres, quando tempus hoc angustum est, quod immineat dies ille supremus, pro uiribus ad ea properandum est, quæ nos in eum diem præparent, reiectis ijs quæ nos eò festinantes remorãtur. Incertus est dies ille, sed certum est non procul abesse. Hunc qui cogitet semper instare, rebus fluxis & momẽtaneis leuissime tangetur, siue quid molestum obuenerit, siue quid expetendum obtigerit: nam ultimus ille dies adimet nobis utrũq;, adimet & mors, si fortè diem illum præuenerit. Quorsum igitur attinet in ijs quæ mox peritura sunt anxie distorqueri, ac magnopere gestire, cum res æternitatis agatur? Habeãt uxores qui uelint, sed habeant neglectim, perinde quasi non habeant. Ita leuius affliget matrimonij seruitus, & leuius remorabitur coniugij uoluptas. Quos fortuna rebus aduersis premit, sic plorent, quasi non plorent. Quibus arridet fortuna huius mundi, sic gaudeant, quasi non gaudeant. Qui mercantur, sic mercẽtur, quasi rem emptam non possideant, utpote mox auferendam, & uelis nolis aliò demigrandum. Et

quos casus uel necessitas inuoluit mundanis negotijs, sic utantur quasi non utantur. Sit harum rerum postrema cura, prima cœlestiũ, si solam esse non licet. Vmbras modo bonorum ac malorum mundus hic habet, in quibus neq; solidum est quicquam, neq; diuturnum, quibus hærere toto animo, non est eorum qui contendunt ad immortalitatem. Inter utrunq; sic est incedendum, ut neque ad sinistram, neq; ad dextram declinent. Non frangant aduersa, nec prospera reddant insolentes. Breue est quod uiuimus, nemo hisce rebus inhiet, ut cœlestia interim amittat. Nolite rebus fluxis & momentaneis hærere, quærite æterna.

20 Volo autem uos sine solicitudine esse. Qui sine uxore est, solicitus est quæ domini sunt, quomodo placeat deo: qui autem cum uxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & diuisus est.

Hæc ideo loquor, quod cupiam uos q̃ minimũ distineri curis mundanis, atq; hoc uitæ genus potissimum amplecti, quod uos q̃ minimum inuoluat prophanis negotijs. Hac in parte potior esse cœlibis q̃ coniugati cõditio. Siquidem qui cœlebs est, non distrahitur in diuersas curas, quomodo socero, socrui, quomodo cæteris affinibus, quomodo uxori ac liberis satisfaciat, unde uictum familiæ indies crescenti suppeditet, unde dotem euincat, sed totus uacat Christo, uerbo domini, & proximorũ saluti pro uirili, summam uotorum adeptus si illi uni placeat, non interim otiosus & iners uel stertens, sed ut quàm plurimis prosit. Contrà qui duxit uxorem, ut ex parte quidem domino uacare possit, tamen aliquam sui partem debet uxori ac rebus uxorijs. Non autem Paulus simpliciter dicit improbandum castum connubium, ubi domino pariter seruitur, sed immodestiam illam taxat, & uxorios affectus nimios (quin Augustinus alicubi ardẽtiores amatores uocat adulteros) qui se totos carnis desiderijs dediderunt, & huius mundi curis plus æquo impliciti sunt. Nam supra dixerat, satius esse nubere q̃ uri. Vstio ergo non minus, imò omniũ maxime abstrahit à diuinis studijs, multo magis q̃ actus coniugalis, qui suum quoq; salsamentum habet, & medicinales temperantias, fieriq; potest cum legitima & castitate & modestia, magnoq; cum usu pietatis, & sine impedimento sacrorum studiorum, si contingat probo uiro honesta coniunx: id quod à domino dum petitur diligenter, facile poterit impetrari. Habet & cœlibatus multiplicia grauissimaq; incommoda sua, de quibus nedum præco uirginitatis immodicus Hieronymus imprudenter multa testatur, sed & ab ipsius tempore multiplex experiẽtia docuit, non sine magno scandalo, & ecclesiæ Christi grauissimo lapsu. De qua loquantur, qui sunt experti utrunq;.

21 Et mulier innupta & uirgo, cogitat quæ domini sunt, ut sit sancta & corpore & spiritu; quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mũdi, quomodo placeat uiro.

Vxor quoniam sui iuris tota non est, non potest tota uacare Christo, sed in diuersas curas dissecta, dimidiata seruit Christo, dimidiata matrimonio. Rursus uirgo aut mulier alioqui cœlebs, unum illud curat, id est curare debet ut possit, ut Christo cœlesti placeat sponso, cui non aliter placet, q̃ si se totam castam & incorruptam seruet, nõ corpore solum, uerumetiam animo. At quæ nupta est, necesse habet, ut se Christo mũdoq; partiatur: ita satagens placere Christo, ut marito cui debet obsequium, non displiceat. Virgo autem, aut quæ non est nupta, dum spiritum non suscipit mariti & filiorum solicitudinem, de domino cogitat, quomodo in uoluntate domini tota uersetur, ut in corpore mundo animus cœlestis semper cœlestia cogitet. Animus est enim, qui aut sanctificat aut polluit corpus.

Quid

Quid enim prodeſt corpus mundum habere, ſi tamen ſemper mundum habere
poteſt, & animam polluram, uarijs tam cogitationibus q̃ deſiderijs, cum merito
animæ aut honoratur corpus aut damnatur.

Porrò hoc ad utilitatem ueſtrã dico, non ut laqueum uobis iniiciam, 22
ſed ad id quod honeſtũ eſt, & quod facultatem præbeat ſine impedimen
to dominum obſecrandi.

Aliter Eraſmus. Sed ut quod honeſtum ac decorum eſt ſequamini, & adhæ-
reatis domino abſq; ulla diſtractione. Totus, inquit, hic ſermo meus quo cœliba-
tum effero, ne quis aliorſum uertat, huc tendit, non quo uobis libertatẽ adimam
contrahendi, aut non contrahendi matrimonium, aut neceſſitate adigam in ali-
quod uitæ genus, quod cuiuſquam animo non ſedeat, ſed amico conſilio ueſtris
conſulo commodis, ut cum ſciatis utriuſq; ius eſſe uobis, ad id potius uergatis,
quod præter decus honeſti libertatis quoq; commodum habet adiunctum: per
quam cœlibi licet perpetuo ſtudio cultuq; ſic adhærere domino Ieſu Chriſto, ut
nullis terrenis ſolicitudinibus unquam ab eo diuellatur. Illud expendat quiſq; ſe-
cum, an quod honorificũ ac liberum uidet, idem ſibi iudicet eſſe tutũ, atq; etiam
ex animi ſententia, ne ſupra uires moliatur, ad quod à domino gratiã non eſt con
ſequutus, ut ualeat quod præſumit. Sed hoc potius quiſq; libere uitæ genus am-
plectatur, quo totus & indiuulſus deo poſſit hęrere, ſiue id cœlebs poſſit ſiue ma-
ritus. Hunc enim eſſe ſenſum, exẽpla mox ſubiecta declarãt. Si potes plus Chri-
ſto uacare in uirginitate, eam amplectere. Si te propius & uicinius Chriſto adhæ
rere putas in coniugio, duc uxorem.

Si quis autem turpem ſe uideri exiſtimat ſuper uirgine ſua, quod ſu- 23
peradulta, & ita oportet fieri, quod uult faciat, non peccat ſi nubat.

Clarius ſic: Quod ſi quis indecorum uirgini ſuæ putat, ſi prætereat nubendi
tempus, & ſic oportet fieri, quod uult faciat, non peccat, iungantur matrimonio.
Qui, inquit, metuit, ne quid dedecoris aut infamiæ ſibi contrahat, ſi filiam uirgi-
nem iam uiro maturam, nec abhorrentem à nuptijs, ultra iuſtum tempus domi
clauſam teneat, atq; ita res ſuadeat, ut nubat: nihil obſto, quo minus faciat quod
uidebitur facto opus. Quamuis enim matrimonium, cum ſeruitutis & ſolicitudi
nis incommodis coniunctum diximus, tamen cum peccato non eſt coniũctum.
Legitima res eſt & honeſta, quibuſdam etiam neceſſaria. Proinde palàm & ma-
ture iungat filiam uirginem marito, ne furtim turpiter faciat, quod in coniugio,
ſi fiat, abeſt à probro. Id fuerat etiam cogitandum ſanctimonialium præfectis, &
uiſitatoribus patribus, epiſcopis & alijs, ut non uotis perpetuis grauaſſent uirgi-
nes, ſed ſemper in neceſſitatis, quam hic Paulus denotat, articulo, & dum aliud
agendum conſultius uideretur, libertas eſſet in domino nubendi, magis q̃ turpi-
ter uiuere cum ſcandalo eccleſiæ, & detrimento eccleſiaſtici ſtipis, quem tales in-
digne abſumunt, & pro religioſis ſe uenditant, quæ ſunt reſolutiſſime præua-
ricatrices.

Nam qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem, pote- 24
ſtatem autem habens ſuæ uoluntatis, & hoc iudicauit in corde ſuo ſerua-
re uirginem ſuam, bene facit.

Cum ſit quibuſdam etiam non neceſſaria res matrimonium, ideo ſi quis intel
ligens ſibi liberum eſſe uirginem ſuam filiam elocare, aut non elocare, nec ulla ad
utrumuis adigi neceſſitate, tamen ex animi ſui ſententia ſtatuit ac decreuit, ſer-

uare domi uirginem, quæ non optet nuptias, recte facit, si tamen serio & perpetuo tali proposito uirgo perseueret, & cum dei gratia ualeat. Etenim, ut non est tutum nupturientem à matrimonio arcere, sed impiũ & periculo graui plenum: ita pium non est, à castitatis studio uotoq; legitimo, sed non perpetuo, labefactare animum puellarem.

25 Igitur & qui matrimonio iungit uirginẽ suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit.

Qui metu periculi nuptum dat uirginem nubere cupientem, recte facit. Sic enim dominus mandauit, & gratiam castitatis perpetuæ nulli promisit, sine qua præstat nubere, q̃ uri uel peccare iugibus desideriis. At qui perpetuæ castitatis appetẽtem, ad quam gratiam accepit à domino, ut ualeat quod cupit, non impellit ad nuptias suam uirginem, quandiu casta perseuerat, sed honesto uoto, hoc est proposito, puellę obsequitur, rectius facit. Nam præter honestatem quam probat & promouet, hoc quoq; commodi lucrifacit, quod uacabit uirgini, totam & indiuulsam uacare sponso suo Christo. Nec enim in alium usum captanda est cœlibatus libertas, q̃ ut p̃ris & Christo gratis per omnia insistat officijs. Apud deum longe pulchrius est, in matrimonio quod necessarijs curis subduci potest, consecrare diuino cultui, q̃ uirginitatis prætextu ad luxum aut iners otium uitæq; licentiam abuti, quæ cœlibatum zelantibus diligentius suadeantur.

26 Mulier alligata est legi, quanto tempore uir eius uiuit: quod si dormierit uir eius, liberata est: cui autem uult nubat, tantum in domino.

Tantum abest ut uirgini primas nuptias negem, ut ne uiduæ quidem ius adimam iterandi coniugij cum secundis nuptijs. Nec mundus honorem habeat, nec iuxta mundũ sentientes & male, de natura bene à deo constituta, cũ æque iuuencula uiduari possit & uri ut uetula. Quid ergo cuiq; expediat, non est meum singulatim præscribere, hac parte suum quisq; animum in cõsilium adhibeat. Quid citra delictum fieri possit ostendo, uirgini licet nubere, quia sui iuris est, & esse debet, & semper perseuerare dum uirgo manet. Semel nuptæ non idem ius est, iam enim nupta desijt sui iuris esse, sed marito sese adstrinxit fœdere coniugij, donec ille uixerit. Sola mors dirimit hanc necessitudinem. Quisquis enim init matrimonium, hoc init animo, ut sit indiuisa copula. Quod si diem suum obierit maritus, redit uxori superstiti postliminio sua libertas, ut si placeant iteratæ nuptiæ, nubat cuicunq; uelit, modo sit Christianum coniugium, hoc est, nec turpitudinis gratia affectatum, & cum eiusdem religionis uiro contractum, uel quem sibi aptum putauerit, quia inuitæ nuptiæ solent malos prouentus habere.

27 Beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium. Puto autem quod & ego spiritum dei habeam.

Vt autem fateor non esse obnoxiam peccato, quæ cõcessas iterat nuptias: ita feliciorẽ arbitror, quæ studio perpetuo uacandi Christo in sanctis exercitijs, tuetur redditam libertatem. Id igitur non præcipio quidem ut necessarium, sed consulo ut commodius. Hominis cõsilium audis, sed non abhorrentis à mente Christi, qui multa per se, nonnulla per suos tradit. Huius cum & apostolus sim, &, ni fallor, spiritum hauserim ut apostoli cæteri, non est quod meum consiliũ leue pondus apud uos habeat. De tertijs aũt & quartis nuptijs & pluribus, solẽt homines mouere quæstionem. Sed quis definire audeat, quod nec Apostolũ uidemus definiuisse? Quandoquidem & possunt iuuenculæ uiduæ sæpe maritis destitui, exemplo sanctæ Annæ apud Tobiam.

Caput

CAPVT VIII.

DE ijs autem quæ idolis immolantur, scimus quod omnes scien- 1
tiam habemus. Scientia inflat, charitas uero ædificat.

Quum apud Corinthios fideles cum infidelibus mixtim uersarẽtur, factum est ut iunctis amicitijs & uicinitatibus, gentes in festiuitatibus publicis, quum dijs suis sacra facerent, aliquãdo fideles ad epulas publicas inuitarent. Vocati ergo Christiani (grauatim licet) cum gentibus accumbebant quidam, ne uiderentur societatem eorum aspernari, quidam quod scirent idolum nihil esse. Quod quidem apostoli, qui tum Corinthi præerant, admittebant. Erant aũt multi adhuc infirmi, qui hoc facto non parum offendebantur, apud se cogitãtes, non adeo malum esse colere idola, quum uiderent perfectos quosq; ex idolothitis promiscue uesci. Sciolos ergo istos, qui idolothita inter media & indifferentia locabant hoc loco redarguit, peccatum eorum ostendens, quo multi non solum offendebantur, sed & plures Christi doctrinã non amplectebantur. Bifariam ergo eos peccasse conuincit. Primo in charitatem, quod cum offensione proximorum, de sacris idolorum ederent. Secundo, in pietatem, quod non deceat eos qui corpus Christi sunt, mensæ dæmoniorum esse participes. Sunt igitur, inquit, inter uos, qui quòd intelligunt simulachrum nihil aliud q̃ lignum aut æs, aut saxum esse: proinde carnes huic immolatas, re uera nihil à cæteris differre carnibus, nec animum hominis ullo cibi genere uel refici uel pollui posse, male freti sua scientia, passim nulloq; delectu sese iniurgitant carnibus immolatitijs, bene quidem iudicantes de re, sed parum memores Christianæ charitatis, quæ solet offendiculum omne uitare, ac semet accommodare infirmioribus, donec paulatim ad meliora proficiant. Quid autem magni est, si intelligãt simulachra nihil habere numinis? Quis istud Christianus nõ intelligit, quod intelligũt & inter ethnicos paulò cordatiores? At sæpenumero consultius est sequi quod dictat charitas, quàm quod dictat scientia. Scientia frequenter officit, ut quæ tumorem ac supercilium adferat; at charitas ubiq; prodesse studet, lædit neminem. Simile argumentum obijci debet nostri sæculi defensoribus imaginum, in ecclesijs publice prostãtium, contendentibus eas media dici & esse, cum sint dei certa abominatio, & dæmonum pernicioſa ludificatio.

Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum cognouit quemad- 2
modum oporteat eum scire. Si quis autem diligit deum, hic cognitus est ab eo.

Magna scientiæ pars abesse uidetur ijs, qui nesciunt quatenus sit utendum scientia, id autem præscribit charitas, è proximi commodo metiens omnia. Hanc igitur in cõsilium aduocet oportet, qui uera scientia præditus uideri uelit: at qui charitatis expers, inani scientiæ persuasione tumet, tantum abest à uera scientia, ut nec illud etiam sit assecutus, ut sciat quatenus oporteat uti scientia. Quisquis apud deum sapiens est, is uere sapit. Etenim qui sibi placet, suaq; studet gloriæ, neglecto fratris periculo, huius scientiam nõ approbat deus. Cæterum qui deum uere diligit, & proximũ diligat necesse est. Hunc igitur ut suum discipulũ agnoscit deus, quippe qui quemadmodum ille suam sublimitatem accommodauit seruandis hominibus, ita suam scientiam subijcit ac seruire cogit cõmodo proximi. Considera hic Lector, quot modis animi elationem contundit, eorũ qui nimium sapiebant. Primum ostendit, non solos scire quæ sciunt. Omnes enim, inquit, scientiam habemus. Deinde quod damnosa est sine charitate scientia. Scientia, in-

quit, inflat. Tertio loco, quod etiam adiuncta charitate non sit perfecta & cõsummata. Si quis se existimat scire aliquid, nondũ cognouit quomodo oporteat eum scire. Accedit ad hoc, quod neq; hoc ipsum ex se habent, sed diuino munere. Non enim, inquit, cognouit deum, sicut cognitus est ab eo. Præterea quod à charitate hoc ipsum proueniat, quam non habent ut oportet. Si quis, inquit, dilígit deum, hic cognitus est ab eo. Tot igitur rationibus eorum cõprimens tumorem, his uerbis doctrinam suam aggreditur.

3 De escis autem quæ idolis immolantur, scimus, quia nihil est idolum in mundo, & quod nullus est deus nisi unus. Nam & si sunt qui dicantur dij, siue in cœlo siue in terra, (siquidem sunt dij multi, & domini multi) nobis tamen unus deus pater, ex quo omnia, & nos in illum, & unus dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum, sed non in omnibus est scientia.

Vt ad id quod institutum erat recurrat sermo, infert: Nouimus plerique, quod simulachrum, licet adoretur ab ethnicis, perinde quasi numen habeat, re uera tamen nihil aliud sit, q̃ lignum aut saxum, ad hominis aut alterius animantis imaginem, cum unus sit deus, isq; simulachro careat, nec enim effingi potest. Quid est quod simulachrũ repræsentat, nisi dęmonia, quibus infelices pro deo sacrificant? Istos igitur polluunt huiusmodi cibi, quos ut uere sacros capiunt, cũ sint prophani. Christianum non polluunt qui non uescitur ut sacris, sed ut à deo concessis, ad sedandam famem. Necessitatis causa uescitur, non religionis, irridens apud se ridiculam ethnicorum deorum turbam, ac certus, nullum alium esse deum præter unum, cui sacra sunt omnia. Nam ut sint alij qui uocentur dij, siue in cœlo, quos illi cœlites uocant: siue in terra, quos inferos illi ducunt, quod genus sanè sunt dij multi ac domini multi, nomine duntaxat sunt dij ac domini, & ijs duntaxat tales sunt, qui eos per errorem crassissimum tales credunt, & in deos ac dominos adoptarunt. Nobis tamen Christianis non est nisi unus deus, nimirum pater ille Iesu, conditor & author uniuersi, à quo uno nobis proficiscuntur omnia, cuiq; soli addicti, pio cultu placere studemus. Vnus item dominus Iesus Christus, per quem unum omnia nobis contulit pater, & cuius unius beneficio deum uerum agnoscimus, ut iam cum falsis ac prophanis ethnicorum dijs nihil omnino commercij sit nobis, neq; pluris æstimari debeant, q̃ si omnino non sint. Itaq; quisquis robore Christiano contemnit simulachrum, & simulachris immolatum, recte quidẽ sentit, & recte famelicus uesceretur immolatitijs carnibus, perinde ut quibuslibet, si quod ueriſſimum est, ex æquo persuasum aut perspectum esset oĩbus, nullus enim offenderetur.

4 Quidam autem cum conscientia usq; nunc idoli, quasi idolothitum manducant, & conscientia ipsorum cum sit infirma, polluitur.

Nunc accumbunt in conuiuio, quibus ex maiorum institutis à prima pueritia persuasum ac penitus infixum est, simulachrum rem esse sacram, & quicunq; accũbunt in epulis, huiusmodi superstitionis esse consortes, neq; credunt ista tantopere posse contemni, quæ ipsi tantopere laudãt, defendunt, reuerentur ac metuunt. Hi quod tu iudicio bonaq; fide facis, sic interpretabuntur apud se loquentes: Non est tam execrabilis idolorum cultus, quãdoquidem à sacris nostris non abhorrent Christiani. Accumbit aut astat fortassis & Christianus aliquis, qui licet Christo sit initiatus, tamen nondum robore fidei perfectus est, sed ex ueteris instituti

institutí contagio, quod à maioribus imbibit ex diutina publicaq; cõsuetudine re
lictis uestigijs, laborat, atq; immolatitijs carnibus nõ sine religione uescitur, non
nihil sperãs aut timens, ne dæmon ille quisquis est, aut prosit parte aliqua aut offi
ciat. Quid enim mirum si hoc accidat Græcorum aliquibus, quod uidemus ple
risq; Iudæorum accidere? Arduum est, penitus ac radicitus ex animis hominum
reuellere, quod illic primæ ætatis institutio, quod publicus usus, quod diutina cõ
suetudo fixit. Nemo repente fit plene Christianus. Habet ut natura sic & religio
gradus suos. Itaq; quemadmodum ætate robustiores, natura magistra ferimus ac
fouemus imbecilles: ita exemplo Christi, qui prouectiores sunt in fide, debent in
firmioribus obsequi nonnunquam, donec progressu temporis robur iustum col
ligant. Verum ut hodie sunt apud Hebræos Christũ professi, qui tamen ob hau
stam à proauis religionem, non possunt istiusmodi contemnere, quãuis id palàm
& sacri uates futurum prędixerint, & Christus ipse fieri iusserit: ita fuerunt apud
Græcos, primum illucescente euangelio. Quin & hodie sunt, qui licet Christum
agnoscant, tamen nondum penitus expulerint ex animo patriæ religionis horro
rem, atq; ita uescuntur carnibus uictimæ simulachris immolatæ, non quatenus
habiles sunt ad medendum latranti stomacho, sed quatenus sacræ sunt, huic aut
illi dæmoni dicatæ. Hic, cum te quem existimat doctrina iudicioq; præcellere, ui
derit cum ethnicis in sacris epulis accumbentem, suspicans te non alio animo ue
sci, q; uescatur ipse, offenditur exemplo tuo, ac perperam imitatur factum, cuius
animum & iudicium non perspicit. Igitur qui paulò ante uacillabat, ac leuiter e
rat superstitiosus, per occasionem redditur superstitiosior. Non hæc dico, quod
probem huius uel superstitionem uel suspicionem. Etenim infirmitatem non cõ
laudandam aut alendam, sed ad tempus alicubi ferendam ac fouendã docet cha
ritas Christiana. Nec enim arbitror ubilibet obsecundandum infirmorum cupi
ditatibus. Quid enim hoc aliud esset, quàm superstitionem in immensum alere,
& sic obsequi infirmis, ut ipse desinas esse firmus. Docendus est infirmus ille, mo
nendus est, arguẽdus est, qui cum debuerit infirmior auscultare firmiori, tamen
apud se iudicat ac damnat meliorem se, & cum cõuenerit ex illius exemplo fidei
robur colligere, confirmat animi sui morbum. Cumq; magis oportuerit ad illius
perfectionem eniti, cogit illum ad alienã infirmitatem descẽdere. Verum si non
dum capax est qui monetur Christianæ pietatis, arbitror ut qui firmior est, obse
quatur aliquantisper imbecilli, sed profecturo, præsertim in huiusmodi negotio,
in quo duo peculiaria sunt expendenda, primum superstitionis affectus, quem
hausum unà cum lacte longi temporis consuetudo cõfirmauit, rem esse pene in
expugnabilem. Ad hæc, nullum periculum formidabilius idololatriæ periculo.

Esca autem nos non cõmendat deo. Neq; enim si manducauerimus, ꝫ
abundabimus: neq; si non manducauerimus, deficiemus.

Agendum nobis potius est, ut arrogantem, & charitatis expertem, & simpli
cibus periculosam scientiam retundamus. Approbo quod dicis, Esca non cõmen
dat nos deo. Cum enim deus uniuersa crearit ad usus humanos, neq; quicquam
à nobis exigat præter uitæ pietatem, quid illius refert, piscium aut quadrupedum
an uolatilium carnibus uescamur. Nihil enim horum pietati quicquã uel addit,
uel adimit. Horum delectus superstitiosum facere potest, pium nequaquã. Chri
stus nullum horum discrimen docuit. Proinde temeritatis sit, si quis homũculus
conetur quenquam huiusmodi constitutionibus onerare, pro suo quisq; corpo
ris affectu uescatur quibus uelit, modo sobrie parceq;, super oĩbus gratias agens

deo, nec damnans quenquam qui diuersis uescitur, nec sibi placens quod ob corporis commoditatem illis aut illis non uescatur. Verum in alijs non perinde magnum periculum est, hic ubi summum est, dandū est aliquid infirmitati quorundam, siue uescaris ijs quæ sunt immolata simulachris, nihilo fueris sanctior, siue non uescaris, nihilo fueris impurior.

6 Videte autem ne fortè hæc licentia uestra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis uiderit eum qui habet scientiam, in idolio recumbentem, nónne conscientia eius cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothita? Et peribit infirmus in tua conscientia frater, propter quem Christus mortuus est.

Illud interim cauendum, ne ista quibuslibet uescendi potestate sic utamini, ut infirmis præbeatis occasionem ruinæ. Quid ni id futurum sit, si quis hac superstitione nonnihil adhuc infectus conspexerit te, qui iudicio doctrinaq; uideris antecellere, unà cum cæteris qui sacrificarunt simulachro, in communibus epulis accūbentem, ac licet dissimili animo, tamen non dissimili specie uescentem? Nón ne huius animus suapte sponte propēsus ad pristinam superstitionem, exemplo tuo fulcietur, & incitabitur ad idololatriam, ut quibus tu bona firmaq; fide uescaris, ac tranquilla conscientia, hic insyncera conscientia uescatur? Quid tum posthac inquies? Videlicet periculum est, ne per occasionem tuæ firmitatis pereat frater infirmus: quamlibet infirmus, sed tamen frater, hoc est Christianus, quem adeo non contēpsit ipse Christus, ut pro eo seruādo nō grauatus sit mori. Christus pro infirmis suam uitā uilem habuit, & tibi fratris tui salus adeo pro nihilo est, ut ob uilissimum cibum negligas illius periculum, præsertim cum non desit, quo citra fratris offendiculum possis explere uentris necessitatem?

7 Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.

Ne leue autem putetis crimen peccare in hominem, quoties ad istum modum offenditis infirmos. Exemplo suspecto uulnerantes illorum imbecillem conscientiam, & Christum ipsum offenditis. Quantumuis pusilli sunt, quantumuis imbecilli, agnoscit tamen hos Christus ut sua membra, in his sese lædi putat, quod his impensum est officij, patitur imputari sibi.

8 Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem inæternum, ne fratrem meum scandalizem.

Non abs re tantopere monuit cauendum ab offendiculo pusillorum. Nemo me magis intelligit, in cibis nullam esse portionem uel pietatis uel impietatis, sed tamen si sensero periculum fore, ne frater adhuc superstitiosior, per occasionem pertrahatur ad uescendum his, quibus irrequieta conscientia uescitur, citius per omnem uitam in totum ab esu carnium abstinuero, q̄ committam ut mea causa periclitetur Christi membrum. Non polluit uescētis firmam conscientiam cibus immolatus simulachro, fateor, sed sic uescentē polluit fraterni periculi neglectus, quem æque diligere iubemur atq; nosipsos.

CAPVT IX.

1 On sum liber? non sum apostolus? nónne Christum Iesum dominum nostrum uidi? nónne opus meum uos estis in domino? Etsi alijs non sum apostolus, sed tamen uobis sum, nam signaculum

lum apostolatus mei uos estis in domino.

Cum 7. capite taxasset eos qui castitatẽ simulantes, scortationi turpiter inser-uiebant, & 8. cap. eos conuicisset, qui sibi omnia edendi, uel cum infirmorum of-fensione facultatem esse putabant: præsenti capite, quod 6. cœperat, licitum scili-cet esse apostolis ex euangelio uiuere, multis rationibus prosequit. Deinde etiam Corinthiorum doctores perstringit, qui sese nimium extollebant, Paulum ut hu-milem despiciebant, obijcientes ei (quum eos uentris prædicatores appellasset) quod & ipse ab ecclesia eorũ pecuniam accepisset. Hoc Paulus diluit, ostendens se nihil à Corinthijs accepisse: deinde si etiam accepisset, iure se accepisse. Obijcie bant ei præterea, quod uxorem suam circũduceret. Iactabant se quidem hoc esse Paulo maiores, quod eorum essent discipuli, qui Christũ in carne uidissent. Hæc omnia paucis absoluit & excusat hoc capite Paulus. Multæ, inquit, res sunt, in quibus meo iure non sum usus, non mihi deerat iudicium, intelligebam quid mi hi liceret, sed potius fuit quid uobis expediret. Permulta feci quæ sciebam ad pie-tatem nihil habere momenti, quo placarem eos, quos nolebam alienari à Christo. Permulta nõ feci, quæ mihi facere licuisset, nisi diuersum suasisset uestra utilitas. Quid enim? An non sum apostolus, quemadmodũ cæteri, qui hoc titulo glorian-tur? Nónne iussu Christi missus sum ad gentes? Quod si æque sum apostolus atq; alij, qui minus mihi ius est apostolicæ potestatis? An non & mihi datum est uide-re dominum nostrum Iesum Christum, si cui magnum, ut est, uidetur, quod alijs à resurrectione sit conspectus? Quod si ex ijs quæ præstiterunt, ac rebus præcla-re gestis, æstimantur apostoli, quid est, quod uel hic in me desideretur? An non fa cinus est apostolicum, Corinthum olim sic addictã mundanis cupiditatibus Chri sto lucrifacere? Atqui hoc facinus opitulãte domino, per me designatum est. An Iudæis sim apostolus, ipsi uiderint, qui Christum cum Mose studẽt commiscere. Certe uobis apostolus sum, qui meo suasu Christo credidistis, qui sensistis uim di uinam adesse meo sermoni. Vos igitur meum opus estis, si facta requiruntur. Li-ceat quicquid hic laudis est, Christo debetur, non mihi. Nónne uos estis diploma meum, per quod docere possum ad Christi gloriam, mihi delegatam apostolicam functionem?

Mea defensio apud eos qui me interrogant, hæc est: Nunquid non habemus potestatem manducandi & bibendi? Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri apostoli & fratres domini, & Cephas? Aut ego solus & Barnabas non habemus po testatem hoc operandi?

Ita soleo respondere ijs, qui rogitant quo argumẽto me declarem apostolum. Si per me factum est in uobis, quicquid usquam per summos apostolos effectum est in alijs, qui minus sum apostolus q̃ illi? Quod si par est mihi cum illis apostoli-cæ functionis uel authoritas uel fructus, quid uetet quo minus pari cum illis iure utar, & æqualis aut fortassis superior in laboribus, æqualis sim & in præmijs? An solis nobis ius non erat edendi bibendiq; sumptu eorum quibus euangeliũ præ-dicamus? An solis nobis fas nõ est, Christianas matronas circumducere, quæ de suo nobis quæ sunt uitæ necessaria suppeditent, quod faciunt apostoli, non qui-libet, sed apostolorum summates, fratres domini, qui uocantur Iacobus & Ioan-nes, quin etiã ipse Cephas, cuius prima est inter apostolos existimatio? An uni mihi & Barnabæ, quia non idem facimus quod illi, non uidetur idem esse ius in otio uiuendi, & alieno sumptu prædicãdi euangelium? Opes ex euangelio adeo

non uenamur, ut quod alioqui iustissimum erat, ne simplicem quidem ac frugalem uictum gratis acceperimus. Loquitur autem Paulus & de uxore quoq; sua, quam aliquanto tempore secum circumduxerat, non semper. Proinde superius optauit omnibus suam mentem, talem scilicet, quæ huiusmodi adfectibus carnis leuissime tangeretur, reprimentibus eos nimirum itineribus, periculis, plagis, & laboribus assiduis. Et in hunc sensum dicit, Vellem ut omnes essent ut ego sum, hoc est, opto omnibus mentem tranquillam, nec obrutam libidinosis affectibus, qualis mihi gratia dei contigit. Sed nec matrimonium damnat, nec uxorem abiicit, sororem uero eam uocat, propter fidem Christi communem, ut Phil. 4. Discipulos quoq; fratres appellat more Hebraico, qui nimirum uxores circumducebant, nam alioqui frustra eos testes adduxisset, si nõ omnibus fuisset manifestum, apostolos uxores circumducere.

3 Quis militat suis stipendijs unquam? Quis plantat uineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?

Quasi diceret: Apud milites huius mũdi maiorem inuenio æquitatem, quàm apud uos uidetur. Opprobratis mihi quod cibum pro munere prædicandi accipiam, & milites huius mundi non militant suis sumptibus. Pulchrisq; exemplis utitur alijs. Quis, inquit, colit uineam, ut non edat de prouentu uineæ? Quis pascit gregem, nõ interim edens de lacte gregis? In omni officio sumptus ab eo suppeditantur, cui datur opera. Verum hic quoq; cauendũ, ne illud mulgere ac tondere intelligas perperam, ueluti illi, qui uiolenti tyrannide gregem Christi non solum tondent, sed deglubunt etiam, ac pellem detrahũt: non lacte solum uescuntur, sed pinguia quæq; occidunt & deuorãt, crudelissimi non tam pastores quàm depastores.

4 Nunquid secundum hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os boui trituranti. Nunquid de bobus cura est deo? An propter nos utiq; hoc dicit. Nam propter nos scripta sunt, quoniam debet in spe qui arat, arare: & qui triturat, in spe fructus percipiendi.

An hæc humanis duntaxat argumentis asserо? Nónne quod naturæ ratio dictat, idem & sacra lex iubet? Siquidem Mosaica lex uetat, ne quis obliget os boui cum ad trituram circumducitur, quod iniquum sit, non inde suppetere pabulum in quo laboratur. Sed dixerit aliquis: Quid istuc ad apostolos? An probabile est, deum hac lege bubus tantum cautum ac prospectum uoluisse? an potius aliquid altioris sententiæ latet, quod ad nos pertineat. Adeo deus non uult operarium fraudari suo uictu, ut ne bubus quidem id fieri uoluerit. Proinde non tam boum quàm nostra causa scriptum est hoc: ut quisquis laboriosam agricolationem exercet in segete domini, non fraudetur spe præmij sui: & qui triturам exercet in area domini, præter spem æterni præmij, præsentis etiam mercedis solatio laborem leniat. Non negat Paulus boues quoq; deo curæ esse, cuius prouidentia omnia disponit ac gubernat, cuius bonitas coruorum pullis cibum suppeditat, sed ostendit hæc à deo nõ esse in lege præcepta propter boues duntaxat, sed ut æquabilitatem quandam & æquitatem doceret.

5 Si nos uobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos carnalia uestra metamus? Si alij potestatis uestræ participes sunt, quare non potius nos? Sed non usi sumus hac potestate, sed omnia sustinemus, ne quod offen-

offendiculum demus euangelio Christi.

Neq; uero magnum esse putetis, si nos cum uobis contulerimus ea quæ ad uitam attinent immortalẽ, uicissim à uobis accipiamus quod ad huius uitæ necessitatem pertinet: & cum uobis spiritualia seminauerimus, uestra carnalia recipiamus. Non habet cur imputet suum beneficium, qui pro rebus pretiosissimis uilissimas commutat. Non sumus uobis obnoxij, si uictum à uobis oblatum recipiamus, sed uos ingrati, si uictum negaueritis ijs qui uestris cõmodis desudãt. Quod si hoc iure apud uos usi sint, & utuntur apostoli qualescunq;, (nihil enim interim de his pronuncio) quanto iustius nos, qui & omnium primi & omnium maxime uobis laborauimus, hoc iure poteramus uti? Et tamen scientes & prudentes, non sumus usi iure nostro, non quia nõ liceret, aut quia nobis aliũde suppeteret, quin potius in graui rei familiaris inopia nihil non pertulimus, ne quid existeret quod euangelicæ doctrinæ profectum interrumperet, ne pseudapostolis, quę sua sunt quærentibus, fenestram negotiandi de euangelica functione aperiremus. Hæc igitur res, quia contra euangelicam erat disciplinam, hic non uult accipere, ut libere arguat, ne in illorũ numero inueniatur. Vt enim regulæ Christianæ ius maneret, licita fecit illicita, quia illi per licentiam offendebant, interimq; blandiebantur peccantibus.

Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt? Et qui altario deseruiunt, cum altario participant? Ita & dominus ordinauit ijs qui euangelium annunciant, de euangelio uiuere. 6

Nisi magis spectassemus uestram salutem, quàm nostrum emolumẽtum, sciebamus uobis notissimum esse, quod ut apud Gręcos, qui sacrorum ministri sunt, è sacrificio uictum habent: ita apud Iudæos, qui assistunt altari, participes sunt altaris. Neq; secus ordinauit dominus Iesus, uidelicet ut qui prædicant ac docent euangelium, his ex euangelio uictus suppeditetur. Nam simplici uictu cõtentus esse debet etiam is qui in euangelico negotio fidelem nauat operam. Absit enim, ut quisquam ex ea re coaceruet diuitias, quæ docet diuitiarum contemptum, ut ecclesiastico stipendio abutatur, ut faciunt impudentes illi lupi uel tyranni, qui genio indulgent, ueritatis doctrinam & ecclesiam negligunt, nullam pauperum curam gerunt, gregem Christi deglubunt. De quibus multa prophetæ passim.

Ego autem nullo horum usus sum. Non autem scripsi hæc ut ita fiant in me, bonum est enim mihi magis mori, quàm ut gloriam meam quis euacuet. Nam & si euangelizauero, non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit. Væ enim mihi est, si non euangelizauero. 7

Videtis quot nominibus, quot argumentis mihi licuerit facere quod cęteri faciunt, & tamen nihil horum me commouit, ut à uobis quicquam acciperem. Nec est animus id unquã in posterum facere, ne quis arbitretur in hoc tantum argumentorũ à nobis adductum esse, quo, quod antehac non feci, posthac excusatius faciam. Adeo non me pœnitet huius animi, ut citius emoriar fame, q̃ committam ut quisquã hanc mihi adimat gloriam, quam semel amplexus mordicus tuebor. Neq; enim mœrẽs hæc perfero, quin potius uoluptati est, & gloriæ mihi duco, q̃ gratis prædicem euangelium, quando sic expedire uideo uestræ saluti, ut & uos meo exemplo nonnunquam à licitis temperetis, ubi postularit aliorum utilitas. Etenim si more cæterorum euãgelium prædicem, non est quod glorier, iniunxit dominus hoc officij, cui parere, uelim nolim, oportet. Nihil igit laudis est, si dele-

gato fungar officio, sed contra paratum supplicium, si cessarim in euangelij prædicatione. Est autem gloriatio Pauli, quod scit ministerium suum nullius prudentis & religiosi iudicio reprehēdi posse, nam sic inoffense officium suum gessit, ut non solum hi qui recte iudicant, sed ne maleuoli quidem quod damnent inueniant. Plus enim facit q̄ debet, ideoq̄ hanc gloriam eripi sibi non sinit. Coram deo nemo gloriari potest, nisi in domino: coram hominibus uirtutem insignem consequitur gloria.

8 Si enim uolens hoc ago, mercedem habeo: si autem inuitus, dispensatio mihi credita est. Quæ est ergo merces mea? Vt euangelium prædicans, sine sumptu ponam euangelium, ut non abutar potestate mea in euangelio.

Si iniussus & uolens prædicauerim euangeliū, erit à deo præmium promptæ uoluntati: si inuitus, tamen peragendum quod delegatum est. Concreditum est euangelium, non ut apud me conditū seruem, sed ut gentibus impartiar. Si communico, rem domini non meam communico: sin minus, domino facio iniuriam, cuius talentum, quod ille uolebat usuris crescere, sterile apud me detineam. Sed dixeris, Si pœna non manet non fungentem officio suo, nec præmiū est fungenti, quid igitur ô Paule unde tu gloriaris? Videlicet, hinc laus debetur, si quis uoluntra q̄ iussus est præstet officium. Præcepit dominus euangeliū prædicare, at non præcepit ut gratis nostroq̄ cibo prædicaretur: imò ius fecit, ut ederemus ac biberemus de ijs quæ offerrēt ij quibus euangeliū traderemus. Quod igitur ille licitū esse uoluit, ipse mihi nolui licere. Nec usus sum potestate cōcessa, quod intelligerem magis in rem uestram, & in rem euangelij esse, gratis uobis impartiri doctrinam euangelicam, quo maior esset uos admonendi libertas, planeq̄ perspicuum esset me non facere quod quidam faciunt, qui ad quæstum docent suum agentes negotium, non Iesu Christi. Quemadmodum hic iure meo non sum usus: ita alibi me subieci, uelut astrictus ad ea, ad quæ non eram obligatus.

9 Nam cum liber essem ex omnibus, omnium me seruum feci, ut plures lucrifacerem. Et factus sum Iudæis tanquam Iudæus, ut Iudæos lucrarer: ijs qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cum ipse non essem sub lege) ut eos qui sub lege erant lucrifacerem.

Cum neq̄ gentium legibus sim obnoxius, & per euangelij gratiam à lege Mosaica liberatus, tamen ultro ueluti obstrictus omnibus obseruio, quo plures lucri faciam domino meo. Itaq̄ Iudæis memet accommodaui, nonnunquam susceptio uoto rasoq̄ capite, item circunciso Timotheo, perinde quasi uere Iudæus essem, cum scirem abrogatam esse legem Mosaicam, ut quibus nondum eximi poterat patriæ legis ceremonialis superstitio, eos obsequio meo blande pellicerē ad Christum, aut certe ne grauiter offensos alienarem à Christo. Sic em̄ proficere potest pius pastor in grege, ut nihil diligentius cogitet, q̄ ut principi pastorum fideliter seruiat, & ouium profectum impense promoueat, se etiam neglecto, dum id posscit negotium. Dissentire uisi sunt in hoc loco Augustinus & Hieronymus, is dicit Paulum non uere Iudæum fuisse, sicut nec erat gentilis, quibus in cibis & huiusmodi assensit, nec tamen in cultu idolorum, quia in Christo nec circuncisio est aliquid nec præputium, dispensatorie itaq̄ simulabat se Iudæum. Augustinus autem hæc dicit facta compassione misericordiæ, non simulatione, ut qui ministrat ægroto, fit quasi æger, non cum se febres habere mentitur, sed cum animo condo

lentis

lentis cogitat quomodo sibi seruiri uelit. De his multa uide in epistolis utriusq;, & in Glossa quæ dicitur Ordinaria.

lis qui sine lege erant, tanquam sine lege essem, cum sine lege dei non 10
essem, sed in lege essem Christi, ut lucrifacerem eos qui sine lege erant.

Apud hos qui se legi putabant obnoxios, sic me gessi, quasi forem & ipse obnoxius. Rursus apud alios qui liberi sunt, & immunes à lege Mosaica, quantū ad ceremonialia (de quibus his loquitur Apostolus) sic gessi me nōnunquam, quasi & ipse nulla lege tenerer, cum prorsus apud deum non careā lege, sed obnoxius sim legi Christi, quam ego nunc longe huic legi Mosaicæ prę̄fero. Et tamen iuxta speciem ad horum captum & affectum memet accōmodaui. Veluti apud Athenienses non protinus odiose uociferans in deos illorum, quos magna superstitione colebant, sed ex aræ inscriptione captans occasionem insinuādi Christum. De quo primum sic temperaui sermonem, ut eximium quendam hominem fuisse docerem, ac uelut ob egregie gesta in diuos relatū, quod facilius amplecti poterant, non abhorrens à traditionibus priscis gentilium. Nondū deum & hominem asse uerans, quod huius mysterij scirem illos nondū esse capaces, quin & ex ipsorum etiam authoribus adduxi testimonia, nihil non faciens, quo possem illos ad Christum allicere. At nihil horū mea causa feci, nihil uitio leuitatis, sed studio dilatandi euangelij ad gloriam dei.

Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus o- 11
mnia factus sum, ut omnes facerem saluos. Omnia autem facio propter euangelium, ut particeps eius efficiar.

Poterā ego uti firmitate mea, meiq; similis esse, sed malui quod mihi quidem erat inutilius. Cæterum magis expediebat euangelio, ut memet ad alienam infirmitatem attemperarem, perinde quasi simili tenerer imbecillitate, quo lucrifacerem infirmos. Quid multis? Apud quosuis in quamuis speciem me uerti, ut nusquam non seruarem aliquos, in omnium animos irrepens obsequio. Non est hoc obsequium blandientis, quo uos captant quidam: at sanè si quicquā à uobis præmij uel cepi uel captaui, Euangelij negotium ago, non meum: domini lucrum uenor, non meum. Ab hoc uno præmium expecto, si rem ex illius sentētia gessero. Hoc itaq; erat uiri prudentis & spiritalis, ut omnibus omnia factus, propositum tamen religionis non excederet: quia ubi cessit, ad hoc cessit, ut proficeret, & nec aliud fecit q̄ lex mandauit. Hæc Ambrosius.

Nescitis quod ij qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed u- 12
nus accipit brauium? Sic currite, ut comprehendatis.

Insigne præmium non contingit nisi insigni uirtuti. Huc enitēdum in euangelico stadio, ut non solum officio functi uideamur, uerumetiam palmam gloriamq; feramus. An non uidetis in uulgaribus stadijs, in quibus proposito prę̄mio curſu certatur, Certamen est multorum, sed uni tamen decernitur præmium, qui primus omniū metam attigerit. Ne sit igitur uobis satis, utcunq; uestro fungi officio, ac pœnam effugere. Ad summa pro uiribus enitendū est, atq; ita currendum in euangelico stadio, ut laudem apud agonothetā deum assequamini. Huius gratia nihil non ferendum & faciendum. Multa toleranda, licet dura, modo conducant ad hoc prę̄mium: à multis temperādum, licet aliās licitis, si palmam remoretur. Currite ergo, inquit, non extra oleas, sed scopum attendite, ut brauium comprehendatis. Omnes autem uos brauium comprehendere potestis, si ita cursum

instituatis, ut placeat agonothetæ. Sedulos esse monet, ut gnauiter omnia peragantur.

13 Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.

Ad metam properãti quicquid obstat uitandum est. Turpe est, si nos segnius pro tanto brauio certamus, quàm uulgus hominum pro uili præmio. Nam quis certat in popularibus istis certaminibus, à cibis, à uoluptatibus alijsq; multis rebus per se suauibus se continet, quod ad uictoriam sint inutiles, multa tolerat, licet insuauia, molestiam omnem negligens, modo contingat palma quam unam spectat. Quod si isti nihil non faciunt & patiuntur, quo ridiculum plebis applausum, quo laudem ab homine, quo uile præmiolum auferant, quãto magis par est eadem facere nos, quo applausum ab angelis, laudem à deo, & æternum immortalitatis præmium consequamur? Tanta res cum agatur, an cibus interim utilissimus aut simile quicquam nos ab instituto cursu remorabitur? Ipsi uideritis quomodo geratis uos in hoc pulcherrimo certamine, quomodo quàm temperãtissime uiuant sub tempus certaminis pro corona incorrupta assequenda.

14 Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno nõ quasi aërem uerberãs, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.

Ego non segniter curro, ut solent ij qui ad nullam certam metam properant. Sic pugilem ago, non quemadmodum solent qui per lusum pugnis aërem feriũt, sed modis omnibus ueris incommodis subigo corpus meum, sic assuefaciens, ut domitum obsequatur spiritui, utq; quoties postularit euangelij negotium, & facile temperet à licitis, neq; grauate ferat, si quid est molestum, ne mihi ueniat usu, quod quibusdam accidit, ut cum pręconio meo alios ad hoc certamen euocarim, ipse nihil laudis in eodem assequar, cumq; alijs ad laudis studium stimulos addiderim, ipse discedam illaudatus. Certissima spe præmiorũ certo, neq; quicquam alios doceo sermone, quod ipse uita non præstem. Nec quicquam faciam ex affectibus, ut scandalum ponam alicubi, ne reprehensibile fiat ministerium meum, sed sim omnia omnibus. Quod si Paulus hoc timuit cum talis esset præceptor, & post prædicationem, & orbis terrarum susceptum patrocinium si sic formidauit, nobis quoq; curandum erit, ut non sola mortua fide nos consolemur, sed per omnia irreprehensibiliter uiuere quoq; contendamus.

CAPVT X.

1 NOlo enim uos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierũt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari.

Hortatur Paulus generaliter & uehementer Corinthios, ut stulta, friuola & uana curiositate, cui dediti erant, obmissa, uitam Christo dignam meditentur. Quod si Christiano nomine gloriari, simulq; scelerum turpiumq; flagitiorum uti esse uelint, nihil minus expectãdam eis esse diuinam ultionem, quàm olim Israelitis, qui se populũ dei esse quum gloriarentur, à cupiditatibus tamen tam fœdis & turpibus factis sibi minime temperabant, donec ira dei in eos sic desæuiret, ut uarijs plagis in deserto conficeret ac excinderet. Harũ rerum exempla abunde ex scripturis profert & historijs. Porrò ne gentes ad se Iudæorum gesta, & ueteris instrumẽti historias nihil pertinere putent, probat Iudæorũ olim etiam nunc Christia-

Christianorum unam eandem esse fidem, unam ecclesiam, unum populũ, unum enim esse deum, unum etiam reconciliatorem dei & hominum, Christum Iesum, qui dedit semetipsum pretium redemptionis pro omnibus. Per hunc unicum aditum esse ad deum, & his qui ante eum fuerunt, & his qui post eum sunt futuri. Illis quod in promissum, his quod in exhibitum crederẽt. Facit insuper illorum signa & nostra communia & paria, dum nobis Baptismum & Eucharistiam, illis Circuncisionem & Pascha tribuit. Vt est in Epistola ad Coloss. His omnibus probat, eos qui sub Christo, & eos qui sub Mose fuerũt, unum & eundem esse populum dei, ut uideant Corinthij pœnas Iudæorum ad se quoq; pertinere, si uita flagitiosa illos fuerint imitati, quum omnia Iudæis in figura contigerint. Dicet ergo consequenter: Nolo hoc uos fratres latere, quod in uestris proditũ est libris. Maiores nostros cum Pharaonis tyrannidem duce Mose fugerent, omnes ex æquo nubis diuinitus obtentæ protectu fuisse defensos ab æstu solis, omnes æque per discissas maris undas pedibus iter fecisse, ac ferè quicquid donorum in nos collatum est per Christum, id in illis quodammodo præcessisse. Nos authore Christo baptismus eximit à uitioꝝ tyrannide, illi dum ductu Mosi tecti nube, mare quod ad ictum Mosaicæ uirgæ dissilijt, transeunt, suo quodam modo baptizati sunt, nostrum baptismum adumbrantes.

Et omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eun- 2
dem potum spiritualem biberunt, (bibebant autem de spirituali consequẽte eos petra, petra autem erat Christus.) Sed non in pluribus eorum beneplacitum est deo, nam prostrati sunt in deserto.

Nos quotquot baptismo purgati sumus, ex æquo sacrosancti corporis cibo uescimur, de calice mystico bibimus omnes. Similiter & illi manna cœlitus demissum edebant omnes, de latice quem ictu uirgæ Moses elicuit ex saxo æque bibẽt omnes. Neq; tamen hæc uulgari more aut fortuitu gesta sunt, Christus hęc in illis tum præludebat, quæ nobis palàm & uere præstitit. A Christo manna illud depluebat, & humanitatis Christi figuram prætendebat uitæ spiritualis pabulum, per fidem in saluatorem dominum. Christi uis, quæ nusquam suis nõ adest, siccum ac sterile saxum aquæ fœcundum reddidit. Christus erat, qui suos tantis beneficijs tantoq; honore dignabatur. Honos & beneficium erat omnium commune, sed non omnes eo quo destinatũ erat peruenerunt. Nihil profuit effugisse Aegyptum, si Aegyptum secum extulerant. Nihil profuit ueterem exuisse seruitutem, si postea suis cupiditatibus turpius q; Pharaoni seruiebant, imò hoc magis illos oderat deus, quod prioribus erratis etiã ingratitudinis crimen addidissent. Itaq; uarijs malis afflicti, uindice deo prostrati sunt in deserto, nũc incendio, nũc gladio, nũc lue, nunc incursu serpentium, donec omnes finiti sunt in solitudine. Comparat quoq; Christus Ioan. 6. manducationem mannæ carnalem, cum manducatione suæ carnis spirituali. Patres uestri, inquit, manducauerunt, &c. Nam & ros quoq; est Christus, qui de cœlo depluit, iacens in circuitu castrorum. Est autem spiritualis manducatio, credere ex & cum certissima fide & uiua, quod in carne Christi nostrum peccatum mortuum sit, & misericordia dei in nullo signo euidentius expressa est, q; in ista carne, in qua filium suum deiecit deus, ut haberemus pontificem tentatum per omnia, ad similitudinem nostram, ut possit compati nobis. Proinde spiritualis manducatio Christi carnis, est abiectissimæ formæ Christi conformari.

Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes 3

malorum, sicut & illi concupierunt: neq; idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis: quemadmodum scriptum est, Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.

Quemadmodum illorum fuga nostrum baptisma adumbrat, ita illorum supplicium nobis exemplo est, ne baptismo freti, uitã agamus baptismo indignam, ut nec per luxum noxiarum carnium desiderio animo redeamus in Aegyptum, quemadmodũ illi magno suo malo fecerunt, fastidito manna: neq; per stultitiam atq; intemperãtiam ad idolorum cultum relabamur, aut relapsi uideamur, quod illis accidit, cum uitulum fusilem neglecto deo colerent ritu prophanarum gentium. Sic enim scriptum est Exodi 32. Mactatis uictimis sedit populus ad edendum & bibendum, ac saturi surrexerunt ad ludendum, at mox ultore deo cæsa sunt uigintiduo millia.

4 Neq; fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt uno die uigintitria millia. Neq; tentemus Christũ, sicut quidam eorum tentauerunt, & à serpentibus perierunt. Neq; murmurauerit is, sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.

Iterum meminit fornicationis, multaq; peccata reprehẽdit suo more Apostolus, & ordine disponit ea, ut per singula deueniat ad ea quæ sunt proposita, & in aliorum commemoratione priorum quoq; faciat mentionem. Tum quoq; ut doceat, hoc malum initiũ habuisse à delicijs & gula. Ideo subdit: Neq; fornicemur, &c. Obmittit autem idololatriæ punitionem, tanquam manifestam ac notam, uel minorem ea quæ contigit in fornicatione cum Madianitis. Dicit autem, Neque iniquiter commisceamur scortis impiorum, quemadmodum illi cum Moabitarum & Madianitarum scortis sese miscuerunt, sed irritato deo conciderunt multa hominum millia. Neq; diffidẽtes per impatientiam tentemus Christum, sicut quidam illorũ eum tentauerunt, impio murmure prouocantes ad iram, & immissis igneis serpentibus extincti sunt. Neq; obmurmuremus Christo Christiq; ministris, quemadmodum quidam illorum deo & Moysi obmurmurarunt, inita conspiratione, duce & authore Core, quo tempore perierunt quatuordecim hominum millia, exceptis his quos terra dehiscens absorbuerat uiuos.

5 Hæc autem omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum deuenerunt.

Et hæc quidem acciderunt priscis illis, quorum memoria prodita est per annales maiorum, uerum quicquid illis accidit, non temere accidit, sed magis ad exhibendum exemplar, quid nobis sequendum sit aut fugiendum, qui in hanc ultimam ætatem mundi incidimus. Illi quum ad luxum, ad idololatriam, ad turpem lusus, ad scortationem, adq; alios morbos, quos hauserant ex Aegyptiorum contubernio, redibant, excidẽrũt à gratia dei, nec profuit exemptos fuisse, quia non responderunt dei beneficijs. Quin hodie nullum hominum genus longius reiectum uidetur à deo, q̃ Iudæorum. Termini autem ætatum & sæculorum fines intelliguntur Christi tempora, post Christum enim nemo alius ueniet. Sumus ergo nos in ultima ætate, usq; ad consummationem sæculi. Prophetæ uero uocant nouissimum tempus, uel etiam posterius, non omnino ultimum, sed aliquando futurum.

6 Itaq; qui se existimat stare, uideat ne cadat.

Nobis, quo pluribus dei beneficijs ad innocentiam prouocati sumus, hoc magis

gis est metuendum, ne grauissimas pœnas demus Christo, si per baptismũ semel elapsi ab Aegypto, sub titulo Christi mores obtineamus Aegypto non Christo dignos. Proinde ne quis sua firmitate male fretus cõtemnat infirmos, aut baptismo fretus, sibi promittat salutem, nisi uitam adiungat baptismo dignam. Sibi placebant & illi, quod è tot exẽpti periculis, deo peculiariter curæ essent, & tamen hoc grauius in illos animaduersum est, quod semoti à prophanis gentibus, in illorum tamen mores recidissent. Nemo sibi tuto fidit, imò qui stat, huic maxime cauendum ne cadat. Tutissimum autem semper ad meliora progredi, nec ulli gradui fidere. Potissimum autem hæc loquitur propter eos, qui castitatem simulabant uerius q̃ seruabant. Et de curiosis illis, qui scire se gloriabantur, nihil esse idolũ. Nemo enim grauius & periculosius cadit, q̃ curiositas. Nemo ergo sese supra modũ efferat, nemo suis uiribus uel suæ sapientiæ fidat, sed omnes huc spectent, ut soli Christo innitantur.

Tentatio uos non apprehendat nisi humana. Fidelis autem deus, qui 7
non patietur uos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, ut possitis sustinere.

Artibus satanę multa incidũt, quę uos alienent à Christo. Verũ non sum usus his horrendis exemplis q̃ simile periculum uobis metuam. Peccatũ est hactenus à uobis, & nonnihil à puritate Christiana deflexistis, sed adhuc humanum ac sanabile malum uideo, imò confido futurum, ut deus non patiatur uos eò prolabi, ut sitis prorsus inferiores malis uos solicitantibus, uerumetiam si patietur incidere malorum quippiam, sic temperabit euentum, ut possitis sufferre. Fortasse sunt inter uos, qui nos ob tenuitatem negligunt, & alijs apostolis ob strepitum & blandiloquentiam magis fauent, sed nondum peruentum est ad seditionẽ Core.

Propter quod charissimi mihi, fugite ab idolorum cultura. 8

Sunt qui nimium licenter intersunt sacris epulis impiorum, sed nondum eò prolapsi mores, ut ipsi simulachris immoletis, uerum in confinio periculum est. Quapropter filij charissimi, modis oĩbus resilite à cultu simulachrorum. Quisquis cum illis uescitur, ut maxime firmus sit animo, tamen speciem de se præbet, quasi consentientis illorum superstitioni.

Vt prudentibus loquor, uosipsi iudicate quod dico, Calix benedi- 9
ctionis cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nónne participatio corporis domini est?

Simplex & clarus huius loci sensus est: Non est quod uobis hęc multis uerbis persuadeam, cum ipsi pro uestra prudentia rem probe teneatis, uosipsi iudicate num uerum sit quod dico. Quid commertij tam sacris epulis nostris cum illorum gentilium prophanis sacris? Videtur agnoscere cõmunem religionem, qui communibus cibis uescitur. Nónne poculum illud sacrum, quod nos in memoriam mortis Christi cum gratiarumactione, fide uiua fruendo eo sumimus & celebramus Christum dominum, & eius ad humanum genus bonitatem amplectimur, & fatemur uerbis & sacramentis, cõsortium arguit, quod pariter Christi sanguine, morte & iustitia, ut pignore salutis, sumus redempti. Rursus sacer ille panis, quem exemplo, institutione & iussu Christi partimur inter nos in cœna dominica, arguit & testatur certo fœdus ac societatem summam inter nos, ueluti ijsdem Christi sacramentis nouæ institutionis initiatos? Panis ex innumeris granis sic conflatus est, ut discerni non possint. Corpus Christi mysticũ sic ex diuersis mem

bris constat, ut inter omnia sit societas inseparabilis, inter fidelium & omnium cum Christo capite, cuius sunt membra, cuius spiritu uiuificantur & uegetãtur, ut in ipso uiuant, & ipse in eis: ut sint caro de carne eius, & in ipso uniantur per Christi spiritum in fide & dilectione.

10 Quoniam unus panis, & unum corpus multi sumus omnes, nam omnes de uno pane participamus.

Causas reddit Apostolus, imò exponit, cur ecclesiam & populum fidelem corpus & sanguinem uocauerit, uisus nimirum sibi propter troporum densitatem locutus esse paulò obscurius. Claris ergo uerbis rem proponit, ac si diceret, Qui poculo gratiarumactionis gratias agimus, nónne ille cœtus noster est ipsa communio, hoc est populus, ecclesia, concio, cõmunio est corporis & sanguinis Christi? Vos enim estis communio sanguinis Christi, qui de uno calice gratiarũactionis hauritis. Et panis quem frangimus, nónne communio siue corpus cœtus & concio corporis Christi est? Nos enim quia de uno pane participamus, & de uno poculo bibimus, in unũ corpus ecclesiæ in Christo coimus. Nemo ergo miretur hanc cœnam dominicam celebrantes, communionem appellari corporis Christi, hoc est ecclesiam eam quæ sanguine Christi abluta est. Nos enim omnes, authore Apostolo, unus panis sumus, & unum corpus, non carneum Christi corpus, sed mysticũ, quod est Christi ecclesia, cuius caput est Christus solus. Sed qui hoc fit? Quia omnes de uno pane participamus, qui sacramentum certissimũ & sacratissimum est corporis Christi, cuius nos membra sumus, & non tam physicum panem uel pistorium, sed omnino symbolicum, sacramentalẽ, & sacramentum corporis Christi, & ipsum Christum totum nostrum, quo in spiritu & uerita te fruimur iuxta fidem & charitatem, qua anima reficitur & cibatur feliciter & spiritualiter, quando corporeo cibo quocunq; uesci non potest, sicut nec indiget, nec concupiscit. Christus est panis uitæ, & animæ felicissimus cibus, etiã in præsenti, in futuro speculum felicitatis consummatæ & sanctæ fruitionis.

11 Videte Israel secundum carnem, nónne qui edunt hostias, participes sunt altaris? Quid ergo? dico quod idolis immolatum sit aliquid? Sed quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non deo.

Cum eiusdem panis participes sumus omnes, declaramus nos, quãlibet multi simus numero, tamen animorũ consensu unum panem & unum esse corpus, uno spiritu Christi ad uitã uiuificati & spirituales facti. Qui ergo prophanarum epularum participes sunt, uidentur agnoscere societatem superstitionis. Videte autem an non ita habeatur apud istos, qui iuxta Moysi legem adhuc uictimas immolant. Non admittunt ad immolatæ pecudis esum, nisi Iudaicæ religionis consortes. Et qui uescuntur sacris, sacrificijs item illorum & religioni assenti uidentur. Quorsum hæc, inquiet aliquis? An negas Paule, quod paulò ante confirmasti, simulachrum nihil esse: & quod simulachro sit immolatum, nihil esse? Haud nego, uerum illud dico, uictimas quas immolant gentes, dæmoniis immolant, non deo. In rebus ipsis nihil est discriminis, animus discrimen facit. Illi dæmones pro dijs habent, & horum numen statuis inesse putant, itaq; qui cum illis immolatitijs uescitur, erroris impij socius esse uidetur.

12 Nolo autem uos socios fieri dæmoniorum, non potestis calicem domini bibere, & calicem dæmoniorum: non potestis mensæ domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.

Nolim

Nolim uos semel deo consecratos, fieri consortes dæmoniorum: qui pietatem profitetur, abnegat impios cultus: non competit in eundem diuersa religio. Nec potestis simul bibere de sacrosancto poculo Christi, & de execrabili poculo dæmoniorum. Nec potestis mensæ dominicæ participes esse, simulq; mensæ dæmoniacæ, si res agatur cum animi consensu. Nihil cõuenit inter Christum & impios dæmones, utrisq; simul seruiri non potest, nisi cum insigni cõtumelia Christi. Ecce ut perpetuò nihil aliud agit, q; ostendere cuiusnam cœtus sint aut populus. Non licere ergo prodito domino, ueluti transfugas in conuiuio infidelium esse membra.

An æmulamur dominum? Nũquid fortiores illo sumus? Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt: omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. 15

Num dominum & deum nostrum data opera prouocamus & irritamus, inito consortio sponte cum hostibus illius? Nulla atrocior est contumelia. Num illo fortiores sumus, ut irritati domini non metuamus ultionem? Absit, ut quisquam uestrum hoc sit animo, sed idololatria res est tam execrabilis, ut oporteat nos non solum ab ipso crimine, uerumetiam à suspicione criminis longissime abesse. Hæc persuasio fermè infixa est animis omnium, religionis esse cõsortium ijs qui simul uescuntur immolatitijs. Res uitio caret, sed ex opinione nascitur offendiculum. Quod hic certe, si aliàs usquã, uitãdum est. Quod ad cibos attinet, nihil mihi non licet, at non quiduis expedit proximo, cuius gratia nonnunquam à licitis quoq; temperandum est. Nihil mihi non licet, at non quiduis cõducit alijs ad pietatem. Caro autem idolis oblata, caro quidem est, & non immũda forsitan, quod ad substantiam attinet, sed considerate diligenter circumstantias, Dæmonijs oblata est, infirmus frater offenditur, & contemnitur à te, qui scientia tua fretus, illius imbecillitati non parcis.

Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius. 14

Christiana charitas dictat, ne quis suis commodis priuatim seruiat, sed potius commodis alienis. Vtatur quisq; suo iure, sed si id cum fratris periculo futurum sit, magis perpẽdat quid illi expediat, q; quid ipsi liceat, ne alterius damno tibi cupias commodare. Spiritus enim dei beneficus est & liberalis, omnibus sese gratis exponit, frui uult ab omnibus. Qui hunc spiritum dei non exprimunt, dei non sunt, ut faciunt qui tantum sua quærunt.

Omne quod in macello uenit manducate, nihil interrogãtes propter conscientiam. Domini est terra, & plenitudo eius. Si quis uocat uos infidelium, & uultis ire, omne quod uobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. 15

Exponit se clarius, ut omnem eis occasionem eripiat. Per macellum autem omnem intelligit locum, in quo esculenta uenduntur. Romæ enim macellum dicitandem cœpit forum, in quo omnes cupediæ uenderẽtur. Quicquid, inquit, uendi solet in macello, promiscue edite, nihil interrogãtes immolatitium sit, an secus. Idq; propter conscientiam, tuam scilicet: quasi diceret, Quod ad tuam conscientiam attinet, nihil opus est ut uel dubites uel queras: eme, ede quæcunq; in escam uenduntur. Vitandum quidem est offendiculum, si incidat, non accersendum. Nihil huiusmodi rerum per se impurum est, propterea quod omnia domini sunt, neq; potest impurum esse, quod ab illo conditum est in usus hominum, sicuti te-

ſtatur & Pſalmographus, Domini, inquit, eſt terra, ſimulq; quicquid uſquam terra continetur. Ab animis oritur impuritas, non à cibis. Porrò ſi quis uobis ultro dixerit, Hoc ſimulachris immolatum eſt, ne ueſcamini: non ueſtra cauſa, ſed eius qui admonuit immolatitium eſſe, ne quid offendatis conſcientiã. Conſcientiam, inquam, non tam tuam iam, quæ ſyncera eſt ac firma, ſed illius alterius, qui ſentire uidetur non eſſe fas Chriſtianis ueſci carnibus immolatitijs. Hoc eſt autem quod dicitur hic.

16 Si quis autem dixerit, Hoc immolatum eſt idolis, nolite manducare, propter illum qui indicauit, & propter conſcientiam. Conſcientiam autem dico non tuam, ſed alterius.

Qui tibi dicit, Hoc idolothitum eſt, & hunc cibum ab alio dijudicat: ſi fidelis eſt, admonet te, idcirco nõ edas: ſi infidelis eſt, iam offenditur ex tuo eſu. Cogitat enim aut dicit: Si tantũ malum eſſet idola colere, aut idolothitis ueſci, nunquam committeret hic, qui Chriſtianus eſt, ingens hoc nefas, ſed abhorreret ab immolatitijs carnibus. Periculumq; eſt, ne hinc uel amici dæmonum, uel lurcones uideamini, atq; ita ſecum cogitet, Quantumuis abominantur deos noſtros Chriſtiani, tamen non abhorrent ab immolatitijs. Huius igitur conſcientiæ conſulendũ eſt, & conſuli poteſt, non magno negotio.

17 Vt quid enim libertas mea iudicatur ab alia conſcientia? Si ego cum gratia participo, quid blaſphemor pro eo quod gratias ago?

Poteſt hoc uerbum uideri eſſe elatorum & ſciolorũ in Corintho, quod tamen repetat Paulus. Quaſi diceret: Scio uos ſic loqui, Cur mea libertas ab aliena conſcientia iudicaretur? Liber enim ſum. Et reſpondet: Scio uos liberos eſſe, ſed & ego ſum liber: ſed hoc interim cauendum, ne libertas ueſtra infirmis conſcientijs ſit offendiculo. Quod ſi ego ueſcor his, quæ dei benignitas in uſum uitæ nobis indulſit, cur ob id maledictis afficior ab homine, pro cuius uſu gratias ago deo, non dæmonibus?

18 Siue ergo manducatis, ſiue bibitis, uel aliud quid facitis, omnia in gloriam dei facite.

Poſtquã omnia argumentis clara eſſent facta, exhortationem generalem epilogi uice ſubijcit. Quaſi diceret: Fides hæc cuilibet fideli ſuggerit, ut in gloriam dei omnia faciat, ut minime opus eſſet tot argumentis. Veri filij dei in omnibus gloriam patris ſui quærũt. Si enim rhetores in cauſis agendis, uoce, uultu, geſtu, & oĩ corporis moderatione, cum decoro & dignitate iudici placere ſtudẽt: cur nos non uerba, actus, & omnem uitam ſic cõponamus, ut iudici ſummo placeat? ut nihil ſit fucatum, nil fictum. Nullis ergo præceptis aut præſcriptionibus opus eſt in exterioribus illis. Pietas omnia docet & moderatur, ut omnia fiant in numinis reuerentiam, nihil ex affectu fiat, omnia dirigantur ad præſcriptum uoluntatis diuinæ, ut deus glorificetur in omnibus.

19 Sine offenſione eſtote ludæis & gentibus, & eccleſiæ dei, ſicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalui fiant.

Sic omnem uitam componite, proq; temporũ & hominum habitu attemperate, ut ne quid ſit quo iure poſſint offendi quiq;, ut ne Iudeis neq; gentibus ſitis offendiculo: & hoc facile poteſtis, ſi pij eſtis. Iudæi tum maxime legalibus & ceremonijs hærebant, gentes aũt reſipiebant ſuas ſuperſtitiones & ritus. Inter utroſq; ergo

ergo sic incedendum monet Apostolus, ut neutri offendantur, ut non Iudæi suis addicti superstitionibus, gentes à religione Christi deterreant: neq; gentes uanæ scientiæ suæ nixi, uere pios ex Iudæis offendant. Exemplum ego me, ait, uobis propono, qui me per omnia accommodo omnibus, uescens, non uescens: accipiens, non accipiens: Iudaizans, non Iudaizans. Hæc quæ uel recte fieri uel recte possunt omitti pro re nata, non ad meam ipsius utilitatem temperans, sed ad utilitatem multorum, quos meo uenor obsequio: non ut prædæ sint mihi, sed ut ad salutem alliciantur. Qui hominibus propter ueritatem placet, iam non ipse illis, sed ueritas placet: si propter seipsum, ut placeat ueritas dei, superbia est. De quo alibi dicit: Si hominibus placerem, Christi seruus non essem. Ideo corrigit quod dixerat, Sic placeo hominibus, non ut meam utilitatem quæram, sed publicam.

CAPVT XI.

1 MItatores mei estote, sicut & ego Christi.

Ne pigeat uos apostoli uestri sequi exemplū, cum id non tam meum sit, q̄ Iesu Christi. Is sese per omnia nobis infirmis accommodauit, quo nos patri lucrifaceret. Hunc ego sequor dominum ac præceptorem, uos patrem filij, apostolum discipuli sequamini. Nullius hominis uita quātumuis sancti proponenda est, quam admireris uel imiteris, nisi uitam Christi exprimat.

2 Laudo autem uos fratres, quod per om̄ia mei memores estis: & sicut tradidi uobis, præcepta mea tenetis.

In primis collaudo uos fratres, quod in cæteris per om̄ia mei memores teneatis quæ præscripseram, quæq; uobis instituera obseruanda in solenni conuentu, uel etiam uitanda, ne quid hic quoq; uel indecore, uel per contentionem aut luxum geratur, néue malignis hominibus quicquam sit relinquendum quod carpant. Exponunt quidam hanc sententiam per ironiam, quasi succenseat eis Apostolus, quia non fuerint studiosi traditionum ueterum, quæ honestatis speciem prætendant.

3 Volo autē uos scire, quod omnis uiri caput Christus est, caput autem mulieris uir, caput uero Christi deus.

Addam prioribus quod leuius quidem est, & pro tempore locoq; secus fieri potest: sed tamen nolim interim uos lateat, quod ut omnis uiri caput Christus est, primitiæ omnium creaturarum, & omnis uxoris caput maritus est: ita Christi caput est deus. Vir licet imperet uxori, tamen Christum agnoscit dominum. Christus ipse, ut homo solius patris authoritatem & mittentem agnoscit in omnibus: cui quisq; subiectus est, eius gloriæ seruiat oportet. Dignum autem, ut filij caput pater dicatur, quasi genitor eius. Aliter tamen caput uiri Christus est, & aliter uir mulieris, & aliter deus caput Christi est. Deus autem ideo caput Christi est, quia de eo uel ab ipso genitus est, & æterni originis accepit rationē. Mulieris uero idcirco caput uir est, quia ex eius costa dei uirtute formata est. Christus autem ideo caput uiri est, quia per ipsum cum non esset formatus est. Vna ergo dictio, diuersam habet intelligentiam, quia & personæ discrepant & substantiæ.

4 Omnis uir orans aut prophetans uelato capite, deturpat caput suum.

Priuatim agatis, ut cuiq; uidebitur expedire. Cæterum uir quicunq; in publico cœtu precatur, aut uaticinat̄ operto capite, dedecorat caput suum: tegens ceu seruile, cum præter Christum non agnoscat dominum, in cuius gloriam æquum est illi nudari caput, non solum amoto pileo, uerumetiam derasa coma. Siquidem & coma operimentum corporis est uerius q̄ pars. Est aūt prophetare idem quod

uerbum dei docere uel audire. Detectionem autem capitis intellige, uel à principio uel à fine, uel ut sic semper perseueret: nam non leges perpetuas & immutabiles præscribit, sed mores docet & honestatem. Hyeme ergo & gelu omnia turbante, nihil est opus ut omino nudo capite stet uir in frigidis regionibus, dum frigus nocet capiti. Libera sunt illa, nempe externa quædam: ita tamen ut seruetur mos publicus, nec contumaciter contemnatur quod est publicæ honestatis consuetudo & religio.

5 Omnis autem mulier orans aut prophetans non uelato capite, dedecorat caput suum: unum enim est, ac si decaluetur. Nam si non uelatur mulier, tondeatur: si uero turpe est mulieri tonderi aut decaluari, uelet caput suum.

Quamuis una substantia sit & uir & mulier, tamen quia uir caput est mulieris, anteponendus docetur, ut per causam & traditionem dei maior sit & sapientior, non per substantiam dignior. Inferior ergo mulier uiro est, portio enim eius est, quia ex eius substantia desumpta, & origo mulieris uir est. Ex eo enim est, ac per hoc obnoxia uiro, & eius subiecta imperio. Obstare ergo dicit uiri honorificentiam & dignitatem, ne uelet caput, imago enim dei, incongruum est ut uelet tur uel abscondatur. In solenni ergo conuentu si mulier precetur, uel audiat uerbum dei capite retecto, dehonestat caput suum, quod priuatim in gratiam mariti fortassis aperiendum erat, non in publico conuentu, ubi Christo seruitur, nõ merito. Siquidem, ait, quod uiro est tonderi aut radi, id est mulieri flammeum abijcere. Quod si decorum est mulieri, exemplo uiri, uelum capitis abijcere, eadem opera iuxta uirilem morem tondeatur etiam aut radatur, ut caluo capite palàm precetur aut uaticinetur. Quod si omnium consensu ridiculum atq; fœdum sit futurum, operto capite testetur se uiro subiectam esse, & humiliter conuersantem.

6 Vir quidem non debet uelare caput suum, quoniam imago & gloria dei est, mulier autẽ gloria uiri est. Non enim uir ex muliere est, sed mulier ex uiro.

Velare caput non decet uirum, qui dei gerit imaginem: sic mulieri prefectus, quemadmodũ Christus ecclesiæ, & per hunc illustratur gloria dei, quæ tegi non debet. Ex aduerso mulier ut subiecta est uiro, ita ad huius gloriam colitur & nominatur, in quem sit contumelios a, si palàm renudato capite simul & impudentiam suam testetur, & ceu libera uiri prefecturam abneget. Honoratur Christus, si uir palàm ac retectus illi seruiat, illiusq; gloriã prædicet. Honoratur uir, si uxor pudore, silentio, cultuq; uerecundo modestiam simul & obediẽtiam præ se ferat. Dixerit hic aliquis, Quo iure cogitur mulier subdi uiro, non contra? Quoniam cum primum deus cõderet genus humanum, non uir ex muliere prodijt, sed contra mulier ex uiro. Primum Adam conditus est è limo, mens diuino afflatu indita est, mox è latere subducta est Eua, ceu uiri portio quædam.

7 Etenim non est creatus uir propter mulierem, sed mulier propter uirum: ideo debet mulier uelamen habere supra caput suum, & propter angelos.

Secunda hæc est uiri excellẽtia, uel potius tertia aut quarta. Prima nanq; est, quod caput nostrum Christus est, nos autem mulieris. Secunda, quod nos gloria dei, nostra autẽ mulier. Tertia, quod nos non ex muliere, sed illa ex nobis. Quarta, quod nos nõ propter illam, sed illa propter nos. Sic ergo dicit: Non est uir con-

dius

ditus mulieris gratia, sed contrà mulier in uiri solatium est addita. Par est autem ut penes eum sit authoritas, qui & prior est conditus, & deo duntaxat conditus est, non mulieri. Hoc igitur iuris cum ipsa naturę primordia dederint uiro, debet mulier suam sortem agnoscere: nec obsequio solum, uerumetiam cultu mariti sui dominium testari. Vt autem rasus uertex libertatem arguit, ita capitis uelamen seruitutis est insigne. Quod si mulier eò uenit impudentiæ, ut testes hominũ oculos non uereatur, saltem ob angelos testes, qui uestris conuentibus intersunt inuisibiliter, & sacerdotes domini, qui & angeli dei sunt & dicuntur, tantum promereantur reuerentię assistentes, ut mulieres sese detegere uerecundentur, & caput non habeant liberum, sed uelamine tectum. Nec habeat potestatem loquendi coram episcopo, qui personam habet Christi in ecclesia.

Veruntamen neq; uir sine muliere, neq; mulier sine uiro in domino. 8
Nam sicut mulier de uiro, ita & uir per mulierem: omnia autem ex deo.
Vosipsi iudicate, decet mulierem non uelatam orare deum?

Mitigatio est. Facile enim uirum aliquem præfractũ reperies, qui auditis Pauli uerbis, mox insolesceret, & in fœminã potestatem immodicam exerceret. Non autem hanc maritus debet habere uilem, eo quod iussa sit parere: aut uxor sibi displicere, quod uiro subdita sit: nam quantum ad religionis consortium attinet, utriq; pares sunt. Sæpe maritus uxoris indiget officio, sæpe uxor mariti. Ad hæc olim ex uiro mulier prodita est, nunc neq; absq; uiro gignit mulier, neq; uir absq; muliere pater fieri potest. Nec tamẽ est q̃ his uerbis sibi quisquã placeat aut displiceat, cum omnia sint ad deum authorem referẽda, qui sic temperat ordinem uniuersi. Sed ut redeam ad id quod cœperam, si uobis tot argumentis nondum persuadeo, q̃ sit indecorum mulierem in propatulo nudato capite precari, uel ex suo quisq; sensu animoq; rem expẽdat. Nullus enim tam stupidus est, opinor, qui naturæ iudicium amiserit.

Nec ipsa natura docet uos, quod uir quidem si comam nutriat, ignomi- 9
nia est illi: mulier uero si comam nutriat, gloria est illi? quoniam capilli pro uelamine ei dati sunt.

An non natura quidẽ ipsa docet uos, uiro probro uerti, si fœminarum more comatus sit? Contra mulieri decus accedere, si comata sit, quod huic à natura capillitium densius & copiosius q̃ uiro datum sit, ne usquã deesset capitis uelamen, quæ uiro subiecta est. Etiamsi alicubi gẽtes naturæ usum in maioribus quoq; per impietatem inuerterint. Totũ autem argumentũ in hoc uersatur, ne quid offensionis aut immodestiæ in eo loco appareat, in quo ad orandum & ad prophetandum conuenimus.

Si quis autem uidetur contentiosus esse, nos talem consuetudinẽ non 10
habemus, neq; ecclesia dei.

Ostendi quid mihi magis decorum esse uideatur. Quod si quispiam uidebitur apud uos contentiosius super hac re tueri suam sententiam, faciat arbitratu suo, modo sciat, neq; nobis hunc esse morem, neq; cæteris ecclesijs dei. An decorum sit, uos & ab apostoli uestri institutis exemploq;, & à reliquarum congregationum consuetudine dissidere, ipsi uideritis: minus erat mali futurum si in hisce rebus utcunq; concordaretis.

Hoc autem præcipio, non laudans, quod non in melius, sed in dete- 11
rius conuenitis. Primum quidem conuenientibus uobis in ecclesiam, au-

dio ſciſſuras eſſe inter uos, & ex parte credo. Nam oportet & hæreſes eſ-
ſe, ut & qui probati ſunt, manifeſti fiant in uobis.

Cauſam huiuſcemodi diſſidij ſic diſcamus ex Chryſoſtomo: Quemadmodum in tribus millibus qui principio crediderunt, omnes communiter comederunt, & in cõmune omnia poſſederunt: ita & tunc cum hæc ſcripſit Apoſtolus, factum eſt. Communes enim faciebãt menſas inſtitutis diebus, ut decebat, in Chriſti charitatis memoriam, & collectione perfecta, poſt myſteriorum communicationem, ad cõmune omnes epulum conueniebant, & cibi ferebãtur per ſumptuoſos: pauperes & qui nihil habebant, ab illis uocabãtur, & communiter omnes diſcumbebant. Sed procedente tempore, huiuſmodi aboleuit conſuetudo. Ex hac diuiſione contigit, ut alij his, alij illis ſeſe adiungerent, & dicerent: Ego quidem illius ſum, ego autem illius, ut in principio Epiſtolę. Cum hæc abolita eſſet optima & utiliſſima conſuetudo, erat enim dilectionis argumentum, paupertatis conſolatio, diuitiarum moderatio, maximæ philoſophiæ materia, doctrina humilitatis. Cum, inquam, tot bona abolita eſſent, cum terrore merito in hunc modum loquitur: Hoc autem præcipio, non laudans. Non dubito exigere à uobis illud, quod pridem à me traditum diſplicet nõ obſeruari. Quod in cæteris inſtitutionum mearum memineritis, probo: quod hic ubi maxime conueniebat, idem facere non meminertis, non probo. Inſtitueram ut conueniretis ſine tumultu, ſine luxu, ſine contentione, ſumma æquabilitate, quæ uel in primis alit concordiam, & ſic ageretur inter omnes, ut ſuam quiſq; domum rediret melior. Nunc eò mores prolapſi ſunt, ut præſtiterit non conuenire, q̃ ad iſtum modum conuenire, idq; multis de cauſis. Neq; enim in una parte peccatur. Ac primum quidem, cum ſolenniter conuenitis, audio inter uos eſſe diſſidia, quod fœdius eſt profecto, q̃ ut credere libeat, & tamen aliqua ex parte credo, ut ueſtra ſunt ingenia, uitari non poterat, quin orirentur inter uos eiuſmodi diſſidia. Atqui ex re mala illud boni capitur, quod hinc magis illuceſcit qui uere probi ſint, dum hij cæteris indecore tumultuantibus & ingurgitantibus ſeſe, modeſte ſobrieq; iuxta præſcriptum apoſtolorum, ueterem eccleſiæ morem agitant conuiuia ſacra, quibus ultimam illam Chriſti cum diſcipulis ſuis cœnam repræſentamus, memores initi nobiſcum fœderis, & ad exemplum mutuæ in nos concordiæ. Non autem hic loquitur de diſſidijs doctrinarum, ſed quæ admittebantur in cœna dominica. Nec propterea factæ ſunt hæreſes, ut probati manifeſtarentur, ſed cum huiuſmodi hæreſes fierent, contigit illas manifeſtari, quemadmodum gubernatorem tempeſtas oſtẽdit. Nec accuſando eos manifeſtat, ne impudẽtiores fiant: neq; laudat, ne languidiores, ſed ſuſpendit ſermonem, & hunc & illum: ſingulorũ conſcientię uerba ſua accommodans. Nec tantum pauperes conſolatur hoc loco, ſed eos quoq;, qui non aboleuerunt conſuetudinem. Etenim adhuc eſſe poterant qui eam ſeruarent, quare inquit, Ex parte credo. Deinde meminit eius peccati genus, dicens,

12 Conuenientibus ergo uobis in unum, iam non eſt dominicam cœnam mãducare, unuſquiſq; enim ſuam cœnã præſumit ad manducandũ.

Duo eis opprobrat Paulus. Primum quod uentri ſuo tantum ſeruirent, & gulam ſuam explerent. Alterum, quod pauperes non expectarent, hoc ipſo eos pudefacientes, quod nihil cibi haberent. Quaſi diceret Paulus: Si omnino publico hoc & amico conuiuio, uentris expletioni, pauperumq; contemptu abuti conſtitutum eſt uobis, fiat hoc uel in ædibus ueſtris, non in eccleſia. Nam dum in hac gratulatione ſacra, & gratiarum actione cõuenitis, ideo conuenire debetis, ut in unum

unum corpus charitate compacti coalescatis, ut posita inuidia, liuore, odio, uno ore ac corde deum laudetis. Vos cõtra dissecti estis, quisq; quærit quod suum est, alter alteri inuidet, alter alterum negligit ac contemnit. Et ubi deo seruiendum erat & proximo, uentri & cupiditatibus seruitur. Non ergo sic conuenitis ut meliores, sed ut deteriores abeatis. An non hoc est ecclesiam dei contemnere? Non est hoc dominicam cœnam edere, sed propriam. Quoties sic conuenitis non uidetur agi dominica cœna, qualem Christus cũ suis egit, sed tumultuosum aliquod & inæquale conuiuium, quod per luxum & gulæ intemperantiam, non expectatis cæteris, suam quisq; cœnam occupat.

Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Nunquid domos non 15
habetis ad manducandum & bibendum? an ecclesiam dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent? Quid dicã uobis? Laudo uos, in hoc non laudo.

Domini cœna exigit, ut diues pauperem expectet, nec iam sit dominus sui cibi in cœna domini: diues pauperi non præponitur, tantum abest, ut pauper contemnatur. Non ibi decet ut unus tenuis esuriat, uel quia nõ habet quod edat, uel quia non in tempore uenit: ille diues cœnæ occupator satur sit & ebrius, ac mysticum illud conuiuiũ duplici nomine dehonestetur, & quod per fatum diuitum pauperes fastidiuntur, quos non fastidijt Christus, & quod cœna domini crapula luxuq; polluitur. Hic unanimitatis Christianæ mysteriũ agitur, non uentris aut gulæ negotium, quod non in publico cœtu, sed priuatim in ædibus curatũ oportuit. Si libebat explere aluum, an desunt uobis domus, in quibus seorsim hoc agatis? An publicam Christianorum congregationem contemnitis, ut hac teste gulæ seruiatis, uelut hoc interim data opera agentes, ut uobis publice luxum & apparatum ostentantibus, pudefiant tenues, qui quod offerant non habent? Quid hic dicam Corinthij? Laudem uos? Optarim quidẽ id uestro merito posse, & in alijs sanè laudo, hac in re non possum laudare.

Ego enim accepi à domino, quod & tradidi uobis. 14

Mores uestri, ô Corinthij, nimium dissonant ab illa cœna dominica, ad cuius exemplũ oportet inter uos agitari sacra conuiuia. Demiror qui ritus istos in uos inuexerint, nam ipse ut apostolus accepi à domino, quod & tradidi uobis. Nihil in hoc sacro seruandũ est, uel agendum, nisi quod dominus ipse instituit, & quod institutioni suæ conforme fuerit, ideo non quod mihi uideri potuit, sed quod domino uisum est, & quod eius traditione accepi, quod & acceperunt apostoli cæteri, & prędicauerunt, instituerunt q;, id quoq; solum uobis tradidi. Si uero quæratur quid tradiderint apostoli & Paulus, ex domini commissione & iussu. Certe non instituerunt sacratissimi mysterij illius celebrationem in ignota lingua ecclesijs, ut nec Christus dominus aliter q; materna lingua apostolis & populo loquutus est unquam, quæ illis erat Syriaca. Vnde & Græcanicis ecclesijs Paulus omnia Græce agi & dici debere tradidit. Sicut & Romanis Latine, sic quoq; Germanis fuerat id mysterij non aliter q; Germana lingua celebrandum. Deinde non in auro, argẽto, serico, non cum cantionibus & organis, non cum Gradualibus & Sequentijs. Nihil dicitur de luminibus & thure. Quid autem apostolorum institutum hac in re fuerit, dispiciendum nobis est, & facile inueniẽdum. In omnibus sacris fidelium conuẽtibus unum erat, ut legis & prophetarum duæ lectiones recitarẽtur, distributæ per sabbata anni: ibi si quis propheta aderat, populo præsenti interpretabatur quæ lecta erant, ut Christus in synagoga Lucæ 4. & Paulus

Act. 13. Id conuersi ad Christum quoq; agebant cum apostolis, donec Euangelia scripta sunt, & apostolorum Epistolæ, tunc enim una audiebatur lectio in ueteri testamento, alia in nouo. Aliud erat Commemoratio mysterij & passionis & resurrectionis Christi cum gratiarũactione, unde et Eucharistia dicta fuit ista actio. Ea aũt fiebat, post oblationes & collectas eleemosynas pro pauperibus, de quibus Paulus multa. Quæ collecta finiebatur oratione aliqua ad deum, ut gratã susciperet populi charitatem & munera. Quæ oratio finiebatur, Per eum qui uiuit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Populo respondente, Amen. Tunc apostolus uel sacerdos episcopus populũ salutans, dixit: Dominus uobiscum: & populus respondebat, Et cum spiritu tuo. Subdebat episcopus, Sursum corda. Id quod legimus apud Cyprianum & Tertullianum. Cui populus, Habemus ad dominum. Et sacerdos, Gratias agamus domino deo nostro. Respondebat populus omnis, Dignum & iustum est. Sicq; subinde personabat episcopus, Vere dignum & iustũ est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubiq; gratias agere, domine sancte, pater omnipotens, æterne deus, per Christum dominum nostrum. Et illico sequebatur, Qui pridie q̃ pateretur, accepit panem in sanctas ac uenerabiles manus suas, & eleuatis &c. usq;, Hæc quotiescunq; feceritis, in mei memoriam facietis. Nisi fortassis in prima ecclesia uerba tantum Christi & Apostoli habuerint, sine additione uel diminutione. Quandoquidem suspicor non abfuisse uerba, Quod pro uobis tradetur, post illa præmissa, Hoc est corpus meum, &c. Post hæc solenniter dicta, audita, intellecta & credita, sequebatur, Oremus. Præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione formati, audemus dicere, Pater noster &c. Illico perueniebatur ad Communionem panis & uini, hoc est, corporis & sanguinis Christi sacramenta, quæ non tantum episcopus ipse solus, sed fideles cuncti suscipiebant, & sese pacis osculo salutantes, soluebant cœtum: collecta autem à diaconis distribuebantur egentibus, iuxta episcopi iussionem. Cœpit cum tempore quoq; Psalmorum cantus à communi ecclesia, ut est apud Tertullianum. Post Nicenum Concilium addita est professio fidei Nicenæ. Sub Pio Papa primo, Sanctus, sanctus, sanctus cœpit cani à populo. Ad cuius cantionis inductionem uaria cœpit pro festorũ ratione adijci Præfatio, post Eucharistiam illico & ante Sanctus. Deinde, Qui pridie, sequebatur. Et illa sacrosancta Christi uerba, dum nimium putarentur uulgo nota, & sine reuerentia dici passim, execranda, ni fallar, audacia, sub specie pietatis, cœpta sunt dici secretius, tunc, cum populus Sanctus caneret, & ante orationem dominicam. Sacrosanctæ autẽ communionis symbolum adhuc uidetur in Gallijs, dum post sacerdotis communionem participant sacrosanctum panem, obmisso calice benedictionis, similiter intentione bona, sed qua satan impositi superstitiosis. Hæc pro eo dicenda hic uisa sunt, ubi Paulus cõmemorat se tradidisse Corinthijs, nõ aliud, q̃ quod accepisset à domino. Idipsum quoq; & apostolos cõformiter tradidisse, dubitari non potest. Reliqua secundum tempus, loca & personas adiecta sunt, in diuersis ecclesijs Orientis & Occidentis, donec corpus Missæ Romanæ sic auctum & illustratum est, ut genuinum suum splendorem prorsus amiserit. De qua uide quæ annotauimus pauca in Deutero. cap. 16. De hoc etiam Beatus Rhenanus quædam in Tertullianum.

15 Quoniam dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit:

Moses crastina egressurus Aegyptum, domini dei præcepto instituit agnum immo-

immolandum, edendum, sanguine postes imbuendos, sacramentum liberationis fidelium, & in omnia sæcula celebrandum, signum immaculati agni, qui peccata mundi foret ablaturus. Sic hic Christus dominus & redemptor noster, eo noctis initio, quæ erat quartadecima Luna, diei Iouis secunda uespera, dum eadem nocte esset à Iuda discipulo perfide tradendus Iudæis in mortem, idq; certo præno-sceret, & sponte eligeret peragendũ opus redemptionis uniuersalis omnium salu-uandorum, instituit memoriale suæ perfectissimæ charitatis, & felicissimæ salutis omnium electorum. Qua charitate tradidit sese uoluntati patris sui in perfectam obedientiam, usq; ad mortem sese humiliaturus, & à patre tradendus, pro salute humani generis, & sacrificium sese exhibiturus, non sine Iuda tradente ex mali-tia & auaritia, odioq; & ingratitudine, ut ipsius sanguine, cõscientiæ piorum per fidem imbutæ assecurarentur, de perfecta salute & redẽptione, ab omnibus pec-catis ipsorum, à potestate tenebrarum, & satanæ & mortis. Pro azimo mundissi-moq; pane & immaculati agni anniculi typo & figura, Christus panẽ accepit, in cœna assidens fidelibus discipulis, illumq; instituit sacramentum sacratissimi cor poris sui, non ut transsubstantiaret in aliud genus substantiæ, sed in corpus Chri sti typicum, & perfecte fidelibus ea ratione significandum, qua sit naturalissimus cibus spiritualis animæ, consolandæ, pro dolore peccatorum agnitorũ, & anxie-tate qua in agonia mortis spiritualis, quæ desperatio est (quando substantialiter mori nõ potest) uiuificatur, fide, in Christi uirtutem, iustitiam, merita, & promis-siones, quæ exhibenda sunt fideli animæ, quamlibet peccatrici. Si tota fiducia cre dat, oblatione huiusmodi Christi corporis satisfactum pro reatu omnium pecca-torum, dum in cruce fractum & saucium, sacrificium factum est pro peccatis to-tius mundi, & omnium saluandorum. Panem naturalem accepit, & sacramen-tum sui corporis crucifigendi instituit, quod est, gratias dixisse & benedixisse & consecrasse. Eundem panem fregit, suo quidem more, magister discipulis, pater filijs, corpus suum significans crastino frangendum passionibus, flagellis, clauis, & lancea, mortis denicq; corruptela, & diuisione animæ à corpore. Suum illud innocentissimum corpus, ut pabulum fieret omnibus iustorum animabus, quæ per fidem illo uescantur ad salutem & uitam æternam. Nec suffecit panis & fractio, simulq; porrectio, ad sacramenti saluberrimi perpetuiq; mysterium, & in stitutionem perfectam, nisi & uerba adderet, more sacramentorũ omnium, quæ consistunt uerbo & elemento, forma & materia: sicut & signo cũ significato, tem porali & æterna, re terrena ac cœlesti. Addidit ergo uerba rebus, sacram signifi-cationem rebus ad hoc institutis & aptis.

Accipite & manducate, hoc est corpus meum, quod pro uobis trade- 16
tur. Hoc facite in meam commemorationem.

Hæc de qua Christus hic loquitur acceptio sacramentalis cibi, qui panis est, & manducatio qua anima reficí & nutriri potest, & cupit, & indiget ad salutem, cœna est mystica, in qua nimirum dominus corpus & sanguinem suum, hoc est, seipsum uere tradit & offert credentibus, ut magis ac magis uiuat, recreetur, con soletur, & beatam se credat, tantisper ut in illis Christus uiuat, & fideles fruitione sancta in ipso. Non sic hoc intelligendum, ut pani & uino corpus & sanguis do-mini naturaliter uel corporaliter includantur in ipsa signa, uel ulla carnali uel e-tiam miraculosa præsentia statuantur, uel uniantur realiter, sed quod corpus & sanguis domini uere & cum legitimo fructu à fidelibus animabus percipiantur, & quod panis & uinum ex diuina institutione symbola sacra sint, quibus ab ipso

domino per ecclesiæ ministerium, uera & saluberrima corporis & sanguinis præ
sentia, spiritualiter & contemplatione fidei percipienda offertur, spiritu Christi
& diuino, per sancta huiusmodi symbola à Christo instituta, tanquam sacra me-
moracula charitatis diuinæ in Christo, ad uniuersum humanum genus, quibus
animi fidelium pascuntur ad salutem in uitam æternam. Potissimas ergo partes
in hoc sacramento obtinet, ipsum dei donum & datum, corpus & sanguis Chri-
sti domini nostri. Corpus quidem pro nobis traditum in mortem, & sanguis effu-
sus in peccatorum remissionem. Cum enim filius dei iuxta humanitatem assum-
ptam moritur, ut nos uiuificet: cum effundit sanguinem, ut nos expiet & emun-
det à peccato: cum ex mortuis excitat corpus suum, ut corpora nostra spem &
uires recipiant resurgendi: uiuificus tunc fit animarũ nostrarum cibus. Itaq; ipse
sese offeret edendum dominus animabus & conscientijs nostris, saluberrimum
& necessarium cibum, quo satiari tantum possunt animæ nostræ, non ut corpo-
reo cibo reficiatur corpus, sed spirituali, & animabus apto fidelibus. Fide enim
uera comprehendimus dei dona, per Christum nobis promissa & exhibita: fide
ergo editur dominus uere, & cum fructu, tantũ percipiendo ab animo. Quæ san-
cta dei dona per uisibilia signa panem & uinum repræsentantur, & offeruntur
sensibus: non ut in his sacramentalibus quiescamus, sed ut iuuetur infirmitas hu-
mana, ad cordium & mentis eleuationem, ad spiritualia maiora percipiẽda: non
ore, sed corde & animo. Sic ergo in cœna domini fideles panem quidem sacrum
percipiunt, sed animo intendunt in Christi corpus crucifixũ pro salute omnium.
Poculum uidentes & sumentes, fruuntur sanguine Christi effuso in cruce, quo
se ablutos non dubitant, & simul gaudent. Videntes frangi panem, & fundi ui-
num, corpus Christi pro se confractum & afflictum, & effusum sanguinem am-
plectuntur syncera fide. Sic quoq; ut pane aluntur corporaliter corpora, & uino
exhilarantur corda: ita credentes Christi crucifixo corpore spiritualiter reficiun-
tur, & uirtute passionis recreantur in conscientijs, sentiuntq; uim uiuificam in se
ad omne opus Christo acceptum, profligatumq; timorem damnationis æternæ,
& iræ diuinæ cessationẽ, ut nullo modo sint hæc nuda & inania symbola credẽ-
tibus, sed pignora salutis æternæ certissima, & conscientiarum piarum remedia
saluberrima præsentissimaq;. Hinc nascitur gratulatio & gratiarumactio, laus
quoq; pro tantis beneficijs dei ad nos per Christum. Simul quoq; beneficia domi-
ni refricantur, & repræsentãtur cum saluberrima memoria mortis domini semel
exactæ pro mundi salute, semper tamen recens cogitatæ, cum augusta quadam
fruitione bonitatis dei ad nos per Christũ, qui nunquam deest ecclesiæ suę, quam
regit, uiuificat, saluat, liberat, & pascit alimonia uitę immortalis, utcunq; corpo-
re suo naturali eodem & uno sit loco in cœlis, donec in eodem descẽsurus ueniet
iudicaturus uiuos & mortuos. Sic ergo intelligimus quod dixit: Sumite, edite,
hoc est meum corpus quod pro uobis frangitur, omnibus impartiendũ. Hoc au-
tem quod me facere uidetis, posthac & uos facietis in memoriã mei. Videtis hic,
ait Paulus, ò uos Corinthij, cum præceptore suo simul omnes accumbere, men-
sam & cibum esse communem omnibus, ne Iudam quidem proditorem à conso-
tio mensæ semotum: panem eundem, qui sacramentum erat corporis Christi, in
omnes ex æquo distributum. Dominus sic egit cum suis discipulis, & uos despici-
tis fratres, & eiusdem religionis consortes?

17 Similiter & calicem postquam cœnauit, dicens: Hic calix nouum tes-
tamentum est in meo sanguine, hoc facite quotiescunq; bibetis, mortem
domini

domini annunciabitis, donec ueniat.

Ad eundem modum post institutum sacramentum corporis, & distributum panem, qui erat propositus, & uulgaris pro solennitatis ratione, poculum quoq; sumpsit in manus, cœna iam peracta, dicens: Hoc poculum nouum est testamentum, & noua institutio, quæ sibi obedientē tradit cœlestibus regnis. Nam & Moses accepto sanguine uituli in patera, aspersit filios Israel, dicēs: Hoc est testamentum quod dispositit deus ad uos. Hoc figura fuit huius testamēti, quod dominus nouum appellat per prophetas, ut illud uetus sit quod Moses tradidit. Testamentum ergo sanguine constitutum est, quia beneficij diuini sanguis testis est, in cuius typum nos calicem mysticum sanguinis, ad tuitionem corporis & animæ nostræ percipimus, quia sanguis domini sanguinem nostrum redemit, id est totum hominē saluum fecit. Caro enim saluatoris pro salute corporis, sanguis uero pro anima nostra effusus est. Hæc hoc loco Ambrosius. Hic igitur de eodem poculo bibebant omnes, & nunc inter uos, diuites ebrij sunt, pauperes sitiunt. Christus hoc conuiuium mortis suę commemorationem & æterni fœderis symbolum esse uoluit, cum nunc per luxum ac dissensionem apud uos celebretur. Mysticus est panis, cuius ex æquo participes esse debent omnes. Sacrosanctum est poculum, ad omnes æque pertinens, haudquaquam paratum ad placandā corporis sitim, sed ad arcanæ rei repræsentationem, ne uobis ueniat in obliuionem, quo pretio sitis à pristinæ uitæ uitijs redempti. Proinde quoties ad edendum hunc panem, aut ad bibendum ex hoc poculo conuenitis, non uentris negotium agitis, sed spiritus: mortem enim domini Iesu mystico ritu repræsentatis: cuius iugis memoria nos in officio contineat, donec ipse rursus aduenerit iudicaturus orbem. His autem uerbis suis Apostolus liberum esse uoluit, ecclesijs relinquens, quando aut quoties sacra eucharistiæ celebrentur in cœtu. Nec iuxta Augustinum, disciplina ulla est in his melior, graui prudentiq; Christiano, q; ut eo modo agat, quo agere uiderit ecclesiam, ad quamcunq; fortè deuenerit: nec ob fratrum contētiosam superstitionem infirmi perturbentur in his rebus, quæ neq; scripturæ sanctæ authoritate, neq; uniuersalis ecclesiæ traditione, neq; uitæ corrigendæ utilitate ad certum possunt terminum peruenire, ut satius sit in Christi pace permanere & facere interim quod in sua fide pie crediderit faciendū. Mortem autem domini annunciare, est recolere cum actione gratiarum dominicæ redemptionis & Christi passionis beneficium, probe antea per fidem & institutionem cognitum, quæ est per euāgelij prædicationem & spiritum sanctum, præuia quadam spirituali manducatione, traiecto in se pabulo uiuifico salutis & gratiæ, cum spiritus suauitate & gaudio per fidem, ut salubris & salutaris sit, si haberi potest subsequens sacramentalis perceptio dominici corporis & sanguinis. Christianorum sacrum unicum, quod est gratiarūactionis & laudis. Vnde & sanctis olim patribus Eucharistia legitimū dici cœpit sacrificium, quod & manebit perpetuum in ecclesia, sine ulla abrogatione mutandum. Ideoq; tandem additur à Paulo, Donec uenerit, scilicet ad diem iudicij corporaliter, in glorificato corpore, testibus angelis, quemadmodum uisus est abscessisse.

Itaq; quicunq; manducauerit panem, & biberit calicem domini indigne, reus erit corporis & sanguinis domini. 18

Quisquis hunc sacrum panem ederit, aut biberit de poculo domini, secus q; dignum est, hoc est, sine fide, charitate, gratiarumactione, expensione diuini mysterij & beneficij, sine reuerentia, & proposito melioris uitæ, & præcipue charita-

tis in proximum, cuius est symbolum, is graui crimine se reddit obnoxium, quia corpus & sanguinem domini in sacris symbolis præsentatum animo, secus tractarit, q̃ ipse tractari iusserit. Siquidem res omnium maxime mystica pure ac reuerenter erat tractanda. Reus autẽ erit corporis & sanguinis domini, cui culpa imputatur mortis Christi, hoc est, cui mors Christi non ad salutem cedit, sed ad damnationis iudicium. Et tamen hic culpa non cibi est, sed animi, qui peruerse sanctum susceperit.

19 Probet autẽ seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi mãducat & bibit, non dĩjudicans corpus domini.

Qui sibi conscius est de fide in Christum, & in eius promissiones, de uirtute passionis & traditi pro mũdo corporis Christi, de desiderio melioris uitę, de odio peccatorũ, de affectu charitatis in proximũ, is edat cum fiducia de pane illo, & de poculo bibat, ut in ipso Christus uiuat, & ipse in Christo, alacer ad domini beneplacitũ, & ad sancta opera, tristis aũt de imperio corporis mortis huius, quod cupiat ex hoc crucifigi cum uitijs & concupiscentijs, ut spiritus saluus fiat, iustitia non propria, sed Christi, quam de hac sacratissima mensa consequit. Si quis hisce in rebus parum bene sibi conscius sit, abstineat potius, ac domi gulæ suæ satisfaciat. Licet enim res sit salutifera corpus & sanguis domini, tamen quisquis indigne & per incredulitatẽ edit & bibit, aliterq̃ q̃ ut dictũ, huic uertitur in pestem atq; exitium, propterea quod irreuerenter & sine fide illotoq; animo tantum adijt sacramentum. Non satis perpendens, quanta fide charitateq; in suum saluatorem, sumendum sit sacri dominici corporis & sanguinis saluificum sacramẽtum, dabunt hĩj pœnas prophanati mysterij, simulatq; Christus aduenerit.

20 Ideo inter uos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.

Non differt dominus ultionem in eos, qui sacramenta dei indigne tractant, qui abutunt diuinis beneficijs, qui prophanant sacrosancta mysteria. Hic quoq; interim quosdã urget grauiter pœna tãti cõmissi. Nam hinc est q̃ tam multi reperiũtur inter uos ualetudinarij, malisq; febribus & languoribus obnoxij, quin & pereunt ante diem multi. Sunt hæc exordia quædã & minæ futuri iudicij. Etiam nunc quoq; talibus dominus infert ultrices manus, & deprauatum magis ac magis animum & induratum, id quod satis liquet ex moribus ecclesiasticorũ, quos uidimus omnium fuisse nostris quoq; temporibus dissolutissimos, qui Missis suis tantum ad quæstum abutebantur, quibus & imponebant Christianis mirum in modum multis depilationum uijs, & quotidie nouis nexibus implicabant, ut locus esset absolutionis & quæstui.

21 Quod si nosmetipsos dĩjudicaremus, non uticq; iudicaremur: dum autem iudicamur, à dño corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.

Si nosmetipsi errores nostros agnitos indoleremus & corrigeremus, nõ à domino tot calamitatibus iudicaremur. Ad hoc enim disciplinam inducit, ut resipiscamus, & agnoscamus beneficia nobis ab ipso collata, ne simus ingrati, & deteriora mereamur supplicia. Præstat ergo interim hic iudicari cum clemẽtia, quàm in illo die cõdemnari iusto duroq; iudicio: nam cum leuibus malis affligimur, sic dice domino, non extinguimur, sed plagis emendamur, ne post inæternum cum mundo damnemur. Nec quis stulte sibi blandiatur, si indigne tractans hoc mysterium, uegeto uiuaciq; sit corpore, in promptu est dño uarijs modis ulcisci suam iniuriam, & nostram ingratitudinem pro tam immẽsis beneficijs. Mundum autem

tem dicit, infideles quoſcp in mundo, damnationi obnoxios. Nihil autem differt ab infideli, qui inconſiderate accedit ad menſam dominicam.

Itacp fratres mei, cum conuenitis ad manducandū, inuicem expectate. 22
Si quis eſurit, domi manducet, ut non in iudicium conueniatis.

Cum ad ſacras has & eccleſiaſticas epulas conuenitis, quo ſit ad exemplum Chriſti conuiuium æquabile, uos inuicem expectate, ut multorum oblatio ſimul celebretur & diſpenſetur tam diuitibus cp pauperibus, ut pariter conſolentur, & omnibus neceſſitas miniſtretur. Quod ſi quis impatiēs eſt, & tam auidus cibi corporei, ut dilationem non ferat, domi comedat, non in myſtico publicocp conuiuio, ne quod ad ueſtram ſalutem eſt inſtitutum, uertatur ad occaſionem damnationis. Néue uel minimū quiddam in eccleſia cū indecoro & negligenter agatur.

Cætera autem cum uenero diſponam. 23

Hactenus quod ad ſalutem pertinet, quomodo agendū oſtendimus, & quomodo in eccleſiā ab utrocp ſexu conueniatur, in quibus rebus, ſi error fuerit, non leue peccatum eſt. Cætera autem quæ ad ædificationem eccleſiæ pertinent, præſentia ſua ordinare ſe promiſit, ubi domino uolente redierit.

CAPVT XII.

DE ſpiritualibus autē nolo uos ignorare fratres, ſcitis enim, quoniam cum gentes eſſetis, ad ſimulachra muta, prout ducebamini, euntes. 1

Iam ut de donis ſpiritus ſancti nonnihil dicam, quando nec in his ſatis inter uos conuenit, ob pſeudoprophetas ueſtros, qui cum multa polliceantur, parum præſtant, & eccleſiæ ueſtræ imponūt. Volo uos meminiſſe fratres, quod aliquando pagani fuiſtis, ac tum quidem pro ſuperſtitione ſimulachrorum quocuncp ducebamini, illuc ibatis. Tum errorem habebatis ducem, nunc Chriſti ſpiritum. Supereſt, ut quemadmodū tum impiam religionem moribus & ritibus impijs æqui paraſtis: ita nunc ueræ ſanctæcp religioni pijs moribus reſpondeatis, ut quicquid inter uos geritur, ſic geratur, ut appareat geri afflatu diuini ſpiritus.

Ideo notum uobis facio, quod nemo in ſpiritu dei loquens, dicit anathema Ieſu. Et nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in ſpiritu ſancto. 2

Simulachra & deos quos olim colebatis Chriſtum nunc confeſſi, facile contemnitis, nempe res nihili & friuolas. Hoc uobis certo poteſt eſſe argumento, nihil ſpiritus in eis fuiſſe, necp uos ſpiritu ab eis animatos. Iam uero cum ſpiritus, hoc eſt, adflatus patris (nemo enim uenit ad Chriſtum, niſi quem pater traxerit) uos in cognitionem filij ſui duxit, tam abeſt ut Chriſtum, quem per ſpiritum dei profitemini, reijciatis, & pro reiectamento habeatis, ut ne ferre quidem poſſitis id ab alijs fieri. Nemo afflatus ſpiritu dei patris, execratur Ieſum huius filium. Necp putetis confeſſionem Chriſti rem temerariam aut fortuitam. Nemo enim agnoſcit uel profitetur Ieſum eſſe dominū, niſi ſpiritum dei habeat. Dicere autem hic emphatice, pro agnoſcere capitur, credere & fidere, alioqui & impij Chriſtū nominant. Nam qui ſpiritum dei non habent, Chriſtum dominum non agnoſcunt, ueritatem non intelligūt. Quicquid aūt uerum à quocuncp dicitur, à ſancto dicitur ſpiritu. Quale id quocp eſt, Chriſtum eſſe dominum. Oſtendit ergo nullū eſſe humanum beneficium, poſſe dicere, Dominum Ieſum, ſed magis donum dei, qui dignatus eſt myſteriū ſuum hominibus declarare. Etenim ipſa profeſſio de Chriſto domino, ſic acquirit peccatorum remiſſionem, ſicut exaggerat dedicatio ido-

lorum, qua quiſquam ſeſe ut ſeruulum diuo dedicat & deuincit.

3 Diuiſiones uero gratiarũ ſunt, idem autem ſpiritus: & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem dominus: & diuiſiones operationũ ſunt, idem uero deus, qui operatur omnia in omnibus.

Quicquid in uobis eſt boni, id huius beneficẽtiæ debetis, & huius gloriæ conuenit impendi. Quamuis uno & eodem ſpiritu omnes credẽtes agitantur, unus tamen alium donis præcellit potioribus, manente tamen eodem ſpiritu, & eadem fidei eſſentia & ſumma. Quia autem ſunt qui dona quidem & gratias habẽt, officia autem non habent, ideo ſubdit, Diuiſiones miniſteriorum. Sunt denique qui & dona & officia habent, at operatione & executione carent: propterea adijcit, Diuiſiones operationum, ut miniſterium ponatur pro officio, operatio uero pro administratione. Quamuis ergo dona & officia ſunt diuerſa, unus tamen eſt deus, unus idemq; ſpiritus, à quo omnia proficiſcuntur, cui authori omnia debentur. Docet hoc, ne quiſquam ſibi placeat, ne quiſquam ſeſe efferat, ſi donis eximijs ſit præditus, ſed diuinæ beneficentiæ hoc aſcribat & gloriæ, cui omnia bona noſtra debenť, qui non in hoc cõtulit ut ſuperbias, ſed ut proſis q̃ pluribus. Porrò quandoquidem dei dona conferuntur ad utilitatem, quæ ſunt tibi negata, profecto exiſtima tibi non fore utilia, ſi contigiſſent huiuſmodi dei dona. Quod autem additur, Qui operatur omnia in omnibus, uehementer cum libero pugnat arbitrio, nam utitur ſummus opifex nobis ut uaſis ſuis. Qua in re dei prouidentiam diſcimus. Quemadmodum enim paterfamiliâs cunctas domus ſuæ res quo in loco quæq; ſit ſita, ad quẽ uſum idonea, pernoſcit: ſic deus in numerato habet omnia, & ſingulis pro ſuo arbitrio ad gloriam ſuam utitur.

4 Vnicuiq; autem datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem.

Vni authori deo debentur omnia dona, ſiue mediocria, ſiue eximia, nec eſt quod hinc ſe quiſquam efferat, alieni muneris eſt, non proprij meriti quod habet, & quicquid contigit afflatu ſpiritus, in communem utilitatem collatum eſt, non ad priuatum faſtum, ut ſcilicet proſint toti corpori, hoc eſt eccleſiæ ſanctorum & Chriſti, non ad quæſtum & luxum proprium. Sed & qui humiliores uidentur in eccleſia, contemnendi non ſunt, quorum ſinguli quoq; ſuas habent à domino donationes, quibus proſunt eccleſiæ ad ædificationem.

5 Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum, alteri fides in eodem ſpiritu, alij operatio uirtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur unus atq; idem ſpiritus, diuidens ſingulis pro ut uult.

Catalogum ponit præcipuorum donorum unius dei & ſpiritus. Differũt autem ſapientia & ſcientia: reperies enim ſcientes, hoc eſt eruditos in uarijs liberalibus diſciplinis & doctos, qui tamen minime ſint ſapientes, hoc eſt, rerum diuinarum & humanarũ peritos. Sapientem rurſus offendes, deum timentem, circumſpectum fidelemq;, at planè indoctum. Sapientia autem ſcientiam multo præcellit. Quod ſi hæc duo ſimul in bonum aliquem inciderint, nihil utilius aut melius eſſe poteſt, in malũ incidere ambo non poſſunt. Alij fides, ait. Eximia ac præſtantiora dona præponit. Sunt autem qui docti non ſunt, neq; ſapientes, at fideles, ut ſinceri & conſtantes in probis rebus & ſacris. Quibuſdam quoq; datum eſt, gnauiter & ſtrenue functionem ſuam exequi, qui quæ bona & utilia cœperint atq; probi,

proba, non facile patiantur à malis se superari, sed persistunt fortiter in cœptis iuxta deum, & honestum & sanctum. Prophetia uario modo accipitur. Primum enim docentur hi qui deinde docent cæteros, & prophetare dicuntur utricp. Dein de prophetæ officium est, uitia arguere, iram dei minari impijs, pijs dei misericordiam polliceri. Prophetæ etiam futura prædicant, aut ex diuini spiritus reuelatione, aut dum ex præteritis futura conijciũt, alioqui cæteris abstrusa & incognita. Cum quocp sint multi, qui facile falluntur, etiam alioqui scientes, tamen ob morum imperitiam, uel ob simplicitatem aut stupiditatem, ideo discretio spirituum necessaria dicitur, dum sagaces quicp mox olfaciunt, quo spiritu quæcp quisp loquatur aut agat. Transfigurat enim se satan in angelũ lucis. Proinde spiritus explorare Ioannes docet. Sunt quos gloria uexat inanis. Sunt quos quæstus & uenter impellit. Sunt qui odio ducuntur. Rursus alius sortitus est hanc dotẽ, ut idem uarijs linguis loquatur, quæ res non mediocriter conducit ad cognitionem sacrorum uoluminum. Quorum certa cognitio, sine Hebraicæ linguæ intelligentia, quo ad uetus instrumẽtum, & Græce linguæ quo ad nouum, haberi non potest. Interpretatio quocp sermonum datur per afflatum diuini spiritus, ut aliquis arcanarum literarum peritiam interpretetur & explanet, quod illi loquuti sunt, sanctorum librorum authores ex spiritu sancto. Non enim quisquis linguam tenet, idem tenet sensum arcanum sermonis, quem spiritus sacra scribentis intenderat. Nihil est quod hic sibi quisquam uel placeat, cum sint aliena quæ habet, uel displiceat, quando distributio pendet ab arbitrio spiritus sancti. Qui dotes has omnes quamuis uarias, & alias in alijs, unus & idem opifex partitur cuicp, ut ipsi uisum fuerit. Sed sic, ut mutuum inter uos charitatem, singulorum dotes sint omnium communes, & ad harmoniam ac decorum faciat uarietas non ad dissidium: interim tamen tu non tantum habes quantum uis, sed quantum uult dominus. Hoc autem uerbo omnem elationem, imò omnia nostra sic deprimit, ut planè uideamus nihil in nostra totum spiritus diuini potestate situm esse. Aliena ergo dona quum sint, pro arbitrio spiritus nobis impartita, nihil est quod efferamur, aut nobis adscribamus.

Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa: omnia autem 6
membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita & Christus. Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, siue Iudei, siue gentiles, siue serui, siue liberi, & omnes in uno spiritu potati sumus.

Corpus naturale ad corpus Christi mysticum comparat: quasi dicere uolens, Neminem suæ sortis pigeat, nemo proximum fastidiat, si ipse non tantis polleat. Nemo inuideat ei qui potioribus donis præcellit, necp enim propter diuersa membrorum officia, discordia est in corpore, sed singula membra mutuis sese officijs ita iuuant, ut corpus constare possit. Idem enim spiritus uitæ munus impartit omnibus membris, quę cum multa uariaep sunt, tamen simul omnia unum corpus sunt, sic esse uoluit Christus in suo corpore. Quandoquidem ex æquo participes baptismi, per eundem & omnibus communem spiritum in idem corpus compacti sumus, siue Iudæi, siue Græci. Is autem baptismus aliud non est, qp signum eorum qui unum corpus Christi sunt. Et pueri Christianorum intra corpus & ecclesiam Christi sunt, etiam antequam baptizentur, quis ergo negabit eis signum populi dei baptismum, quum & ipsi dei sint? Signum enim dei nulli datur, nisi prius sit de populo dei. Datur autem eis, ut innotescant etiam cæteris. Porrò qui unum

corpus sunt Christi, unum & eundem habent spiritum, ad unũ omnes spectant, nempe ad gloriam dei, & totius corporis utilitatem. Qui ergo quæstui seruiũt & gloriæ, qui uentris animalia sunt, ut antichristi discipuli, spiritũ Christi non habent, quantumuis Christum ore resonent.

7 Nam & corpus non est unum membrum, sed multa. Si dixerit pes, Quoniam non sum manus, non sum de corpore, nõ ideo non est de corpore? Et si dixerit auris, Quoniam non sum oculus, nõ sum de corpore, non ideo non est de corpore?

Vrget Paulus ut singuli suis officijs satisfaciant, neminem suæ factionis pœniteat, etiamsi uiderit alium alijs esse intentum. Qui laborat & affligitur, non dicat, Nolo amplius laborare, nolo molestias & onera ferre, nisi & ille eadem ferat, fortassis alijs rebus intentus est ille alius. Eundem, inquit, spiritum hausimus omnes, licet aliter in alijs uim suam exerat. Neq; corpus unico membro constat, sed multis quamlibet diuersis. Iam si pes deijciens sese dicat; Non sum manus, nihil mihi cum reliquo corpore, num ideo nõ est pars corporis? Et si dicat auricula deplorans sortem suam, Non sum oculus, aliena sum à reliquo corpore, num ideo non sit pars corporis? Situs aut usus diuersus non uergit in contumeliam membri, quando hæc ipsa uarietas ad totius corporis pertinet incolumitatem. Et quid quid cuiq; membro datum est muneris, id toti corpori iuuando datum est.

8 Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totũ auditus, ubi odoratus? Nunc autem posuit deus membra unumquodq; eorum in corpore sicut uoluit. Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus? Nũc autem multa quidem membra, unum autem corpus.

Præclara corporis pars est oculus, sed si totum corpus sit oculus, ubi erunt aures? Rursum si totum corpus sit auricula, ubi erit nasus? Hoc deus perspiciens, diuersis membris compegit corpus, ac membro cuiq; suum locum, suum q; munus attribuit, non ex merito membrorum, sed ex ipsius arbitratu. Quod si, quæ nunc multa ac diuersa sunt membra, redigerentur in unum membrum, puta nasum, aut oculum, ubi corporis harmonia? Nunc non ita res habet, sed cum membra singulatim inter se differant, tamen ob cõsortium eiusdem animæ nihil aliud sunt q; unum corpus, ut nullum membrorum à cæteris membris possit fastidiri, quantumuis humile. Eximium donum est docere in ecclesia ueritatem, hoc si omnes aggrediamur agere, interibunt functiones aliæ, non minus necessariæ & eximiæ. Quisquis igitur sua uocatione contentus sit, in hac se, quam nouit, & quam uocatus est, exerceat arte. Pedes in ecclesia habentur infimæ sortis homines. Manus autem, qui præditi sunt functionum uariarum officijs, mediocris sortis & felicioris. Oculorum loco habentur, qui cæteris in ecclesia sunt doctiores, in sacris literis & sancto spiritu pleniores. Aures dicuntur, sequaces ad sacras admonitiones & pie fideles. Horum nullus dicat, Nolo laborare pro alio membro, pro fratre, nisi ipse quoq; eadẽ se arte & occupatione exerceat. Quando non sunt pares omnes in ecclesia functiones, in ea quisq; permaneat ad quam est uocatus.

9 Non potest autem dicere oculus manui, Opera tua non indigeo: aut iterum caput pedibus, Non estis mihi necessarij: sed multo magis quæ uidentur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt: & quę putemus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circum-

circundamus: & quæ inhoneſta ſunt noſtra, abundantiorem honeſtatem habent.

Non poteſt oculus ceu pars corporis excellentior ac uelut organum animi familiarius, dicere manui ceu membro craſſiori, non eſt mihi opus tuo præſidio. Necꝙ rurſus caput, licet regia ſit animi, dicere poteſt pedibus, uelut extremis, nihil moror ueſtrum officium. Tantum abeſt, ut ullum corporis membrum deſpiciatur, ut contra potius quæ uidentur membra corporis imbecilliora, his ut neceſſarijs curam præcipuam impendamus, & quæ iuxta uulgi æſtimationem minus habentur honeſta, his honorem addimus uberiorem: quæꝙ parum decora uidentur, his plus decoris adiungimus, ueluti penſantes officio, quod aliâs dimanutum uidetur: nec ignari uniuſcuiuslibet probro totũ corpus dehoneſtari. Honorem ſiquidem uocat aut tectorium, quod uerendis circunducimus, aut quod abſqꝙ honoris præfatione ea nunquam nominamus. At huiuſmodi membra maxime neceſſaria ſunt homini toti in corpore: ſic in eccleſia qui uidẽtur nobis contemptibiles eſſe & ignobiles, apud deum nobiliſſimi ſunt pleruncꝙ, & nobis maxime neceſſarij.

Honeſta autem noſtra nullius egent, ſed deus temperauit corpus, ei 10
cui deerat abundantiorem tribuendo honorem, ut non ſit ſchiſma in corpore, ſed in idipſum pro inuicem ſolicita ſint membra. Et ſi quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, ſiue gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.

Quæ per ſe decus habent in nobis, non egent aſcititijs ornamentis, ueluti facies aut manus, cum pudenda noſtri ueſtitus ornatu tegantur. Hoc conſilio conditor deus mira quadam harmonia diuerſarum partium corpus omne temperauit ac miſcuit, ut cui uidebatur aliquid honeſtatis deeſſe, (etiãſi natura nulla corporis pars eſt inhoneſta) huic ex officio plus honoris adderetur, ne uidelicet diſſidium oriretur membrorum inter ipſa, cum nullius uſus nõ ſit neceſſarius, ſed ut omnia pari ſolicitudine mutuis officijs ſeſe uiciſſim tueantur, ne per diſſidium (dum quodꝙ ſibi priuatim fauet collapſo corpore) pereãt omnia. Quin potius ſi quid commodi aut incommodi huic aut illi membro obtigerit, omnia putant ad ſe pertinere: ſiue quid affligitur unum membrum, ſimul affliguntur omnia membra: ſiue quid honoris contigit uni cuipiam membro, ſibi gratulãtur omnia membra. Omnia ſiquidem communi quodã dolore uel gaudio afficiuntur, ideoꝙ par eſt & æquum, ut omnes ſimus eadem mente & eadem ſentẽtia. Nihil inueniatur in corpore myſtico quod excitet turbas, ſed glutino quodã charitatis arctiſſime ſibi mutuum cohæreant, ut aliud pro alio gerat ſolicitudinem.

Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro. Et quoſdam 11
quidem poſuit deus in eccleſia primum apoſtolos, ſecundo prophetas, tertio doctores, deinde uirtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes ſermonum.

Num ſaltem hoc exemplo deſinetis inter uos contendere, quos arctius in unum compegit Chriſti baptiſmus, ꝙ corporis membra compegit idem ſpiritus? Qui fit, ut plus poſſit natura q̃ gratia? Nõ uos eſtis corpus Chriſti, aut certe pars aliqua membrorum illius? Quæ ſic in ſuo corpore digeſſit, quod eſt eccleſia, ut ſuum cuiꝙ locum, ſuum cuiꝙ munus attribuerit. Ac primo quidem loco colloca uit apoſtolos, qui diſpenſatores euangelicæ gratiæ Chriſti uicibus funguntur.

Proximo prophetas, qui uel aperiant futura, uel explicent occulta. Tertio doctores, qui literis ac disciplinis præditi, quod habent in communem usum conferãt. Quarto loco potestate præditos, ad coërcendum uim dæmonum, & Christi nomen miraculis illustrandũ. Quinto, qui ualent tollendis morbis. Secundum hos alios, qui possint authoritate consilioq; subuenire afflictis, qui prudentia præpolleant ad multitudinem in officio retinendam. Postremo, qui linguarum peritia possint esse usui cæteris. Hæc uarietas nos ad mutuam concordiam non hortatur modo, sed etiam compellit, dum aliorum alij uicissim opem desideratis. Hunc uerò locum luculentius Erasmus retulit, Pro uirtutibus dicens, potestates, donationum, subsidia, gubernationes, generaq; linguarum, intelligendo per subsidia œconomos, qui in negotijs ecclesiasticis succurrũt & opitulantur. Gubernatores dixit Ambrosius, qui spiritualibus retinaculis documẽto sunt hominibus, quales sunt seniores in ecclesia maturi, & disciplinæ ecclesiasticæ præfecti, morumq; censores.

12 Nunquid omnes apostoli? nunquid omnes prophetæ? nunquid omnes doctores? nunquid omnes uirtutes? nunquid omnes gratiã habent curationum? nunquid omnes linguis loquuntur? nunquid omnes interpretantur?

Quasi dicat, Minime, sed sua cuiq; dos contigit: nemo fastidiendus est, sed tamen omnibus enitendum, ut ad ea quæ in his præcipua sunt, admitti mereantur, ac semper ad meliora proficiant, deumq; pro donis glorificent, orentq; ut sancte utantur, in diuini nominis sanctificationem, in ecclesiæ profectum, cui seruire desiderent.

13 Aemulamini autem charismata meliora, & adhuc excellẽtiorem uiam uobis demonstro.

Non de donis in se loquitur, nec de exteriori donorum officio, sed de interiori. Exempli gratia, Tu episcopus es, alius consulatum gerit, iam Pauli mens non est, ut tu qui consul es, episcopi munus ambias: sed quemadmodum episcopus omnes tendit neruos ut doceat, ut sceleribus obstet, ut prosit toti ecclesiæ: sic & cum toto studio huic uni incumbe, ut uitijs ac flagitijs obstes, peccantes corripias, rei publicæ, non tuæ incolumitati, studeas. Illud sectamini quod potissimum & optimum est in donis. Charitas ergo illud præcipuum est & excellens in omnibus donis, quæ uita est omnium uirtutum. Hæc est excellens illa uia, dux & moderatrix omnium donorum, quam Paulus monstrat. Hanc autem solus deus in cordibus nostris per spiritum suum accendit, quando nos ita cupiditatibus sumus uitiati, ut non raro pro uirtutibus uitia amplectamur, & uitia uirtutum nomine induamus, illisq; utamur ad quæstum uel gloriam, nisi pectora nostra deus suo spiritu & igne charitatis intus accenso aliò impellat. Dona ergo spiritus si in nobis absq; charitate fuerint, nec utilia nec deo grata erunt.

CAPVT XIII.

1 Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum uelut æs sonans, aut cymbalum tinniens.

Præclarum est linguis loqui, quo nomine uos uobis præcipue placetis. Sed quamuis linguis omnibus loquar, non solum hominum, uerumetiam angelorum, ut sic dicam exaggerandæ rei gratia, non adsit autem studium benemerendi de proximo, ac dei donum in communem usum conferendi, non minus inutilis

inutilis ſim futurus q̃ æs, inani ſtrepitu diſcindens aërem, aut cimbalum inutili tinnitu feriens aures. Non ſunt enim niſi orationes oſtentatorum, inſtructæ quidem & eloquentes, poſt oblectationem autem nihil uel parum afferentes auditoribus, eo quod occulta illa charitatis ui non uegetentur ac uiuant.

Et ſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſci- 2
entiam: & ſi habuero omnem fidem, ita ut montes trãsferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.

Si dono linguarum, præclarius mihi obtigerit donum quoq; prophetiæ, per quam arcanos ſenſus omnes ſcripturæ diuinæ teneam, ſi cuiquã tamen hoc mortalium obtigit ut unus omnia teneat: ſi acceſſerit omnium diſciplinarum abſoluta cognitio: poſtremo ſi tantum fidei robur acceſſerit, ut huius præſidio montes quoq; loco dimoueam, deſit autem charitas, fruſtra illa adſunt quæ nulli proſunt. Non autem intelligit de fide uel fiducia, quæ iuſtificat ac ſaluat, nam illa à charitate ſeparari non poteſt, ſed de credulitate, quæ quidem niſi promoueat, mortua fides eſt. Erant nimirum Pauli tempeſtate, quemadmodũ & Iacobi, quin & nunc noſtra quoq;, qui fidem inaniter iactabant, factis uero Chriſtum negabant. Hos uanos eſſe & uehementer errare oſtendit Apoſtolus. Quaſi diceret: Si fidem putatis eſſe, credere quod deus ſit, & multa de deo deq; rebus diuinis curioſe loqui, & non potius cor fiducia tota coniectum, & ardore quodam raptum in deum, quod proximi dilectionem quaſi fructos optimos exprimat, toto cœlo erratis. Sine fide enim prophetantes & charitate, Balaam, Saul, Caiphas, & multi ſimiles, nihil profuerũt ſibi. Iudæ quoq; nihil profuit fuiſſe cum apoſtolis, & didiciſſe myſteria regni, cum charitatis hoſtis tradiderit ſaluatorẽ. Et propheta Ezechiel, diabolum myſteria cœleſtia ſcire oſtendit, quando increpata uoce, in paradiſo illum dei fuiſſe, & pretioſos lapides habuiſſe teſtatur. Nec Scribis profuit clauis ſcientiæ, qui nec intrarũt, nec alios intrare ſiuerunt. Virtutes quoq; facere, aut dæmonia per fidem eiicere, dei uirtus eſt & gloria. Nec hoc ad meritũ proficit, niſi quis bonæ conuerſationis fuerit æmulus. Hæc Ambroſius.

Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tra- 3
didero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.

Apertum eſt, quia ſi omnis ſubſtantia impendatur, nihil proficitur, charitate neglecta, quia caput religionis eſt charitas: & qui caput non habet, uitam non habet. Duo itaq; maxima ponit, quæ uel erga proximum uel erga ſeipſum homo facere poteſt, ſub quibus cætera omnia minora intelligit. Induit autem perſonam maxime potẽtium & diuitum: quaſi diceret, Eſto ſit aliquis, qui quicquid rerum habet, hoc totum in aliorum uſum profundat, quod quidem etiam ex hypocriſi & arrogantia quadam fieri poteſt. Eſto exurat quiſpiam ſuum corpus, nihil efficiet ſine charitate, nihil fructus ex dotibus huiuſmodi omnibus refertur. Hæc autem una commonſtrat, quatenus utendum eſt dotibus, quas fruſtra teneas ſi neſcias uti. Cæteras dotes uitiat ambitio, uitiat liuor, uitiat diſſidiũ, à quibus omnibus malis plurimum abeſt charitas. Cæteræ dotes ſuam quæq; habent utilitatem peculiarem. Charitas nec uitiari poteſt, & uſu ſui latiſſime patet.

Charitas patiens eſt, benigna eſt, charitas non æmulatur, nõ agit per- 4
peram, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet au-

tem ueritati, omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.

Charitatis officia Paulus pulchre Corinthiorum oppoſuit ſtudijs, per occul-
tas & elegantes antitheſes. Charitas, ait, leni animo eſt ad tolerandas iniurias, ut
non facile proſiliat in uindictæ deſiderium: deinde ad uitæ conſuetudinem com-
moda eſt & comis, ut omnia boni conſulere poſſit, minime moroſa aut difficilis,
neſcit enim ſupercilium. Sed nec cuiquam inuidere nouit, quin potius ſua quoq;
bona transfundit in alios, tantum abeſt, ut inuidia ringatur ad aliorũ bona. Non
eſt procax, ut moleſta ſit uerbis uel actibus cuiquam, ſed obſequi potius cupit o-
mnibus pro omni uirili ſua. Non inflatur, quæ ſe cuiuis ſubmittit: nihil ſibi putat
indecorum, modo proſit: ideo eſt abſq; omni faſtidio proximorum, multo minus
contumelioſa in quenquam. Non irritatur iniuria, non ſupra modum exaſpera-
tur, non exaggerat culpam ultra debitum, nec nimis in obiurgando acerba eſt.
Adeo non retaliat acceptam iniuriam, ut ne cogitet quidem de ulciſcendo. Tan-
tum abeſt ab iniquitate, ut nec alienam ferat iniuſtitiam, nulli temere malum im-
putat, imò ne malum quidem de quoquam ſuſpicatur, uel quia omnes ex ſe meti-
tur, uel quia non eſt irritabilis. Sed magis gaudet moribus ſynceris & ſimplici-
bus, nihil non ſuffert iuuandi ſtudio, quamlibet durũ, nihil grauatur in rem pro-
ximi ferre & agere. Nihil non credit, tantum abeſt ut de quoquam perperam ſuſ-
ſpicetur. Non facile deſperat de quoquã, meliora ſemper deſiderat, & ſubſequen-
tura ſperat, omnes autem infatigabili ſpe tolerat, & meliorum expectatione perti-
naciſſime perdurat. Quid plura? nuſquam ceſſat charitas, à charitate præter de-
corum agitur nihil, perfectio enim legis eſt charitas, & gaudium conſcientiæ in
domino.

5 Charitas nunquam excidit, ſiue prophetiæ euacuabuntur, ſiue linguæ
ceſſabunt, ſiue ſcientia deſtruetur. Ex parte enim cognoſcimus, & ex par-
te prophetamus.

Etiamſi prophetiæ donum uel linguarum peritia, id eſt aliquid nobis in pro-
phetia & interpretandi facultate abſtruſiore deſit, uel nos deſtituat, (Nam nemo
unus omnia poteſt, nec omnia oĩbus deus dedit) attamen ſi charitas nobis non
deſit, una ipſa non patietur nos pernicioſius aberrare. Qui enim charitate imbu-
tus eſt, ſacra ſyncere tractat, ſingula ad charitatẽ, cum dei tum proximi, ceu uni-
cum ſacrorum librorum ſcopum dirigit. Atqui hoc modo minime ipſum chari-
tas aberrare ſinit, tametſi interim ad abſtruſiorem ſcripturæ ſenſum non penetra-
rit, id enim propheticæ functionis eſt. At prophetia, linguarũ peritia, & omnige-
na ſcientia abſoluitur, quæ quidem illi nondum planè perſpecta ſunt. Sequitur
enim: Ex parte enim cognoſcimus &c. Quod hactenus ex his tenemus imperfe-
ctum eſt, nec ad plenum cognouimus, nec ad plenum per prophetiam tenemus
myſteria.

6 Cum autem uenerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte
eſt. Cum enim eſſem paruulus, loquebar ut paruulus, ſapiebam ut pa-
uulus, cogitabam ut paruulus: quando autem factus ſum uir, euacuaui
quæ erant paruuli.

Habet ſuos gradus Chriſtiana religio, habet ſuas ætates, & ætatum acceſſus,
quemadmodum natura. Cum eſſem puer, ut puer eram affectus, ut puer loque-
bar & cogitabam: cæterum ubi factus ſum uir, reieci puerilia, iam animum appel-
lens ad meliora, donec paulatim ad ſumma prouehar: quod ſi non contingat in
hac

hac uita, tamen hic nobis est meditandum, quo contingat in futura. Id non dixit quod stulta sit religio, qua ex fide imbuimur in hisce terris, sed quod maximum sit discrimen, inter huius & futuræ uitæ cognitionem & scientiã, ne quis sibi placeat ob eruditionem tantulam illam, quam in hac uita assequitur, comparatione enim alterius est minima & obscura & incerta ut plurimum.

Videmus nunc per speculũ in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. 7
Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.

Latius se Paulus aperit, nam idem sensus est cum priore, sed clarior. Dum hic sumus, omnia cum defectu quodam nobis apparent, ueluti dum quis per conspicillum aliquid uidet: at in patria omnia & clare & nude uidebimus, quæ iam quasi per umbram nobis apparent. Quod nunc his dotibus quamlibet diuinis cernimus, id admodum est obscurum, & non perspicuum, sed uelut in fidei speculo. Imaginem enim tantum rerum cœlestium intuemur, & ex scripturis ceu per inuolucrum ænigmatis dei mentem conijcimus. Verum ubi contigerit perfectio, res ipsas coram cõtemplabimur. Nunc ego aliqua cœlestia & diuina ex parte cognosco, tũc autem præsens præsentem deum cognoscã clarissime, sicut & ab ipso sum cognitus. Nam ab illo cognosci, diligi est: et quo quisq; illi charior est, hoc plenius & propius illius ineffabili notitia fruetur.

Nunc autem manẽt fides, spes, charitas, tria hæc, maior autem horum 8
est charitas.

Licet reliquæ dotes uelut inutiles cessaturę tunc sint, ut benignitas, misericordiæ affectus, eleemosynæ &c. satis iam confirmata fide, cui propagandæ ac stabiliendæ seruiunt illæ, tamen interea manent fides, spes & charitas. Fides, qua proculcernimus immortalitatem futuram: spes, qua confidimus nos illius fore participes: charitas, qua deum sic de nobis meritum redamamus, & huius gratia proximum. Hæc tria cæteras dotes omnes antecellunt, sed tamen in his ipsis primas tenet charitas, cui fidem etiam & spem debemus, aut certe sine qua nec illæ sunt ad salutem efficaces. Hic uero fides non capitur pro perfecta cognitione dei, sed pro initio cognitionis adhuc imperfectæ. Charitas autem omniũ maior hic ideo cõcluditur, ut eam præ omnibus æmulemur, & sectari cupiamus & assequi, propter quod dixerat in fine præcedentis capitis, Excellentiorem adhuc uiam uobis demonstro.

CAPVT XIIII.

Sectamini charitatem, æmulamini spiritualia, magis autem ut 1
prophetetis.

Docet Paulus hoc capite donis dei recte uti in ecclesia dei, propter quosdam Christianos, qui ubi docti essent linguam Iudaicam, qua Christus dominus usus fuerat & apostoli, in qua prędicauerat, in qua & primũ Matthæus Euangelium scripserat, quæ planè Syriaca erat & Hierosolymitana, non pure Hebraica, quæ cessauerat esse in usu à reditu de Babylone. Ea inquam lingua, in publico cœtu coram fidelibus Græcis, aut canebant aut psallebãt, quod pauci aut nulli gentilium conuersorum intelligebant. Hinc fiebat ut admirationi essent propter ignorãtiam. Accedebat hypocrisis & gloriatio de euangelio, quod primum exierat in mundum è Hierosolymis ex Iudæis. Hanc admirationem inutilem linguæ, & absq; fructu plausum, apud indoctum uulgus damnat & reijcit Paulus, monens ut magis studeãt charitati, Sectamini, inquit, charitatem. Cum enim tanta res sit charitas, tamq; necessaria, hanc unam studeatis apprehendere, huic uni

operam date, ut ea dona quæ potiora & magis ſpiritualia & utilia ſunt, amplectamini. Vt linguarum quidem periti ſitis, ſed ut ſenſum ſcripturæ magis aperiatis, nam hæc ſunt maxime neceſſaria & utilia, & ſpiritum potiſſimum promouent.

2 Qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur, ſed deo, nemo enim audit, ſpiritus autem loquitur myſteria. Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem & exhortationem & conſolationem. Qui loquitur lingua, ſemetipſum ædificat: qui autẽ prophetat, eccleſiam dei ædificat.

Domi quidem ſuæ quiſq; loqui poteſt lingua, quam ipſe intelligit & familia: peregrinus quoq; aliquis, ut Hebræus in Græcia uel Latio. Sed eos Paulus taxat & reprehendit, qui coram eccleſia publicitus, ſacrã licet & à ſpiritu dei acceptam linguam legunt, loquuntur, docent, uel orant, aut canũt, quæ ab eccleſia non capitur. Stultum id erat, & eſt hodie, dum Latina lingua tot horis canitur in eccleſia Germanica uel Gallicana, quod nemo audientium intelligit, credit, optat uel amplectitur. Quod ſi quis aſſerat ſe hæc loqui uel canere deo omnia intelligenti, quid ergo opus eſt ſeſe oſtentare coram eccleſia? An non miſerãda captiuitas ſanctimonialium hactenus fuit, & aliorum qui Latinã non intelligentes linguam, totos dies pſallere, et ſacra legere Latine cõpulſi ſunt, ad grauamen quoq; magnum conſcientiarum. Id quod planè hic Paulus tam prolixo damnat capite, & multa ſolicitudine & zelo digno. Tametſi quippe ſacra quædam quis & ſublimia loquatur, id tamen fit tantum ſpiritu, hoc eſt uano uerborum flatu, quando nemo audientium audiat, hoc eſt intelligat. Siue ergo loquens, nõ intelligat quæ dicit, aut certe intelligat & animum aduertat ad ea quæ dicit: audientes autem horum nihil intelligunt quę loquitur, quid talis in eccleſia ædificat? Prophetandum potius eſt in eccleſia, hoc eſt, ſcripturæ germanus ſenſus aperiendus, & ſacroſancta myſteria de Chriſto & eccleſia, deq; regno Chriſti exponẽda ſunt, & beneplacitũ dei ſanctaq; uoluntas. Hoc eſt q̃d utiliter audit in eccleſia, non cantus, clamor, organa, quæ nihil prorſus ædificant, etiamſi delectent ſenſus. Niſi is ergo qui linguis loquitur, ſimul etiam prophetet, prodeſt minimum. Quod ſi cum linguarum peritia, donũ quoq; habuerit prophetiæ, plurimum prodeſſe poteſt. Apud populum dei prophetæ erant, qui diuinorum eloquiorum & diuinæ uoluntatis, afflatu niminis, ſcientiſſimi erãt. Officium eorum erat, ſacrarum literarum ſenſum, quem ipſi à deo didicerant, populo depromere: deinde demoliri & eradicare quicquid contra deum erectum erat, plãtare & ædificare quicquid deo placet, uigilare pro populo dei, ne quid irruat irreligioſum & noxium. Hoc idem epiſcoporum, paſtorum & euangeliſtarum eſt munus in Chriſti eccleſia. Hoc tamen ueteres prophetæ à noſtris differunt, quod ueteres futura quędam ſub uerborum inuolucris reuelante ſpiritu præſentiebãt, tametſi & in naſcente eccleſia huiuſmodi prophetæ fuerint. Inter prophetas autem & apoſtolos hęc eſt differẽtia, quod apoſtoli primum ad infideles duntaxat miſſi ſunt, non item prophetæ. Nam prophetia fidelium eſt, prophetæq; nomen etiam illis competit, qui uerbum dei auide audiunt, aut in lege dei diligenter uerſantur. Dicit ergo Apoſtolus, Videte quantum interdonum & donum intereſt. Qui loquitur lingua, ſibi priuatim uni prodeſt: at qui per prophetiæ donũ enarrat ſcripturæ myſteria, toti prodeſt congregationi. Porrò bonum quo latius patet, hoc eſt præſtabilius, præſtat ergo prophetiæ donum dono linguarum huiuſmodi.

3 Volo autem omnes uos loqui linguis, magis autem prophetare: nam maio

maior est qui prophetat, quàm qui loquitur linguis, nisi interpretetur, ut ecclesia ædificationem accipiat.

Per occupationē præmunit mox dicenda. Quasi dicat, Ne fastidiatis donum linguarum. Per se est magnum quidem, & à spiritu sancto cōtingit. Volo autem uos ōmes, si uidetur, loqui linguis, potius tamen optarim uos in altero, quod præstantius est, præcellere. Maior enim est qui prophetam agit, q̄ qui linguis loquitur uerba sacra, sed nulli intellecta sonans, nisi fortè qui prius linguis loquutus est, mox quid dixerit interpretetur ecclesiæ, quo saltem aliquis fructus redeat ad populum. Sunt enim qui nec ipsi satis intelligunt quod linguæ plectro sonant. Attendunt uoces & harmoniam, de sensu nihil curant, & non intelligenti populo canunt, hoc est, surdis fabulas, interim obmittentes uerbum domini, quod dominus prædicandum instituit à pastoribus ecclesiæ: quod uerbum domini cibus sit animæ, panis filiorum dei, proponēdus in ecclesia. Nihil nobis, & cantui tali non intellecto in ecclesia. Si porrò canere uelimus, more priscorum canamus, simpliciter breuiterq̄ Psalmos Dauidicos & sanctos alios, non lucri gratia, non cū uerbi dominici incommodo, non in lingua peregrina, sed ex animo, cum modestia, mente magis q̄ uoce iubilantes.

Nunc autem fratres, si uenero ad uos linguis loquēs, quid uobis prodero, nisi uobis loquar aut in reuelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina? 4

Eorum quæ iam dixit uaria ponit exempla, & primum in se trāsfert, quod in eorum apostolis taxat. Quasi diceret: Si ego ad uos ingrederer linguis loquens, ut uestri prophetæ faciunt, quid prodero uobis? Ex uerbis tantum intellectis aliquid fructus utcunq̄ capi potest, si sic loquar, ut mox aperiā uobis omne arcanū per reuelationis donum, aut per scientiæ donū, erudite disseram de ijs quæ ad cognitionem fidei pertinēt, aut per prophetiæ donum aperiam sensus retrusos, aut per doctrinæ donum edisseram aliquid, quod ad bonos mores pertinet, aliter autem non prodero. Videntur autem hæc iuga & paria sibi mutuo respondere, reuelationem enim prophetia, scientiam doctrina sequitur.

Tamen quæ sine anima sunt uocem dantia, siue tibia, siue cithara, nisi distinctionem sonituum dederint, quomodo scietur id quod canitur, aut quod citharizatur? Etenim si incertam uocem det tuba, quis parabit se ad bellum? Ita & uos per linguam nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur id quod dicitur? Eritis enim in aëra loquentes. 5

Quoniam exempla facilius suadent q̄ uerba, exemplis commendat, per quæ facile assequantur, non debere eos in ecclesia loqui linguis, qui interpretari non possunt. Quæ anima carēt aut spiritu, siue tibia sit, siue cithara, cum non in aliud parata sint q̄ ut sonent, tamen nisi certos ac distinctos sonos dederint, qui certis harmonijs & modulis testentur, aut cantionis argumentum, aut affectum, quò uocat cantio, hoc est, si tantum sonent, quid fructus aut uoluptatis accipiet auditor, cum non dignoscat quale sit quod cithara tibiáue canitur, lætū aut lugubre? Iam si tuba uocem dederit incertam, non ipso cantu distinguens, utrum prælium iniri debeat, an receptui canat, quid refert tuba clangere, cum miles nō intelligat quò uocetur? Itidē & uos, nisi linguis loquētes uocem ædideritis, certi quiddam repræsentantem auditoribus, sine fructu loquemini, quando non ualet intelligi quod dicitur. Itaq̄ loquentium uox non penetrabit in animos audiētium, sed aē-

rem tantum feriet inani ſtrepitu uerborum. Inanem ergo indicat operam loquentium lingua ignota, maxime in eccleſia. Quid dixiſſet tãtus apoſtolus, ſi audiſſet ſtrepitum noſtrorum ſacerdotum & monachorum, diebus & noctibus organis muſicalibus perſtrepentes & uocibus, quæ nemo nec audientium intelligit nec canentium?

6 Tam multa utputa genera linguarum ſunt in hoc mundo, & nihil ſine uoce eſt. Si ergo neſciero uirtutem uocis, ero ei cui loquar Barbarus, & qui loquitur mihi, Barbarus: ſic & uos, quoniam æmulatores eſtis ſpirituum, ad ædificationem eccleſiæ quærite ut abundetis.

Multa ſunt in mundo linguarum genera, quorũ cuiq; ſua uox eſt. Ea quidem ab omnibus percipi poteſt qui ſunt eiuſdem linguę periti. Verum ſi nihil accedat uoci, nõ ſenſus uel intellectus, fruſtra uterq; alteri loquemur. Etenim cum uterq; recte ſonet ſuam linguam, tamen cum neuter alterum intelligat, fit ut & ego, qui Græce loquor, Barbarus ſim Afro: & mihi Græco uiciſſim ille ſit Barbarus, Africe neſcienti. Proinde uos quoq; Corinthij, quando ueſtra ſponte ſectamini, magniq; facitis dotes, quæ uocis habent miraculũ, meo hortatu dabitis operam maioribus, quo ſitis uſui congregationi toti. Eſt autem Barbarus, qui peregrina & nobis incognita loquitur. Significatur quoq; ſummatim, inaniter omnem abſumi operam, ubi linguis peregrinis res agitur, maxime eccleſiaſtica, nõ addita interpretatione. Cum enim concordiæ res ſit, & profectus eccleſiæ intendatur, uel debeat zelari, omnino annitendum eſt, ut per unanimitatem intellectus communi lætitia gloriẽtur. Ad explanationem autem ſcripturarum incitatur & gaudet animus, ut uitia deſerantur ad auditam certius domini uoluntatem.

7 Et ideo qui loquitur lingua, oret ut interpretetur. Nã ſi orem lingua, ſpiritus meus orat, mens autem mea ſine fructu eſt. Quid ergo eſt? Orabo ſpiritu, orabo & mente: pſallam ſpiritu, pſallam & mente.

Cui contigit gratia donumq; linguarũ, precibus à deo flagitet, ut accedat donum quoq; interpretandi: alioqui ſi precer lingua populo uel eccleſiæ ignota, puta apud Græcos Syriaca uel Perſica, imò ſi (quod quidam ſolent, qui cantionem quam edidicerũt, peregrina lingua gaudent ſonare, quam nec ipſi qui ſonant intelligunt) ſermonem ſonem, non minus mihi q; aliis ignotum, ſpiritus quidem, hoc eſt halitus meus edit uerba precantia, cæterum animus meus fructus eſt expers, cum & mihi uel nihil uel minimum proſim, & aliis etiam moleſtus ſim, non ſolum inutilis. Quid igitur mihi faciendum eſt? Precabor uoce, cum locus poſtulabit: ſed hoc non contentus, precabor & mente animoq; : canam laudes dei uocis organis, ſed hoc non contentus, canam & animo, addita linguæ peritia, & ſcientia, ne quid coram domino ſine fide & charitatis affectu agam uel loquar.

8 Cæterum ſi benedixeris ſpiritu, qui ſupplet locum idiotæ quomodo dicet Amen ſuper tuam benedictionem, quoniã quid dicas neſcit? nam tu quidem bene gratias agis, ſed alter non ædificatur.

Alioqui ſi tu laudes dei decantas ſermone omnibus ignoto, puta Latino in Germanorum eccleſia uel Anglicana, qui ibidem uice plebis fungitur, uel plebs ipſa pariter, quomodo ſuccinet ſolitum illud Amen ad finitam gratiarũactionem tuam? Nam huius uocis accentu confirmatur id quod precibus aut hymnis eſt dictum. Scitis enim hanc fabulam agi uariis perſonis. Qui docti ſunt præcinunt, plebs indocta promiſcuaq; comprobãs quod dictum eſt, uelut omnium uoce acclamat,

clamat, Amen, hoc est, fiat & fideliter cõtingat quod petitum est. Credite sic futurum, ut à domino fuerat iam postulatũ. Quis autem acclamabit consensum cum desiderio, uotumq; ex animo, si nesciat quid dicas? Sanctum est quod tu pronuncias, & tibi bono est, uerum interim populus nihilo fit melior, qui in hoc conuenit, ut ex eruditorum sermone domum melior redeat, atq; hoc discat in publico, quomodo priuatim sit uiuendum.

Gratias ago deo, quod omnium uestrum lingua loquor, sed in eccle- 9
sia uolo quinq; uerba sensu meo loqui, ut & alios instruam, quàm decem millia uerborum in lingua.

Ne quis me suspicetur ut linguarum imperitum, parum fauere dono linguarum, sicuti uulgo quis miratur & extollit in quibus ipse ualet, diuersa contemnit & eleuat, Gratias habeo deo, quod hoc dono uos omnes superem, qui hoc præcipue uobis placetis. Nullum enim genus sermonis apud uos est, quod ego non & sonem & intelligam: itaq; non liuore, sed iudicio donum interpretationis antepono dono linguarũ, quo priuatim magis uti conuenit q̃ in solenni cõuentu. Nam in ecclesia cœtuq; sanctorum malim quamlibet paucula uerba sic loqui, ut ipse meam intelligẽs uocem, efficiam ut à cæteris quoq; intelligar, q̃ decem millia uerborum ita sonare, ut nullus intelligat cæterorum, ac fortassis ne ipse quidem. Mirum ut tantum dogma Pauli tanto tempore in ecclesijs Christianorũ animaduersum non est, maxime in Occidentalibus, ubi in gratiam Romanæ ecclesiæ coacti sunt ad Latinam cantilenam assiduam, qui nihil intelligebant simplices, & audiutiles, unde negligerentur maxime quæ fieri oportuit in animarum salutem & in gloriam dei, qui non nisi corde & animo colitur in ueritate, non spiritu & flatu, non à dicentibus, Domine domine, & quæ præcepit sanctiora & necessaria negligentibus ob traditiones humanas.

Fratres, nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote, sensibus 10
autem perfecti estote.

Quandoquidem fratres, pietas suas ueluti habet ætates, & accessus suos, date operam, ut relictis inferioribus donis, ad maiora proficiatis, ne perpetuò pueri uideamini. Sunt dotes quæ congruunt primum initiatis Christo, sunt quæ decent iam prouectiores. Volo uos perpetuò pueros esse, quod ad morum simplicitatem atq; innocentiam pertinet, at animi dotibus uelim uos usq; proficere, donec ad summum perueniatis. Neq; enim iam uobis satis est si nulli nocueritis, enitẽdum est, ut iam adulti & prodesse omnibus ualeatis. Puerorum est quamlibet exigua demirari, atq; his sibi magnifice placere. Sed adfert illis hoc ætas, ut mox negligãt quæ prius iactabant, contendẽtes ad maiora. Habet Christiana fides & rudimenta sua, in quibus turpe sit cõsenescere. Id ita esse testatus est olim & ipse deus, ita loquẽs apud Isaiam, cuius hic scripta Paulus legem dicit & appellat, ut intelligas quo nomine prophetæ domini sint in ecclesia habendi, & cuius authoritatis.

In lege enim scriptum est: Quoniam in alijs linguis & labijs alijs lo- 11
quar populo huic, & nec sic exaudient me, dicit dominus. Itaq; linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus: prophetiæ autem non infidelibus, sed fidelibus.

Isaiæ 28. cap. uersu 11. inuenies breuem explicationem, sed claram. Eum hic locum Paulus adducit ad aggrauandum culpam Corinthiorum, atq; similium in

ecclesia. Quasi dicat: O quàm uerum est quod deus per prophetam prædixit, Loquor huic populo alijs linguis, intelligibilibus quidem, sed ne sic quidem audiet, hoc est, pars maior non audiet, & tamen interim admirantur eos qui linguis loquuntur quas non intelligunt. Præoccupat consequenter eos qui dicere poterãt, Tamen deus etiã populo suo loquutus est linguis alienis, ut patet Act. 2. ubi apostoli uarijs linguis loquebantur, nec intelligebantur. Hoc, inquit, nolite obijcere, nam hoc in signum factum est, ostẽdebat hoc facto deus quomodo apostolos, qui in mundum uniuersum ituri erant, & omnium nationum hominibus prædicaturi euangelium, superna uirtute induisset, ut admirationi essent omnibus. Hic uero cum in ecclesia conuenimus, ideo conuenimus, ut non admiremur, non ut linguas non intellectas audiamus, sed ut ædificemur. Faciebat hoc donum linguarum ad ecclesiæ rudis primordia, ut hoc miraculo commouerẽtur increduli, cum his qui nunc credunt sit iam otiosum. At contra prophetię donum non solum incredulis prodest in hoc ut resipiscant, uerumetiam credentibus, ut indies reddantur firmiores, ac seipsis meliores.

12 Si ergo cõueniat uniuersa ecclesia in unum, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ aut infideles, nónne dicẽt, Quid insanitis? Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis uel idiota, conuincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus, occulta enim cordis eius manifesta fiunt, & ita cadens in faciem, adorabit deum, pronuncians quod uere deus in uobis sit.

Linguis non intellectis Apostolus uetat loqui coram ecclesia, nec tamen linguas contemnit. Difficile est autem abusum alicuius rei dedocere, rem commendare & laudare. Dicit autem, Perspicuum est, q̃ parũ utilitatis habeat linguarum usus, siue loquaris, siue canas, cum aliquoties officiat, & offendat etiam: nam fac cite mihi iam totam congregationem conuenisse, simulq; omnes uarijs, sed ignotis linguis sonent, alius Hebraica, alius Africa, alius Asiatica, atq; intrent interim in cœtum uestrum alij Christiani, linguarum talium imperiti, aut etiam increduli, linguarum item imperiti, nónne cum audierint confusissimum diuersarum uocum strepitum, nihil omnium intelligẽtes dicturi sunt, quid mente capti lymphatiq; sic ineptiatis? Contrà, si pro prophetiæ dono alius doceat, alius admoneat, alius exhortetur, alius consoletur, & interim superueniat in cœtum uestrum hospes quispiã imperitus, aut etiam incredulus, qui & intelligit sermonẽ uestrum, & uicissim intelligitur, nónne dum ueram pietatem agnoscit in uobis, damnat apud se suam superstitionem, suosq; mores impios detestatur, collatos ad uestram pietatem, totusq; sibi ostenditur, dum audit à uobis ueræ religionis disciplinam, à qua uidet se hactenus plurimum abfuisse, sibiq; conscius est eorum uitiorum, quæ sermo uester execratur. Deniq; fit, ut ille mutatus in alium uirum, ac suipse nitens, pronus in terram procumbat, agnoscens palamq; testificans, quod uere spiritu dei sitis afflati, non more phanaticorum, qui dæmoniaco furore correpti uoces effudunt, nec ab ipsis nec ab alijs intellectas, sonum ædentes sine mente.

13 Quid ergo est fratres? Cum cõuenitis, unusquisq; uestrum Psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet, omnia ad ædificationem fiant.

Quoties in publicum cœtum conuenitis, suam quisq; dotem secum adfert, alius habet canticũ mysticũ, quo lubet canere deum cum canentibus reliquis, pro more

more & tempore definito, ne lectiones impediat & orationes. Alius doctrinam habet, qua possit ad instituendam uitam erudire, accepta occasione ex sacris iam prælectis scripturis, similiter pro more ecclesiastico, et instituto ab apostolis. Alius reuelationem habet, ut uel eruat abstrusa ac recondita in sacris literis, uel spiritus sancti instinctum aliquem ad aliquid prophetandum, aut etiam præmonendum, id tamen quod dijudicetur à sedentibus, & uniuerso cœtu iudice. Alius linguæ dono præditus est. Nihil horum fastidiatur, sed omnia conferantur ad publicam utilitatem in cœtu publico: uerũ ita hæc omnia, ne quis existat tumultus aut confusio, quisq; suo satisfaciat officio, ut ædificetur ecclesia dei, non ut aliquis uane quidpiam præsumere conetur ad sui ostentationẽ, uel ad superstitiosam aliquam ceremoniam inducendam iuxta tempus.

Siue lingua quis loquitur, secundum duos, aut ut multum tres, & per 14
partes, & unus interpretetur: si autem non fuerit interpres, taceat in eccle
sia, sibi autem loquatur & deo: prophetæ autem duo aut tres dicãt, & cæ=
teri dijudicent.

Detur, inquit, & linguarũ peritis suus locus, sed ita, ut bini duntaxat loquan
tur in singulis conciliabulis, aut ut plurimum terni: neq; id tamen simul, sed per
uices. Neq; rursus loquantur soli, sed adsit qui quod ab illis dictum est interpre=
tetur populo. Vnus interpres duobus aut tribus linguæ dono prędítis suffecerit,
quod necesse non sit multum uerborum sonare linguis. Quod si desit interpres,
linguarum peritus nõ est quod in cœtu loquatur: qui præter linguarum donum
nihil habet, utatur suo dono, sed priuatim, ubi sibi canat ac deo. In cœtu publicũ
negotium agitur. Ad eundem modum prophetæ non omnes sed bini aut terni lo
quantur, idq; uicissim, sed adsint quibus adest donum dignoscendi prophetarum
afflatus, ueri sint nec ne, qui reijciant si quid dictum est Christi spiritu indignum.
Sed unde iudicabit indoctus & literarum expers? Aut quomodo homo mortalis
de uerbo dei æterno iudicare potest? Hic respondeo, Spiritualis omnia dijudicat.
Qui ergo in ecclesia scripturam cœlestis uerbi à propheta audit explicari, hoc
quod audit dici ab interprete, iudicat non à lectore tantum. Attamen quod audi=
tur, non est ipsum uerbum quo credimus: si enim eo uerbo quod auditur fideles
redderemur, omnes planè fideles essemus. Nam hodie omnia Euangelium rebo=
ant, iam cõtrà uidemus, & audire & uidere multos, nec tamen fidem habere. Ma
nifestũ ergo fit, quod fideles reddimur eo uerbo, quod cœlestis pater in cordibus
nostris reuelat, non eo quod foris propheta prædicat, quo simul illuminat, ut in=
telligamus: & trahit, ut sequamur. Porrò qui illo uerbo imbuti sunt, uerbũ quod
in concione personat & aures percellit, iudicãt. Sed interim uerbũ fidei, quod in
mente sedet fidelium, à nemine iudicatur, sed ipso iudicatur exterius uerbum,
quod & ipsum in mediũ adferri ordinauit deus: tametsi fides non sit ex uerbo ex=
terno, iudicat autẽ fidelis non ex sua sed diuini spiritus sententia. Verbi ergo præ
dicati iudex est, non homo, sed spiritus diuinus in corde pij hominis habitãs, qui
spiritus facile deprehendit affectus docentis. Adseritur autem uerbum hac ratio=
ne à uiolenta deprauatione, quum & his qui in subsellijs sedent in ecclesia, de uer
bo loqui licet, quod spiritus reuelat. Ouium enim est iudicare, pastor sit an latro
qui ad se uenit. Sed id, si probe uocem pastoris exaudiuit sæpe, didicit, meminit,
amat, familiariter secuta est, si cognita quoq; est à deo.

Quod si alij reuelatũ fuerit sedenti, prior taceat, potestis enim omnes 15
per singulos prophetare, ut omnes discant, & omnes exhortentur, & spi

ritus prophetarum prophetis ſubiecti ſunt.

Si uno quopiam loquente, is qui huic aſſidet interloqui cœperit, uelut deo afflatus, ne ſit uocum tumultus, prior conticeſcat. Iam enim apparet alteri patefactum, quod prior quærebat, quandoquidem afflatus interpellauit. Quod ſi fiat, nihil uetat quo minus omnes prophetetis: modo uiciſſim id fiat, & alter alterius loquendi uices concedat, quo maior doctrinæ fructus ad omnes pertineat, in medium adferentibus ſingulis quod inſpirarit deus, & uberiore conſolatione reficiantur omnes, dum ſinguli conferunt in commune, quod Chriſti ſpiritus reuelarit. Nec eſt quod excuſetis, afflatos numine ſui iuris non eſſe, quod in lymphatis uidemus accidere. Longe ſecus eſt de afflatu Chriſti, qui ſic addit impetum mentis, ut nihilo ſecius in tua ſis poteſtate, ſiue res ſermonem poſcet, ſiue ſilentiū. Sanus eſt hic afflatus, nec aliud q̄ piæ mentis impetus, ad ea quæ uidētur ad dei gloriam facere. Vbicunq; ergo fides uera eſt, ibi & cœleſtis eſt ſpiritus, ibi ſtudiū unitatis & pacis. Fidelis quoq; propheta, ſicubi ignorat & errat, corrigentem ac docentem ultro admittet, etiam infimum quenq;. Si quis arrogantius loqui & contendere perrexerit, ſtatim olfacient, imbuti ſancto ſpiritu, ſentient quo affectu, & ſi ex charitate & fide ſermo talis procurrat, garrulosq; compeſcent.

16 Non enim eſt diſſenſionis deus, ſed pacis: ſicut & in omnibus eccleſijs ſanctorum doceo.

Spiritus Chriſti in pijs hoc magis ſeruire debet tranquillitati publicæ, & hoc longius abeſſe à contentione, quod à deo proficiſcatur, qui pacis eſt author, non tumultus aut diſſidij. Id cum obſeruetur in omnibus conuenticulis ſanctorum, par eſt, ut itidem in ueſtris conciliabulis, ſi ſancta uideri uultis, ſeruetur, ne quid à cæteris uideamini diſcrepare ritibus, à quibus non diſſidetis profeſſione religionis.

17 Mulieres in eccleſijs taceant, non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut & lex dicit: ſi quid autem uolunt diſcere, domi uiros ſuos interrogent, turpe enim eſt mulieri loqui in eccleſia.

Occurrit obijcientibus, Si iudicium eccleſiæ committemus omnibus ſedentibus, mulieres ut ſunt contentioſæ & loquaces omnia turbabunt. Et hac, inquit, ipſa de cauſa ſileant ueſtræ mulieres in ſolenni conuentu, ne (ut ſexus affinis loquacitatis uitio) tumultus indecorus oriatur. Neq; enim illis permiſſum eſt, ut in publico concionentur, uelut authores rerum, ſed præceptum eſt, ut uiris ſubditæ ſint. Sic enim in Geneſi deus mulieri loquitur, A uiro pendebis, & ille tibi dominabitur. Hanc igitur legem agnoſcant, non ſolum tectis capitibus, uerumetiam ſilentio, quo maxime decoratur ille ſexus. Dixerit aliquis, Vſq; adeo linguam adimis mulieribus, ut nec ſciſcitādi gratia diſcendiq; fas ſit loqui? Prorſus adimo in publico, cæterum ſi quid erit, quod non ſatis intelligant, cupiantq; diſcere, domi maritos ſuos interrogent. Ita fiet, ut nec doctrina fraudētur, nec quicquam indecore geratur. Nam prorſus indecorum ſpectaculum eſt, uidere mulierem in publico cœtu ſanctorum loqui, cum id etiam in prophanis cōcionibus ethnicorum fœdum habeatur.

18 An à uobis uerbum dei proceſſit? aut in uos ſolos peruenit? Si quis uidetur propheta eſſe, aut ſpiritualis, cognoſcat quæ ſcribo uobis, quod domini ſunt mandata. Si quis autem ignorat, ignorabitur.

Sed nos (inquiunt Corinthij) hūc morem non ſeruauimus. Quid eſt, ait Paulus,

lus, ut uos grauemini seruare ritum à cæteris omnibus obseruatum, ô Corinthij? An à uobis primum profectum est euangelium, ut cæteri cogēdi sint ad uestrum morem? An ad uos solos peruenit euangelium? Quod si nec primi Christi religio nem tenetis nec soli, cur pigeat ad aliorum ritus uos attemperare? Si quis apud uos uidetur esse propheta, aut alioqui spiritualis, prędítus dotibus, agnoscat quæ scribo uobis, non mea esse præcepta, sed domini. Quod si quis per contentionem sic agit, quasi ignoret, & hæc uelut humana iussa contemnit, ignoret suo periculo; decertare non est meum, satis est admonuisse.

Itaq; fratres æmulamini prophetare, & loqui linguis nolite prohibere. 19 Omnia autem honeste & secundum ordinem fiant in uobis.

Proinde hæc scribo fratres, non ut linguas aut uetem aut contemnam, sed ut usum earum doceam, utq; omnia fiant ad ædificationem cum decoro & ordine, ne quid turpitudinis aut tumultus in ecclesia exoriatur.

CAPVT XV.

NOtum autem uobis facio fratres, euangelium quod prædicaui 1 uobis, quod & accepistis, in quo & statis, per quod & saluamini, qua ratione prædicauerim uobis, si tenetis, nisi frustra credidistis.

Dies domini in sacris literis significat omnem domini uindictā & ultionem, quomodo tandem fiat, siue singillatim, siue generaliter, siue ante ultimum illum iudicij diem, siue pro generali illo iudicio omnium & ultimo die. Id obseruādum pro intellectu tam huius loci, q; Matth. 24. ubi promiscue tractatur de die iudicij. Quin & resurrectio mortuorum non tantum corporis resuscitationem significat futuram die ultimo, sed & uitam & subsistentiam immortalem animarum, post hanc uitam mortalem in corpore. Quam Sadducæis negātibus, Christus asseruit utranq;. Et quod animæ Abrahæ, Isaac & Iacob uiuerent, & essent ut angeli dei. Similiter animas credentium in se, & uerbum suum audientium, habere uitam æternam, & non uenire in iudicium, sed transire à morte ad uitam immortalem. Et hæc consolatio est morientibus in Christo, ne fideles anxij sint de futuro statu post mortem, quò statim eundum, aut ubi manendum, dum audiunt similes angelis futuros, & cum Christo beate uicturos. Hanc nobis securitatem pollicetur euangelium Christi, de eis qui in Christo moriuntur & fidunt, ut seruentur in uita. Quam se propterea Christus esse dixit Ioannis 11. Ego, inquit, sum resurrectio & uita, hoc est eum, per quem omnes in uita seruētur, ut meliorem inueniant resurrectionem, id est uitam, quo facilius hanc contemnant miseram & mortalem, & à fidelibus superstitibus non immodice lugeantur, scientes post mortem uiuere animas, non interire cum corpore, sed exui molestijs omnibus, & uitam perennem adipisci cum sanctis omnibus in sæculo animarū. Ad hanc ergo sententiam hic Paulus loquitur, Audio, inquit, fratres, de resurrectione mortuorum à nonnullis uestrum ambigi, quibus humana philosophia etiamnum tumidis hoc persuaderi nondum potest. Non est quod noui quicquam uos doceam, tantū in memoriam reuoco uobis euangelium, quod uobis primum tradidi, quodq; semel etiam amplexi, & in quo hactenus perseueratis, cuiusq; præsidio salutem adipiscimini, ut semel & mihi superuacaneum sit denuo tradere, quod semel traditum est recte. Nec uobis honestum, si per inconstantiam ab eo desciscere tis, quod semel estis amplexi: præsertim cum experiamini nostrum euāgelium uobis ad salutem efficax esse. Atqui præcipua pars euāgelicæ doctrinę est, credere resurrectionem

mortuorum: qua de re non oportet ambigere, nisi, quod absit, frustra credidistis. Quorsum enim attinebat euangelium amplecti, si quod est huius rei caput, negatis mortuos olim reuicturos ad diem iudicij, & interim à morte corporis animas similes angelis futuras, & cum Christo uicturas feliciter.

2 Tradidi enim uobis in primis, quod & accepi, quod Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundum scripturas, & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die, secundum scripturas, & quia uisus est Cephæ, & post hoc undecim. Deinde uisus est plus quàm quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent usq; adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde uisus est Iacobo, deinde apostolis omnibus.

Huius in primis meminisse oportebat uos, quod non propria uoluntate uel scientia, sed diuina legatione & authoritate, quæ à Christo edoctus sum sola tradidi uobis: primum quidem sermone prædicans uobiscum, nunc idem literis repeto. Quod & uos semel firmiter credẽdo suscepistis, illud nimirum quod dominus Iesus Christus mortuus est, & crucifixus, suaq; morte liberarit, pro nobis debitũ dependens pro peccatis hominũ & nostris totiusq; mundi, quæ commiseramus, & committere non cessamus, ex damnabili conditione humana, quam contraximus ex hominis primi præuaricatione, & indies luimus peccãdo, grauiter quoq; & in multis omnes & semper. Quod ita futurum multis ante sæculis scriptura dixerat Isaiæ 53. Vt tanquam ouis ad lanienam duceretur Christus domini, ut suo liuore nostris malis mederetur, ut de ligno crucis regnaret, ac diaboli tyrãnidem frangeret. Ad hæc, quod non solum uere mortuus sit, uerumetiã sepultus, ac tertio die reuixerit ad uitam immortalem, glorioſam, æternam, cœlestem quoq; & beatissimam. Quod & ipsum fore iam olim prædictum fuerat prophetarum oraculis, regnaturum scilicet eum in toto orbe, regno æterno, felici, uniuersali, non caduco & tyrannico, sed cœlesti & spirituali in regno cœlorum & ecclesiastico, donec omnia illi subijciantur, & fiat tandem una ecclesia beatorum, in qua Christus præsideat, & in omnia sæculorum sæcula cum sanctis regnet immortalis, & glorioſus cum sanctis omnibus. Idipsum magis factum credatis, quod per sacros uiros deus fore promiserat. Nam ita Osee loquitur: Post biduum & tertio die resurgemus, & uiuemus in conspectu eius. Rursus Dauid ita loquitur: Non derelinques animam meam apud inferos. De regno Christi quod suscitabit dominus, quod non dissipabitur inæternum, quodq; dabitur populo sanctorũ & regi Christo, Daniel multa loquitur, 2. & 4. & 7. cap. Sic Dauid in Psalmis. Isaias quoq; 9. & 9. & 11. cap. Ad hęc, quo certius crederetis, docui uos q̃modo rediuiuus multis se conspiciẽdum præbuerit. Primum Cephæ, deinde duodecim illis: & quod post hæc uisus sit plus q̃ quingentis fratribus simul congregatis, quorum plerique usq; uunt in hunc usq; diem, si quis addubitet de fide orationis, aliquot diem suprem obierunt. Sub hæc conspectus est Iacobo, qui frater domini dictus, primus apud Hierosolymos episcopali dignitate functus est. Deinde cõspectus est apostolis omnibus, non tantum illis apostolis, à quibus primum ortum apostoli cognomen in plures deriuatum est.

3 Nouissime autem omnium, tanquam abortiuo, uisus est & mihi. Ego enim sum minimus apostolorum, qui nõ sum dignus uocari apostolus, quoniam persecutus sum ecclesiam dei.

Post omnes autem & mihi conspectus est rediuiuus dominus, primũ quidem in cœlo prope Damascum, post oranti in templo, uel alijs modis certis, de quibus non

non oportuit fieri mentionẽ, certe uiuentem sese exhibuit Paulo, ueluti apostolo abortiuo & proiectitio, qui post maturos partus tandẽ uelut fœtus imperfectus, eiectus sum uerius quàm natus. Non queror (ait) quod postremus omnium uiderim, magnum est quod uidere meruerim. Nam ego sum infimus apostolorum, nec satis dignus qui dicar apostolus, propterea quod persecutus sum, quanquam per ignorantiam, & nimio zelo traditionũ paternarum, ecclesiã dei apostolicam.

Gratia autem dei sum id quod sum, & gratia eius in me uacua non 4
fuit, sed abundantius illis omnibus laboraui: non ego autem, sed gratia dei mecum.

Indignus quidem eram, qui uel postremus in ordinem apostolicũ allegerer, sed gratuita dei bonitas, me licet immerentem, hoc honore dignata est: ut quicquid sum, illius sit muneris, non meriti mei. Neq; passus sum illius in me beneficentiam otiosam aut sterilem esse, quin potius licet postremus sim ordine temporum, ne quis hoc nomine mihi minus tribuat authoritatis, quod ultimus sim in uocatione apostolorum. Quanquã hoc ipsum quod laboraui, non mihi uendico, sed beneficentiæ ascribo, cuius præsidio factum est quicquid gestum est. Videtur ergo etiam hæc Epistola scripta tardius, postquam euangelio terras multas imple uit, cum de nullo quoq; apostolorum maiora legantur, id quod hic insinuat, non in contemptum aliorum, qui & ipsi plurimum laborarũt, sed pro functionis suæ ministerio asserendo, quod à quibusdam infamabatur, tanquam temerarium, & sine Christo uocante aggressum. Gloriam ergo totam & laudem rei bene gestæ deo adscribit.

Siue enim ego siue illi sic prędicauimus, & sic credidistis. Si autẽ Chri 5
stus prædicatur quod resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in uobis, Quoniam resurrectio mortuorum non est. Si autem resurrectio mortuorum non est, neq; Christus resurrexit.

Vt ad rem redeam, siue illius potior est authoritas in euangelico negotio, siue mihi, certe cõsentientes idem prædicauimus omnes, & quod nos magno consensu prædicamus, id uos ueluti certum & indubitatum credidistis. Nos nostri dissimiles non sumus, supereſt, ut uos uestri similes sitis, non iam in dubium reuocantes, de quibus semel statuistis. Quod si omnium apostolorum testimonio prædicatum est, & prædicatur quod Christus, princeps & author resurrectionis, à morte reuixerit, qua fronte quidam inter uos dicunt, quod nulla sit resurrectio mortuorum? Quorsum enim attinebat ducem & caput nostrũ resurgere, nisi ut primus membrorũ suorum resurrectionem appararet, uiamq; nobis omnibus aperiret? Probat hoc dilemmate Christum esse spiritum & uitam animarum nostrarum, qui si resurrexit, hoc est, uel post mortem corporis in anima superstes remansit, et animæ nostræ post corporis mortẽ in uita permanebũt: uel etiam sicut ipse in corpore resurrexit, sic quoq; uenturus ad iudicium, nostra quoq; corpora ad uitam immortalẽ resuscitabit. Contrà, si non resurrexit Christus, neq; nos resurgemus. Ostendit ergo Christi tum corpus tum animam nostra fuisse. Et quæcunq; (quod ad mortem & resurrectionem attinet) in corpore & anima Christi peracta sunt, in nobis quoq; esse perficiẽda. Nam nobis omnia fecit Christus, qui totus noster factus est. Nam Christi resurrectio animarum nostrarum & corporum consolatio est, ut credamus cũ illo nos quoq; pariter regnaturos in utroq;. Membra enim sumus corporis Christi, ex carne eius, & ossibus, & ita ipsissimũ corpus. Qui er-

go ſuſcitauit Chriſtum ex mortuis, is & mortalia corpora noſtra uiuificabit.

6 Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt & fides ueſtra. Inuenimur autem & falſi teſtes, quoniam teſtimonium diximus aduerſus deum, quod ſuſcitauerit Chriſtum, quem non ſuſcitauit, ſi mortui non reſurgunt.

Argumento ad impoſſibile utitur Paulus, plurima ſimul abſurda connectēs, ut intentum ualidius oſtendat, nempe corpora quoq; noſtra reſurrectura. Si, ait, Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt certe prędicatio noſtra, inanis eſt & credulitas ac fidutia ueſtra. Si uobis perſuaſum eſt, Chriſtum reuixiſſe, certum ſit oportet & nos reuicturos, quibus ad uitam reuocandis ille reuixit, alioqui futurum eſt, ut non ſolum utriq; luſerimus operam, nos prædicando, uos credendo, ſcriptura prophetando, Chriſtus promittendo, deus miracula ædendo. Verumetiam inaniŕ comperiamur in deum, de quo non recte teſtati ſumus, quod Chriſtum excitarit à morte, cum illum nō excitarit. Non excitauit autem, ſi cæteri mortui non reuiuiſcunt. Aut utrunq; credendum eſt, aut utrunq; negandum, cum eadem ſit capitis & membrorum reſurrectio. Quorſum enim attinet caput reſurgere, ſi membra debeāt interire? Quin & ignominiam deo inuremus, manum eius abbreuiatam oſtendemus, & mendacem eius promiſſionem dicemus, ſi mortui non reſurgunt. Cum ſit autem uera & ſolida fides ueſtra, & Chriſti domini uerba, certum quoq; eſt teſtimonium prædicationis noſtræ, quo teſtati ſumus, factum quod dixit futurum. Certa igitur eſt mortuorum reſurrectio.

7 Nam ſi mortui non reſurgunt, neq; Chriſtus reſurrexit: quod ſi Chriſtus non reſurrexit, uana eſt fides ueſtra, adhuc enim eſtis in peccatis ueſtris. Ergo & qui dormierunt in Chriſto, perierūt. Si in hac uita tantum in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.

Repetit ſæpius ut addat plura. Si, inquit, Chriſtus non reſurrexit, fruſtra credidiſtis illū reſurrexiſſe, fruſtra credidiſtis uos per fiduciam in illum factos à peccatis immunes. Eſtis igitur adhuc priſtinis obnoxij peccatis. Nihil actum eſt baptiſmo, quo myſtice per Chriſtum interim à peccatis reuiuiſcimus. Nihil egit in uobis ſpiritus Chriſti, falſa eſt & promiſſio eius. Quin etiam ij qui cum hac fiducia mortui ſunt, atq; hac ſpe ſuas ceruices carnificum ſecuribus præbuerūt, prorſus interierunt, ſi nulla ſpes eſt reuiuiſcentiæ. Quod ſi tota ſpes noſtra quam de Chriſto concepimus, non porrigitur ultra terminum uitæ præſentis, non ſolum non ſumus felices, uerumetiam calamitoſiores cæteris, qui à Chriſto ſunt alieni. Siquidem illi uitæ præſentis commodis utcunq; fruuntur, nos & hic affligimur ob Chriſti nomen, & poſt hanc uitam nihil nanciſcemur præmij, ſi non tot reuiuiſcemus. Certe omnium infeliciſſimi ſunt ſancti, ut qui preſentia ſpe futurorum contempſerunt, & futura illa nunquam aſſequuntur. Sed hoc falſum eſt, ergo uerum habet reſurrectura noſtra corpora, quia Chriſtus reſurrexit à mortuis. Parum enim uideri debet, ut corpus quod pro deo labores ſubijt, ſanctis inſudauit operibus, futuro quoq; præmio coronet, & non ſola anima beata ſit. Quandoquidem & Chriſtus dixit, corpus & animam poſſe conijci in infernum.

8 Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis, primitiæ dormientium, quoniamquidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes uiuificabuntur.

uificabuntur, unuſquiſq; autem in ſuo ordine.

Poſteaquam oſtendit Chriſtū reſurrexiſſe, quia multi uidiſſent eum, iam quo modo ipſe reſurrexerit, & quomodo cæteri pij ſint reſurrecturi indicat. Alludit autem ad oblationem primitiarū, per quam in ueteri teſtamento omnes reliquæ fruges ſanctificabantur, hoc eſt, uſui aptæ reddebantur, & in eſum quaſi inaugurabantur. Chriſtus ergo eſt, per quem reliqua tota maſſa ſancta eſt, id eſt omnes qui in ipſo & per ipſum ſunt ſanctificantur. Si, inquit, Chriſtum reſurrexiſſe creditis, quod nemo pius non credit, neceſſario conſequitur, & nos reſurrecturos. Siquidem in illo cœpta eſt reſurrectio, quæ perficietur in nobis: & ut ille totus reuixit recepto corpore, ita & nos toti reuiuiſcemus. Caput non diuelletur à membris, ille ceu princeps & dux primus reuixit, ueluti primitiæ quædam omnium, qui cum reſurrectionis ſpe moriuntur. Ille reſurrectionem auſpicatus eſt, alij ſecuti ſunt, comites dominicæ reſurrectionis, & nos olim ſequemur. Neq; enim dubitandum, quin in omnibus ſuis membris præſtaturus ſit, quod in ſeipſo, quodq; iam in cōpluribus ſanctis præſtitit. Oportet enim imaginari duo corpora, unum morti obnoxium, quod pendet à capite Adam: alterū immortalitati deſtinatum, quod pendet à capite Chriſto. Quemadmodum igitur olim mors per unum hominem peccantem irrepſit, ac uelut à capite ſparſa per membra, in cæteros omnes graſſatur; ita per unum hominem, ab omni prorſus peccato immunem, inuecta eſt reſurrectio mortuorum. Siquidem ob unius Adæ commiſſum, omnes ab illo profecti, ſumus obnoxij morti: ob unius Chriſti innocentiam, omnes immortalitati reſtituentur, qui meruerint eſſe in illius corpore. Itaq; conſtat, omnes fideles in unum coaleſcere corpus, in quo caput & primitiæ Chriſtus. Reſurgente ergo Chriſto, ſpecimen & argumentum certiſſimū exhibitum eſt, quod cætera membra, & reliquæ portiones, pari modo ſint reſurrecturæ. In Chriſto enim exēplum propoſuit pater cœleſtis, quomodo animatus ſit erga uniuerſam carnem. Proinde quod in carne Chriſti factum uidemus, id quiſq; credat in ſua quoq; carne perficiendum. Chriſtus enim noſter eſt, & nos Chriſti, quibus factus eſt per omnia ſimilis, abſq; peccato.

Primitiæ Chriſtus, deinde ij qui ſunt Chriſti, qui in aduentū eius credi- 9
derunt, deinde finis, cum tradiderit regnum deo & patri, cum euacuauerit omnem principatum, & poteſtatem, & uirtutem.

Reuiuiſcent quidem ſuo tempore omnes, ſed ſuo quiſq; ordine. Princeps omnium Chriſtus, deinde qui Chriſto adhærent ceu membra capiti, quorum aliquam multi iam egreſſi è monumentis, unà cum Chriſto reſurrexerunt, cæteri reuiuiſcent in extremo illius aduētu. Iamq; peracta totius corporis reſurrectione, nihil ſupererit niſi finis humanarum uiciſſitudinum. Id non ante futurum, quàm cum penitus abolita mortis tyrannide, Chriſtus uictor regnum tranquillū ac patratum tradet deo patri, cui debellatis hoſtibus, ſuam ditionem aſſerit, cumq; prorſus à toto corpore ſuo depulerit, & in nihilum redegerit omnem aduerſariorum poteſtatem, principatum & uim. Siquidem tandiu neceſſe eſt filium hoc aſſerendi deo patri regni negotium agere, donec uniuerſos hoſtes ſuos internetione deuictos, ſubſtrauerit pedibus ſuis, ne qua ſit uſquam rebellio aut metus malorum. Hæc de Chriſti domini humanitate intellige, nam poſt diem iudicij Chriſtus pro prium regnum non habebit, ut nunc eſt in eccleſia, ſed patri offeret. Hoc enim regnum, quod eſt eccleſia, adducet Chriſtus ut homo patri, qui & omnes inimicos ſuos expugnabit ac uincet, quātumuis fortes, & triumphabit nomen Chriſti per

uniuersum orbem, dæmones scilicet, & omnem huius mundi potestatem. Cur autem hanc Christi domini gloriã & felicitatem in sanctis suis non statim ab ipsa resurrectione cœpit, sed differt ad finem mundi? Respondet.

11 Oportet autem illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. Nouissime autem inimica destruetur mors, omnia enim subiecit sub pedibus eius. Cum autẽ dicat, Omnia subiecta sunt ei, sine dubio præter eum qui subiecit ei omnia.

Citat Paulus Dauidis prophetiam, quam & Christus ipse Iudęis obiecit. Omnes inimicos sibi subiugabit Christus, etiã mortem ipsam, qui tamen omnes sibi subegit. Vltimo enim peracto die, nemo amplius morietur. Mors enim ultimus est omnium hostis, qui in extremis temporibus debellabitur. Dicit ergo, Per peccatum, hoc est propter peccatum regnat mors, per mortem Adæ regnat satanas, peccato extincto desinit regnare mors. Id quanquam interea molimur pro uiribus, tamen ad plenum non prius continget, quàm extrema resurrectio uim omnem mortalitatis aboleuerit, uelut extremo hoste confecto, qui pertinacissime rebellabat. Siquidem ita decreuit pater subiicienda omnia sub pedes filij, quemadmodum scriptum est in Psalmis, Omnia subiecisti sub pedes eius. Atqui cum dicit fore, ut omnia subiiciantur pedibus filij, non sic accipiendum est, quasi patre excluso, filius solus regno sit potiturus, imò idẽ est patris filijq; regnũ. Per filium pater regnũ hoc nouum ac peculiare sibi asserit, quo deuictis cupiditatibus, nulla est aduersus diuinam uoluntatem rebellio. Quod ita habet commune cum filio, ut penes ipsum maneat authoritas, utpote à quo profectum est filio regni consortium, quod ita plenum & perfectũ est filio, ut nihil interim decedat patri, cum sit eadem utriusq; uoluntas. Cum enim acciderit ut filio subiecta sint omnia, tunc & ipse filius totum, hoc est, cum corpore sese subiecturus est patri, quo authore factum est, ut omnia cesserint in filij ditionem, ut posthac non in membris sit quod à Christo dissideat, & filius totus cum patre consentiat, à quo ceu summo principio pendebunt uniuersa, & huic uelut authori fertur ab omnibus acceptũ, quicquid usquã præclare gestum est. Sed & cum dicitur hic filius subiiciendus patri, intelligendum est de natura humana, qua filius minor est patre, quemadmodum Ioannis tertio, per filium hominis filius dei; nam Christus patri subiicietur, non quatenus deus, sed ut homo. Hinc agnoscamus deum esse omnia in omnibus, & ne humanitati aut naturali corpori Christi tribuamus, quod solius est dei. Caro Christi per se animarum nostrarum cibus non est, nec author salutis eius, & fidei qua pascitur, sed deus solus, qui satiat animum electi. Imò ipsa quoq; Christi humanitas & anima Christi, deum pro satietate sua habet, cui tamen unita est in unitatem personæ. Et hoc est quod alibi Paulus dicit, Si nouimus Christũ secundum carnem, iam non secundum carnem nouimus. Offert ergo post resurrectionem Christus regnum patri, hoc est electos omnes & redemptos credentes, in quibus iam ipse pater per sese regnet, quibus per sese gloriam reuelet, non in Christo tantum, sed nec sine filio patri & spiritui sancto consubstãtiali. Christus autem iuxta hominem subiicit se patri, ut reddat gloriam patri, quam & electis reuelabit, ut cognoscant Christi gloriam non esse Christi hominis, sed patris. Adhuc tamen omnia quoq; etiam Christo subiecta sunt deo, qui patri hoc modo subiecit omnia. Illa autem subiectio electorum in hoc stabit, ut sancti ipsi, in quibus Christus habitauit, felicissime deum agnoscant, & laudent, liberrimeq; regnent. Erit enim deus omnibus electis omnium uotorũ impletio & satietas, in statu omnium bonorum aggre-

aggregatione perfecto, plena merces, & felicitas consummata,

Alioqui quid facient qui baptizãtur pro mortuis, si omnino mortui 12
non resurgunt? Vt quid & baptizantur pro illis? Vt quid & nos periclitamur omni hora?

Hæc, inquã, cum uobis olim tradiderim, uosq; receperitis, quid est quod rursus quidam ambigũt, num reuicturi sint mortui? Cuius si nulla spes est, nihil egerint isti quidem, qui licet superstitiose magis q̃ pie, uice mortuorum baptismum accipiunt, metuentes ne non inter iustos resurgãt, qui sine baptismo decesserũt: id ne fiat, subornant aliquẽ qui loco mortui respondeat se credere, ac baptismum cupere. Fidem probo, factum nõ probo: nam ut ridiculum est existimare mortuo succurri baptismo alieno, ita recte credunt resurrectionem futuram. Neq; enim metuerent mortuo, si crederent eum non reuicturum. Quin & ipsi nos stulte facimus ob Christi doctrinam quotidie de uita periclitantes, si post grauissimas afflictiones non sequitur præmium.

Quotidie morior propter uestram gloriam fratres, quam habeo in 13
Christo Iesu domino nostro.

Cur nos qui Christo fidimus, tot periculis obijcimur? Quid tot persecutionibus exagitamur? nimirum ideo, ut meliorem inueniamus resurrectionem & uitam. Nam hæc uita quam hic uiuimus, mors potius dicenda est, si eam futuræ & æternæ compares. Nec tantũ omni hora periclitamur & persecutiones patimur, uerumetiã in singulos dies quodam modo morimur, nouis subinde periculis expositi, neq; simplici morte defungimur. Quod dico non mentior, ita mihi semper gloriari liceat hac gloriatione, quam habeo per Christum Iesum dominum nostrum, in cuius gloriam cedunt mala quæ perpetimur. Huc quoq; pertinet illa ad Hebræos sententia, Alij distenti sunt, non inuenientes redemptionem, ut potiorem sortirentur redemptionem. Nam resurrectio mortuorum, unica perpetuò martyrũ dei spes est, & patientiæ ancora. Iuxta illud quoq; Iob, Scio quod redemptor meus uiuit, & in nouissimo die resurrecturus sum, & rursum circundabor pelle mea, &c. Et is quidẽ gentilis, apud quos non pauca ueritatis notitia claruit, & apud sapientes omnes, & pariter pios, magna de uita futura scientia fuit & fides. Vt etiã Cicero non tacet in suis passim scriptis, maxime in Tusc. quæstionib.

Si secũdum hominem ad bestias pugnaui Ephesi, quid mihi prodest, 14
si mortui non resurgunt? Manducemus & bibamus, cras eñ moriemur.

Quod apud Ephesios tantum malorum perpessus sum ob euangelium Christi, ut mihi fuerit cum bestijs depugnandum, morti addictissimo, quid fructus fuerit, aut quod præmium, si mortui non reuiuiscunt? Quæ demẽtia sit, ultro tot malis immergi, si mox à morte nihil referat, quomodo uixeris? Si tota spes hominis morte finitur, quid supereſt, nisi ut quod apud Isaiam dicunt impij, diffisi de promissis futuræ uitæ ac felicitatis, summam huius uitæ commodis metientes, Edamus & bibamus, cras enim moriemur? Quod ex hac uita rapuerimus, id demum nostrum est, à morte nihil sumus. Huiusmodi fortasse cantilenas uobis occinunt uel philosophi, uel poëtæ, uel pseudapostoli.

Nolite seduci. Corrumpunt mores bonos colloquia mala. 15

Procul facessant huiusmodi sermones ab ore & auribus piorum, corrumpuntur huiusmodi exemplis & sermonibus boni mores, ne uos suis impij fabulis in periculosum errorem illiciant, semper memores, quod uere dictum est à Comico

ueſtrate Menandro, Mores bonos colloquia corrumpunt praua. Ex otio luxuq́ uitæ naſcitur illa diffidentia, dum ſibi male conſcĩ, nolunt eſſe reſurrectionem, tanta uitiorum caligine tenentur quidam, in diem uiuentes. Qui uitam omnem ethnicis in literis conterunt, gentiles uaniq́ euadunt. Sic quoq́ qui cum impiis & luxu perditis hominibus perpetuò degunt, impiorum animum in ſe hauriũt.

16 Euigilate iuſti, & nolite peccare, ignorantiam enim dei quidã habent: ad reuerentiam uobis loquor.

Vos autem per iuſtitiæ ſtudium, non uoluptatũ, expergiſcamini, necq́ in tantum diffidentiæ malum prolabamini cum cæteris. Sunt enim inter uos, qui licet humanæ ſapientiæ ſupercilio tumeant, tamen quæ præcipua ſapientiæ pars eſt, ea carent, deum ignorantes, cuius ui non credunt mortuos in uitam poſſe reſtitui, cũ ſit omnipotens. Hæc dico, non infenſus uobis, ſed ut pudore correcti, poſt hac non auſcultetis iſtis, qui tam ſtulta tamq́ impia uobis perſuadere conantur. Qui nec miſericordiam dei per filium uobis exhibitam cõſiderant, nec potẽtiam dei, qui reuocat uniuerſa, cuius ſpecimen quotannis pręfert in natura rerũ, dum non ſolum in ſpecie idem reducit ex eo ſemine quod mortuum eſt, ſed & creſcit in numero magno, ad magnam frugem, & utilitatem longe maiorem, q̃ ſi non fuiſſet mortuum.

17 Sed dicit aliquis, Quomodo reſurgunt mortui? quali autem corpore uenient? Inſipiens tu, quod ſeminas, non uiuificatur, niſi prius moriatur: & quod ſeminas, non corpus quod futurum eſt ſeminas, ſed nudum granum, utputa tritici, aut alicuius cæterorum. Deus autem dat illi corpus ſicut uult, & unicuiq́ ſeminum proprium corpus.

Cum igitur certum fidelibus eſſe debeat, futurã reſurrectionem mortuorum, rogabit aliquis curioſior, quomodo futura ſit, aut cuiuſmodi corpore ſint reſurrecturi, quandoquidem hæc corpora uertuntur in fauillam aut terram, aut aliud uilius. Stulte, qui mireris ſemel id poſſe præſtare deum in reſuſcitãdis corporibus, quod quotidie natura facit in eliciendo ſemine. Tu ſemen aridum & mortuum cõiicis in terrã, ibi rurſus putrefactum periiſſe uidetur, atq́ ita demũ exiliẽs è terra, ueluti renaſcit, ac reuiuiſcit, nec aliter reuiuiſcit, niſi mortuũ & ſepultũ fuerit. Ac longe alia ſpecie & magnificẽtia renaſcit ſemen, q̃ conditũ fuerit in ſcrobem. Puſillum, uile, nigrũ, & ſiccum granulũ infundit humo, id in limo putrefactum, ueluti reuiuiſcẽs erumpit in teneram herbam, mox culmi, deinde ariſtæ. At nihil horum apparebat in granulo illo minuto, quod terræ credidiſti. Sua cuiq́ ſeminis uis ineſt, ea iuſſu & opera dei ſe profert, ubi rurſus emerſerit, ut iam aliud omnino uideatur cum illud conſpicias, ſed renatum in meliorem ſpeciem. Ex quantulo grano quantam arborem enatam uides? quod ſtirpis robur, quæ radicis amplitudo, quàm late ſparſi rami, quæ pompa frondium, quæ florum amœnitas, quæ fœtuum ubertas? Nihil horum erat, cum tu uile & minutum illud granum in ſepelires humo. Et tamen hæc omnia audebas ſperare, naturæ uiribus fretus, & nõ audebas idem à deo ſperare, fretus illius promiſſis & omnipotẽtia? Granum eſt quod ſeminas, nõ arbor, & tamen deus excitato corpus addit, quale uiſum eſt ipſi, quod ſingulis ſeminum generibus peculiarem uim penitus indit, ut cum renaſcantur omnia, non tamen eadem ſpecie renaſcantur.

18 Non omnis caro eadem caro, ſed alia hominum, alia pecorum, alia autem uolucriũ, alia piſcium. Et corpora cœleſtia, & corpora terreſtria, ſed alia

alia quidem cœlestium gloria, alia autem terrestrium. Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enim à stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum.

Quod in semine dictum fieri, id quoq; fit in animantium genere. Suum cuiq; semen est, neq; quoduis animal è quouis semine prouenit. Et quanquam illud est omnium commune, quod corpus habent carneum, tamen nõ parum interest inter carnem & carnem. Siquidem alia est hominum caro, alia pecudum, alia piscium, alia uolucrum. Item in his quæ carent anima, licet omnia corpora dicantur, tamẽ alia species est corporibus cœlestibus, alia terrestribus, puta saxis aut aquæ terræue. Quin ut alia gloria est ac dignitas corporum cœlestiũ, alia terrestrium: ita inter ipsa corpora cœlestia discrimen est. Primum, non est eadem gloria Lunę quæ Solis, nec cæterarum stellarum quæ Lunę. Deniq; & ipsæ inter se stellæ differunt claritate. Nec enim omnes æquant luciferi radios. Itidem in resurrectione, suo cum corpore reuiuiscent omnes, sed dispari dignitate, nimirum pro cuiusq; sorte, proq; uitæ meritis. Nam alia specie reuiuiscent impij, alia pij. Rursus inter pios, prout quisq; se gessit in uita, ita nouati corporis honore præminebit, omnibus tamen longe felicius restituetur corpus, q̃ in morte deposuerint. Quod in natura est semen humo condere, hoc est in resurrectionis causa sepelire cadauer: q̃d est illic enasci, hoc hic reuiuiscere.

Seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in 19
ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in uirtute: seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale.

Quod apud naturam seminis longe præclarius est quod nascitur, q̃ quod erat creditum terræ: ita hic, licet idem, tamen longe dissimile corpus excitatur, conditum est humo ceu seminis granum, corpus putrefactioni obnoxium, at idem reuiuiscet, nulli prorsus obnoxium corruptioni. Cõtemptum ac uile corpus humo conditur, at reuiuiscet idem, multa refulgẽs gloria. Sepelitur corpus, etiam cum uiueret imbecille, sed resurget immensis præditũ uiribus. Sepelitur corpus, quod cum uiueret, tamen crassum erat ac pigrum, & ob id sæpe oneri moderatori animo, sed resurget corpus non animale iam, sed spirituale, quod nusquam in morasit animo, quocũq; tulerit illum impetus. Nam est hæc quoq; corporum differentia, cum aliud sit animale, quod cibis eget & somno, quod labore fatigatur, quod morbis afficitur, quod ætate contabescit, quod crassis aut uitiatis organis suis frequenter impedit animi conatum, quod ob insitos affectus sæpe solicitat ad uitia, cui cum inhæret & obsequitur animus, ipse uelut in corpus uertitur, è mente degenerans in carnem. Aliud spirituale, quod hic paulatim à sensibus & affectibus corporeis defecatum, mox per resurrectionem renascens, quodammodo transfiguratum est in animum, cui sese studio pietatis accommodauerat, ut quemadmodum noster animus obtemperans diuino spiritui, rapitur ac quadantenus transformatur in illum: ita corpus nostrum obsequens animo, repurgatur ut exuat crassitudinem suam, extenuatum in tale corpus, ut menti simillimũ sit. Ideo dicit:

Si est corpus animale, est & spirituale. Sicut scriptũ est: Factus est pri- 20
mus homo Adam in animam uiuentem, nouissimus Adam in spiritum uiuificantem.

Pulchrã ponit antithesim inter animale, quod flatu uiuit: & spirituale, quod spiritu. Nam bruta flatum habent, & uitalem & elementalem spiritum, spiritum

autem hoc pacto non habent. Alludit autem ad ea quæ de prima hominis condi-
tione ſcribit Moſes: Inflauit deus in Adam ſpiraculum uitæ, ut fieret in animam
uiuentem, id eſt, ut reſpiraret & uiueret. Quaſi diceret Paulus: Primum huma-
num corpus factum eſt imbutum ſpiraculo, ſecundum autem corpus reſurrectu-
rum aliquando erit ſpirituale. Non ut intelligas quod corpus uertatur in ſpiritū,
ſed ſpirituale corpus dicitur, quod ſpiritui omnino ſubiectum eſt, & quod corpo-
reis alimentis ultra non eget, ſed ſolo ſpiritu uiuit, quod ab omni ſorde repurga-
tum eſt. Exemplū cape in metallis, quæ per ignem ab omni ſcoria & ſorde repur-
gantur, manente tamen eadem ſubſtātia: ſic corpus hoc craſſum & carneum ter-
reumq; accepimus à principe noſtri generis Adam illo priore, qui ut de limo fi-
ctus erat, ita terrenis fuit affectibus obnoxius. Verum eſt alter Adam poſterior,
non natiuitatis, ſed reuiuiſcentiæ princeps, qui ut cœleſtem habet originem, ita
fuit ab omni contagione terrenarum cupiditatum immunis. Ita enim legimus in
Geneſi, Conditus eſt primus Adam, ut animæ beneficio uiueret, ſed ita, ut anima
uelut illigata corpori craſſo, nihil ageret niſi per organa corporis. Sed poſt hunc
datus eſt poſterior Adam, qui ut è ſpiritu ſancto conceptus eſt: ita ſuis uitam im-
partiret, non craſſam hanc, & pleriſq; in rebus communem cum pecudibus, ſed
uitam ſpiritualem ac diuinam. Itaq; per Chriſtum modis omnibus in melius rena-
ſcimur, qui per Adam primum peccato mortui fuimus omnes.

21 Sed non prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale, deinde quod ſpi-
rituale. Primus de terra terrenus, ſecundus homo de cœlo cœleſtis. Qua-
lis terrenus, tales & terreni: & qualis cœleſtis, tales & cœleſtes.

Quod tempore prius eſt, id & re craſſius eſt, iuxta naturæ quoq; ordinē. Ani-
male corpus nunc geſtamus, olim ſpirituali fruituri. Quemadmodum craſſior il-
le generis noſtri parens præceſſit, ſucceſſit Chriſtus author nouæ generationis.
Qualis fuit parens ille luteus, tales ſunt & huius poſteri, nempe terrenis addicti
cupiditatibus. Rurſus qualis fuit Adā ille cœleſtis, tales ſunt in hunc renati, qui-
bus cœleſtia cordi ſunt. Nam quod olim perfecte continget, hic iam meditādum
eſt. Quemadmodum ante baptiſmum, primi parentis ingenium improbis mori-
bus expreſſimus: ita per baptiſmum renati Chriſto, cœleſtem authorem uitæ cœ-
leſti referemus. Quod ni fecerimus, nec hic pertinebimus ad corpus Chriſti, nec
tum reſurrectionis gloria perfruemur.

22 Igitur ſicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem
cœleſtis.

Quemadmodum Chriſtus primum terrenum corpus circuntulit, deinde poſt
reſurrectionem cœleſte, glorioſum, immortale & æternum: ita & nos qui Chriſto
fidimus, primum portamus hic corpus terrenum & corruptibile, tunc autem ſpi-
rituale, glorificatum, æternum & cœleſte. Et quemadmodum Chriſtus corpore
quidem mortuus eſt, anima uero uixit: ita & nos corpore dormiemus, id eſt mo-
riemur, anima uero uiuet uita æterna, quæ perpetua quædam iucunditas eſt, ex-
ultatio & lætitia inenarrabilis. Hæc igitur uoluit nobis deus pater oſtendere in
morte & uita filij ſui, ut nos certi redderemur, tandem nos Chriſto quoq; cōfigu-
rādos, qui nobis carnem ſuſcepit, nobis natus eſt, nobis uixit, nobis mortuus eſt,
nobis denicq; reſurrexit & reuixit. Hoc eſt quod Irenæus dicit, corpus Chriſti cor-
pora noſtra cibare ad immortalitatem: nempe quod animæ noſtræ certæ reddun-
tur, ſe uicturas quemadmodum anima Chriſti. Item quod caro noſtra ad immor-
talitatem reſurget, quemadmodum caro noſtra in Chriſto deitati unita eſt. Quod
ergo

ergo primum corpus moritur & putrescit, ab Adamo est: quod secũdum, clarum glorioſum & immortale resurgit, à Christo est, ut ita utriusq; imaginem feramus. Vterq; enim parens noster est, primus corruptionis & peccati, secundus immortalitatis & gratiæ. Hic uiuimus in afflictione ac labore, illic absq; omni labore & molestia. Hac ratione communicauit Christus carni & sanguini nostro, ut est in Hebræis. Quum igitur habeamus tam certam spem uitæ æternæ & resurrectionis, studeamus quotidie configurari corpori claritatis eius. Meditemur hic eam uitam quam perpetuò sumus uicturi, pure, sancte, & inculpate uiuamus in hoc sæculo.

Hoc autem dico fratres, quia caro & sanguis regnũ dei possidere non 25
possunt, neq; corruptio incorruptelam possidebit.

Quod dico, sic uolo intelligi, sic me capite: Hoc corpus mortale & corruptibile (ludit enim in re ut in persona) immortalitatem & incorruptionem non possidebit, hoc est, corpus ea forma qua nũc gestatur, cœlũ non ingredietur, sed idem corpus, alia tamen forma & specie, repurgatum scilicet ab omni sorde & corruptione. Primum enim corpus, hoc est homines primæ generationis, non possunt ad hæreditatem regni dei peruenire. Neq; uita corrupta uitijs, immortalitatis hæreditate fruetur: sicut nec in beata sede, ad quam transferẽtur resuscitata sanctorum corpora, non erit ulla carnalis cupiditas.

Ecce mysterium uobis dico, Omnes quidem resurgemus, sed non o- 24
mnes immutabimur, in momento, in ictu oculi, in nouissima tuba. Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur.

Quæ obscurius dixi, clarius exponam, rem uobis arcanam aperio, ne quid uos lateat de modo resurgendi. Extremo tempore illo, quo dominus ad iudicium ueniet, non omnes morituri sumus, nam fortasse dies ille nostrum aliquot uiuos deprehendet, sed tamen omnes ad immortalitatis gloriam immutabimur, qui hic pietatis studio quodammodo meditamur immortalitatem, abstinentes à peccati contagio. Ea immutatio non continget paulatim, quemadmodum in rebus naturalibus fieri uidemus, sed in momento punctoq; temporis, ad cantum extremæ tubæ. Clanget em̃ tuba, ad cuius uocem qui tum mortui fuerint, reuiuiscent iam immortales. Et nos quos uiuos reperiet illa dies, subito immutati, iam aliter uiuemus, uidelicet ad eorum morem qui reuixerint. Multa autem hic sermo comprehendit, nam si corruptione carent, omnibus quoq; rebus carent quibus corruptioni occurritur, ut est cibus, potus, labor, somnus, &c.

Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale 25
hoc induere immortalitatem.

Priusq; regno cœlesti & æterno plene potiamur, oportet ut prorsus exuamus omnia quæ terram sapiunt, & corpus quod nunc habemus corruptioni obnoxium, reddatur incorruptibile: & quod nũc habemus mortale, reddatur immortale. De duplici lectione huius loci, uide Annotationes Erasmi, & Commentaria Heinrychi Bullingeri nostri.

Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tũc fiet sermo qui 26
scriptus est, Absorpta est mors in uictoria. Vbi est mors uictoria tua?
Vbi est mors stimulus tuus?

Priusq; regno cœlesti plene potiamur, oportet prorsus exuamus omnia quæ terram sapiunt; & corpus quod nunc habemus mortale, reddatur immortale. Id

ubi contigerit, tunc re præstabitur, quod Osee propheta cap. 13. futurum præsagiens, dicit, exultãs aduersus mortem, internetione deletam: Absorpta est mors per uictoriam. Tollitur enim mors nostra, hoc est generis humani, morte Christi. Sicut peccatum Adæ fuit mors nostra, & induxit exitium hominibus: sic mors Christi uicit peccatum Adæ. Vbi nunc est ô mors, ô inferne, & ô tartare uictoria tua? Per infernũ locum intelligunt, quò patres & omnes credẽtes ante Christum perueniebant, illic expectantes Christi redemptionem perficiendam, quam credebant promissam & futuram. Stimulum autem mortis peccatum intelligimus, quo nos tanquam spiculo aut ferro mors conficit. Propter peccatum enim mors grassatur in omnes homines, hoc uero peccatum Christus superauit, & ipsam quoq; mortem. Est autem hic egregia collatio mortis, peccati & legis. Peccatum confundit, est autem mors ipsa confusio. Confundit autem peccatum per legem, cuius proprium officium est ostendere peccatum, & iudicare ostẽsum. Lex enim iram operatur, ostendens quid faciendum, sed uim faciendi non præstat: illud ergo cum non facimus, nos condemnat. Porrò sicut lex est irritatio quædam, sic euangelium per Christum est uitæ promissio, & conscientiarum consolatio: hoc propheta explicat, dum dicit per uictoriam esse mortem ipsam absorptã, hoc est, per Christi gratiam, passionem & mortem satisfactum pro mundi peccatis.

27 Stimulus autem mortis peccatum est, uirtus uero peccati lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis uictoriam per dominum nostrum Iesum Christum.

Mortis aculeus peccatum est, quia per peccatum intrauit mors ipsa in mundum, & peruasit omne genus humanum, sicut salus per Christum. Robur autem peccati lex, quæ per occasionem irritat peccandi libidinem: lege sublata, languet peccati uis & impetus: sublato peccato, cessat mortis potentia, exempto uidelicet aculeo, quo nos ferire solet. Tam uiolentis hostibus prorsus impares eramus, si nostris uiribus res fuisset congerenda, sed tamen habenda est deo gratia, qui fecit ut nobis, si credamus, in manu sit tam inclyta uictoria per Iesum Christum dominum nostrum, qui sua morte pro nobis mortem expugnauit, quiq; nostra commissa in sese recepit expianda.

28 Itaq; fratres mei dilecti, stabiles estote & immobiles, abundantes in opere domini semper, scientes quod labor uester non est inanis in dño.

Quando igitur certũ est fratres charissimi, esse futuram resurrectionem, quæ tamen non continget feliciter, nisi ijs qui hic per fidem & innocentiam, fugamq; peccati cœlestem uitam meditati fuerint: nec uacilletis in eo quod semel credidistis, neq; sinatis uos malorum colloquijs à recta sententia dimoueri: quin potius detis operam, ut in his quæ uos deo conciliant, indies proficientes, semper uobis ipsis meliores possitis euadere, præparantes uosmetipsos ad futuram resurrectionem. Nec pigeat ullius laboris, cum certum habeatis, quo opitulãte Christo, pro temporarijs molestijs, æterna gaudia sitis assequuturi.

CAPVT XVI.

1 DE collectis autẽ quæ fiunt in sanctos, sicut ordinaui ecclesijs Galatiæ, ita & uos facite, per unam sabbati unusquisq; uestrum apud se seponat, recondens quod ei bene placuerit, ut non cum uenero, tunc collectæ fiant.

In hoc capite obiter agit de eleemosyna, quam nominat collecta, quã mittere destinarat

destinarat Hierosolymã pauperibus, de quibus in sequenti historia fusius scribit. Tametsi enim Iudæi per Babylonicam captiuitatem, & posteriores multas calamitates perpessas, in sua terra iam dispersi erant, adhuc tamen sæuiebant semper & in toto orbe contra Christianos & euangelium, & grassabantur pro omni uiribus sua. Quandoquidem ex Iudæis quoq; magna ex parte proficiebat passim in orbe euangelium, multis conuersis ad Christum per apostolos, & tot apostolorum discipulos, qui & illi magnanimiter Christum & illius regnum prædicabant, in quos cæteri obstinati Iudæi pro omni uirili sua grassabãtur. Quicquid enim gentes passim, & tyranni huius mundi contra Christianos moliti sunt, totum factum est insidijs & solicitatione Iudæorum. Id satis probant Acta apostolorum. Vt hodie quoq; homines sese quærẽtes, nomine religiosi, & statu simulato, contra Christi ueritatem & euangelicam doctrinam, tyrannos armant, & quasi mercede conducunt. Hinc quoq; tunc factum est, ut plures fidelium propriis sedibus expulsi exularent, & Hierosolymis quoq; uiuerent in magna egestate & persecutione. Quibus ut subueniatur, ubiq; Paulus exhortatur ecclesias. Sicut hic quoq; adnectit epistolæ, Quod attinet, inquit, ad subleuãdos uestra benignitate sanctos qui degunt Hierosolymis, quemadmodum præscripsi Galatis, ut in eum usum pecunia colligeretur, si qui sponte sua conferre uellent, itidem fiat apud uos, ut hac quoq; in parte cum cæteris ecclesijs congruatis. Primo die post sabbatũ, qui dies dominicus dici tunc cœptus est ab apostolis, dum conueniebat ecclesia, quisq; uel sirũ apud se reponat ac recõdat, quãtulumcunq; cuiq; uisum fuerit. Hoc ideo moneo, quo magis in promptu sit, quod quisq; largiri decreuerit, ne cũ uenero, tum primum cum molestia & inquietudine parciusq; sit corradenda pecunia.

Cum autem præsens fuero, quos probaueritis per epistolas, hos mittam, perferre gratiam uestram in Ierusalem: quod si dignum fuerit ut ego eam, mecum ibunt. 2

Vbi ad uos uenero, quoscunq; uos delegeritis ad hoc negotij, hos cum meis literis mittam Hierosolymam, ut perferant uestram munificentiam. Quod si uidebitur operæpretium, ut ipse proficiscar illuc, illi mecum proficiscẽtur, ne quis suspicari queat ulla ex parte me meum negotium agere. Sic semper pauperum in ecclesia habenda est ratio, ne qui pauperes esse coguntur, egeant necessarijs: & ne quis in ecclesia pauper esse ob otium uelit uel inertiam. Vult enim Apostolus omẽs laborare qui possunt, & de labore manuum uiuere, sui exemplo, ad otium uitandum, quod docet uitia plura & grauia. Sic in ecclesijs collecta est celebranda eleemosynarum per fidos diaconos dispẽsandarum. Nobis ratio incumbit benè curandi iam hospitalium institutorum census, ut non nisi egentibus seruiant, non perditis per omnem uitam nebulonibus: interim tamen non est obmittenda priuatim beneficentia, ad priuatim egentes, rationibus honestis & necessarijs.

Veniam autem ad uos cum Macedoniam pertrãsiero, nam Macedoniam pertrãsibo. Apud uos autem forsitan manebo, uel etiam hyemabo, ut uos me deducatis quocunq; iero. 3

Sum ego uos propediem inuisurus, ubi per Macedoniam iter fecero, nam illos obiter duntaxat interuisam. Apud uos autem aliquandiu commorabor, haud scio an totam hyemem exacturus, ut sub uer proximũ, uobis deducentibus, proficiscar quocunq; negotium euangelij uocabit, alioqui nunc uos adissem. Videtur autem Apostolus declinare uelle, ne sibi pecuniam committãt, nam pecunia egenis statim mittenda erat, non differenda. Ipse uero non uoluit transire statim,

sed tardare aliquandiu.

4 Nolo enim uos modo in transitu uidere, spero enim me aliquãtulum temporis manere apud uos, si dominus permiserit. Permanebo aũt Ephesi usq; ad Pentecosten.

Nolo uos obiter & tantum in transcursu uidere, spero enim futurum ut mihi liceat dies compluſculos apud uos commorari, si modo dominus Iesus permiserit. Interea commorabor Ephesi usq; ad quinquagesimum etiam diem, quando quidem multũ laboris & negotij mihi supereſt exantlandũ, uel donec iturus sum Ieruſalem ad Pentecostis festum, uel donec hic quoq; diem solennem illum simus pro more adhuc gentis Iudaicæ, uel in ecclesia recens quoq; institutum celebraturi. Non enim statim obmissa sunt solennia à Iudæis conuersis ad Christum, quamuis apostolorum studio inducti sunt ad Christi doctrinam, ut non sit distinctio dierum apud fideles, sed sit sabbatũ iuge in domino fidelibus cunctis, ut prædictum est à prophetis. Dubius est hic locus.

5 Ostium enim mihi apertum est magnum, & euidens, & aduersarij multi.

Ampla mihi data occasio est, uia facta, uideor mihi ansam assecutus, & arripuisse prædicandi Christum, & dilatandi euangelij, quantumuis aduersarij multi sint, ut semper solet, dum reformatio fidei & morum tentatur, dum uitia corriguntur, dum hypocritæ protrahũtur. Et erant in toto mundo Iudæi ad fidem uenientes, & alij Iudæi persequutionem euangelio mouentes. Quales semper habiturum est euangelium, sed non curandos ab euangelistis, quo minus alacriter & magnanimiter pergant prædicatores ueritatis. Est & hodie messis multa, & pauci operarij: orandus autem semper dominus, ut q̃plurimi mittantur à domino fideles & prudentes serui Christi.

6 Si autem uenerit Timotheus, uidete ut sine timore sit apud uos, opus enim domini operatur, sicut & ego. Ne quis ergo illum spernat, deducite autem illum in pace, ut ueniat ad me, expecto enim illũ cum fratribus.

Plana sunt hæc, quia familiariter loquitur illis de suis etiam priuatis negotijs, quanquam & oĩa fuerint Christi, & ecclesiastica. Eximiam charitatem interim & fiduciam ostendit quam habeat ad Corinthios, commendans eis Timotheum discipulũ, Videte, inquit, ne quid periculi illi obtingat ab elatis ac diuitibus quibusdam. Collega meus est, quamuis nondũ senex, & in euangelico munere syncere liberecq; uersatur ut ego. Proinde, ne quis illũ despiciat quod ætate sit iunior, quin potius ut apostolum & collegam meum indemnem & illæsum dimittite, & officij gratia prosequamini abeuntem, ut ad me ueniat, nam illum expecto cum cæteris fratribus.

7 De Apollo autem fratre uobis notum facio, quoniam multum rogaui eum ut ueniret ad uos cum fratribus: & utiq; non fuit uoluntas eius ut nunc ueniret, ueniet autem cum ei uacuum fuerit.

Quod postulaueratis ut Apollos potius isthuc mitteretur, per me quidẽ non stetit, quo minus iuerit. Quin & uehementer hortatus sum, ut adiret uos cum aliquot fratribus, sed frustra, nam ob certas causas nõ erat ullo pacto animus nunc adire uos, uenturus autem est simul atq; illi uacabit. Discimus quali in honore habendi sint ministri, digni & fideles ecclesiæ, doctores euãgelij, ut non cõtemnendi, sed cõmendandi, honorandi, & reuerenter tractãdi, ut patres & Christi serui.

Vigilate.

Vigilate, ſtate in fide, uiriliter agite, & cõfortamini. Omnia ueſtra in 8
charitate fiant.

Vigilantia, conſtantia ac perſeuerãtia opus eſt tum in omni tempore, tamen maxime in euangelico negotio. Qui negligentes ſunt, negligẽtiæ ſuæ pœnas dabunt grauiſſimas. In primis autem epiſcopis, paſtoribus & prophetis incumbit, ut uigilent ac cónſtantes ſint, deinde his quoq; qui Reipublicæ præfecti ſunt. Sæpe tentatur fides, opus eſt ergo ut ſtemus, & fortiter pugnemus. Sed & de eccleſia priuatæ perſonæ boni conſulant, ſi uiderint fideliter inſiſtentes functioni ſuæ miniſtros uerbi & apoſtolos, ſi zelum agnouerint iuxta ſcientiam in illis, dominum glorificent pro eis, tantum abeſt ut murmurent uel odiant. Vigilate, inquit, aduerſus inſidias maleſuadentium pſeudapoſtolorum. Perſiſtite in fide ſemel ſuſceptа, infracto animo ſitis aduerſus ea quæ obſiſtunt euangelio. Quicquid autem apud uos geritur, non per contentionem, ſed per charitatem geratur, & ſine diſceptationibus.

Obſecro autem uos fratres, noſtis domum Stephanæ, & Fortunati, 9
& Achaici, quoniam ſunt primitiæ Achaiæ, & in miniſterium ſanctorum ordinauerunt ſeipſos, ut & uos ſubditi ſitis eiuſmodi, & omni operanti & laboranti.

Obſecro, ſi quid tamen opus eſt apud uos precibus, ipſi noſtis familiã Stephanæ, dignã quam obſeruetis, uel quod has ceu primitias ex Achaia Chriſto lucrifecerim, uel quod ſeſe totos dederint ſanctis officio ſubleuandis. Par eſt igitur, ut uos quoq; uiciſſim talibus honorem habeatis: nec his ſolum, uerumetiã quicunq; nobiſcum adiuuat rem euangelicam, noſtriq; laboris & fidei particeps eſt. Illis enim æquum eſt, benemerentibus gratiã habere, & ubi licuerit, diligenter referre.

Gaudeo autem in præſentia Stephanæ, & Fortunati, & Achaici, quo 10
niam id quod uobis deerat, ipſi ſuppleuerunt, refecerunt enim & meum ſpiritum & ueſtrum. Cognoſcite ergo qui eiuſmodi ſunt.

Gratum fuit quod hos huc miſeritis, ſuppleuerunt enim officio ſuo, quod adhuc deſiderabam ueſtri, quando uenerunt omnium ueſtrorum nomine, nam refocillauerunt ſpiritum meum, imò ueſtrum: quippe qui non aliud ſpectat, q̃ ueſtrum commodum: nec alia re magis exhilaratur, q̃ ue..is profectibus. Tales igitur agnoſcite, peculiari quodam honore illos proſequentes.

Salutant uos omnes eccleſiæ Aſiæ. Salutant uos in domino multum 11
Aquila & Priſcilla, cum domeſtica ſua eccleſia, apud quos hoſpitor. Salutant uos omnes fratres. Salutate inuicem in oſculo ſancto.

Videri poteſt hoc loco hanc epiſtolam non eſſe ſcriptam ex Philippis, ſed ab Epheſo, quæ eſt in Aſia, & habuit hos quoq; ciues. Salutare autẽ in oſculo ſancto iubet Apoſtolus, quemadmodum ſolent amici oſculo ſeſe mutuo excipere ac ſalutare. Ita, inquit, & uos facite, ſed ſancto, hoc eſt ex animi benignitate, & beneuolentia uera ac ſyncera.

Salutatio mea manu Pauli. Si quis non amat dominum noſtrum Ie- 12
ſum Chriſtum, ſit anathema maranatha. Gratia domini noſtri Ieſu Chriſti uobiſcum. Charitas mea cum omnibus uobis in Chriſto Ieſu. Amen.

Saluto uos ego Paulus, atq; id meapte manu ſubſcripſi, pariter teſtatus & meum erga uos affectum, & hanc epiſtolam non eſſe ſubditiam. Si quis non di-

ligit dominum Iesum, anathema sit, quandoquidē auersatur eum, à quo solo poterat consequi salutem. Et qui negauerit uenisse Christum in carne, similiter execrandus est, & maledictus, damnationiq; deuotus, quem certe cōstat uenisse magno bono credētium, sed magno quoq; malo incredulorum. Et is quidem sensus est, siue legamus, Maranatha, quod Syriacum sic scribatur מראן אתה, quod uāle interpretatum, Dominus noster uenit: siue sic scribatur, מיחרמיתא maharamtha, similiter Syriacū, quod potest ualere idem quod Perditionem uel ingens excidium, uel etiam maledictionem. De uerbo non admodum digladiemur, quæ possunt temporis lapsu & ignorantia linguarum uariari ac inuerti, dum interim sensus nihil alienum patiatur à litera. Fauorem & beneuolentiam dei Apostolus precatur fidelibus & toti ecclesiæ. Addens quoq; precationē, Vt quemadmodū, ait, ego uos Christiano affectu diligo, ita uos inuicem syncere diligatis ea charitate, qua uos conglutinauit Christus Iesus. Amen.

FINIS.

COMMENTARIVM IN EPISTOLAM D. PAVLI APOSTOLI AD CORINTHIOS SECVNDAM.

ARGVMENTVM.

IN HAC EPISTOLA D. PAVLVS CAVSAS reddit, primum, quod Corinthios, quemadmodum pollicitus erat, non reuiserit, quædam de afflictionibus scribens, quas ob euangelium perpessus, feliciter uicerit, dei auxilio. Deinde exclusum fornicarium restitui iubet, iam emendatum. A Iudaicis ceremonijs quas urgebant pseudapostoli, ad uitam Christo dignam exhortatur. Exemplo Macedonū eos pellicit ad munificētiam in pauperes fideles. Magna quoq; ex parte in contētione uersatur cū falsis apostolis, quos & palàm insectatur, qui authoritatem suam omnino deprimebant in præiudicium doctrinæ suæ: unde & cogitur laudibus quoq; suis asserere eam, ne sua utilipersuasione, euangelij prædicati fructus apud Corinthios periret. Vnde sit missa, non satis certum, & parum refert.

CAPVT PRIMVM.

1 PAVLVS apostolus Iesu Christi per uoluntatem dei & Timotheus frater, ecclesiæ dei quæ est Corinthi cum omnibus sanctis qui sunt in uniuersa Achaia, Gratia uobis & pax à deo patre nostro, & domino Iesu Christo.

Paulus legatione fungens nomine Iesu Christi, ex authoritate dei patris, qui uoluit renitentem quoq; me habere seruum in euangelij prædicatione, per maximam partem orbis, cui repugnare nec debui, nec potui, nec etiam uolui, sed simpliciter sum obsequutus, ac gratia eius magnifice prosequutus. Simul quoq; Timotheus frater consortio religionis & fidei, collega communione officij. Gregi Christiano qui degit Corinthi; neq; Corinthi solum, uerumetiam omnibus sanctis qui

qui Christo seruiunt per totam Achaiam, cuius metropolis est Corinthus. Precamur uobis gratiam & pacẽ, concordiã quoq; largiente domino Iesu Christo, & huius patre deo, quem cum illo communem habemus, quamuis non omnino similiter, patrem. Quandoquidem naturalis est patri filius, iuxta assumẽtem naturam: primogenitus etiam ex creaturis iuxta assumptam, uerum in unitatem personæ distinctis naturis. Cum nos quoq; filij dei & nominemur & simus, per gratiæ diuinæ adoptionem, & liberam electionem. Quorum tamen iuxta corporis, humanæq; naturæ dispensationem caput est, cuius nos membra esse uoluit, quos per gratiam reconciliat, mediator dei & hominum, & pace donanda per spiritum suum tranquillat conscientiam in Christo Iesu saluatore.

Benedictus deus & pater domini nostri Iesu Christi, pater misericor- 2
diarum, & deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi cõsolari eos qui in omni pressura sunt, per exhortationem qua exhortamur & ipsi à deo.

Exordium orationis in hac epistola trahit à gratiarumactione pro suo more. Primum autem deo gratias agens, inquit, Qui me prolixe consolatur in omni afflictione. Secundo, Ideo autem consolatur, ut possim ipse etiam meo exemplo alios consolari. Tertio, Vt ad eum modũ uos quoq; consolamini. Quarto, Magna quidem in Asia passus sum, sed eripuit me deus. Quinto, Sed & preces uestræ adiuuerunt me, propter donum euangelizãdi, quod mihi collatum est in usum ecclesiæ. Sexto, Nec dono illo sum abusus, sed ita uersatus sum in ecclesia, ut ne qui dem conscientia mea me reprehendat. Septimo, Vobiscum etiam summa cum solicitudine uersatus sum. Et hæc quidem agit per 8. uersus uel sentẽtias in hoc capite. Dicit autem primum, Fidelibus cunctis semper digne laudãdus est dñs, & prædicandus in ecclesia deus & pater domini nostri Iesu Christi, qui fons est & author misericordiarum, & omnis consolationis, qua indigemus in hac lachrymarum ualle, in calamitosa conditione conscientiæ perturbatæ, & in huius mundi angustijs, quas ferre coguntur uere Christiani. Nominat autem patrem misericordiarum & consolationis, nouo titulo, respectu eius quo à prophetis prædicatus est, Deus iudicij & iustitiæ, ut discamus per euangelium cõfidere, quamlibet ipsum in multis offendimus omnes, qui nõ propterea nũc nobis est inexorabilis, sed ut pater misericors, imò misericordiarũ, hoc est misericordissimus, uerum ijs qui ipsum timent & reuerentur, non contemptoribus & perfidis. Ab ipso autem proficiscitur omnis nostra consolatio, qui non cessat refocillare ac subleuare nos apostolos suos & euangelij sui præcones, quicquid undecunq; nobis acciderit afflictionis. Idq; facit non nobis tantum consulens, ne fracti malis deficiamus, uerumetiam uobis oĩbus, qui ut uestris malis pro mutua charitate discruciamini, ita nobis refectis, solatium & ipsi capitis, nostroq; exemplo spe diuinę refectionis fortiter perduratis in afflictionibus tolerandis. Confidentes deum nec uobis afflictis defuturũ, quem uidetis nobis oppressis ac penè extinctis præsidio fuisse, qui pro modo malorum quibus premimur, temperat consolationem suam, ut potuerimus sustinere.

Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Chri- 5
stum abundat & consolatio nostra.

Afflictiones & aduersitates nunquam cessabunt dum hic uiuimus, imò quotidie magis ac magis exuberant, sed hanc habemus à deo consolationem, quod quemadmodum ob Christum afflictiones indies augentur, ita & per Christum

exundat consolatio, ne pigeat nos malorum, quæ ob Christum & exemplo Christi perpetimur. Is quo maiora & grauiora passus est, hoc maiore solatio fruitur. Et nos quo grauius afflicti sumus huius causa, hoc eodem opitulante maiore solatio refecit deus malis exemptos, ut uos in uobis idem speretis, quod in nobis factum cernitis.

4 Siue autem tribulamur, pro uestra exhortatione & salute, quæ operatur tolerantiam earundem passionum, quas & nos patimur, & spes nostra firma est pro uobis, sciētes, quod sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis.

Siue quid affligimur rebus aduersis, id facit ad animandos uos, uestræq; salu-ti conducit, ut nostro exemplo confirmati, fortiter feratis asperrima quæq;, quorum tolerantia licet amara sit, tamen est salutifera. Siue recreamur depulsa malorum procella, rursus & hoc facit deus, quo nobis subleuatis uestros reficiat animos, ne præ dolore & impatientia deficiatis, sed uicissitudine malorum ac solacij possitis & ipsi perpeti quæ nos perpetimur. Quod quidem ita fore confidimus, ut quemadmodum participes estis afflictionum nostrarum, ita sitis & solatij nostri particeps. Et quemadmodum nobis diuexatis indoluistis antehac, ita ereptis nobis bonitate dei, congratulemini. Quando conuenit inter amicos bonorum pariter ac malorum esse societatem. Ne ergo scandalum patiamini, à fide deficientes, propter apostolorum & nostras tentationes & illatas iniurias, sic enim fieri oportet, iuxta prophetas: Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. Putant enim sic scandalizati inanem esse promissionē, si ui oppressum uiderint prædicantem. Si firmus est autem qui credit, is compatitur magistro, fidens de spe futura, ut simul quoq; consoletur, cum quo & compatitur.

5 Non enim uolumus ignorare uos fratres, de tribulatione nostra quæ facta est in Asia, quoniam supra modum grauati sumus, supra uirtutem, ita ut tæderet nos etiam uiuere.

Quatuor congerit. Supra modum grauati sumus, item supra uires, desperata uita, & sententia mortis accepta, ut discamus ēq; nihil possit humana facultas, qua ratione tentet suos deus, quomodo aduersitas sanctorum nō iræ sed misericordiæ dei opus est, salutares quoq; fidelibus esse afflictiones, & beatos esse lugētes, non abijciendam domini disciplinam. Corripi quos deus diligit, ne cum hoc mundo damnentur. Dicit ergo, Magis autem gratulabimini, si plene cognouerītis quantō malorum turbine perculsi fuerimus in Asia, nam illic mirum in modum pressi sumus afflictionum pondere, prorsusq; grauiore ēq; pro uiribus uestris. Nam cōuentum erat, ut de uita quoq; desperaremus, nimirum impares ferendis tot tantisq; malis. Loquitur uero de persecutione, quæ sibi & suis mota est in Ephelo, quando insimulabatur seditionis suscitatæ, & id illi pseudapostoli opprobrabāt, quum esset innocentissimus, interim tamen dissimulans illorum calumnias, de autem circa se gloriam fatetur, & laudat cum actione gratiarum.

6 Sed ipsi in nobisipsis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in deo, qui suscitat mortuos, qui de tantis periculis nos eripuit & eruit, in quem speramus, quoniam & adhuc eripiet, adiuuantibus & uobis in oratione pro nobis, ut ex multarū personis faciērū, eius quæ in nobis est donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis.

Tanta

Tanta erat persequutionum mearum uiolentia & grauitas, ut non solum alij diffiderent nos posse subsistere, uerumetiam ipse noster animus diffidens suis uiribus, nihil nisi mortem præ oculis haberet, neq; quicquam præsagiret, nisi supremum exitium. Huc nos deduci passus est deus, ne quid fideremus nostris uiribus, sed ipsius præsidio, quod tum maxime solet esse præsto, cum maxime nos humana præsidia destituunt. Qui cum uult non solum eximit à mortis periculo, uerumetiam extinctos ad uitam reuocat. Quantũ ad me pertinebat, iam mortuus, iam extinctus eram, uerum ab hac morte me deus eripuit, & nunc etiam eripit, de quo confidimus, quod & in posterum sit erepturus: maxime si uestræ preces accesserint, quæ mihi dei fauorem concilient. Vt quemadmodum multorum uotis & in multorum commodum seruamur, ita multifariam per multos agantur gratiæ deo pro nobis seruatis, quasi beneficium dei, quo mihi cõtigit incolumem esse: non in unum me qui seruor, sed in omnes quorum bono seruor collatum uideatur. Cum itaq; uos pro me tam anxie oraueritis, uidetisq; & uos impetrasse, & me adiutum, accenditur in uobis gratulatio & gratiarumactio. Ex multis, inquit, personis, id est à multis, uel pro multis, aut multifariam. Dum inter tam uarias quoq; personas in tam uarijs euentibus & afflictionibus glorifico euangeliũ, quod euangelij natura sit, cum sit sermo crucis, ut uarie affligantur eius præcones. Nam cum fidem doceat, necesse est, ut eam & exerceat uarijs afflictionibus.

Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod 7
in simplicitate cordis, & synceritate dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia dei conuersati sumus in hoc mundo, abundantius autem in uos.

Quantum attinet ad me domi habeo, quod me uel in medijs afflictionibus solletur, atq; etiam ad sanctam quoq; uel non ineptam gloriationem usq; erigat exhilaretq;. Nimirum hic animus sibi testis ac cõscius est, quod non, quemadmodum faciunt quidam apud uos, per ostẽtationem humanæ doctrinæ quæstum uenantes, sed per simplicitatem ac synceritatem deo dignam uersati simus in euãgelico negotio, cum in omni Græcia, tum præcipue apud uos, quorum gratia cum tanta perpessi simus, nihil unquam tamen mercedis à uobis uel expectauimus uel cepimus, ne cui daretur ansa suspicandi, quod ad nostrum quæstum uos captaremus. Sicut & nos quoq;, si propitium & auxiliarem deum habere cupimus, bona conscientia simpliciter & syncere agamus.

Non enim alia scribimus uobis, quàm quæ legistis & cognouistis. 8
Spero autem quod usq; in finem cognoscetis, sicut & cognouistis nos ex parte, quod gloria uestra sumus, sicut & uos nostra, in die domini nostri Iesu Christi.

Hæc non arroganter à me dicunt, sed uere: non hæc uane de nobis iactamus, ipsi fecistis periculum: neq; enim uos unquam aliusmodi comperistis, q̃ quales fuisse nos testamur, his literis quas legitis: nec alios nos facimus in epistola uerbis, q̃ quales nos apud uos præstitimus factis. Quin etiã spero fore, ut quales nos hactenus ex parte comperistis, tales semper experturi sitis, ut merito possimus utriq; de alteris gloriari. Si ut ego uobis præstiti syncerum Apostolũ, ita uos tanquã grati dociles q̃ filij, parẽtis ac doctoris officijs animoq; respondeatis. Iactent interim alij sese apud homines, qui me uelut hominem reiectũ & afflictum aspernantur. Certe cum uenerit dominus, nec ullus erit fuco locus, ibi de uobis gloriabor, quos Christo lucrifecerim, & uos uicissim de me, qui nihil uobis tradiderim,

niſi quod Chriſto dignum eſſet. Nec deſinam talis eſſe erga uos, qualem me olim eſtis experti, donec ſimul alter alterius gloria in die domini læti excipiamur in regnum Chriſti.

9 Et hac confidentia uolui prius uenire ad uos, ut ſecundam gratiam haberetis, & per uos tranſire in Macedoniam, & iterum à Macedonia uenire ad uos, & à uobis deduci in Iudæam.

Hæc fiducia animi mei ſibi boni conſcij, ſimulq; ſpes de ueſtro profectu concepta in cauſa fuit, ut in animo fuerit antehac inuiſere uos, quo uos duplici gaudio afficerem. Primum ob epiſtolam, deinde ob præſentiam: uel quod euãgelium primũ apud uos prædicarim: altero, quod denuo ueniens uos conſolarer ac confirmarem. Seu ut altero beneficio uos afficerẽ, nempe, quod rediens ad uos, quæ primũ extructa erant inſtaurarem. Non enim minor eſt uirtus parta tueri, q̃ primum parare. Statueram enim (ait) ut in Macedoniam proficiſcẽs, uos obiter inuiſerem, ac rurſus è Macedonia reuerſus, ad uos me reciperem, id quod proximis literis pollicebar, atq; ita deducentibus uobis, proficiſcerer in Iudæam.

10 Cum ergo hoc uoluiſſem, nunquid leuitate uſus ſum? Aut quæ cogito, ſecundum carnem cogito, ut ſit apud me Eſt, & Non? Fidelis autem deus, quia ſermo noſter qui fuit apud uos, non eſt in illo Eſt & Non, ſed eſt in illo Eſt.

Nemo me leuitatis accuſet, iuxta ſpiritum enim conſtitueram, non iuxta carnem, hoc eſt, non temere uel inconſulto obtemperaui cupiditati meæ, uel carnali affectu adactus ſum, ut non uenerim ad uos. Nequaquam enim in mea ſitum eſt poteſtate, ut cum etiam dicam, etiam præſtem, ſed in domino, qui noſtros moderatur greſſus pro ſua uoluntate. Solus eſt deus, qui neq; fallit neq; fallitur, qui ſolus immotus eſt & immutabilis: in hoc uero fidelis eſt deus, quem teſtem cõſcientiæ meæ inuoco, quod hæc quę apud uos prædicaui, non fuerunt Etiam & Non, hoc eſt, quod prædicaui Etiam eſſe, fuit Etiam. Rurſus ſi prædicaui aliquid Non eſſe, Non fuit. Non eſt enim Chriſtus quem prædico inconſtans, ſed firmus & fidelis. Quod ſi ego me uenturũ promiſi, nec tamen ueni, nihilominus hoc Etiam quod dixi, Etiam in ipſo eſt, nimirum ipſo impediente, & melius quiddam prouidente. Quin & tunc quoq; intelligebam, magis eſſe in rem ueſtrã, ut dilato reditu meo, caſtigarentur quidã, quos impuros uidere nolui. Semper in hoc ſtudio meo ſimilis & conſtans, quod ubiq; ſeruio ueſtris commodis, ut hac in parte nuſquam uacillem, ſed ſemper præſtem quod ueſtra ſuaſerit utilitas, ſemper fugiam, quod intellexero uobis inutile fore. Non quod in nobis ſitum arbitrer, ut quicquid decreuerimus expedire, idem præſtemus, ſed in domini dei prouidentia & ordine, in quo uiuimus, mouemur & ſumus.

11 Dei enim filius Ieſus Chriſtus, qui in uobis per nos prædicatus eſt, per me & Syluanum, & Timotheum, non fuit in illo Eſt & Non, ſed Eſt fuit in illo fuit. Quotquot enim promiſſiones dei ſunt, in illo eſt, ideo & per ipſum amen deo ad gloriam noſtram.

Non fallit deus, cuius præſidio factum eſt, ut ſermo noſter, quo uobis illius euangelium prædicauimus, nõ uacillarit, ſed ſemper ſui ſimilis fuerit. Neq; enim humana uobis prædicauimus, ſed rem ſolidam, efficacem, immutabilẽ, conſtanter eodemq; tenore uobis tradidimus, ego & fratres mei, uidelicet, filium dei ſum Chriſtũ, cuius nomen non fuit inefficax apud uos, ſed potens & efficax fuit, non

non nostro præsidio, sed ipsius beneficio. Hactenus experti dotes sancti spiritus, tenetis arrabonem, nec fallēt quæ in posterum promissa sunt. Etenim quæcunq; sunt promissa, per illū fidelia sunt, & per ipsum indubitata sunt, cui debetur hæc gloria. Neq; ēm nostra promissa sunt quæ uobis proposuimus. Author est deus, nos tantum ministri sumus ac nuncij, in illius gloriam cedit, si quod illius nomine prædicamus, uerum comperitur & efficax, ut sunt firmissimæ promissiones dei, & testimonia eius certissima. Id uero significatur cū dicit, Per ipsum Amen, quod est indubitata fides. Omnia enim quæ Christus promisit certissima sunt.

Qui autem confirmat nos uobiscum in Christum, & qui unxit nos, 12
deus, qui & signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.

Siue uenero siue minus, non est quod magnopere doleatis, non enim supra me ædificati estis, sed supra deum per Christum. Deus est qui & me & uos supra Christum solidam petram ædificauit. Qui quidem Christus nos unxit iuxta nomen suum, obsignauit & confirmauit, deditq; arram spiritus in corda nostra, ut constanter Christum prædicauerimus & solide, & uos in susceptā Christi religione perstatis ex munere dei. Qui quo magis ipsius promissis fideremus, & arcanis dotibus suis unxit nos, ac mentibus nostris sigillum quoddam impressit, quin & spiritum suum indidit cordibus nostris, pignus in posterum promissæ felicitatis. Vnctio autem, regnum & sacerdotium Christi complectitur. Obsignatio uero et arra, significāt spiritum sanctum esse testimonium gratiæ dei, quod pro iustis accepet nos in Christo, quamlibet iniustos ex operibus nostris.

Ego autem testem deum inuoco in animam meam, quod parcens uo 13
bis, non ueni ultra Corinthum, nō quia dominamur fidei uestræ, sed adiutores simus gaudij uestri, nam fide statis.

Ne quis tribuat incōstantiæ quod hucusq; distulerim reditum meum ad uos, deum animi mei testem facio, quod hactenus non ueni Corinthum, non factum est odio uestri, sed benigno potius animo, ne si prius uenissem, cogerer sæuire in quosdam, qui nondum resipuerant, quos tamen interim emendatum iri confidebam. Malui me uobis aliquanto serius reddere, modo meus aduentus mihi simul ac uobis esset iucundior, quem tristem ac nubilem esse nolebam. Neq; uero hæc minaciter atq; imperiosius dicta uideantur, sed emendandi uestri gratia. Non dominamur nisi ijs qui peccarunt, itaq; fidei nomine nullum habemus in uos dominium, in qua perseueratis, sed est in uita, quod in uobis correctū uolebam. Adeo uero non comminamur istis, quo nostram in uos authoritatem ostētemus, ut potius hac uia uestro gaudio consulamus, quod nolebam ob quorundam impuros mores, meamq; necessariam seueritatem ullo mœrore contaminari.

CAPVT II.

STatui autem hoc ipsum apud me, ne iterum in tristitia uenirem 1
ad uos. Si enim ego contristo uos, & quis est qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me?

Quandoquidem uos superioribus literis necessario in mœrorem coniecerā, damnato incesto, uisum est mihi non cōmittere, ut aduentus quoq; meus nouum mœrorem adferret, mihi pariter ac uobis. Optarim uobis semper esse uoluptati, mœrori nunquā, si per uos liceat: at si quando prouocatus admissis quorundam, cogor, dum emendo paucos omnibus mœrorem iniicere, mœrens ipse, quis erit qui me rursus exhilaret, nisi quem ego mœrore affecero? Id fiet, si cōspexero cor-

reptionis amaritudine sanatum, uosq; sanato gratulãtes, quemadmodum antea mœroris eratis participes. Vestri apostoli uobis dominant, uobisq; oppressis mœrore, ipsi gaudent: ego non sic animatus sum, nam etiamsi cogar aliquando correptionis amarum pharmacum adhibere propter flagitiosos, non minus tamen dolore afficior, nisi emendati deponatis dolorem, nisi gaudium capiatis ex his qui sunt emendati.

2 Et hoc ipsum scripsi uobis, ut non cum uenero, tristitiam super tristitiam habeam, de quibus oportuerat me gaudere, confidens in omnibus uobis, quia meum gaudium omnium uestrum est.

Hanc uobis meam scribo nunc quoq; epistolam priusq; uenirem, ne si uenero ad uos, dolorem capiam ex his, ex quibus par erat me uoluptatem ac solatium capere, præsertim cum uos sic erga me confidam affectos esse, ut siue doleam ob emendationem quorũdam, mœror meus sit omnibus uobis mecum communis: siue gaudeam ob castigatos aliquos, gaudiũ meum sit uobis item omnibus commune. Nihil mihi tristius, q; si uidero in uobis, quæ uestra professione sunt indigna: nihil lætius, q; si conspexero nihil esse in uobis quod uituperari possit. Discant hic episcopi, quo affectu sint in populum, in ecclesiam, in peccantes, in resipiscentes, quomodo doleant, hortentur, moneant, uerberent, sanent, affligant, consolentur.

3 Nam ex multa tribulatione & angustia cordis scripsi uobis, per multas lachrymas: non ut contristemini, sed ut sciatis quã charitatem habeam abundantius in uobis.

Amor meus in uos, & tanti flagitij uobiscum admissi odium, ita in me simul pugnarunt, ut non sine anxietate & dolore lachrymas mihi expresserint. Non ergo ex leuitate aut curiositate hæc scripsi, sed ex charitate & necessitate, nam hoc officij mei erat, erat amoris. Si uos non amarem, si nullam pro uobis curam gererem, sinerem lolium, zizaniam & scelus crescere. Quod si uos ex hac mea admonitione dolorem cepistis uel mœrorem, uos estis in culpa, non ego. Vehementer tener est & infirmus, qui monẽtis uocem sine dolore ferre non potest, huius uos pudere debet. Multo enim maxime gaudere deberetis, talem uos habere apostolum, qui summa fide & constantia sceleribus obstare non cessaret, cuius affectus & amor erga uos, quo propensior est atq; uberior, hoc grauius discrucietur necesse est, si quid turpitudinis in uobis compererit.

4 Si quis autem contristauit me, non me contristauit, sed ex parte, ut non onerem omnes uos. Sufficit illi qui eiusmodi est, obiurgatio hæc, quæ fit à pluribus, ita ut econtrario magis donetis & consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur qui eiusmodi est.

Qui huiusmodi doloris uel mœroris causam dedit, non me tantum contristauit, sed aliqua ex parte duntaxat, cum mecum uos omnes contristauerit. Sed latentis supplicij est isti homini (neq; enim prodo nomen, & facinoris non libet meminisse, cuius pœnitet authorem) quod sic palàm in conspectu omnium correptus est, ac uitatus ab omnibus, datum est hoc sanãdo huic homini, cæterisq; deterrendis. Nunc superest, ne quid à uobis adijciatur mœroris afflicto, quin potius, qui peccantem horruistis, ijdem pœnitenti condonate, mœrentem consolamini, ne qua fiat, ut is immodico dolore absorbeatur. Hinc autem discamus, nobis quoq; modum adhibendum in plagis & plectendis sceleratis, ne immodico dolore ue-

xati

xati desperent. Ambrosius afflicto homini peccati proprij causa, subuenire præcipit. Quia pœnitentia si de uero animo est, hoc est, si correptus statim in animo doleat, protinus habet fructum. Denicp in Regnorum libro habetur, quia Achab cum arguisset eum propheta, cõmotus animo, statim meruit ueniam. Et Dauid, in causa Vriæ correptus, quia cognouit se peccasse, delictum eius deletum est. Itacp & Apostolus, illum qui incestum commiserat, habens uxorem patris sui, obiurgatum & abiectum, dolentem, reuocari iussit, ne diu uidens se contristatum sperni, desperans de se, daret animum ad mundo fruendum, quasi qui locum iam apud deum non haberet. Hoc est maiori tristitia absorberi desperãtem de se, conuerti ad admittenda peccata, quibus grauatus, absorbeatur à secũda morte. Hæc enim uera pœnitentia est, iam cessare à peccato. Sic enim probat dolere se sibi, si de cætero desinat. Hæc uerba Ambrosij contra seueritatem nimiam pœnitentiariorum, ne etiam immodica leuitas peccantes præcipitet.

Propter quod obsecro uos, ut confirmetis in illum charitatem. Ideo 9
enim & scripsi uobis, ut cognoscam experimentum uestrum, an in omnibus obedientes sitis.

Quo ualentior & robustior esset Pauli adhortatio, preces quoq; addit, nihil sibi priuatim tribuens, nec quicquã insolentius præcipiens, sed uigilantiæ suæ addit summam humilitatem & constantiã denicp. Obsecro, inquit, uos, ut quoniam illum charitate non odio condemnastis, nec in aliud condemnastis, q̃ ut resipisceret ac seruaretur, efficite, ut hic quoq; experiatur efficacem in se uestram charitatem, ut alacriter & amãter recipiatis correctum, quem mœrentes eiecistis. Nam hoc quoq; fuit in causa ut hasce literas uobis scribere, quo uidelicet experirer, an meis iussis in omnibus obtẽperetis. Obtemperastis condemnantes, quẽ iusseram condemnari; obtemperabitis & in gratiam recipietis, cui uolo uos esse reconciliatos, ut ubicp uestra uoluntas nostræ consentiat.

Cui autem aliquid donastis, & ego: nam & ego quod donaui, si quid 10
donaui, propter uos in persona Christi, ut non circumueniamur à satana, non enim ignoramus cogitationes eius.

Cui uos iam condonastis peccatum, eidem condono & ego, ratus mihi satisfactum, si uobis uidero satisfactum. Nam & ego condonaui atcp condono, idq; in conspectu Christi, hoc est bona conscientia, ne quis me leuitatis arguat. Non secus ego q̃ Christus ipse, spectator assistens, qui eidem indulget pœnitenti, cuius uenius est remittere culpam. Verum ecclesiæ tradidit, publicã quoq; posse se culpam & pœnam debitam remittere, quo minus semper contemnatur ut impius & scandalosus. Condonaui ergo eidem delictum uestra causa, Christo approbante & remittente, ne per desperationem, aliquem è uestris sibi satanas usurpet uobis ademptum. Nec enim ignoramus satanæ animum, qui nõ solum per uoluptates uerumetiam per mœrorem insidiatur nobis, illic ad flagitia pellicens, hic in desperationis barathrum præcipitãs. Prius nimium fuistis misericordes, quum ego uiderer seuerior, iam me indulgente propter pœnitentiam, quidam inter uos crudeliores ne sint. Vtrincp enim peccatur, & nimia indulgentia, & nimia austeritate. Modus ergo est adhibendus, & ipsa regula charitatis, considerando, ne & nos quoq; tentemur.

Cum ueniissem aũt Troadem propter euangelium Christi, & ostium 12
mihi apertum esset in domino, nõ habui requiem spiritui meo, eo quod

non inuenerim Titum fratrem meum, sed ualefaciens eis, profectus sum in Macedoniam.

Perstat in sui purgatione, quod ad eos, quemadmodum promiserat, non uenisset, quod hoc dei consilio, non leuitate actum sit. Cum, inquit, uenissem Troadem, pro euangelio illic prędicando, profecisceműq; in quibusdam electis, non defuerunt qui reclamarent, riderent & persequerentur. Quibus in reuincendis discolis & instituendis pijs, non sufficiẽtibus uiribus, Titi ministerio & auxilio plurimum indigebam collegæ & fratris, pro sustinendo negotio Christi, in quo laborabam tam instruendo fideles, q̃ incredulis repugnando. Itaq; dimissis illis, abij in Macedoniam, non sine graui periculo.

8 Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Iesu, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco.

Hoc est dñi apostolos triumphare in Christo, uictores illos facere in fide Christi, ut calcata perfidia trophęum habeat fides, dum ex perfidis fiunt fideles, & maleuoli non proficiunt, persequendo credentes. Odorem quoq; intelligit notitiam dei per Christum. Sicut enim quædam res, quæ cum non uideantur per odorem tamen cognoscũtur, & intelligis in loco aliquo esse quod non uides: ita & deus, quia inuisibilis est, per Christum se uoluit intelligi, ut prędicatio Christi deum patrem insinuaret creaturæ, & filium eius unigenitũ. Sic deus Christiani nominis triumphũ semper per nos circũfert & illustriorem reddit, indies latius coruscante euangelij gloria, quiq; nusquam locorum non spargit sui notitiam nostro prædicatione, ueluti thymiamatis suaue olentis uice uobis utens.

9 Quia Christi bonus odor sumus deo in ijs qui salui fiunt, & in ijs qui pereunt, alijs quidem odor mortis in mortem, alijs autem odor uitæ in uitam.

Euangelij gloriam ubiq; gentium prædicãtes, quid aliud q̃ Christi spargimus fragrãtiam? per se quidem gratam ac salutarem omnibus, sed multis, ipsorum uitio, exitiabilem. Salutarem ijs qui credentes euangelio, salutem consequuntur: mortiferam ijs qui reijcientes, mortis damnationem sibi conduplicant, pristinis flagitijs, ingratitudinis ac pertinaciæ crimen addentes. Qui enim apostolis prędicantibus non credebant, ipsi sibi laqueum circundabant: quo qui fideliter prædicant apostoli liberantur. Sicut dicit dominus ad Ezechielem prophetam: Tu prædica, si te audierint, lucraberis animas eorum: si quo minus, ipsi sibi uiderint, tu tamen liberaberis à perditione eorum. Et hæc in consolationem dicuntur eorum qui uerbum dei syncere prædicant, qui ueritatem & iustitiam asserunt: namli quantumuis sint synceri, fieri tamen non potest, quin aliquibus odio sint, aliquibus male oleant, ab alijs probantur & placent dicta, ab alijs reijciũtur & blasphemantur, iuxta testimonium Symeonis de Christo, Luc. 2.

10 Et ad hæc quis tam idoneus? Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes uerbum dei, sed ex synceritate, sicut ex deo coram deo in Christo loquimur.

Commoda est præoccupatio eorum qui obijcere potuerunt, Tũne idoneum te ad ingens hoc negotium censes? Respondet Paulus, Ego de idoneitate mea nihil me iacto, sed de fide glorior: fidus sum in negotio mihi cõmisso, nec facio aliorum more, qui cauponantur uerbum dei, humana permiscentes diuinis, & stercore, fœdisq; odoribus uerbum domini uitiãtes. Syncero enim pectore sum, maq;

maq; cum fide uerbum dei ex deo profectum prædico, non in alicuius gratiã nec odium, non minis aut metu à prædicatione ueritatis absisto, non quæstum, non gloriã uenor, sed sic ago omnia, ac si deus ipse iudex incorruptissimus coràm assistat, & omnia intuetur, non aliud spectans, nisi Christi gloriam, ipso quoq; teste & adiutore.

CAPVT III.

INcipimus iterum nosmetipsos commẽdare? Aut nunquid egemus (sicut quidam) commendatitijs epistolis ad uos, aut ex uobis?

Sic aiebant pseudapostoli, Nónne uidetis Paulũ nihil aliud agere, q̃ sese commendare? cur toties scribit, nisi ut sese apud uos magnifaciat? Occurrit his Paulus, dicẽs, Rursus meipsum cõmendo, ut dicunt uestri apostoli. Quasi uero commẽdatijs epistolis apud uos egeamus, aut ut à uobis & uestris epistolis apud alios cõmendemur? Epistolis huiusmodi nihil opus est nobis, opus ipsum quod operati sumus cõmendet nos. Corinthũ urbem tot uitijs & sceleribus obrutã, tot delicijs & uoluptatibus absorptam, per euangelij prædicationem è faucibus diaboli eripuimus, atq; ad Christum conuerti, à uitæ impuritate ad puritatem & innocentiam traduxi. Qui prius idolis & dæmonibus seruierunt, ad uerum unius & ueri dei cultum pertraxi: ita ut qui prius à cognitione dei alieni erant, iam in omni sermone & cognitione ditati sint, ut etiam eorum fides cæteros ad cognitionem dei pelliciat. Hæ sunt literæ quas pro mei commendatione, sicubi opus est, depromo atq; demonstro. Nihil moramur epistolas huiusmodi. 1

Epistola nostra uos estis, scripta in cordibus nostris, quæ scitur & legitur ab omnibus hominibus, manifestati, quoniam epistola estis Christi, ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed spiritu dei uiui: non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. 2

Viua epistola qua satis nos commendari putamus, uos estis Corinthij, cordibus nostris inscripta, quo facilius ubiq; mecum circunfero. Ea passim intelligitur & legitur ab omnibus hominibus, ut iam alijs epistolis non sit opus, quando per uestram pietatem satis testatũ est omnibus quales fuerimus apostoli, & de uestro in nos animo sic confidimus, ut officio commendato, per nosipsos non egeamus hominum commendatitijs epistolis, dum syncerítate fidei uitaq; euangelica declaratis quod sitis epistola Christi, ab illo quidem scripta, sed nostro ministerio: scripta uero non atramento, quales sunt quas scribunt homines humana docentes, sed spiritu dei uiuẽtis scripta: neq; rursus inscripta tabulis saxeis, quemadmodum inscribũtur leges humanæ, sed tabulis cordis carneis. Animi uestri, quibus euangelicam doctrinam impressimus, nobis membranæ uice fuerunt, lingua calami, sed Christus ipse dictauit per suum spiritum quod scriberemus. Cęterũ quo præstãtior est euangelica doctrina quàm lex Mosaica, hoc potior est nostra quàm illius opera. His autem uerbis occulte fidem illorũ pudoris opprobratione quasi excitat & extimulat. Quasi diceret: Si fideles estis, fidei dignis fructibus ostẽdite uos meos esse discipulos non pœnitendos, & hac laude abunde contentus ero. Sed & cor carneum in bonam hic partem capitur, pro docili & commode obtemperanti, ut opponatur lapideo peruicaci & contumaci. Alludit autem Apostolus ad legem Mosaicam, quæ in tabulis lapideis exarata erat, euangeliũ uero inscriptum cordibus uirtute spiritus sancti.

3 Fiduciam autem talem habemus per Christum ad deum, non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex deo est.

Non arroganter, sed uera & syncera conscientia glorior, euangelium per me uobis esse prædicatum, non quod mihi hinc gloriam uendicem, aut quod me ad hoc munus idoneum censeam & sufficientem. Si enim idoneus sum, ex deo idoneus sum, non ex meipso, qui ne cogitare quidem quicquam possim, ne dicam efficere. Christus autem est, qui nostro ministerio usus, peregit quod factum est. Quicquid enim ualuimus & egimus, dei beneficio ualuimus ac ualemus. Profertur hæc sententia elegans aduersus eos, qui iustificationẽ & meritoria opera, uel quæcunq; bona opera humanis tribuunt uiribus, qui in hunc finem defendunt liberum arbitrium, & gratiæ præponunt meritum.

4 Qui & idoneos nos fecit ministros noui testamẽti, non literæ, sed spiritus. Litera enim occidit, spiritus autem uiuificat.

Quicquid in gloriam dei profecimus, à domino id conficiendi uirtutem accepimus, cuius gratia facti sumus ministri, quibus adest laborantibus, & adfuit semper, munusq; hoc dispensandi noui testamenti nobis delegauit, ut uobis impartiremur: non quidem testamentum iam uetus, quod crassum est, & in litera situm, timoris plenum, cuius administratio Mosi credita est, sed nouum, quod spirituale est ac cœleste, plenum charitatis & gratiæ, in synceris situm affectibus, non cæremonijs. Ambulant autem in uetustate literæ, quorũ corda spiritus sanctus non animauit amore legis, qui uel nondũ onus conscientiæ sentiunt, & fidem adhuc nesciunt, uel sese iustificare conantur operibus externis qualibuscunq;, fide destituti in Christum. In nouitate autem spiritus ambulant & uiuunt, qui omnia ex fide dei in deum sancta operatione diligunt & sectãtur ex amore dei & iustitiæ, non ex timore. Est enim spiritus, uita & efficacia sancti spiritus, in cordibus credentium se deo, dum spiritus hominis uiuit, & amans est dei, & uoluntatis ipsius, atq; deoq; legis ipsius, in qua complacet sibi, quam amplectitur, ut sibi utilissimam & sacrosanctã, unde & proximum diligit, paratus sponte benefacere omnibus propter deum. Orditur autem hic Paulus collationem noui & ueteris testamenti, postquam præfatus fuerat, non iam legem prædicari, sed gratiam. Quasi diceret: Ministerium Mosis & prophetarum est, prædicare legem, indicare præcepta, incutere timorem, terrere conscientiam, peccata manifestare, damnare hominem iniustitiæ coram deo, iudicium dei pronunciare. Ministerium autem noui testamenti & Christi est, prædicare euangelium, exhibitum Christi mysterium, & remissionem peccatorum, collatam in Christi iustitia, suscitare fiduciam in bonitatem & gratiam dei, conscientiam exhilarare, spem recuperare, ex charitate moueri ad opera legis quæcunq;, etiam ceremonialia, propter dei beneplacitũ, nullam tamen iustitiam propriam agnoscendam, sed tantum eam quæ Christi est, & nobis promissa & exhibita. Dicitur ergo litera legis occidere, dum admonet præceptum dei, de non concupiscendo, eum qui se agnoscit plenũ concupiscentiarum, unde cogatur exhorrescere iudicium dei iusti, deiq; iustissimi. Spiritus autem uiuificat, dum pater cœlestis suo spiritu & gratia imbuit cor hominis conturbati, ut agnoscat dei misericordiam, humano generi promissam & exhibitam in Christo dilecto filio suo, unde & reficitur & exhilaratur desperabunda conscientia. Hunc ius ministrum se esse dicit Paulus, in quo fruitur bona conscientia, cum fide & summa libertate explens domini uoluntatem.

Quod

Quod si ministratio mortis in literis deformata in lapidibus, fuit in 5
gloria, ita ut non possent intendere filij Israel in faciem Moysi, propter
gloriã uultus eius quæ euacuatur, quomodo non magis ministratio spí-
ritus erit in gloria?

Administrationem mortis & condemnationis, legem uocat, quæ docet & o-
stendit, nos mortuos esse & condemnatos. Administrationem uero iustitiæ, gra-
tiam uocat, quæ iustitiam subministrat, non nostram, sed iustitiam Iesu Christi,
quæ nostra facta est, nam illam euangelium prædicat & apostoli. Lex ergo pecca
tum, mortem & condemnationem ostendit: euangelium uero, gratiam, uitam &
iustitiam donat. Maior ergo gloria & maiestas euangelij, quod nos prædicamus,
quũ sit, cũ legis per Mosen exhibitæ: quumq; lux sit æterna ac uiuifica, cuius com
paratione legis gloria ne gloria quidem est, multa libertate & claritate utimur in
dicendo, siue uestris sceleribus obsistendum sit, siue authoritas mea adserenda.
Cur enim aut cælarem, aut quæ uera esse agnosco, non libere proloquerer? Mo-
ses uelum super faciem ponebat, obcæcationem nimirum Iudæorum significãs,
nos lucis ministri, clare & retecte omnia exponimus. Interim non est diuersus au
thor, qui delegauit uetus & nouum testamẽtum, sed est diuersa functio, at longe
præstantior apostolica. Nam litera quæ Mosi credita est, legibus præscriptis mor
tem minatur, & occidit non obseruantes, simulq; per occasionem irritat peccan-
di libidinem in carne, & peccantem quoq; punit capitis supplicio. Contrà, spíri-
tus, qui per euangelicam doctrinam confertur, & conscientiæ solatium spondet,
cõdonatis per fidem in Christum omnibus superioris uitæ commissis, uitã offert
mortem commeritis. Quod si lex illa prior quæ literis insculpta saxo, mortem ad-
ferebat præuaricatori, gratiã non conferebat, sed promittebat in Christo, tantum
tamen maiestatis habuit & gloriæ, ut cum iterum tabulas adferret Moses, Hebręi
non possent intueri uultum eius, ob dignitatem ac maiestatem, quæ tamen erat
aliquando peritura. Cur non potius euangelicę functioni sua dignitas erat ac ma
iestas, qua per fidem & spiritus benignitatem æterna salus confertur, in Christo
domino iustitia & salute peracta?

Nam si ministratio damnationis in gloria est, multo magis abundat 6
ministerium iustitiæ in gloria.

Si tantus honor fuit legi, quę damnare potuit, seruare non potuit, longe plus
honoris meretur euangelium, per cuius prædicationem non solum aboletur pec
catum, uerumetiam iustitia confertur. Quibus in rebus tantum est discriminis,
ut si quis propius cõferre uelit, quod per se magnificum fuit, nihil omnino digni
tatis habere uideatur, uelut obscuratum eminenti gloria dignitatis euangelicæ.
Quamuis & ipsa suam habuerit lex semper gloriam, sed nõ in Mose & operibus,
sed in Christo & iustitia ipsius. Fidei autem iustitia, non est alia ueteris legis obser
uatoribus sanctis, q̃ noui testamenti alumnis. Christus enim heri & hodie &c.

Nam nec glorificatum est quod claruit in hac parte, propter excellen- 7
tem gloriam: si enim quod euacuatur, per gloriã est: multo magis quod
manet, in gloria est.

Si cum inefficax lex esset ad iustificandum, adeoq; abolenda, tam multiplici-
ter tamen glorificata est, luce circa Mosen circunfusa, populo defenso contra Ae
gyptios, Arabas & Chananæos, cur non speremus glorificandos nos qui euan-
gelio credimus? Cũ legis populo sic egit deus, ut manifestis eum operibus coram

mundo glorificaret: cum populo euangelij sic agit, quasi sit eius oblitus, affligi & trucidari sinit. Talibus ergo argumentis, sanctorum conscientias erigit Paulus. Si, inquit, lex quæ ad certum modo tempus data est, mox antiquanda iuxta literam, tantum habuit apud homines dignitatis, multo plus dignitatis habet euangelica lex, quæ ut omnibus datur, ita nunquam est abrogãda. Siquidem nouum testamentum, quo uetus antiquatur, æternum dicitur à prophetis & Christo.

8 Habentes igitur talem spem, multa fiducia utimur: & non sicut Moyses ponebat uelamen super faciem suam, ut non intenderent filij Israel in faciem eius, quod euacuatur, sed obtusi sunt sensus eorum.

Huius rei certissima persuasione freti, non utimur inuolucris, sed libere & palàm euangelij lucem ingerimus, confisi & eam esse gloriam huius legis, ut cælari non debeat: & uos esse ea firmitate puritateq; mentis, ut intueri possitis. Proinde nõ facimus quod à Mose factum legitur, qui cum post priores tabulas diffractas, secundas inferret, uelo faciem texit, ne in hanc oculos defigerent Israëlitæ, néue illic hærerent perpetuò, cum uel hoc argumento significaretur eis abolendam illius legis gloriam, quæ ne tum quidem fulgebat gloria cum ferretur, nam frustra glorioſum est quod cernere nõ licet. Hic typus illius populi crassitudinem depingebat, qui uidens non uidebat, & audiens non audiebat, ut quod in Mosi facie gerebatur, id in illorum mentibus ueriſſime gereretur, quas uelut hebetudinis uelo obtectas, habebant excæcatas. Est autem egressio tacita, qua Paulus omnia legis Mosaicæ exteriora reijcit, taxatq; eos qui ad opera legis pellicíebant, aut qui ceremonijs legis digladiabant. Aliter exponitur. Habemus spem glorificandi euangelij, uti confidimus. Quare? quia efficax uerbum & iustificans coram deo, prædicamus. Moses enim prædicabat uerbum inefficax, & non iustificans corã deo. Adeoq; non aliud dicit nisi quod supra, Sumus ministri spiritus, non literæ: prædicamus quiddã potentius uerbo Mosi. Quod uero Moses dicitur uelasse faciem, castigatione corrigit. Quasi diceret: Non Moses uelatus erat, sed corda eorum excæcata sunt, quia eadẽ lex aliter à sanctis priscis, aliter à non sanctis est intellecta.

9 Vsq; in hodiernum enim diem idipsum uelamen in lectione ueteris testamenti manet, non reuelatum, (quoniam in Christo euacuatur) sed usq; in hodiernum, cum legitur Moyses, uelamen positum est super cor eorum. Cum autem conuersi fuerint ad dominum, auferetur uelamen.

Velum super faciem Mosis, significabat Christum adhuc non esse retectum. Et adhuc hodie idem tectorium manet, nec retectum est Iudæis, carnalia tantum sapientibus, & gloriam sæcularis regni, tametsi per Christum retectum sit: fidelibus, inquam, non solũ aũt Iudæis, sed & his qui Christi nomine gloriantur, ceremonijs tamen Iudaicis & rebus externis fidentes, nam ijdem non Christiani, sed pleriq; Iudæi sunt. Qui uero Christum ueram lucem clare cognoscunt, illis omnis tenebra discussa, & omne uelum ademptum est in lectione ueteris instrumenti. Nemo non errat, qui Christum nõ adhibet. Qui Christũ recte didicit, face fidei præeunte, nusquam aberrabit, quantumuis tenebrosa & obscura quædã uideantur. Iudæos quidem manet uetus illa cæcitas, ut cum legem quidẽ legant, non tamen intelligant, quia Christum legis studio pertinaciter reijciunt, cuius aduentu lex ceremonialis sese testatur antiquandam. Ideo uetus legentes, & nouum reijcientes testamentum, promissa credẽtes, impleta respuentes, uelum retinent, necessario perfidi, inuolucrũ legis tenentes mordicus, legẽtesq; in synagogis, sed cassæ non

non ſpectant niſi corporalia, cum lex ſit ſpiritualis, & regnum Chriſti æternum, uniuerſale & ſpirituale, neceſſario diuinũ eſſe oporteat & cœleſte. Velamen autem illud per fidem euangelij tollitur. Verum ſi quando & illi relicta craſſitudine mentis & amore carnalium, communem fidem amplexi fuerint, ſeſeq; conuerterint ad dominum, tunc auferetur uelamen, quo cernant ea, quæ non cernuntur, niſi purgatiſſimis oculis fidei.

Dominus autem ſpiritus eſt, ubi autem ſpiritus domini, ibi libertas. 10
Nos uero omnes reuelata facie gloriam domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à domini ſpiritu.

Moyſes corporalis erat & craſſus, at dominus Ieſus ſpiritus eſt, non ea docẽs quæ corporeis cernuntur oculis, ſed inuiſibilia quæ per fidem credantur. Moſaica lex quoniam metu ſupplicíorum continebat populum in officio, ſeruilis erat, & uelum quoq; ſeruitutis eſt indiciũ, at ubi ſpiritus domini Ieſu, qui ſecretos addit ſtimulos, ut iniuſſi quoq; feramur ad officia pietatis, ibi libertas eſt. Nullus ad fidem compellitur, at qui uere credit, ultro uitat turpitudinem, innocentiam amplectitur, ac longe plus præſtat uolens impetu charitatis & fidei, quàm à Iudæis unquam potuerit extundi metu pœnarum. Cæcutiunt igitur illi, qui fidei carent oculis, nos recta facie per ſynceram fidem domini gloriam intuemur, cuius fulgorem dum ſpeculi ritu excipimus, quodammodo transformamur in eandem gloriam uel imaginem, in alios transfundẽtes fulgorem à domino acceptũ. Quemadmodum olim Moſi facies ex colloquio dei ceu ſpeculum ex obiectu Solis reluxit: ita noſter animus ſecretis incrementis indies magis ac magis afficitur, ac proficit à gloria in gloriam, ob familiaritatem dominici ſpiritus, agentis iam nunc inuiſibiliter in nobis, quod olim palàm perficietur. Quicunq; enim dei immenſam bonitatem ac miſericordiam, qua nobis proprium filium exhibuit, recte perpendit, noua quadam luce diuina perfunditur.

CAPVT IIII.

IDeo habentes hanc miniſtrationem, iuxta quod miſericordiam 1
conſequuti ſumus, non deficimus, ſed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in aſtutia, neq; adulterantes uerbum dei, ſed in manifeſtatione ueritatis, commendantes noſmetipſos ad omnem conſcientiam hominum coram deo.

Cum miſericordia dei nos tam inclytæ felicitatis præcones & miniſtros eſſe uoluerit, delegata functione apoſtolica, non ſegniter quod mandatũ eſt obimus, ſed ut uere rem glorioſam prædicamus, ita reiecimus inuolucra, quæ dedecori congruunt, non gloriæ, non per aſtutiæ fucos uitam agentes, neq; per humanæ doctrinæ uafriciem inſyncere tractantes ſermonem dei, ſed propalam ac libere, citraq; fucum omnem omnibus patefacientes ueritatem nudam, nullo uelatam nubilo. Ita nos gerentes in hoc officio, ut ipſa uita noſtra citra humanam cõmendationem nos commendet apud omnes homines, teſtes & conſcios ſynceritatis noſtræ: nec apud homines modo, qui falli poſſunt, uerumetiam apud deum, qui nihil non perſpicit. Quod autem Paulus fidit in dominum de promiſſis, quod fortiter fert aduerſa, quod nõ deficit in miniſterio, totum hoc non humanis deputat meritis, ſed miſericordiæ dei, quæ hominem primum quidem abluit, deinde iuſtificat, adoptione filiorum dei certificat & gloriæ. Omnia ergo turpia & polluta

amouenda ſunt, ne fiant uel cogitentur, ut huiuſmodi gloriæ digni reddamur, multo magis infidelis doctrina uitetur, pro qua in die iudicij coarguamur coram deo & eccleſia, de aſtutia malæ mentis, qua quidam adulterant doctrinam ueritatis contra conſcientiam ſuam, & domini dei commiſſionem.

2 Quod ſi etiam opertum eſt euangelium noſtrum, in ijs qui pereunt eſt opertum, in quibus deus huius ſæculi excæcauit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio euangelij gloriæ Chriſti, qui eſt imago dei.

Sic autem eluceſcit per nos euangelij ueritas, ut nulli non ſit cõſpicua. Quod ſi ſint adhuc quibus non patet, & ideo non confert ſalutem, ipſorum id uitio fit, non euangelij neq; noſtro. Siquidem quemadmodum de Iſraelitis dictum eſt, ita hij quoq; uelum habent cordis oculis impoſitũ, ne quæ per ſe clariſſima ſunt cernant, ac uelut in medio Sole caligent, nam ſecum adferunt oculos impuros, & mundanis cupiditatibus uitiatos, quibus ſatanas, huius ſæculi deus (nam deum illum ſibi faciunt, qui huic magis auſcultãt, q̃ deo uero) excæcauit mentes incredulorum, obtectis illorum oculis, ne poſſit illic illuceſcere lumen ueritatis euangelicæ, per quam declaratur gloria maieſtas q̃ non Moſi, ſed Chriſti, qui eſt imago dei patris, ut per filiũ æqualem & patrem liceat cognoſcere. Maligne ergo agebant, qui negant ſeſe intelligere quæ Paulus prædicabat, planè infideles, & à ſatana excæcati. Sic enim illuceſcit lumen euãgelicum pijs infuſum mentibus, ut eos ingenti gaudio ac conſolatione afficiat, impiorum autem oculos iuſto dei iudicio percellit & perſtringit. Cum enim mali uoti ſint, ſponte quæ uera intelligunt, falſa eſſe dicunt, ſic quoq; inuertitur eorum ſenſus malitia, ne credere poſſint quod uolunt.

3 Non enim noſmetipſos prædicamus, ſed Ieſum Chriſtum dominum noſtrum, nos autem ſeruos ueſtros per Ieſum.

Neq; iuxta quorundam morem noſipſos prædicamus, ad noſtrum quæſtum aut gloriam attenti, & tradentes euangelium, ſed prædicamus Ieſum Chriſtũ dominum noſtrum, huius dogmata tradimus, non noſtra: huic ceu domino laboramus, quicquid laboramus, nobis adeo nihil arrogantes, ut nos fateamur ueſtros eſſe ſeruos, miniſtrantes uobis in euangelio, non metu ueſtri, aut ſpe compendij, ſed propter Ieſum, cuius amore, cum ſimus liberi, noſmet omnibus ueluti ſeruos ſubijcimus, ad gloriam communis domini noſtri, qui & ipſe dicit: Ego ſum in medio ueſtrum, non ut miniſtrer, ſed ut miniſtrem, non merito horum quibus miniſtrat, ſed propter imperium domini, tantum abeſt ut ſuæ gloriæ ſtudeat.

4 Quoniam deus, qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris, ad illuminationem ſciẽtiæ claritatis dei in facie Chriſti Ieſu.

Eleganter adumbrat nos in tenebris & umbra mortis fuiſſe, lucem & uiam ueritatis ignoraſſe, deum autem noſtri miſertum, qui eſt omnis lucis parens, è ſupernis demiſiſſe filium ſuum ueram lucem, quæ noſtras diſcutiat tenebras, cæcitatem omnem propellat. Laborauimus, inquit, & ipſi quondam eadem cæcitate, qua laborant adhuc quidam. Nec ipſi nobis hanc lucem peperimus, ſed deus cuius iuſſu primum cõdita eſt lux, à quo proficiſcitur omne lumen, diſcuſſis animi noſtri tenebris, iuſſit illic emicare lumen ueritatis, quin ipſe potius, ut eſt æterna lux, illuxit cordi noſtro, quo per nos deinde latius apud omnes eluceſceret ipſius maieſtas, innoteſcens per euangelij prædicationem, quo dominum Ieſum prædi-

camus,

camus, in cuius facie clarissime refulget imago gloriaq; patris. Qui enim Christum recte norunt, facile uidẽt eum claritatem dei esse. In facie Mosis non resplendebat gloria dei, sed gloria literæ: in Christo autem resplendet potẽtia & bonitas dei, unde illuminantur credentes.

Habemus autem thesaurum istum in uasis fictilibus, ut sublimitas sit 7
uirtutis dei, & non ex nobis.

Lux euangelicæ claritatis in Christo tanta res est, & animis tantum geritur, cum iuxta corporis speciem abiecti miseriq; uideamur, & thesaurum tam pretiosum circunferimus in fictilibus uasculis, hoc est, in corpusculis, afflictioni contumeliæq; obnoxijs, sic deo uisum est, nec temere uisum est. Nam illud cauit, ne forte beneficij magnitudine ac miraculorum, quæ per nos geruntur elati, nobis aliquid hinc uendicaremus, sed cõscij nostræ imbecillitatis intelligeremus eminentem illam potentiam quæ data est apostolis, non esse nostratum uirium, sed solius dei, ut eminentia uirtutis eius appareat per homines prædicatores: qui cum humiles & imperiti essent, acceperunt à deo potestatem loquendi, & agendi magna lia. Fictilia ergo uasa dicens, infirmitatem naturæ humanæ significat, quæ nihil potest nisi à deo acceperit uirtutem, cui soli debetur honor & gloria.

In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporia- 8
mur, sed non destituimur: persequutionem patimur, sed non derelinquimur: humiliamur, sed non cõfundimur: deijcimur, sed non perimus: semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circunferentes, ut & uita Iesu manifestetur in corporibus nostris.

Quotidie quidem per nostram imbecillitatem malis affligimur, sed dei præsidio in perferendis malis perduramus inuicti. Dum modis omnibus premimur quidem aduersis rebus, at non anxij reddimur. Redigimur ad egestatem, at non destituimur in egestate. Persecutiones patimur, at non in persecutione deserimur. Deijcimur & conculcamur, at sic, ut tamen non pereamus, & hac in parte pro uiribus dominum Iesum quem prædicamus imitantes. Is semel mortuus est pro omnibus, nos quotidie mortis periculis expositi, ueluti mortem illius in corpore nostro circunferimus, uitam hanc uobis impendentes, ut quemadmodum morientes pro uobis Iesu mortem imitamur: ita uita quoq; Iesu, qua mortuus reuixit, declaretur in nostro corpore, siue dum per illum eripimur à morte, siue dum contemptu corporis, uita palàm testamur & asserimus corporũ resurrectionẽ. Neq; enim tam uilis esset nobis uita corporis, si crederemus semel extinctũ nunquam reuicturum: nunc autem si cum Christo crucifigimur, & aduersis multis quotidie in mortem cum eo sepelimur, proculdubio & resurrectionis eius participes erimus.

Semper enim nos qui uiuimus, in mortem tradimur propter Iesum, 9
ut & uita Iesu manifestetur in carne nostra mortali, ergo mors in nobis operatur, uita autem in uobis.

Prædicare euangelium Christi, aliud non est, q; ob ueritatem semper stare in procinctu bellico, ut sic manifestet in nobis uita Christi. Prædicatoribus em̃ uerbi non solum mortis periculum, sed & mors ipsa quotidie imminet. Hoc tamen eos erigit & consolatur, quod sciunt se aut à morte eripiẽdos, aut etiam si neci dandantur, perpetuò uicturos, imò in morte ipsa uitam inuenturos sibi, auditoribus autem fructum & uitam. Propter hoc enim nouo quodam modo uita Christi im-

immortalis per afflictionem corporis nostri morti obnoxij, nobis fit testatior, ac mortis quidem impetus in nostrum impingit caput. Cæterũ uitæ fructus, qui nascitur ex morte nostra, ad nos redit, quorũ gratia nos hic malis exponimur. Non est ergo mors timenda illis, qui habent promissam sibi uitam æternam.

8 Habentes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum est: Credidi propter quod loquutus sum, & nos credimus, propter quod & loquimur, scientes, quoniam qui suscitauit Iesum, & nos cum Iesu suscitabit, & constituet nobiscum.

Non ob quotidie nobis impendentem mortem, nos pœnitet euangelij. Siquidem cum donum fidei, qua futuram immortalitatem speratis, quod per nos animis uestris infusum est, idem habeamus & ipsi: fit, ut quemadmodum Dauid in Psalmo mystico testatur, se ideo loqui quod crediderit: ita nos nostra fiducia freti, non dubitemus cum capitis periculo prædicare ueritatem euangelicam, certi nimirum, quod qui suscitauit à morte dominum Iesum, nos quoq; pro illo mortuos, per illum suscitaturus sit, simulq; uobiscum exhibiturus in communi resurrectionis gloria, quo hic copulat fides communis, qui spiritum eundem hauserit in Christo per euangelium.

9 Omnia em̃ propter uos, ut gratia abundans, per multos in gratiarum actione abundet in gloria dei.

Siue affligimur, siue liberamur ab afflictione, omnia uestra causa fiunt, quo latius apud uos spargatur euangelij ueritas: & quo plures resipiscunt, hoc plures agant gratias, non nobis, sed deo, ad cuius gloriam pertinet, ut fides, quam omnibus communem esse uoluit, q̃ latissime propagetur. Nam quo Christi cognitio, patrisq; cœlestis beneficium in electos, per Christum mũdo exhibitum pluribus innotescit, hoc illustrior & clarior redditur gloria dei. Illa autem uera est dei gloria, uereq; illum tunc colimus, quum eius beneficia agnoscimus, ipsi fidimus atq; grati sumus.

10 Propter quod non deficimus, sed licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renouatur de die in diem.

Hac spe atq; hoc animo freti, nullis malis delassamur, imò potius inualescimus, haud ignari, quod licet exterior nostri pars corpus, quotidianis laboribus paulatim cõficiatur, tamen animus interior ac melior nostri pars, indies deficiente corpore, uegetior fiat ac ualentior, ueluti malis ipsis repubescens, ac futuram immortalitatẽ præsentiens. Fingit autem Apostolus duos esse homines in eodem homine. Externum constantem sensibus, qui ducatur suis affectibus, & sit mortalis: internum quoq; nouam creaturam, regeneratum opera spiritus sancti, attentum ad uerba domini, & omnia sua dirigentem ad præscripta sancti spiritus. Exterior ergo homo diuexari, opprimi & occidi potest: interior autẽ per fidem & gratiam etiam in afflictionibus repubescit, & est immortalis. Deinde afflictiones externi hominis extenuat, oppositis præmijs, dicens:

11 Id enim quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ uidentur, sed quæ nõ uidentur.

Corporis afflictio, quã euangelij gratia suscipimus, leuis est & momentanea, sed hæc leuis afflictio non leue pondus, imò pondus ineffabile gloriæ parit in nobis,

bis, dum ob leuem afflictionem pro Christo susceptã, summa felicitate digni reddimur, & temporaria mors pro Christo obita, parit nobis præmium immortalitatis æternæ, cuius spe fulti, corporis uitam pro nihilo ducimus, haud spectãtes ista quæ uidentur oculis corporeis, sed ea quæ non uidentur, nisi oculis fidei. Opponit itaq; momẽtaneo æternum: leui, pondus: afflictioni grauissimæ supra modũ, præcellentem gloriam in cœlestibus. Tametsi uero grauis uideatur carni afflictio, fidelibus tamen leuis est & momentanea, quod sancti hanc conferant cum gloria reuelanda tandem supra modum gloriosa.

Quæ enim uidentur temporalia sunt, quæ autem non uidentur æterna sunt. 12

Quæ in hac uita cernuntur, præterq; quod nec uera sunt bona, nec uera sunt mala, quod genus sunt lucrum, honos, uoluptas, uita, damnum, ignominia, cruciatus, mors, nec diuturna sunt, cum ea quæ cernuntur oculis fidei sint ut uera, ita & æterna. Aeternum deum intelligit qui inuisibilis est. Inuisibilem ergo pro æterno ponit, per antonomasiam.

CAPVT V.

SCimus enim quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationẽ ex deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis. 1

Fiducia cœlestium & æternorum freti, uitam quoq; uilem habemus, certo scientes, quod etiam si contingat in terris animam excuti ex huius corpusculi domicilio (quod tabernaculum dixerim uerius q̃ domicilĩũ, ut in quo non liceat commorari diutius, quamuis absit qui exigat) paratã esse domum aliam in cœlis, unde nunquam ejiciendi. Hæc domus quoniam lutea est, & ab homine condita, uelimus nolimus, indies collabitur, ut nemo demoliat, nõ aliter atq; cernimus ædificia, quæ manibus hominũ cõstruuntur, uetustate corrũpi. Quod ab hominibus conditum est, non potest esse diuturnum. Quod à deo restitutum est, iamq; cœleste factum, non sentit temporis iniuriam. Illud ergo sperantes, quia promissum à domino, magnanimiter omnes afflictiones & mortem ipsam perferamus. Cur enim fugeremus, quod nos hoc ruinoso tabernaculo eximit, cœlesti inducit?

Nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram quæ de cœlo est, superindui cupientes, si tamen uestiti & non nudi inueniamur. 2

Ex hoc corpusculo adeo non horremus emigrare, ut hic interim suspiremus, optãtes exonerari sarcina mortalis corporis, quo grauatur in terris animus, alioq; gestiens euolare, & glorificati corporis domicilio tegi, quod nobis redditur è cœlo commutatum, si tamen hoc exuti corpore, non omnino nudi reperiamur, sed ex bonæ uitæ conscientia uel fiducia spe immortalitatis amicti, assequuturi meliorem & excellentiorẽ uitam, ut mortalitas hæc ab immortalitate absorbeatur. Hęc autem gloria non nisi dignis contingit.

Nã & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati, eo quod nolumus expoliari, sed superuestiri, ut absorbeatur quod mortale est à uita. Qui autem efficit nos in hoc ipsum, deus, qui dedit nobis pignus spiritus. 3

Ingemiscimus interim hoc onerati corpore tot malis obnoxio, non quod per se felix sit hinc emigrare, sed quod optemus hoc corpus in melius restitui, proq; mortalitate dari immortalitatem per resurrectionem, ut non expoliari corpore,

quod ad tempus posuimus, sed melius uestiti uideamur eodem, quod pro caduco recipiemus æternum. Nec est quod diffidamus, quamlibet incredibile uideatur, ut pro mortali corpore resurgat immortale, nullis obnoxiũ iniurijs, deus est qui nos in hoc ipsum parauit, ut immortalitatis gloria perfruamur, atq; idem interim pignoris & arrabonis uice spiritũ nobis suum impartijt, qui spem futuri præsenti confirmet afflatu. Clarius: Vt uitam assequamur æternam efficiet deus: quod autem efficere uelit, arrabone dato, fidem suam testatus est.

4 Audentes igitur semper & scientes, quoniam dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à domino, (per fidem enim ambulamus, & non per speciem) audemus autem & bonam uolũtatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad dominum.

Quicquid inciderit tempestatum, semper animo impauido & fidenti sumus, non ignari, quod quãdiu domi sumus, in hoc corporis habitaculo peregrinamur à domino, ac ab eo diuulsi sumus, cui nos propius iungit exitus & mors ipsa: non quod interim deus non adsit nobis, sed quod nondũ clare cernatur, quemadmodum tunc conspicietur. Nam interea conspicitur utcunq; per fidem, sed ueluti e longinquo, tunc comínus ut est uidebitur, non per inuolucrum. Confidimus igitur, etiamsi uelit nos deus in corpore diutius affligi, facile feremus spe futuri præmij quicquid obtigerit. Sed tamen optabilius est nobis, si contingat ex hoc domicilio demigrare, ut diuulsi à corpore, deo comínus cõiungamur. Stulti ergo sunt, qui sic corpusculũ fragile amant, quasi domi iam sint, quum peregrini hic simus, non incolæ, & futuram inquiramus ciuitatem ac patriam. Vbiq; quidem est deus, minus, imò omnia in deo sunt: sed quia sedes dei in cœlis est, & illic semper uidetur, ideo hic positi, ubi non uidetur, peregrinari à domino dicimur: quando enim eum non uidemus, licet præsens sit, tamen absentes ab eo sumus. Hæc Ambro.

5 Et ideo contendimus, siue absentes, siue pręsentes placere illi. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisq; propria corporis, prout gessit, siue bonum siue malum.

Vox hæc est fidelium, non impiorum, quotidie enim student & contendunt sese innocentia & beneficentia superare, ut illi placeant, cui se totos dederunt. Illi nihilominus adhuc terrẽtur seueritate diuini iudicij. Sunt enim semper in populo, qui quum à teneris deum uindicem esse malorũ suorum sint edocti, plus metuunt q̃ ament, istis sæpe lex est inculcanda, & iudicium dei obtrudendum. Sensus ergo est, Enitimur magnopere, ut siue cogamur perdurare in hoc domicilio, siue quod optamus cõtingat emigrare, hoc est, siue uiuentes siue morientes, deo probemur. Neq; enim sperare potest immortalitatis præmiũ, nisi qui deo gratus hinc abscesserit. Ne quis existimet ad id sibi sufficere baptismum, absq; pijs factis, siquidem impij suo malo recipiũt sua corpora, quibus hic non ad gloriam dei, sed ad suas cupiditates sunt abusi. Pro meritis uitæ continget cuiq; suum præmium. Ea nondũ in propatulo sunt, sed tamen oportebit nos omnes palàm sisti ante tribunal Christi, ubi nihil erit opertum, quo quisq; messem metat, prout sementem fecit in corpore, siue bona siue mala. Hoc est, iuxta fructus fidei aut infidelitatis: non quod proprie merces sit operum talis, sed gratiæ & electionis diuinæ, quicquid datur sanctis. Quod autẽ tam Christus ipse q̃ apostoli operibus bonis eandem pollicentur, malis pœnam minantur, morem obseruãt, quem prudens pater familiâs filiorũ perspecto ingenio, alios promissionibus allicit, alios pœnarum metu

metu terret. Porrò fides electionis, perfidia reprobationis, certa sunt signa.

Scientes ergo timorem domini, hominibus suademus, deo autem ma 6
nifesti sumus. Spero autem & in conscientijs uestris manifestos nos esse.

Semper itaq; horrendum illum diem præ oculis habentes, damus operam, ut undiq; placeamus et hominibus & deo. Nã ut homínib. imponamus falsa specie pietatis, deo tamen cõspicui sumus, qui mentium intima perspicit, homines non item. Cum sim mihi conscius religionis ac fidei, qua deum uere syncerìter colo, huc omnes neruos tendo, ut omnibus hominibus non solum suadeã euangelium dei, sed etiã quod ad me attinet persuadeam. Hoc deus nouit cui omnia mea perspecta sunt, interim tamen nihil dubito, quin & omnium uobiscum piorum conscientijs æque sim cognitus, ut syncerìtatem nostram perspectam habeatis, nam hac gloria contenti sumus.

Non iterum commendamus non uobis, sed occasionem damus uo- 7
bis gloriandi pro nobis, ut habeatis ad eos qui in facie gloriãtur, & non in corde.

Non rursus ob id efferimus officium nostrum, quo pluris fiamus à uobis, aut commodi quicquam à uobis uenemur, sed quoniã alios uideo gloriantes, quod ab eximijs apostolis sint instituti, damus uobis occasionẽ, ut de nobis item uobis gratulari possitis aduersus eos qui uos hoc nomine deijciunt, quod Apostolum abiectum & humilem nacti sitis: qui licet non uiderimus dominũ in mortali corpore, sicut uiderunt alij, tamen immortalem uidimus, & ab hoc munus apostolicum accepimus, quemadmodum cæteri: nec minus præstitimus huius auxilio q̃ cæteri. Hæc uestra causa cõmemoro, quo sit quod respondeatis, qui non contenti conscientia recte factorum, ex fastu ac supercilio gloriam humanam captant, cum animus sibi male sit conscius.

Siue enim mente excedimus, deo: siue sobrij sumus, uobis. 8

Nihil nostra causa loquimur, siue magna de nobisipsis prædicantes, uidemur insanire, deo insanimus, ad cuius gloriam prædicamus, quæ per illum gessimus: siue mediocria de nobis loquentes, sani uidemur, uobis sani sumus, ad quorum imbecillitatem sermonem nostrum attemperamus.

Charitas enim Christi urget nos, æstimantes hoc, quoniam si unus 9
pro omnibus mortuus est, ergo omẽs mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus: ut & qui uiuunt, iam non sibi uiuãt, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.

Non per iactantiam æquamus nos cæteris apostolis, sed Christi charitas nos compellit, ut palàm eloquamur, quod ad illius gloriam facit, nam in illius laudem cedit, non nostram, si quid egregie per nos quidem gestum est, sed illius munere, quo magis testatum sit omnibus, mortem illius non infrugiferã fuisse, cum omnibus ex æquo prosit, ut per nos etiam uim suam exerat, non solũ per eos qui Christum in corpore uiderũt, aut quibus est cum illo carnalis affinitas. Quin illud magis apud nos perpẽdimus, quod si Christus unus pro omnibus ex æquo mortuus est, omẽs æque morti fuerint obnoxij necessum est, quos sua morte uoluit à mortè redimere. Atq; ideo mortuus est pro omnibus, ut omnes ex æquo sibi haberet astrictos: utq; qui illius beneficio uiuunt, per illũ renati, non amplius sibi uiuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, ac pro ipsis reuixit. Cui soli innitendum, non quidem secundum carnem, sed secundũ spiritum. Tametsi enim caro Christi in mor

tem sit tradita, non tamen sic carni eius adhærendum est, ut salutem in ea sitã putemus: puta si quis eam uideat, tangat, uel etiam corporaliter comedat, sed si pro se traditum gratus credat, & gratuletur ex animo.

10 Itaq; nos ex hoc neminem nouimus secundum carnem, & si cognouimus secundum carnem Christum, sed nunc iam non nouimus.

Ex hisce rebus æstimandi sumus, non ex carnis propinquitate, sed ex diuina charitate, & excessu peracto in cruce, & ad eius exemplar in imitatione. Quin & ipsi licet de genere Israelitico gloriari possumus ut alij, tamen postquam Christo sumus initiati, neminem nouimus secundum carnem. Hos cognatos ducimus, qui fidei consortio nobis copulantur. Et Christum quoq; non tantum secundum carnem credimus nobis salutarem, sed secundum mysterium, quo idem deus & homo: nec secundum infirmitatem, sed secundum potentiam: non secũdum crucem, sed secundum gloriam resurrectionis agnoscimus. Deus enim erat in Christo reconcilians sibi mundum, proinde Christus quatenus deus & homo est, unica est salus fidelium. Si enim homo duntaxat fuisset, saluare non potuisset. Sociauit ergo diuinitati humanitatem, ut uerus mediator toti mundo foret salutaris. Proinde agnoscimus Christum pro peccatis nostris crucifixum salutem animarum nostrarum, & cibum in uitam æternam, nunc uero regnãtem ad dexteram patris, omnia cum patre moderantem.

11 Si qua ergo in Christo noua creatura, uetera transierũt, ecce facta sunt omnia noua.

Quisquis per baptismum insitus est Christo, ponat ueteres affectus, non cogitet, Hic Iudæus est, ille Græcus: hic seruus, ille liber, sed meminerit unumquenq; renatum in nouum hominem, iam è carnali factum spiritualem. Vetera præterierunt, & per Christum repente innouata sunt omnia. Christianus enim noua est creatura, innouatus ex deo, qui sibi uoluit reconciliare mundum per Christum, quod sic factum est, ut nostra natura susceptа, pro nobis mortem obierit, fieretq; hostia pro nostris peccatis, satisq; faceret iustitiæ dei pro nobis.

12 Omnia autem ex deo, qui nos reconciliauit sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis.

Quicquid nobis per hunc collatum est, id à patre profectum est, qui nos sibi reconciliauit, deuicto peccato per filium suum Iesum Christum, atq; huius reconciliationis prædicationem nobis idem commisit pater, ut quemadmodum filius pro patre legatione functus est apud homines, ita nos pro Christo legatione fungamur, ut ministerium Christi ad genus humanum, nos pro nostro quoq; modulo, prædicando & docendo æmulemur. Christus autem mediator est unicus, ad declarandum clementiam dei atq; iustitiam. Clemens est deus, ideo perire nos noluit: iustus est, hinc tantopere peccata hominũ puniri oportuit, ut immaculatus ille agnus Christus dominus pro mũdi peccatis offerretur: huius reconciliationis ministerium prædicandum nobis apostolis commisit dominus in toto mundo.

13 Quoniamquidem deus erat in Christo mundũ reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis uerbũ reconciliationis.

Cum Christus uersaretur inter mortales mortalis, licet homo simplex uideretur, tamen deus pater erat in illo, per eius ministerium sibi mundum reconciliãs, & instaurans in nouitatem, per quem condiderat mundum, tantaq; clementia recepit homines in gratiam, ut non solum nõ ulciscereturuitæ prioris admissa, sed ne

ne imputaret quidem cuiquã quod ante baptismum gessisset, perinde quasi iam non esset idem homo qui prius. Hanc reconciliationis gratiam per filium conferre uoluit, per nos prædicari. Emphasim autem habet quod dicit, deum fuisse in Christo. Neq; enim deus in Christo fuit, quemadmodum in alijs hominibus sanctis, uel in rebus omnibus est, sed in ipso deitas corporaliter habitauit, id est re uera deus fuit Christus: neq; enim salus nostra, neq; uita esse posset, nisi deus esset, qui iuxta humanitatem quidem mortuus est, ad mundi reconciliationem, ne peccata fidelibus imputarentur.

Pro Christo ergo legatione fungitur, tanquam deo exhortante per 14
nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini deo, eum qui non nouerat peccatum pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia dei in ipso.

Hac ab eo commissa legatione fungentes uice Christi, tanquã deo uos exhortante per nos, obsecramus nomine Christi, ut omissis pristinis uitijs, reconciliemini deo: nam is, ut semel nos à peccatis eximeret, filium suum, cum sit ipsa iustitia, uertit in peccatum, ut carne, quæ in nobis peccato est obnoxia cinctus, fieret peccatum, hoc est hostia pro nostris peccatis expiãdis atq; sceleribus, ut facinorosus inter facinorosos, pro facinorosis cruci affixus, quo nos, qui nihil aliud q̃ peccatum eramus, per illum commutaret in iustitiam, non nostram, neq; legis, sed dei, cuius clementia cõdonata sunt admissa, ut posthac nos insitos Christo, pro iustis haberet, qui illum pro nobis accepit sacrificiũ pro peccato, eatenusq; ueluti pro peccatore habuit.

CAPVT VI.

ADiuuantes autem exhortamur, ne inuacuum gratiam dei reci- 1
piatis. Ait enim: Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.

Descripserat gratiam dei & redemptionem per Christum partam, nunc exhortatur ad uitam Christo dignam ad innocentiã, ut dei beneficiũ per Christum sit efficax in fidelibus, addens prioribus, Opera, inquit, nostra simul & dei uolutatem exequentes, & uestræ saluti consulentes, obtestamur uos, ne committatis, ut semel gratis à peccatis exempti, in pristinam uitam relabentes, inuanum recipiatis gratiam dei. Nunc licet sarcire si quis labitur, at idem non semper licebit. Sic enim loquitur deus apud Isaiam prophetam, In tempore acceptabili exaudiui te, & in die salutis succurri tibi, cap. 49. En adest nunc tempus illud à deo promissum, placabile, quo deus non auersatur peccatorem ex animo resipiscentem. En adest dies ille, quo pie uiuendo salutem assequi liceat, sequetur formidabilis ille dies, quo frustra quæretur reconciliatio. Nunc deus decreuit misericordiam suam largiri poscentibus peccatorum remissionem per Christi nomen, & morbis mortalibus infundere medicamina, si non fuerint negligentes.

Nemini dantes ullam offensionem, ut non uituperetur ministerium 2
nostrum, sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in uigilijs, in ieiunijs, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in spiritu sancto, in charitate non ficta, in uerbo ueritatis, in uirtute dei.

Plęriq; apud uos mihi uitio uertunt liberam illam gloriationem qua utor erga uos, dicentes esse iactationem, si quo modo me uere commendo. At ego ministerium meum sic commendare cogor, contra eos qui illud deprimunt, & meum Christi cupiunt non audiri uel non admitti. Studẽtes igitur in hac parte nostro fungi officio, damus operam, ne qua in re cuiquam simus offendiculo, ne nostro uitio uituperetur euangelium Christi, cuius ministri sumus. Vituperetur autem, si sic uiueremus, ut quod alios docemus, ipsi nõ credere uideremur, sed modis omnibus ipsa re nosipsos commendamus, ut dignum est ijs qui dei geruntne gotium, non suum. Quibus autem argumentis nos commendamus? Non fastu, non opibus, non quæstu, non præscribendis ceremonijs, ut faciunt quidam, sed ijsdem rebus quibus se commendauit Christus, nimirum multa patientia, ac tolerantia non simplici ac leui, quæ frequenter sit præstãda, & in finem usq; exhibenda exemplo Christi, qui obediens patri fuit usq; ad mortem crucis, sine qua patientia in hoc mundo nemo pie uiuere possit. Maxime autem ea est opus in præsuris, cum & mens angitur, & corpus simul affligitur in necessitatibus, dum rapidium maximum quis deuorare cogitur, dum ingruit ineuitabile fatum aduersitatum. In angustijs uel anxietatibus, ex inedia uel periculis grauibus oborietibus. In plagis quæ immeritis infliguntur propter ueritatem & iustitiam, quemadmodum apostoli plagis multis in senatu Iudaico Christi nomine susceptis, gaudẽtes ibant à conspectu cõcilij. In carceribus squalidis, ueluti apud Philippẽn. ubi Paulus & Sylas auxilium dei præsentissimum senserunt. In seditionibus uel turbis, aut persecutionibus, quibus circumactus per oppida & regna uaria, nullo potuit certo loco subsistere. In laboribus, uarijs iactatus fortunis & casibus, usq; ad manuum laborem, quo fessa mẽbra subinde debilitauit, quo se & alios aleret. Is insuper uigilijs quoq; & inedia macerabat; quæ omnia Christũ imitantibus & confitentibus, uel etiam prædicantibus, sunt suscipienda, quando & his tribus labore, ieiunio, & uigilia edomatur carnis ferocia. Commendemus quoq; nos in castitate, quæ est syncerítas & integritas in dicendo & augẽdo, maxime autem in syncera doctrina, & euangelica prædicatione pura, & in integritate qua nos deo & hominibus commendamus. In scientia dei, quæ regula est omnium functionum honestarum & piarum, cum fide tamen. In longanimitate, expectando dei auxilium, & ferendo instantias quotidianas. In suauitate, quæ opponitur superbiloquio & morum asperitati. In spiritu sancto, animo puro ab omni hypocrisi. Id coquicit. In charitate non ficta, quæ legis scopus est & perfectio; non tantum diligẽdo uerbo & lingua, sed opere & ueritate. In uerbo ueritatis, nihil aliud tradendo ecclesijs, q̃ quod à domino acceperat. In uirtute dei, patrando miracula ad probamentum doctrinæ, si quando necessitas & ratio id poscebat.

3 Per arma iustitiæ à dextris & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam: ut seductores, & ueraces: sicut qui ignoti, & cogniti: quasi morientes, & ecce uiuimus: ut castigati, & non mortificati: quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.

Exemplum sumit loquendi à forti aliquo uiro & strenuo milite, qui nõ cedit, sed fortiter pugnat. Pugno, inquit, sed non carnalibus armis, non humanis præsidijs, nec armis & opibus mundi, sed spiritualibus circuncinctus armis. Iustitiæ dextris, ut recta conscientia fultos, non efferant res secundæ. A sinistris, ne conturbent aduersæ. Hac freti, per omnia penetramus, ad peragendũ euangelicum negotium,

negotium, siue apud bonos & gratos gloria aliqua nos maneat & gaudium sancti profectus in animabus fidelium, siue ignominiam ferre pro ueritate cogamur, non tamen officium remittimus nostrum. Per infamiam & bonam famam, siue conuitia, siue laudes mereamur: pro impostoribus habiti, cum simus ueraces: pro ignotis habiti, cum simus noti: similes moriẽtibus, cum ecce uiuamus, gratia dei & tutela protecti: quasi correpti & percussi alapis, cum tamen non occidamur: quasi dolentes, cum semper gaudeamus: quasi pauperes, cum multos locupletemus: quasi nihil habentes, cum per Christum omnia possideamus, plusq; suppeditet charitas q̃ patrimonium, si nostro iure uelimus uti. Multa sunt ergo ferẽda propter ueritatem & iustitiam, quod tamen cedit patientibus & in fide constanti bus ad salutem. Sed nec in ipsis periculis diuina carent cõsolatione. Morimur, inquit, sed uiuimus, uel quia dominus ex periculis liberat, uel quia abunde consola tur ut simus ferendo, uel meliore uita donat. Pauperes quidem sumus rebus, sed cœlestem thesaurum distribuimus. Diuitiæ nostrę ueræ nobis eripi non possunt. In uno Christo omnia possidemus, quando solus fidelis uere sit diues.

Os nostrum patet ad uos, ô Corinthij, cor nostrum dilatatũ est, non 4
angustiamini in nobis, angustiamini autem in uisceribus uestris. Eandem autem habentes remunerationem, tanquam filijs dico, dilatamini & uos.

Libertatis causa loquitur, & conscientiæ puræ. Conscientia enim mali mens loqui trepidat, sensum perdit, quem loqui intendit, & in uerbis errat. Dilatatur autem cor, dum fiducia bonæ conuersationis in sese gaudere potest, & spe præmij in tribulatione per Christum lætatur. Rapit, inquit, me nunc calor sermonis intenti, non me temperare possum, quin effundat, inquit, quod est in animo. Os nostrum apertum est erga uos, ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est. Tantum fiduciæ cõcepi de uobis, sic audeo de uobis gloriari. Non me pœnitet sortis meæ, ne uos pœniteat uestræ. Si uos meo uoletis animo respõdere, est cur de uobis glorier, est cur uos de me gloriemini. Non est quod mea causa sitis angusti animi. Si quid angustæ mentis in uobis est, ex uestris affectibus nascitur. Ego uestræ salutis gratia nihil nõ tum facio, tum patior, uos non perinde respondetis amori mutuo, ego spe resurrectionis nihil nõ fero infracto pectore. Vos cum idem maneat præmium (ut filijs loquor) animi magnitudine patri respondeatis, audete contemnere mundum hunc, audete fidere bonis uestris. Angusti animi est, rebus præsentibus esse contentum: angusti pectoris est, nihil ambire prẽter has mox peritu ras bonorum umbras. Christus uobis abunde diues est, abunde glorioſus, abunde potens, abunde felix, is unus uobis sufficiat, hunc amplectamini toto pectore.

Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iusti- 5
tiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christo ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Quis autem consensus templo dei cum idolis?

Apparet fideles tum incœpisse matrimonium cõtrahere cum infidelibus, occasione nimirum capta ab his quæ Paulus cap. 7. de impari cõnubio differuerat, quum tamen Pauli uerba de contracto matrimonio, non de contrahẽdo fuerant accipiẽda. Dehortatur ergo Paulus eos, ne se cum impijs & infidelibus iungant, quod nulla sit iustitię cum iniustitia societas, nulla conuentio. Agnoscite, inquit, magnitudinem uestrã, agnoscite felicitatem, uosq; maiores ducite, q̃ ut cum in-

credulis habeatis cõmertium. Plus est inter uos discriminis, q̃ ut eodem iugo co pulari possitis: nam quod omnino cõsortium iustitiæ cum iniustitia? Vos iustitia dei estis per Christum, quid igitur communicatis cum iniustitia? Vos lux estis in domino, quid uobis commune cum tenebris? Templum item dei, quod estis uos, nullam societatem habet cum idolis. Quemadmodũ enim in templo externo de nulla sunt idola, quæ tamen gentes in ædibus suorum deorum habent: ita & uo bis, qui templum dei uerum & sanctum estis, cum simulachris & cum idolothitis nihil debet esse commercij. Diuersa numina, diuersa religio, diuersi mores, diuer sa spes, quid conuenit templo dei cum prophanis simulachris?

6 Vos enim estis templũ dei uiui, sicut dicit deus, Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum deus, & ipsi erunt mihi populus.

Testimonia scripturæ adducit, quibus probat nos templum esse dei, deumq́ habitare in nobis. Ego inambulabo, inquit deus, hoc est, non longe abero, sed ero in medio uestri. Tam familiarẽ se uobis facit deus, Ero adiutor uester, protector & seruator, quicquid deest, ego sarciam. Hoc enim est esse deum, ea tamen lege, ut & uos populus meus sitis. Hoc enim in fœdere cõtinetur: quapropter si Iudæi horrent ethnicum, uelut impurum & prophanum, atq; eius fugitant contagium, uos qui deo uiuo uere consecrati estis, exite de medio prophanorum, segregate uos ab illorum commertio, quemadmodum per Isaiam hortatur dominus. Cum sancti, inquit, sitis, quod pollutum est ne tetigeritis.

7 Propter quod exite de medio eorum, & separamini, dicit dominus, & immũdum ne tetigeritis, & ego recipiam uos, & ero uobis in patrem, & uos eritis mihi in filios & filias, dicit dominus omnipotens.

Exire hic, pro se mundũ seruare, significat, ab inquinamento eorum cum quibus habitas. Deinde si resipiscentiæ nulla spes est, etiam corpore ab eis exite. Vt Christus præcepit Matth. 10. Hoc enim exponit quum dicit, Nolite tangere immundum. Si tam impuri & obscœni sunt, ut nulla sit spes, exi & noli cohabitare impijs. Exponit autem obiter Paulus per allegoriam, quid hoc præcepto uoluerit deus, quo Iudæis ne immundum tangerent interdixit. Impij mores uere pollunt sunt, & periculosum habent contagium, quorũ commertio cauete, ne uestra pu ritas inquinetur. Non in loco, sed in affectibus est fuga quam suadeo. Quod si fe ceritis, tum uos agnoscam ac recipiam, sanctus sanctos. Tum me patrem senties tis, ego uos ut filios amplectar, dicit dominus omnipotens, ne quid diffidatis au thori promissorum.

CAPVT VII.

1 HAs ergo habentes promissiones charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificatio nem in timore dei.

Non solum uolo ut non ducatis iugum cum infidelibus, imò in omnibus ne gotijs, in omni actione date operam, ut puri & mundi sitis, idq́ per gratiam eius qui nos purificauit. Per spiritum autem intellige animam hominis siue mentem. Purgemus (inquit) nosipsos ab omni spurcitia, non corporis solum, uerumetiam animi, quo simul & apud homines innocenter uiuamus, & deo bonam mentem approbemus, plenamq́ ac perfectam sanctimoniam nobis paremus in aduẽtum Christi, continẽte nos interim in officio timore dei, qui pro factis cuiq́ præmium reponet.

reponet. Dicente autem eo de perfecta sanctimonia, nemo talem somniet quæ sit sine oñi labe: neq; enim Paulus hoc uult, sed admonet, ut qui de familia dei sunt, quemadmodum filijs dei cõueniat ut ambulent ac uersentur. Quasi diceret: Qui deum timent, hoc est qui fideles sunt, studeant se quotidie purgare & sanctificare, contenduntq; ad uitæ innocentiam ac sanctitatem ex fide.

Capite nos, neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem cir- 2
cumuenimus. Non ad condemnationem uestram dico. Prædiximus e-
nim, q; in cordibus nostris estis ad commoriendum & ad conuiuẽdum.

Ego totos uos animo cõplector, tanta est amplitudo charitatis erga uos meæ. Vos uicissim me in uestros animos, ut sumus, recipite, quandoquidem alios reci pitis, qui cum minus uos diligant, tamen onerant uos sumptibus, ac fastu suo gra uant uos atq; ceremonijs. Nos neminem læsimus, neminem adulterina doctrina corrupimus, nec exemplo indigno apostolo Christi, à nemine quicquam extorsi- mus. Neq; tamen hæc loquor, quo uos damnem ac reijciam, sed quo reddam me- liores. Siquidem ex superiore sermone meo satis perspicuum est, quod toto pe- ctore uos complector, & indiuulsa charitate prosequor, paratus & commori uo- bis & conuiuere. Vestra uita mea uita est, uestra mors mea mors est.

Multa mihi fiducia est apud uos, multa mihi gloriatio pro uobis, re- 3
pletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.

Tantum abest ut uos condemnem, ut ubiq; de fide & constantia uestra glo- rier. Nihil nõ audeo apud uos, tanta est mihi de uobis fiducia. Est quod uehemen ter glorier de uobis, quos per omnia morigeros reperi. Non dubitaui libere cor- ripere delinquẽtes, sed ubi uos emendatos uideo, tanto expletus sum solatio, tam exuberãti gaudio perfusus sum, ut in omnibus meis afflictionibus absterserit ani mi mei molestiam, dum uolupe etiam est pro talibus pati, nam alioqui uarijs ma- lorum procellis iactati sumus. Hęc omnia ardentissimi amoris clara sunt indicia, unde cordatus quisq; facile colligit Apostolum odire non potuisse Corinthios, quos sic diligit & colit.

Nam & cum uenissemus Macedoniam, nullam requiem habuit caro 4
nostra, sed omnem tribulationem passi sumus, foris pugnæ, intus timo- res. Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos deus in aduẽtu Titi.

Exemplo probat quod dixit. Cum, inquit, uenissemus in Macedoniam, nulla data est relaxatio à laboribus corpori nostro, sed undiq; premebamur. Carnẽ ac- cipit pro toto corpore uel homine exteriore. Foris bellum mouebant hostes euan gelij, intus periculũ discruciabat, ne quos subuerteret astutia pseudapostolorum. Ab alijs cædebamur, his interim meruebamus, ne nostris malis consternati diffi- derent. Sed deus qui reficit humiles & afflictos, refecit & refocillauit nos per ad- uentum Titi, non solum quod aduenerit, quem maxime cupiebamus nobis ad- esse, uerumetiam quod lætus & alacris à nobis redierit. Discimus sanctis dum in carne uiuunt non esse relaxationes, sed cõtinuas afflictiones, quibus tamen deus non deest reficiens eos.

Non solum autem in aduentu eius, sed etiam in consolatione, in qua 5
consolatus est in uobis, referens nobis uestrum desiderium, uestrum fle- tum, uestram æmulationem pro me, ita ut magis gauderem.

Eam uoluptatem Titus à uobis hauſtã in me refudit, cum mihi referret quantum uos haberet deſiderium mei, cum exponeret mihi lachrymas ueſtras, quod offenſus nondum ueniſſem: cum narraret quo ſtudio mea iuſſa exequeremini; adeo ut his cognitis per Titum, plus ceperim uoluptatis ex obſequio ueſtro, uestríq; correctione, q̃ mœroris ex commiſſis ceperam. Inde enim potui æſtimare, nondum defeciſſe eos à doctrina quam à Paulo receperant. Et hæc honeſtiſſima gaudĳ ſancti occaſio, & charitatis paternę ac paſtoralis, quam Chriſtus commendauit apoſtolis & paſtoribus eccleſiarum ad ſuum gregem.

6 Quoniam etſi contriſtaui uos in epiſtola, non me pœnitet, & ſi pœniteret, uidens quod epiſtola illa, & ſi ad horam, uos cõtriſtauit. Nunc gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam. Contriſtati enim eſtis ſecundum deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis.

Inuitus quidem contriſto uos, uerum ſic urgebat neceſſitas officĳ, & charitatis in Chriſto neceſſitudo, ut aliter agere non potuerim. Verum quando uideo bene ceſſiſſe non me poteſt pœnitere, quod ſuperioribus literis uos ad mœrorem adegerim, etiamſi quid antea pœnituit. Siquidem triſtis illa mihi pariter ac uobis epiſtola, quamuis uos ad tempus mœrore affecit, tamen nunc mihi uoluptati eſt: non quod per nos ſitis affecti mœrore, ſed quod hic mœror uos adduxerit ad pœnitentiam. Habet hic mundus ſuum mœrorem, ſed noxium & infrugiferũ. Cum homines ob iacturam pecuniarum, aut uoluptatum amiſſionem, aut ob iram aut inuidiam animo diſcruciantur. Habet & pietas ſuum mœrorem, ſed frugiferum, ac ſalutarem, quo ſic eſtis affecti, ut bonæ mentis lucrum feceritis, tantum abeſt ut nullum ex me ſenſeritis detrimentum, doctrina, exemplo, uerbis aut ſcriptis.

7 Quæ enim ſecundum deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur, ſæculi autem triſtitia mortem operatur.

Non eſt ut ſeueritatem quandam aut hypocriſim perſonatam adſciſcamus, ſed quod nobiſipſis diſpliceamus, atq; dum increpamur ob uitia noſtra, id æquo feramus animo, ſcientes id fieri ut reſipiſcamus. Omnes enim ſic affectibus uitiati, imò obruti ſumus, ut grauatim increpationem admittamus. Verũ qui ob hoc mœret quod deum offenderit, correctæ mentis præbet argumentum: atq; ita dolor adducit ad pœnitudinem, ut non ſinat hominem in priſtina commiſſa relabi. Contrà, mœror qui ex mundanis cupiditatibus naſcitur, exitium adfert, noxius corpori atq; pariter animo. An non hoc ipſa res declarat?

8 Ecce enim hoc ipſum, ſecundũ deum contriſtari uos, quantã in uobis operatur ſolicitudinem, ſed defenſionem, ſed indignationem, ſed timorem, ſed deſiderium, ſed æmulationem, ſed uindictam: in omnibus exhibuiſtis uos incontaminatos eſſe negotio.

Hic ipſe mœror ueſter, quo ſecundum deum fuiſtis affecti, quantum in uobis ſtudium excitauit? Quid dico ſtudium, imò ſatisfactionem, qua uos apud me purgaſtis. Teſtati uobis non probari turpe commiſſum, imò indignationem, qua ſic ſæuiſtis in flagitioſum, ut mihi fueritis ad lenitatem ac moderationẽ reuocandi. Imò timorem, quaſi periculum unius eſſet omnium cõmune. Imò deſiderium illico corrigendi, quod erat admiſſum. Imò zelum & ardorẽ imitandi nos in profligenda turpitudine. Imò uindictam denique, quod illico pœnas dederit qui peccarat. Nam modis omnibus declaraſtis, uos eſſe puros & immunes in hoc negotio.

tio. Discimus etiã aliena peccata nobis à deo imputari, quodq; re uera sint impuri, quibus non ex animo displicet impuritas, qui conniuere possunt ad turpia, & qui impuros cum possent non emendant.

Igitur & si scripsi uobis, non propter eum qui fecit iniuriam, nec propter eum qui passus est, sed ad manifestandam solicitudinem nostram, 9
quam habemus pro uobis coram deo, ideo consolati sumus.

Tametsi uobis scripsi super hac re, tanquam ad omnes pertineret, non scripsi tantum eius gratia qui peccatum commiserat, aut eius in quem admissum erat, sed ob id potius, quo uobis esset perspicuum, quanta me teneat cura uestri, teste deo, qui tãtopere fuerim solicitus, ne serperet inter uos ista mali lues, uniusq; aut alterius peccatum totum corpus contaminaret, ac uicissim innotesceret, quo studio sitis erga me, cuius uoluntati tam alacribus animis parueritis.

In consolatione autem nostra abundantius magis gauisi sumus super 10
gaudio Titi, quia refectus est spiritus eius ab omnibus uobis.

Ea res cum uobis cesserit in solatiũ, ut qui gaudeatis esse correctos quos oportuit, gaudeo & ipse ob gaudium uestrum, sed hanc nobis uoluptatem auxit gaudium Titi, qui me commendante sic acceptus est apud uos, ut ab omnibus recreatus sit illius animus, cum uideret authoritatem meam tantum habere ponderis apud uos, unde fit, ut si quid apud illũ gloriatus sum de probitate uestra, deq; obedientia non fuerim pudefactus. Ideo dicit:

Et si quid apud illum de uobis gloriatus sum, non sum confusus: sed 11
sicut omnia uobis in ueritate loquuti sumus, ita & gloriatio nostra quæ fuit ad Titum, ueritas facta est.

Gloriatus aliquando sum de uobis erga Titum, interim hoc scelus in uos irrepsit, parumq; abfuit quin pudefactus fuerim. At cum Titus ad uos uenit, reperit uos tales quales uos erga eum commẽdaueramus, atq; hoc singulari me quodam gaudio affecit. Illum uobis quidem, uos illi commẽdaueram: utrunq; bene cessit. Nam ut uos Titum comperistis per omnia, qualem uobis eum prædicaram: ita quæcunq; de uobis iactaram apud illum, uera comperit ille. Itaq; nec apud uos, nec apud hunc pudet me uanitatis.

Et uiscera eius abundantius in uobis sunt, reminiscentis omnium ue- 12
strum obedientiam, quomodo cum timore & tremore excepistis illum.
Gaudeo quod in omnibus confido in uobis.

Titus is cum & antehac diligeret uos, tamen nũc expertus officium uestrum ex intimis uisceribus uehementius etiam erga uos affectus est, dum reputat ac recolit suo cum animo, quanta cum alacritate uos omnes parueritis uoluntati nostræ quam ille detulit, quantaq; cum reuerẽtia ac timore uenientem exceperitis. Gaudeo sanè uos mihi compertos tales, ut nihil sit, in quo non debeam posthac de uobis confidere. Neq; quicquam in posterum uerebor à uobis exigere, uel de uobis gloriari in domino. Sic itaq; putauit diuus Apostolus etiam laudibus in cassu posse prouocari ecclesiam ad meliora, ne semper putemus acerbe & cum uitu perio agere cum peccantibus. Discimus quoq; quantum de alijs gloriandum sit, nempe ut satis, non nimium, ne gloriatio de non dignis cedat glorianti in ignominiam.

CAPVT VIII.

1 NOtam autem facimus uobis fratres gratiam dei, quæ data est in ecclesijs Macedoniæ, quod in multo experimento tribulationis abundantia gaudij ipsorum fuit, & altissima paupertas eorum abundauit in diuitias simplicitatis eorum.

Hoc capite loquitur de collectis, quæ Hierosolyma mittenda erant. Monet autem Corinthios ad beneficentiam, exemplo Macedonum, declarans Macedones sic fuisse promptos, ut eum quasi coëgerint, ut in subsidium sanctorũ aliquid ab eis acciperet, qua propensione Corinthijs proposita, eos ad idem faciendum prouocat. Vt igitur hac quoq; in parte (ait) respondeatis & animo nostro, & reliquarum ecclesiarum pietati, certiores uos facio, quemadmodum adfuerit mihi deus in ecclesijs Macedoniæ. Nam promptis ac propensis animis receperunt euangelium, & adeo non sunt deiecti meis Silæq; afflictionibus, ipsi nobiscum afflicti, ut fiducia euangelij cum ingenti gaudio pertulerint omnia. Denicq; hoc uberius grauiusq; sunt, nobis ereptis, quo grauiora passi sumus. Hi cum sint tenues extremæq; paupertatis, tamen erat tanta animorum promptitudo, ut ex inanibus etiam sicciis, quicquid supererat depromerent in subsidia pauperũ. Vnde factum est, ut quo pauperiores redderentur & exhaustiores, pia benignitate, hoc magis ac magis ditescerent, promptissimi pectoris candore ac simplicitate.

2 Quia secundum uirtutem testimonium illis reddo, & supra uirtutem uoluntarij fuerunt, cum multa exhortatione obsecrantes nos gratiam & communicationem ministerij quod fit in sanctos. Et non sicut speraui mus, sed semetipsos dederunt, primum domino, deinde nobis per uoluntatem dei, ita ut rogaremus Titum, ut quemadmodum cœpit, ita & perficiat in uobis etiam gratiam istam.

Adeo non comperimus Macedones difficiles ad hanc eleemosynæ uel beneficentiæ largitionem, (quam nominat gratiã) ut uere testis illis esse possim, quod non solum pro uiribus, uerumetiam supra uires conferre uoluerint, animo superante facultates, adeo ut cum nos ueriti, ne post immodicam liberalitatem egestas suaderet illis pœnitudinem, recusaremus accipere quod ultro offerebant, multa cum obtestatione rogarint nos, sineremus & ipsos in huius laudis uenire consortium, ut de facultatibus suis nonnihil impartientes sanctorum inopiæ, uicissim ipsorum pietatis fierent per Christi gratiam iustitiamq; participes, nõ solum respondentes expectationi nostræ, uerumetiã spem omnem uincentes, qui non tantum obtulerint sua, uerumetiam semetipsos ultro dederint, primũ deo, deinde nobis quoq;, deo uolente, cuius afflatu mouebantur, ut nobis tam alacriter obtemperarent. Quorum animus adeo me delectauit, ut hortaremur Titum, ut quemadmodum ipsius hortatu cœpisset is hanc in sanctos munificentiam, ita quod cœptum esset, in uobis consummaret, quo magis etiam illi sitis deuincti, per quem hanc quoq; pietatis laudem fueritis consequuti, ne quid hac in parte sitis inferiores cæteris.

3 Sed sicut in omnibus abundatis fide, & sermone, & scientia, & omni solicitudine, insuper & charitate uestra in nos, ut in hac gratia abundetis. Non quasi imperans dico, sed per aliorum solicitudinẽ etiam uestræ charitatis ingenium bonum comprobans. Scitis enim gratiam domini nostri Iesu Christi, quoniam propter uos egenus factus est, quum esset di-

ues,

ues, ut illius inopia uos diuites essetis.

Quemadmodum in cæteris dotibus excellitis, dono fidei, dono linguarum, dono scientiæ, dono diligentiæ in administrando, dono charitatis, quã erga nos declaraſtis, ita hac etiam in dote ſitis eximij. Non quod id exigam à uobis, ſed ideo Macedonum promptitudinem commemoro, quo uos illorum exemplo prouocati, ultro declaretis charitatis ueſtræ ſynceritatem. Hac quoq; parte dominum Iesum Chriſtum pro uiribus æmulantes, qui cum eſſet diues & omnium dominus, tamen quo nobis prodeſſet, ultro pauperem ſe fecit, homo factus diſſimulata potentia. Quo uos illius paupertate in ſe recepta, diuinitatis ſuæ diuitias nobis impartiret. Diſcimus Corinthiorum hoc loco eximia dona, quamlibet perditę priùs libidinis urbi, ſed iam conuerſæ ad dominum. Celebrat ſiquidem ipſorum fidem, quæ certa & conſtans eſt in deum fiducia. Sermonem quoq; ueritatis, hoc eſt ſeruentem euangelij prædicationem. Scientiam ſanam & ſalutiferam cognitionem rerum diuinarum & humanarum. Sedulitatem in rebus ſanctis agendis, & diligentiam cum charitate inſigni in miniſtros Chriſti. Quibus laudibus ueris ad benefaciendum rapit & urget, exemplo non tantum Macedonum, ſed multo magis Chriſti, ut non poſſint nõ moueri & permoueri ad id quod deſiderat fidelis Apoſtolus. Si, inquit, noſtri cauſa in haſce terras deſcẽdit dei filius, quid nos fratrum & noſtri gratia non ageremus?

Et conſilium in hoc do. Hoc enim uobis utile eſt, qui non ſolum face- 4
re, ſed & uelle cœpiſtis ab anno priore, nunc uero & facto perficite. Vt
quemadmodum promptus eſt animus uoluntatis, ita ſit & perficiendi ex
eo quod habetis. Si enim uoluntas prompta eſt, ſecundum id quod ha-
bet accepta eſt, non ſecundum id quod non habet.

Quemadmodum ſuperioribus literis cœlibatum à uobis nõ exegi, ſed ueſtris conſulens commodis ſuaſi quod melius uiſum eſt: ita & in hac re conſulo, nõ impero. Et ob id conſulo, quod exiſtimem in ueſtrum compendium ceſſurum, præſertim, cum quod nunc ſuadeo, uoſipſi citra meum ſuaſum, non ſolum facere cœperitis, uerumetiam ultro iam antea uoluiſtis. Nũc igitur ſupereſt, ut quod ultro cœpiſtis facere, perficiatis. Vt quemadmodum iam pridem animum iſtum ſponte ſuſcepiſtis, ita Macedonum exemplo perficiatis. Non ſupra uires quod ab illis factum eſt, ſed pro facultate cuiuſq;. Non eſt acceptum beneficium quod conferatur ab inuito. Cæterum cum ultro ſuppetit animi promptitudo, ſatis eſt iuxta modum facultatum temperetur largitio. Nec enim exigitur ut dones quod non habes. Quod autem dixit, Non ſolum facere, ſed & uelle, ſic habet, Plus omnino eſt ſponte & propenſo animo facere, quàm facere tantum ſimpliciter. Cœpiſtis, inquit, ueſtra ſponte, & effuſiſſimo animo collibitum uobis eſt facere, quin dudum quoq; & ſemper uelle conferre uos declaraſtis quoties res poſcat, ut illud ſit perpetuæ uoluntatis nota, quæ certe amplius quiddam eſt q̃ facere.

Non enim ut alijs ſit remiſſio, uobis autem tribulatio, ſed ex æqualita- 5
te. In præſenti tempore ueſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat, ut
& illorum abundantia ueſtræ inopiæ ſit ſupplemẽtum, ut fiat æqualitas,
ſicut ſcriptum eſt: Qui multum, non abundauit: & qui modicum, non
minorauit.

Non ſic eſt exercenda benignitas, ut quibus donaẽ, ſuauiter & in otio uiuãt: qui donant, ad inopiam redigantur. Verum ut æquabilis quædam fiat inter uos

commutatio, uidelicet ut interim ex opibus quibus uos abundatis, succurratur illorum egestati, ac uicissim illorum fides ac pietas qua superãt illi, pensetur si quid est in uobis diminutum. Itaq; fiat, ut utrisq; communicantibus alteris, neutris desit aliquid, sed sit æquabilitas. Quemadmodum legimus olim accidisse maioribus nostris in colligendo manna, ut cui multum esset collectum, apud hunc tamen nihilo plus supereſſet, q̃ apud eum qui paulum collegisset. Sic enim scriptũ est Exodi 16. Pro tempore possidentur ista, ut his uelut in diem uiuamus. Ne quis subductis in longum rationibus, æstimet quid sibi supersit, alioqui futurũ est, ut nemo sibi putet supereſſe quod cuiquam impartiat. Huic interim deest, tibi supereſt. Quod supereſt, impartiendum pro præsenti necessitate. Si quid euenerit, ut tibi quoq; desit in posterum, simili benignitatis uicissitudine subleuaberis. Admonet autem citatio de manna, primum ne simus de uictu soliciti, & ut uerbo domini nos sustentandos credamus magis q̃ pane corporeo: ne cupiditate res superfluas colligendi distineamur: successum solicitudinis nostræ esse in manu domini, quantumuis insaniamus studio augendę rei: & in sabbathi tempore oportere exemptam esse omnem solicitudinem rerum temporalium.

6 Gratias autem ago deo, qui dedit eandem solicitudinem pro uobis in corde Titi, quoniam exhortationem quidem suscepit: sed cum solicitior esset, sua uoluntate profectus est ad uos.

Gratiam habeo deo, cuius instinctu res hæc Tito quoq; sit cordi, perinde atq; mihi, qui cum esset suapte sponte propẽsus, facile accepit exhortationẽ nostram: imò non meo hortatu, sed suapte uolũtate ad uos uenit, licet meis hortatibus alacrior. Loquitur autem, ut uidetur, de priore aduentu Titi ad Corinthios, ab his enim in Macedoniam uenerat ad Paulum. Magis autem mouẽt preces & exhortationes quæ fiunt à pluribus.

7 Misimus etiam cum illo fratrem nostrum, cuius laus est in euangelio per omnes ecclesias: non solum autem, sed & ordinatus est ab ecclesijs comes peregrinationis nostræ, in hanc gratiam quæ ministratur à nobis ad domini gloriam, & destinatam uoluntatem nostram, deuitantes hoc, ne quis nos uituperet in hac plenitudine, quæ ministratur à nobis in domini gloriam.

Cum Tito misimus fratrem illum incertum quis fuerit, siue Silas, siue Lucas, uel alius: cuius fides & integritas per omnes ecclesias in euangelij negotio spectata est, & adeo spectata, ut ab ecclesijs delectus sit comes, & collega peregrinationis nostræ, quo nobis sit adiutor in colligenda pecunia, quam uestra largitur benignitas, ad ipsius domini gloriam, cuius instinctu res agitur, ad declarandam omnibus animi uestri promptitudinem. Refert autem integros spectataq; probitatis uiros ad hoc adhiberi negotiũ, ne qua suspicio suboriatur infirmis, neue tantam pecuniarũ uim, quam ultro uestra benignitas donat, non alijs modo, sed nobis quoq; colligere uideamur, cum hinc pręter colligendi officium & perferendi nihil nobis uendicemus. Discimus deligendos ad eleemosynas distribuendas uiros fide & integritate præstantes, quales hic delegit Paulus, & in Actis apostolorum ecclesia apostolica. Nemo publicam gerens functionem, misceat simulatos priuatos, & ad priuata tractanda commoda uel promouenda.

8 Prouidemus enim bona non solum coram deo, sed etiam coram hominibus.

Non

Non fugit nos uulgo maxime obnoxiam esse suspicioni rapacitatis pecuniæ, præsertim magnam & ingentem: nec ulla re citius corrumpi mentes hominum. Prouidet bona coram deo, dum quod iubet deus circa ministerium sanctorũ uel pauperũ fieri docet. Coram hominibus uero prouidet bona, quia tales mittit ad hoc opus exhortandum, qui probitate sua non faciant eis scandalum, sed prouocent eos, ne bona doctrina Apostoli per improuidos ministros eius in uituperationem caderet.

Misimus autem cum illis & fratrem nostrum, quem probauimus in 9
multis, sæpe solicitum esse, nunc autem multo solicitiorem, confidentia multa in uos, siue pro Tito, qui est socius meus, & in uobis adiutor, siue fratres nostri apostoli ecclesiarum gloriæ Christi.

His duobus uobis spectatissimis addidimus & tertium, fratrem quendam nostrum, quem tametsi uobis non perinde cognitus est, tamen ipsius sæpenumero sumus in multis experti diligentiam ac fidem, sed in hoc negotio quàm in cęteris diligentiorem, ut planè confidam uos non dubitaturos, his pecuniã etiam quantamlibet credere, siue Titum spectetis, qui collega meus est, quíq; particeps est laborum meorum, quos uestra causa suscipio, siue cæteros huic adiunctos, qui præterq; quod fratres nostri sunt, suffragijs ecclesiarũ in hoc munus delecti sunt, per quos sic illustratum est euangelium, ut merito non apostoli solum, sed & gloria Christi dici possint.

Ostensionem ergo quæ est charitatis uestræ & nostræ gloriæ pro uo- 10
bis, in illos ostendite in facie ecclesiarum.

Cum his sic agite, ut nunc potissimum declaretis quanta charitate nos prosequamini, quamq; non sine causa de uobis apud illos gloriati simus. Porrò quod officij contuleritis in hos, in omnes ecclesias contuleritis, quorum nomine uenerunt legati.

CAPVT IX.

De ministerio quod fit in sanctos, ex abundanti est mihi scri- 1
bere uobis, scio enim promptum animum uestrum, pro quo de uobis glorior apud Macedones, quoniam & Achaia parata est ab anno præterito, & uestra æmulatio prouocauit plurimos.

Nihil opus est, ut in eo sumam operam, quo uos extimulem scriptis meis, ad munificentiam collocandam in sanctos, cum mihi sit adeo cognita perspectaq; animi uestri promptitudo, ut non dubitem hanc iactare uel apud Macedones, in tantum, ut uestro exemplo plæriscq; prouocatis, non Corinthios modo, uerum omnis fermè Achaia ad eandem munificentiam prompta sit ac propensa. Superfluum est ergo si commoneas eum quem sponte prius scis esse facturũ, sed tamen ut suam diligentiam ostendat, necessarium est ut scribat, & ut hoc promptiores faciat, & quid de eis cæteris prædicet, manifestat. Nam superflua solent maiorem parere solicitudinem, ut sciant magna secum diligentia debere curare, quod frequenter mandatur.

Misimus autem fratres, ut ne quod gloriamur de uobis, euacuetur in 2
hac parte, ut quemadmodum dixi, parati sitis, ne cum uenerint Macedones mecum, & inuenerint uos imparatos, erubescamus nos, ut non dicamus uos in hac substantia (gloriationis,)

Quamuis perſpectum habeamus animũ ueſtrum, tamen hos fratres noſtros præmittere uiſum eſt, ne qua fortè fiat ut uane de uobis uidear apud alios gloriatus, hac quidem in parte, nam hactenus in cæteris meæ de uobis prædicationi reſpondiſtis. In hoc autem præmiſimus, ut quemadmodum ante ſcripſimus uobis, mature colligatur pecunia, & in promptu ſit quod uiſum fuerit donare, ne quo pacto fiat, ut ſi mecum uenerint Macedones, apud quos de uobis gloriatus ſum, uoſq; repererint imparatos, nos erubeſcamus, tanquam uane de uobis gloriati. Vt ne dicam, Ne uos erubeſcatis, qui hac in parte fueritis ueſtri diſſimiles, cum in cæteris dotibus excellatis. Qui alium commendat, falli poteſt: at qui laudatur, ſi fallit, culpa eius maior eſt, & maior pudor. Quaſi diceret: Hoc argumentũ gloriationis ueſtra magis refert q̃ mea, date igitur operã, ne imparatos uos inueniã.

3 Neceſſarium ergo exiſtimaui rogare fratres, ut præueniant ad uos, & præparent repromiſſam benedictionem hanc paratam eſſe ſic, quaſi benedictionem, non tanquam auaritiam.

Hac de cauſa uiſum eſt operæpretiũ rogare fratres hos, ut priuſq; uos adeam, iſtuc irent, pręparaturi iam ante deſtinatã ac promiſſam à uobis contributionem, quo magis ſit in promptu: quam, Græce loquentes, non abs re uocamus benedictionem, quod non grauate, neq; cum murmure & dandum ſit beneficium & accipiendum, ſed uerbis bene ominantibus, alioqui uidebitur extorſio, non collatio. Ne parci ſitis cum ſitis diuites. Sit ergo liberale donum, & ut nemo cogatur. Diſcamus eleemoſynam ſponte, liberaliter & alacriter dandam, non parce aut coactim.

4 Hoc autem dico, Qui parce ſeminat, parce & metet: & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Vnuſquiſq; prout deſtinauit in corde ſuo, non ex triſtitia aut ex neceſſitate, hilarẽ enim datorem diligit deus.

Illud diligẽter admonẽdo adiecimus, Quo quis largius contulerit, hoc eſt copioſius præmiũ reportaturus. Qui parce facit ſementẽ, parce item meſſurus eſt: & qui ſeminat alacriter, beneq; ominãs, pari modo meſſurus eſt quod ſeminauit: nõ uelut ex iuſſu noſtro, ſed prout quiſq; ſponte deſtinauit in animo ſuo. Largius enim ac libentius dat, qui ſponte dat: malignius donat, qui cũ mœrore uelut coactus donat, atqui hilarem datorem amat deus, ſiquidem apud illum non fungitur officio ſuo, qui coactus ſuo fungitur officio. Simile huic dicto legimus in Eccleſiaſtico 35. qui dicit, Bono animo gloriam redde deo, & non minuas primitias manuum tuarum: in omni dato hilarem fac uultum tuum, & in exultatione ſanctifica decimas tuas.

5 Potens eſt autem deus omnem gratiam abundare facere in uobis, ut in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum. Sicut ſcriptum eſt, Diſperſit dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.

Non eſt ut uobis metuatis, ne beneficium iſtud uobis pereat. Siquidem deus, qui quicquid ipſius amore confertur in ſanctos, ſibi patitur imputari, abunde potens eſt efficere, ut etiam ſi nihil ab hominibus ad uos redeat gratiæ, tamen cum fœnore ueſtrum ad uos redeat beneficiũ, ſi dederit, ut uobis & ſemper ſupperat pecunia, quantum ad uſum uitæ ſatis eſt, & inſuper exuberetis ac diteſcatis omnibus pietatis officijs. Siquidem bona pietatis ac iuſtitiæ pars eſt, munificẽtia, qua

qua sanctorum inopiæ subuenitur. Quemadmodum Dauid testatur Psalm. 111. Dispersit dedit &c. Quemadmodum, inquit, is qui pius est & hilariter & lęto cor de dat; ita & iustitia eius indies augetur & crescit sanctitas, duratq; perpetuò. Ve rę enim opes pietas sunt, & mens sua sorte contenta.

Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducan- 6
dum præstabit, & multiplicabit semen uestrū, & augebit incrementa fru
gum iustitiæ uestræ, ut in omnibus locupletati, abundetis in omnem sim
plicitatem, quæ operatur per nos gratiarumactionem deo.

Comprecor uobis, ut is qui suggerit semen facienti sementem, & panem in cí
bum suppeditat, quiq; sortem largitus est, unde nunc succurritis inopiæ sancto-
rum, semper sufficere faciat facultates uestras, quo subinde possitis illis succurre-
re, atq; ita multiplicem sementem uestram, simulq; augeat prouentum uestræ
iustitiæ, ut in omni uirtutum genere locupletemini, semperq; proficiatis in om-
nem animi simplicitatem atq; candorē, & indies uiliores habeatis pecunias, quæ
dum erogātur, non in quoslibet, sed in sanctos, fit, ut uestra liberalitas redundet
in gloriam dei, dum uestra munificentia refecti pij, per nos gratias agunt deo, ut
mihi quoq; nonnihil hinc præmij uendicem, qui negotium procurem. Hæc est e-
nim iustitia, ut quia deus dat, retribuat ex eo & homo, ei cui deest. Hos enim uult
ministros esse eorum qui potiora eligentes, copias præsentis temporis spernētes,
totos se dei rebus obligant. Sanctis quoq;, qui hic possidere multa spernūt, uictu
& uestitu contenti, horū tutor est dominus, hos quoq; amplificat suo nutu, ut ha-
beant unde semper largiantur diuites in præsenti & futuro.

Quoniam ministerium huius officij non solum supplet ea quæ de- 7
sunt sanctis, sed etiam abundat per multas gratiarumactiones in domi-
no, per probationem ministerij huius glorificantes deum in obedientia
confessionis uestræ, in euangelio Christi, & simplicitate communicatio-
nis uestræ in illos, & in omnes, & in ipsorum obsecratione pro uobis, de
siderantium uos propter eminentem gratiam dei in uobis.

Functione ministerij huius non solum hoc assequimur, quod uestra largitate
refocillatur egestas hominum piorum, uerumetiam quo copiosior est uestra be-
neficentia, hoc à pluribus aguntur gratiæ deo, qui pietatem uestram experti, pro
ista benignitate uestra laudibus efferunt deum, quod intelligant uos tanto con-
sensu obedire monitis euāgelicis, quibus obtēperātes, libenter & alacriter impar
timini facultates uestras, non his solum quorum negotium agimus in præsentia,
uerum omnibus cæteris. Siquidem ubiq; subueniēdum est egentibus, non solum
eis qui Hierosolymis egent sanctis. Fit deniq; ut in suis ad deum precibus, quas
grati deo pro uobis offerunt, optent uidere uos, ut quorum eximia liberalitate re
ficiūtur, eorum eximiam pietatem coràm aspiciant, quam uobis à deo collatam,
ex muneris magnitudine perspiciunt & augeri semper pietatem cum lucro desi-
derant & precantur.

Gratias ago deo super inenarrabili dono eius. 8

Claudit hoc negotium pulchra acclamatione. In primis habēdæ deo sunt gra
tiæ, quod & nobis istam mentem inspirat, ut donare uelimus & illis, ut quibus da
mus, nostris beneficijs, non ad otium aut luxum, sed ad laudandum deum prouo
centur. Hinc discamus gratias habere deo, de uoluntate accepta ad dandum, de
facultate ut demus, de uiribus nostris nihil præsumendum.

CAPVT X.

1 IPse autem ego Paulus, obsecro uos per mansuetudinem & modestiam Christi, qui in facie quidem humilis sum inter uos, absens autem confido in uobis.

Incipit obtestari Corinthios, ne pseudapostolorum calumnijs credant uel permoueantur, qui per ironiam sic Paulum traducebāt. Egregius ille Paulus uester nouit (aiunt) uos blanditijs & turpi seruitute simulataq; benignitate irretire, dum apud uos ambiret imperium. Iam uero cum colla libera uestra sub iugū dei misit, nouit imperio & tyrānide uos premere, adeoq; opprimere. Id quod in mochi istius enituit supplicio, sed & ex epistolis eius acerrimis & hostilibus colligere licet. Id scilicet humilitate sua simulata quæsiuit, ut uestri dominaretur. Hæc illorum calumnia, contra quos ad Corinthios Paulus hoc modo respondet. Obtestor ego uos, non quiuis apostolus uester, sed ille ipse uobis abūde spectatus Paulus, qui uestræ salutis causa tantum malorum & passus sum & patior. Obtestor autem per lenitatem & humanitatem Iesu Christi, ad cuius exemplum ipse me met apud uos dejcio, sic me gerens iuxta speciem, quasi sim humilis quispiam & abiectus, non præ me ferēs dignitatem & authoritatem apostolicam, quam pseudapostoli putant in fastu sitam, & tamen (ut isti calumniantur) cum absum, audacibus & sæuis epistolis uos territo, uestra fretus obedientia.

2 Rogo autem uos, ne præsens audeam per eam confidentiam qua existimor audere in quosdam, qui arbitrantur nos tanquam secundum carnem ambulemus. In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus.

Sic uitam uestram componite, ne cum uenero cogar uti rursus eadem confidentia, qua uideor usus in quosdam pseudapostolos, qui me è suo metientes animo, iudicant iuxta carnales affectus uersari uobiscū, quasi præsens uobis blandiar, seu captās uos, seu metuens, idem absens in literis me iactitem, ac nihil non audeam. Quicquid ago, uestræ salutis & euangelij causa ago, non humano affectu. Nam licet hac mortali carne circundati simus, tamen nō militamus auspicijs ductuq; carnis, sed spiritus deiq; præsidijs. In corpore quidem positi sumus, sed spiritualiter uiuimus. Spiritualiter autem uiuit, qui facit quod deo placere cognouit. Secundum carnem militat, qui desiderijs carnis obtemperat. Omnis enim error caro dicitur. Christo autem ipse militat, qui obaudit eum in fide & disciplina.

3 Nam arma militiæ nostræ non carnalia, sed potentia deo, ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectū, in obsequium Christi, & in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit uestra obedientia.

Quantumuis humiles & imbecilli uobis uidemur, tamen inermes nō sumus, nec robur nobis deest ad coërcendos hostes euangelij. Sed arma nostræ militiæ, quæ spiritualis est, non sunt humano more ferro aut chalybe ualida, sed dei affatu ualida sunt, ad demoliendum quicquid aduersus illum munitum uidetur. His demolimur ac subuertimus callida consilia, & omnem impiorum celsitudinem, quæ sese erigit & extollit humanæ sapiētiæ præsidijs aduersus scientiā dei, quam per euāgelium profitemur. Neq; dejcimus modo, sed & subigimus & captiuam ducimus

ducimus omnem humanam cogitationem, ut posthac obediat Christo, cui prius rebellis erat. Quod si obstinate quis rebellet, habemus & uindictam in promptu aduersus omnem inobedientiam, qua uestra causa nondum usi sumus, ne sæuientes in eos qui uobis admixti sunt, & quibus adhuc aliqua ex parte fauent nonnulli, arbitrantes eos præclaros apostolos esse, tranquillitatem publicam turbem, fortassis usurus in posterum, ubi sensero uestram obedientiam eò profecisse perfectionis, ut æquis animis laturi uideamini, tales à uestro contubernio semoueri, quemadmodũ fecistis in uindicando incesto. Non moror eos qui mihi audaciam opprobrant, imò mihi gloriæ duco, si de contumacibus & rebellibus uindictam sumam: idq; non solus faciam, sed communi consensu omnium uestrum, si modo officio uestro non deeritis, uel ut probetur obedientia uestra.

Quæ secundum faciem sunt uidete. Si quis cõfidit sibi Christi se esse, 4
hoc cogitet iterum apud se, quod sicut ipse Christi est, ita & nos.

Spiritualis est dignitas ac potestas apostolica, nõ corporalis: an uos adhuc ex ijs quæ uidentur Apostolum æstimatis, quemadmodum uulgus ex ambitu strepituq; fortunæ episcopos hactenus, aut satellitio principem æstimat? Nihil interim dicam de pseudapostolis, illud in genere dicam, Si quisquam hoc nomine sibi fidit, quod Christi sit, uel quod hunc mortalem uiderit, uel quod huic sanguinis propinquitate iunctus sit, illud item apud se perpendat, quod quemadmodũ ipse est Christi, ita nos quoq; Christi sumus, & hac in parte pares sumus: nec illi est, quo sibi placens nos despiciat. Neq; enim carnis commertium nos Christo coniunctiores reddit, sed spiritus: si re uera Christi estis, expendite officij mei esse, ut acriter scelera increpem & castigem. Nam & ego minister sum Christi, in hoc uocatus, ut quicquid contra deum erectum est demoliar. Si ergo spiritu dei præditi estis, facile uidetis gloriationem nostram, neq; nimiam neq; uanam esse.

Nam si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam de 5
dit nobis dominus in ædificationem, & non in destructionem uestram, non erubescam.

Nihil aliud interim, q̃d quod æquo me cæteris apostolis. Quod si uel amplius etiam aliquid mihi uendicem, glorians de potestate mea, imò non mea, sed à dño tradita, uerum in hoc tradita, ut prosim uobis, non ut noceam, non opinor, pudefiam, quasi uane magis q̃d uere sim gloriatus. Qualem autem Paulus à Christo potestatẽ, & quomodo uel ubi acceperit, recitat liber Actorum: & Ananias, Deus, inquit, patrum nostrorum præparauit te, ut cognosceres uoluntatem suam, & uideres quod iustum est, & audires uocem ex ore eius. In hoc enim apparuit tibi Ie sus, ut constitueret te ministrum & testem eorum quæ audisti & uidisti, & eorum in quibus apparebit tibi, eripiens te à populo & gentibus, in quas nunc te mittit, &c. cap. 26.

Vt autem non existimer tanquam terrere uos per epistolas, (quan- 6
doquidem epistolæ inquiunt graues & fortes, præsentia autem corporis infirma, & sermo contemptibilis.) Hoc cogitet qui eiusmodi est, quia quales sumus uerbo per epistolas absentes, tales & præsentes in facto.

De potestatis meæ magnitudine silebo, ne cui uidear territare uos minacibus epistolis. Sic enim ait quispiam, quem honoris causa nondũ nomino: Paulus epistolas mittit arrogantes ac potentes, cæterum cum adest ipse, iam sui dissimilis, & corpore uidetur imbecilli, quod nihil pre se ferat maiestatis, & oratio contempti-

bilis non fert eam authoritatem qua tonant ac fulminant epistolæ. Qui hoc no-
mine nostram authoritatem despicit, illud sibi persuadeat uelim, quod qualis est
absentis sermo noster in epistolis, quem isti grauem aiũt, talis est & præsentis uis
atq; authoritas, si uisum fuerit ea uti: uerbis ostentare quod re nõ possim, aliorum
est, non meum. Discimus quantum animi robur deceat doctores, quãta constan
tia, ut in doctrina ueritatis & in innocentia morum, semper simus nobis similes.

7 Non enim audemus inferere aut comparare nos quibusdam, qui se
ipsos commendant, sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes, & compa-
rantes nosmetipsos nobis.

Non possumus inducere in animum nostrum, ut nosmetipsos cõiiciamus in
numerum istorum, uel ut cum talibus nosipsos conferamus, qui se non factis sed
fucis ac magniloquentia commendant, non intelligentes interim, quod ipsi sese
non suis meritis, sed ignaui ignauorum collatione metiuntur, nec aliter magnos
sese declarant, nisi suis laudibus attollendis, & deprimẽdis aliorum meritis. Cum
satius sit se conferre maioribus, ut intelligat quantum sibi desit, ut humilius de se
sentiat, & alios non contemnat, ut discat cõtinuo sibiipsi fieri melior, & non uen-
dicare authoritatem legato, sed potius legãti & domino. Qui enim mittitur, non
sibi, sed ei à quo mittitur uendicat potestatem.

8 Nos autem non in immensum gloriabimur, sed secũdum mensuram
regulæ, qua mensus est nobis deus mensuram, pertingendi usq; ad uos.

Absit autem ut nos ad ipsorũ exemplum in immensum gloriemur. Siquidem
ad istum modũ gloriandi nullus fuerit neq; modus, neq; finis, si quisq; tantus ha-
beri uelit quantum se facit arrogãtia. Nos nosmet nostro metimur pede, non alie-
nam gloriam nobis usurpantes, sed ad mensuram ac modum eorum quæ dei præ
sidijs gessimus ipsi. Quantũ ab illo donatum est, tantum nobis uendicamus: nec
ultra modum hanc dilatamus nostram gloriam. Neq; uero mediocriter impera-
toris nostri ditionem propagauimus, qui usq; ad uos etiam pertigerimus, non ul
tro profecti, sed à deo missi. Sic fit utrinq; manifesta modestia, & quod nihil am-
plius dixerit uel fecerit, & quod hoc tribuat deo. Eatenus gloriandum erit, quate
nus pertingere dabitur, sed non nisi in domino, qui dedit quod uoluit.

9 Non enim quasi non pertingentes ad uos, superextẽdimus nos, usq;
ad uos enim peruenimus in euangelio Christi, non in immẽsum gloriã
tes in alienis laboribus.

Satis est ingens hoc gloriandi argumentum, non quocunq; modo peruenisse
ad uos, sed ita peruenisse ut uobis prædicauerimus euangeliũ Christi, ut iam non
sit nobis necesse uerbis amplificare laudes nostras, quasi re uera nõ pertigerimus
usq; ad uos, alioqui non admodum expugnabiles. Nec enim inuisimus iam per-
suasos, quod faciunt pseudapostoli, sed ipsi primi persuasimus. Neq; sine fine nos
iactamus de alienis laboribus, laudem alienorum gestorum in nos uerbis trãsfe-
rentes, quod quidem ignaui duces factitant, arcis aliena uirtute captæ laudem si
bi uendicantes.

10 Spem autem habentes crescentis fidei uestræ, in uobis magnificari se-
cundum regulam nostram in abundãtia, etiam in illa quæ ultra uos sunt
euangelizare, non in aliena regula, in ijs quæ præparata sunt gloriari.

Speramus futurum, ut indies magis ac magis glisscente & augescẽte fide, per
uos maiorem laudem consequamur, iuxta metam nobis à deo præscriptam. Vt
in

in alijs quoq; regionibus quæ sunt ultra uos, prædicemus euangelium Christi, ac longius etiam q̃ hactenus fecerimus, proferamus Christi uexilla, nõ alieno Marte atq; auspicijs rem gerentes, aut in rem paratam ingerentes nos, alienis laboribus partam laudem nobis arrogemus. Imò tantum abest ut ex alienis factis iacte mus nos, ut nec meorum gestorum gloriam mihi ascribam.

Qui autem gloriatur, in domino glorietur. Non eñ qui seipsum com 11
mendat, ille probatus est, sed quem deus commendat.

Quisquis sine uitio gloriatur, non suo sed Christi nomine glorietur oportet, cuius negotium agit. Neq; enim qui sui buccinator semet ingerit, uere probatus est, sed qui delectus à deo, tanquam idoneus, bona fide mandato fungitur officio, is demum uere spectatus ac probatus est. Non dixit, Nos sumus, sed quem dominus commendat: humiliter loquitur. Si autem procedens sublimiora ponit, non miremur. Sapiẽtiæ id est Paulinæ & sanctæ. Si enim ubiq; humilia dicturus fuisset, non illos sic perstrinxisset, neq; discipulos ab errore liberasset. Fieri enim potest, quod & humilia loquens intempestiue, damnũ faciat, & dicens de seipso mirabile quiddam in tempore, prosit, quemadmodum scilicet & ille fecit. Non enim paruum periculum erat discipulis, malum quiddam de Paulo persuaderi, non q̃ Paulus gloriam ab hominibus quæreret. Nam si hanc quæsiuisset, non magna illa & mirabilia, quæ ante tempus quatuordecim annorum uiderat, siluisset, & urgente necessitate, non sic cessasset & tardus fuisset. Igitur non humanam gloriam sectans hæc dicebat, sed discipulorum curam habebat. Quoniam enim uituperabant ipsum ut arrogantem, & sermonibus superbum, factisq; nihil declarare ualentem, cogitur ultro ad ipsas uenire reuelationes. Quamuis ualeret tunc quum hæc diceret illis operibus persuadere, attamen uti maluit minis suæ potẽtiæ, nam à uana gloria alienus erat ac purus, id quod omnis etiam superior ac sequens eius uita ostendit.

CAPVT XI.

TInam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ, sed & sup- 1
portate me, æmulor enim uos dei æmulatione.

Incipiens de se uera narrare & bona, insipiẽtem se dicit, quia ad laudem eius uidetur pertinere. Dictum est enim: Non te laudent labia tua, sed proximi tui. Sed ad id cogitur propter hos, qui cum de eo bene præ cæteris sentire deberent, indigne sentiebant, quibus scribit, non se quidem ignorare, argumẽtum esse stultitiæ iactare seipsum. Sed utinam (ait) feratis me paulisper ineptientem, imò non dubito quin laturi sitis. Huc enim stultitiæ talis me cogit non arrogãtia, non studium alicuius emolumenti, sed ingens quidam & impatiens erga uos amor, atq;, ut ita dicam, zelotypia: nam planè zelotypus sum erga uos, nihil non metuens uobis, quos tenere diligo. Diligo autem non humano affectu, sed charitate diuina: nec mihi zelotypus sum, sed Christo. Sunt autem zelotypæ animæ, quæ immodico dilectorum amore flagrãt, nec aliunde nascitur nisi ex amore uehementi. Tribuitur autem deo, non ob affectionem quancunq;, quæ deo nõ conuenit, sed ut discamus, deum propter nihil aliud tam efflictim amare homines, q̃ ut seruentur ipsi, ut bene sit illis, ut benefaciat, non ut recipiat quicquam cõmodi ab eis. Tali quoq; amore Paulus Corinthios amat, ut bene habeãt in Christo, & non scãdalizentur in æstimatione ipsorum, de doctrina & exemplo apostoli sui.

Despondi enim uos uni uiro, uirginem castam exhibere Christo. Ti- 2
meo autem, ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, ita corrumpantur

sensus uestri, & excidant à simplicitate quæ est in Christo.

Metaphoram sumit à pronubis, qui si fidi sunt, non sibi, sed his à quibus missi sunt uirginem copulant. Christus sponsus est, cui credentes animæ adducuntur per fidem desponsæ, nec se patiuntur ab illius amplexibus auelli, hanc fidem in Christum hic simplicitatem uocat, quæ humanis doctrinis uitiatur & corrumpitur. Quod cum apud Corinthios astutia pseudapostolorū fieri uidebat Paulus, amoris quo Corinthios prosequebatur impatientia, monet, ne à fide qua primum Christo iuncti fuerant, desciscant. Huic, ait, ueluti unico sponso uos ceu castam & incorruptam uirginem copulaui, à quo nunquam diuellamini. Mihi nihil arrogo uestri, ille sponsus est, ego pronubi modo functus sum officio. Castam ac puram sponsam illi tradidi, sed metuo, ne qua fiat, ut quemadmodum olim serpentis uersutia, simplicem Euæ mentem corrupit, uitiata puritate, in qua fuerat condita, ita per pseudapostolorum astutiam, uestra quoq; simplicitas corrumpatur, ac degeneretis ab illa puritate, qua hactenus estis usi erga sponsum Christum Iesum, qui purus puris uobis per nos traditus est, cui indiuulse hæreatis, & innocenti conuersatione colatis, abnegantes mundum, carnem, & concupiscentiam. In uno Christo omne gaudium quæratis, eius tantummodo uerbis & uoci credite, cordaq; uestra illibata charitate seruate.

3 Nam si is qui uenit alium Christum prædicat, quem non prædicauimus: aut alium spiritum accipitis, quem non accepistis: aut aliud euangelium quod non recepistis, recte pateremini.

Si nouus quispiā apud uos post me apostolus, qui in nostros labores irrepsit, alium Iesum prædicaret, quem nos uobis non prædicauimus: aut si per illum alium spiritum acciperetis, quem per nos non acceperitis: aut aliud traderet euangelium, quod per nos non sit traditum, merito ferretis illum sese iactantem, ac nobis anteponentem, ut qui contulisset quod à nobis conferri non quiuerit. Nunc si nihil ab istis adfertur, quod à nobis non sit abunde traditum, quid est quod nobis quodāmodo fastiditis, illorum perferatis insolētiam? Si uero alium Christum prædicāt, & doctrinam quam à nobis non audiuistis adferunt, impostores potius sunt cū apostoli, qui certe fide optima uerbis & testibus uirtutum, totum religionis & uitæ sanctæ negotium docuerunt diligentissime.

4 Existimo enim nihil me minus fecisse à magnis apostolis: nam & si imperitus sermone, sed non scientia, in omnibus aūt manifestus sum uobis.

Sint illi apostoli quamlibet magni, qui se iactant magnorum apostolorum auditores & discipuli, certe quod ad euangelij fructum attinet, non arbitror me uel præcipuis apostolorū primoribus ulla in re fuisse inferiorem. Sint isti uestri magni doctores sermone comptiores, certe scientia diuinorum non illis cōcesserim. Nihil opus orationis lenocinio, cum res adsit. Venditēt illi sese uerborum phaleris, nos omnibus officijs declarauimus animum erga uos, & uim apostolicam. Neq; quicquam passi sumus in nobis desiderari. Non hoc loco Paulus se cæteris apostolis præfert, sed de eis loquitur qui Corinthios à se alienare quærebāt, non apostoli Christi, sed qui apostolorum Christi magisterium iactabant, ipsis minus respondentes doctrinis & factis. Denicq; non se effert, sed laborem, diligentiam, fidem & constantiam in euangelio Christi non fuisse minorem confidit, ex bona conscientia, cū fuerit apostolorum Christi. De peritia autem sermonis uel imperitia in Paulo, non est multum ut disceptetur, nō est enim regnum dei in sermone, sed in uirtute. Et qui eruditionem insignem ostendere crebro conantur in Pauli epistolis,

epistolis, hi non adeo simpliciter agere uidentur, quando spiritus sancti uena & oratio melior & utilior esse nõ potuit in suis sacratissimis organis, quomodocũq; ab hominibus curiosioribus uel religiosioribus, commẽdetur uel infirmetur uel excolatur.

Aut nunquid peccatum feci, meipsum humilians, ut uos exaltemini, 7
quoniam gratis euangelium dei euangelizaui uobis, alias ecclesias expoliaui, accipiens stipendia ad ministerium uestrum?

Num uos hoc offendit, quo maxime debuerat uobis animus noster commendari, quod non, istorũ more, fastu meo uos presserim, sed memetipsum apud uos humiliarim ac deiecerim, haudquaquam subdole, sed ut uos per meam humilitatem exaltaremini in fide: aut quod ad istorum exemplum non onerauerim uos sumptu, sed gratuito meoq; cibo uobis prædicauerim euangeliũ dei. Humiliare seipsum, est non sectari fastũ & gloriã in uerbo uel facto, non quærere sua, sed negligere propria, ut prodesset aliis in fide et ueritate, in iustitia Christi, et innocẽtia uitæ, quibus pij apud dominũ exaltantur, quamuis secum sint minime præsumptuosi. Euangelium gratis acceptum, gratis quoq; fuerat prædicandum, hoc est, sine spe mercedis humani. Sed non propterea excusantur, qui gratis sibi seruiri 8
in euangelio permiserunt, quando dignus sit operarius mercede sua. Multo magis dum uiderent & audirent eatenus indigere Paulum necessariis, ut ab aliis ecclesijs sustentandus decerneretur, cum illis præsentibus indigus ministraret. Libere certe loquitur, & uera dicit, unde Corinthijs cogitandum erat, qualem habe rent apostolum. Quid autem de istis dicendum, qui cum nemini prosint, sed oblibidinari? Satis constat carere tales timore domini, quos nõ pudet publico eccle siæ stipendio ali, dum interim publicæ ueritatis & salutis pestes sint, nõ otiosi modo & inutiles, sed & pernicioſi per omnia.

Et cum essem apud uos, & egerem, nulli onerosus fui: nam quod mi- 9
hi deerat, suppleuerunt fratres, qui uenerũt à Macedonia, & in omnibus sine onere me uobis seruaui & seruabo.

Adeo peperci uobis, ut cum premerer inopia, maluerim tamen alias ecclesias deprædari, quo uobis absq; uestris impendijs inseruirem, ne tum quidẽ cuiquam onerosus cum apud uos agerem, idq; cum urgeret egestas. Nam egestatẽ meam suppleuerunt ij qui uenerãt à Macedonia. Quin non in hac re solũ, uerumetiam in omnibus caui, & cauturus sum, ne cui sim grauis. Singula hæc uerba uidẽtur nonnihil accusare Corinthios. Erat apud illos Apostolus, à quo fidem Christi & ueram religionem primum & perfecte & magno fructu didicerant, non sine multa diligentia & labore illis ministrans, interim illum passi sunt egere tam fidelem ministrum uerbi. Onerosum seipsis esse timuit, qui sponte & liberaliter se & sua temporalia superimpendere debebant, danti affatim illis spiritualia, ut lucrũ æstimare debuerint, si quid officij contulissent in eum. Defuisse sibi necessaria apud illos audet queri, quæ non ecclesia ista Corinthiorum, sed aliæ quædam in Macedonia administrauerunt, sed nihil ad abundantiam uel aliquem luxum. Vult nulli esse oneri, sed omnibus prodesse: illi contrà beneficium suscipere malunt quàm agnoscere uel rependere. Et ne quæstus gratia cõqueri uideatur, addit, sic illi placuisse hactenus, sic statuisse, ut more suo laborare malit, quàm lucrum sectari ex euangelio.

7 Est ueritas Christi in me, quoniam hæc gloriatio non infringetur in me in regionibus Achaię. Quare? quia non diligo uos? Deus scit. Quod autem facio, & faciam, ut amputem occasionem eorum qui uolunt occasionem, ut in quo gloriantur, inueniantur sicut & nos.

Non hæc loquor glorianter uel arroganter, sic mihi semper adsit Christi ueritas, ut in regionibus totius Achaiæ, non solum Corinthi hæc mea gloriatio euangelij gratis prædicati nō interrumpetur. Quamobrem autem hoc facio? An odio uestri munificentiam quoq; uestram aspernor? Deus nouit hoc nō esse in causa. Verum quod facio, quodq; in posterum facturus sum, ideo facio, quo præripiam occasionem calumniandi me ijs qui captant occasionem, ut isti cum sint opulēti, simulantes palàm se recusare munera, cum clanculum accipiāt, in hoc quoq; cuius falsam laudem sibi uenantur, cōperiantur nihilo præstantiores nobis, qui nec inopia pressi, quicquam à quoquam accipiamus, non committētes, ut isti uel hac simulata fucataq; specie pietatis nos superent. Gloriantur sanè apostoli uestri aliis modis se efferunt, cupimus autem ut exemplū nostrum sequuti, gratis prædicent Christum.

8 Nam eiusmodi pseudapostoli sunt operarij subdoli, transfigurantes se in apostolos Christi. Et non mirū, ipse enim satanas transfigurat se in angelum lucis: non est ergo magnum, si ministri eius transfigurentur uelut ministri iustitiæ, quorum finis est secundum opera ipsorum.

Isti quidem non ex animo, sed ad suum quæstum ac fastum prædicant euangelium. Et cum à Christo missi non sint, neq; Christi negotium agant, tamen falsò sibi uendicant apostolici cognominis honorem, simulantq; sese conductos in uineam domini, opera sua rem illius agere, cum officiāt eius negotio, ac sui uenris agant negotium, sub euangelicæ doctrinæ prætextu, sua quædam infulcientes dogmata, uelut faciunt ij qui lætale uenenū, quo magis fallant admiscent exquisitissimo uino, sumpta interim apostolorum persona, quo magis etiam imponant simplicibus animis authoritatis prętextu, magnicq; nominis umbra, histrionis more rius q̄ apostoli. Est autem hoc pernicioſissimum impostura genus, fuco pietatis, impietatis uenenum inserere. Christum autem prætexunt cum satanæ rem agāt. Neq; mirum, si discipuli suum exprimunt magistrum, nam & ipse satanas tenebrosus non alia arte uehemētius nocere solet mortalibus, q̄ si simulata sua specie sese præstigio trāsfiguret in angelum lucidum. Qui uere ministri Christi sunt, nihil per fucum agunt, dominum suum referentes. Nihil autem nouum, si satanæ ministri personam alienam sibi sumunt, ut cum iniustitiæ seruiant, tamen iustitiæ ministri uideantur, sceleratissimi proditores, qui mentientes amicum, hostem agunt. Nondū in hos exerceo meum ius, sed illos suæ malitiæ relinquo. Cæterum non effugient pœnam, siquidem malorum operum malus erit finis.

9 Iterum dico, ne quis me putet insipientē esse, alioquin uelut insipientem accipite me, ut ego modicum quid glorier.

Rursus putat sibi petendā ueniam, dicturus uera & sancta, necessaria quoq; pro asserenda authoritate sua apostolica, non tantum factis, sed & uerbis ueritatis, contra eos qui eam labefactatam cupiebant, quo ipsi apud Corinthios maiori essent in gloria, cum præiudicio euāgelicæ ueritatis, quod nullo modo ab apostolo permittendum uidebatur. Petēda, inquit, mihi rursum à uobis est uenia, ut de me quoq; nonnihil uere prędicem necessitate cōpulsus, ne quis hoc stultitiæ meæ tribuat,

tribuat, quod mearũ laudum ebuccinator sim ipse, ad quod illi me cogunt, & causa apostolatus mei. Quod si non ueniam impetro à uobis, sed insipiens uidendus sum uobis, plausibilia quædam iactans, uel stultitiæ meæ, si uidebitur, concedite. Vt cum isti æmuli doctrinæ meæ apud uos tam multa de se prædicẽt, mihi quoq; fas sit uel paululum quiddam dicere eorum quæ per me deus agit, & agere me loquiq; uoluit, etiam si uideatur cõmuniter iudicantibus gloriatio esse, quæ tamen fiat in domino.

Quod loquor, non loquor secundum deum: sed quasi in insipientia, 10
in hac substantia gloriæ: quoniam multi gloriantur secundum carnem, & ego gloriabor.

Quod nunc de laudibus meis, imò uero de donis dei dicturus sum, non quidem uidebitur omnibus sapere purum illum Christi spiritum, qui tamen & de seipso contra Iudæos, quæ uera erant & laudanda dicebat in loco & causa, sed humanam aliquam stultitiam prætendere potius uidebitur, quandoquidem super hisce rebus gloriaturus sum, quę nos deo nihilo reddũt gratiores. Sed sunt huius generis, de qualibus stultũ uulgus sese iactitare solet, cum ex his non oriatur uera gloria. Scio, stultitiæ speciẽ habet quod facio, sed huc me adigit istorum iactantia, quos tamen stulte gloriantes toleratis. Cũ igitur tam multi sint apud uos, qui cum apostoli uelint haberi, tamen ea iactent, quæ nihil faciunt ad dotes apostolicas, gloriabor & ipse de me nonnihil, stultitiam istorum imitans.

Libenter enim suffertis insipientes, quum sitis ipsi sapientes. Sustinetis enim si quis uos in seruitutem redigit, si quis deuorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem uos cedit. 11

Vos interim hanc nostram ineptiam boni consuletis, siquidem cum sitis ipsi sapientes, nõ grauate fertis alienam stultitiam: æquum est autẽ, ut inter tam multos assidue gloriantes, me quoq; paulisper feratis, præsertim cũ gloriatio mea uos non sit grauatura, quemadmodum illorum. Ab illis enim suffertis, si quis in seruitutem adigat, & oneribus legis & carnis circunciſione moliatur grauare, quum Christus uoluerit uos esse liberos: Si quis sumptibus exedat atq; exhauriat uos, ut faciunt falsi doctores uestri, cum nos gratis apostolum egerimus: Si quis accipiendis xenijs ac muneribus facultates uestras attenuet: Si quis fastu turgidus, tyrannidem in uos exerceat, & adeo, ut quod est extremæ cõtumeliæ palma uos cedat in faciem: quod si non faciunt, certe sic tractant alijs modis, ut non leuior sit contumelia.

Secundum ignobilitatem dico, quasi nos infirmi fuerimus in hac parte, in quo quis audet, in insipientia dico, audeo & ego: Hebræi sunt, & ego: Israelitæ sunt, & ego: semen Abrahæ sunt, & ego: ministri Christi sunt, ut minus sapiens dico, plus ego. 12

Nunc hos significat Paulus, qui eo quod essent ex genere Abrahæ Iudæi ad Christum conuersi, obtrectabãt tamen eis fidelibus, qui essent ex gentibus incircunciſi, sese propterea præferentes, hos autem humiliantes. Hæc, inquit, cum illi faciant uobis, magni uidentur apostoli, ex huiusmodi rebus eos æstimantibus, de quibus & uulgo stultum habetur iactare sese. Perinde quasi nos non potuerimus ijsdem titulis abuti, ad premendos uos authoritate, nisi maluissemus uestræ saluti & nostro dominio consulere. Quid enim iactant illi, aut in quo sibi placent, (ut interim stultorum more loquar) in quo non possum me illis æquare? Magnã

uideri uolũt quod Hebræi sunt, perinde quasi apud deum quicquam referat qua gente sis oriundus: & tamen si quid est Hebræum esse natum, Hebræus sum & ego. Israelitæ sunt, sum & ego. Posteri sunt Abrahæ, sum id quoq; ego. Nam huiusmodi titulis inanibus sese uenditant, in quibus ipsis tamen pares sumus, si libeat gloriari. Cæterum in ijs quæ uere faciũt ad gloriam apostolicam, etiam præcellimus istos. Ministri Christi sunt isti, demus esse, sed magis ego sum, ut stulte quidem loqui uidear, sed uere. Id ita esse non declarauí fastu, non capiendis muneribus, non iactando gentis originem, sed his argumentis, quæ uere testentur pectus apostolicum.

13 In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas una minus accepi.

Vt illi quoq; laborarint in euangelij prędicatione, sed ego plus laboris exhausi. Paulus enim à mane usq; in quintam horam uictum manibus quærebat, & exinde usq; ad decimã horam publice disputabat, iuxta Ambrosiũ, tanto labore, ut contradicentibus suaderet. Plagis quoq; longe grauius exercitus sum. Sæpius in carcerem coniectus sum, frequẽtius adij capitis periculũ. Quod si uultis & nominatim recenseri quædã, A Iudæis quinquies cæsus, quadragenas plagas una minus accepi. Dicit autẽ, Vna minus: lex enim uetus erat, ignominiosum fieri eum qui supra quadraginta accepisset uel dedisset. Ne igitur percutientis impetus supra numerum plagas inferens, ignominia notaretur, decreuerunt maiores una minus inferri, ut licet uerberans multiplicet, ne supra quadraginta excidat, sed intra constitutum numerum maneat, uerberansq; non notetur ignominia nec uerberatus.

14 Ter uirgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui.

Ter lictorum uirgis cæsus sum à gentibus. Semel lapidatus sum à Iudæis in ciuitate Licaonia. Qui uero omnibus temporibus legitur nauigasse aduersis procellis, facile fuit ter facere naufragium. Totam noctem & diem exegi in profundo mari, cum summa uitæ desperatione. Simile quiddã quoq; postea factum est, quando missus est Romam, cum Cæsarem appellasset, tunc enim desperatione uitæ in alto, hoc est profundo maris fuit, mortem habens ob oculis.

15 In itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronũ, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus.

Quid pergam enumerare singulatim? cum frequenter euangelij gratia perelitatus sim, non solum in nauigatione, uerumetiã in terrestribus itineribus, crebro uersatus in periculis fluminum & latrociniorum. Ex Iudæorum persecutionibus crebris ubiq;. Ex uiolentia quoq; gentilium. Periculis in ciuitatibus obortis ob prædicationẽ ueritatis, ut etiã per fenestram effugeret manus quærentium eum ad mortem. Periculis in deserto, quando Iudæorum insidijs fuerat intercipiendus in itinere. Periculis in mari, quando in mari milites cogitabant occidere omnes uinctos: simile alibi quoq; passus fuit uerisimiliter. Periculis ab ijs, qui falso nomine Christiani, euangelio nostro resistebant. De quibus ad Galatas 2. cap. Qui partim Christiani erãt, partim Iudæi, in neutro perfecti, qui zelo legis Apostolo inuidiam excitabant, eo quod prædicato Christo, legalia cessare diceret,

pro

pro quibus illi zelabant nimium.

In labore & ærumna, in uigilijs multis, in fame & siti, in ieiunijs mul- 16
tis, in frigore & nuditate, præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo omnium ecclesiarum.

Potest quidem esse labor absq; molestia uel ærumna, hic uero utrunq; coniungit, ut laborem suum doceat fuisse immensum, & etiam exitiosum. Assiduos, inquit, labores ac molestias euangelij gratia susceptas. Crebras quoq; uigilias, partim uolũtarias, ut oraret & doceret solicite: partim ex necessitate, positus in pressura & angore mentis pro gloria Christi & salute fidelium promouenda. Famem & sitim sæpenumero toleratam, ob persequutiones Iudæorũ. In ieiunijs multis, quæ suscepit ad orationem, ut dei adminiculo protegeretur, etiam abstinens ab his quæ habebat ut ederet. In frigore autem & nuditate fuit, quum passus est naufragium, ut Act. quoq; 28. cap. Hactenus, inquit, recẽsui quæ ad corporis dunta xat afflictionem pertinent: at interim non leuius affligebar animo, quem undiq; quotidie premit urgetq; solicitudo, quã pro tot ecclesijs gero, quæ mihi usq; adeo cordi sunt, ut quicquid illis acciderit, mihi putem accidisse. Si quis uni soli domui præest, & ministros habet, sæpe curis non sinitur respirare, etiamsi domum nemo obturbet: quid Paulus, qui non unius domus, sed ciuitatum, populorum ac gentium curam gerit, proq; tantis negotijs, tanta ferens, tam solicitus, ut pater pro filijs, sustinuit?

Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scãdalizatur, & ego non 17
uror? Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor.

Cuius ego malis non indolesco perinde ac meis? Quis infirmatur, cuius malo non ægrescam & ipse? Non tantum communico molestię aliorum, sed quasi in ipsa passione essem & infirmitate, sic conturbor & commoueor. Hoc autem erat quod turbabat ipsum & sauciabat mentem eius, quod in singulis infirmis hæc pateretur, tam minoribus q̃ maioribus. Si interim gloriandum est, de his potius gloriabor, quæ meam imbecillitatem, q̃q; quæ magnitudinem arguunt. Iactent alij q; per euangelij commendationem habeantur in pretio, quod diteſcant, quod sub prætextu Christi regnent, ipse pulchrius arbitror iactare quod Christi gratia deiectus fuerim & afflictus. Non produco signa quę per me Christus gessit, sed tentationes & persecutiones, quas tuli cũ gratia sua pro Christo. Etenim Iudæi & gentes resistebant illi, & falsi fratres impugnabant, infirmi quoq; contristabãt, & qui scandalizabantur. Hic apostolicus est character certus, per hæc propagatur & contexitur Christi euangelium per apostolos.

Deus & pater domini nostri Iesu Christi, qui est benedictus in sæcu- 18
la, scit quod non mentior.

Deum testem dat, ut quæ de uetustioribus actis loquuturus est, & non adeo omnibus tunc notis, facile credatur, & propter hos qui eum nõ ut uerum apostolum agnoscebãt, uel obseruandũ putabant. Deus, inquit, nouit me nihil mentiri.

Damasci præpositus gentis Aretæ regis custodiebat ciuitatem Dama- 19
scenorum, ut me comprehenderet, & per feneſtram in sporta demissus sum per murum, & sic effugi manus eius.

Cum essem Damasci inter initia cõuersionis meæ, dum confunderẽ Iudæos, & Christũ prædicarem, quem persequi in membris statuerã, ad inuidiam usq; Iudæorum, is quem Aretarex, Herodis socer, ei genti præfecerat, excubias dispo-

fuerat in Damascenorum ciuitate, modis omnibus hoc agens, ut in Iudæorũ gratiam me comprehẽderet, ac ueluti tumultus authorem occideret. Quid facerem? Didiceram à domino præceptum, ut alicubi persequutionum sæuitiam declinaremus. Dictabat animus nondũ adesse tempus obeundi martyrij, sed magis prædicandi latius euangelij. Verum urgebat undiq; tyrannus, non dominus tentandus miraculo uidebatur, donec occurreret opportunitas alia: nec aliud effugium aptius incidebat, nisi quod sportulæ inclusus, per fenestram è mœnibus fune demissus sum, atq; hoc pacto sum elapsus è præfecti manibus. Hæc sunt apostolicæ animę, tanta pati, & minime succumbere, sed generose ferre omnia quæ accidũt, simulq; cedere periculis, & temere se non ingerere.

CAPVT XII.

1 SI gloriari oportet, non expedit quidem, ueniam autem ad uisiones & reuelationes domini.

Hactenus ea recensui quæ me calamitosum & ærumnosum fuisse testantur, quæq; iuxta iudicium humanum magis contemptum reddunt q; gloriosum. Cæterum an & alia commemorare debeam, nondum statui, de quibus tamen alij falsò se iactitant. Gloriandúmne an non? Sed nusquam expedit gloriari, præsertim cum sermonis tenor nos deduxerit ad uisiones ac reuelationes domini Iesu, quas cum isti multas confingant, & insolenter iactent, ego coactus & inuitus (ne uidear uel hic illis inferior) unam duntaxat recensebo, non ad meam, sed ad dei gloriã. Nolo enim maiorem de me auditoribus opinionem ingeri, dum illi pseudapostoli, etiam ea quæ non erãt, de seipsis dicant. Hoc doceo omnes abundantibus argumentis fugiendum. Nullum enim lucrum sed damnum potius adfert huiusmodi gloriatio, nisi necessaria quædam sit occasio & utilis, quæ in hoc inducat.

2 Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, siue in corpore siue extra corpus, nescio, deus scit, raptum huiusmodi usq; ad tertium cœlum. Et scio huiusmodi hominem siue in corpore, siue extra corpus, nescio, deus scit, quoniam raptus est in paradisum, & audiuit arcana uerba, quæ non licet homini loqui.

Magna quidem hæc reuelatio, sed non sola facta, sed etiam aliæ multæ, ex quibus unam hanc ponit. Ostendit autem quàm inuitus perueniat ad dicendũ ista, qui tanto tẽpore se à dicendo cõtinuit, iam uero magna necessitate eloqui cogat, taciturus omnino, nisi fratres pereuntes uidisset. Quod si ab initio conuersionis
2 talis erat Paulus in tantis reuelationibus, quantus factus est per quatuordecim annos, continuorum profectuum? Per modestiam autem ait se quædam ignorare, quæ & nos scire prorsus uelle non debemus. Quod in paradiso quidem fuerit sciebat, & in tertio cœlo, modum autem non sciebat. Si autem rationem relicta si de cõsulimus, facilius fuit cum corpore rapi, q; absq; corpore. Raptus est autem, ne minor haberetur alijs apostolis.
3 Raptus est autem in gloriam, hoc est in paradisum: ubi & Christus cum latrone saluato, ubi & ciuitas Ierusalem est mater nostra. Quid ergo mirum, si post resurrectionem corpus iam expiatum & immortale, futurum credatur in cœlis, quando non dubitat Apostolus adhuc mortale potuisse leuari in cœlos? ubi & fulgore cœlesti & ineffabili gaudio sic obrutus fuit, quod tertium cœlum per hyperbolen dixisse putatur, ut plane nescierit raptus in extasim, an extra corpus fuerit uel intra, certe ad ineffabile gaudium & uoluptatem

tem inedicibilem admissus est. Vbi ei talia ac tanta reuelata sunt, quæ uerbis asse qui haudquaquam possint ab aliquo homine mortali.

Pro huiusmodi gloriabor, pro me autem nihil, nisi in infirmitati- 5
bus meis.

Hoc est, Nisi esset ingens necessitas, nihil tale dicerem simpliciter ac temere, uel adumbrans. Iterum dicit quantum licebat, nam quod pro illoipso omnis sermo fuerit, etiam sequẽtia declarant. De se autem non gloriatur, dum non aperte de se profitetur. Deniq; exponere pressuras passionum, & infirmitates angustiarum, nõ uidetur glorioſum, sed flebile, idcirco se in his gloriari dicit, quia ad profectum perducunt remunerationum cœlestium. Quid enim tam glorioſum Christiano, q̃ narrare exitia illata sibi pro Christo?

Nam & si uoluero gloriari, non ero insipiens, ueritatem enim dicam: 4
parco autem, ne quis me existimet supra id quod uidet in me, aut aliquid audit ex me.

Si uoluero hac etiam in parte prædicare de memetipso, quãdo nec uane quicquam, nec ad ostentationem mei dicturus sum, non possim stultitię condemnari, etiam si stultitiæ nomen agnoui. Sed tamen ab ijs recensendis mihi tempero, uestra causa, nõ mea, ne quis mihi plus tribuat, meq; maius aliquod suspicetur esse, quàm me mea facta, meaq; testatur oratio. Hos autem significat, quos obtrectato res habebat causa legis. Nam utiq; meritorum gratiam ad solius dei gloriam bonum est non tacere, ut inuitentur credentes.

Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus 7
carnis meæ, angelus satanæ, ut me colaphizet: propter quod ter dominũ rogaui, ut discederet à me, & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea: nam uirtus in infirmitate perficitur.

Quanquam nec mihi fortasse satis tutum fuerit, de his gloriari quæ nos magnos faciunt, & affines arrogantiæ periculo, ideo ne plus satis efferar sublimitate reuelationum, aut ne plus habear apud homines, q̃ expedit haberi, permissu pro pitij numinis, additus est mihi stimulus & afflictio corporis, quæ & me mei commonefaciat, & apud omnes me mortalem arguat, communibus obnoxium malis. Additus est autem affligendo mihi, qui Christi rem ago, nuncius & minister satanæ, qui meo obstrepat euãgelio, meq; sæuissimis persequutionibus diuexet. Perinde quasi colaphos impingat in caput meum, deijciens ac deprimens me, ne supra modum extollar. Quæ res cum mihi uehementer esset molesta, ter rogaui dominum, ut ab hac afflictione me liberaret. Verum is mihi magis consulens q̃ egomet mihi, respondit ad hunc modum, Paule contentus esto mea in te beneficentia, nec ultra quicquam efflagites. Quod afflictionibus tunderis, simul & ad meam gloriam illustrandam pertinet, dum meo præsidio tutus uinci non potes quantislibet procellis, & ad tuam salutem, qui quo magis affligeris corporalibus malis, hoc magis ditescis animi bonis: ita fit, ut imbecillitas perficiat uirtutem, & infirmitas absoluat potentiam: sic enim uirtus mea quam homini tribuo, fortior fit, & absolutior aduersitatibus. Ferendæ sunt ergo tribulationes æquo animo, quæ in nobis uirtutem dei perficiunt.

Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me 9
uirtus Christi.

Cum hoc responsi acceperim à domino, posthac nulla de re lubentius gloria-

bor, & de afflictionibus, quibus imbecillus uideor potius & magnus: in quibus etiam, si quid magnitudinis aut sublimitatis apparet, id totum in dei gloriã cedit: ut qui propter Christum infirmus uideor, per illum uidear potens ac robustus. Docemur hic gloriari in domino, dũ iniurijs humiliamur, & quod à Christo præbetur uirtus tolerandi. Et quod plus addit medicina Christi ad salutem, & infirmitas detrahat sanitati.

7 Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in cõtumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo. Cum enim infirmor, tunc potens sum.

Potissimum mihi placeo, ac plaudo ob afflictiones, ob contumelias, ob egestates, ob persequutiones, ob anxietates pro Christo susceptas. Etenim cum hoc modo maxime destitutus sum, ac meis diffidens opibus, tamen uere potẽs sum Christi præsidijs. Vere enim tunc uincit Christianus, cum perire putatur: & tunc perit perfidia, cum se uicisse gratulatur. Plaudit ergo cum illi insultatur, & surgit cum premitur.

8 Factus sum insipiens, uos me coëgisti, ego enim à uobis debui commẽdari, nihil enim minus feci ab ijs qui sunt supra modũ apostoli, tametsi nihil sum.

Video me planè reuolutum in manifestam stultitiam, gloriando, rapiente me sermonis necessarij impetu, sed uos estis in causa, qui me huc adegeritis: siquidẽ quando quicquid ualui, uestro bono ualui, uestræ partes erant, prædicare de me contra meos æmulos & doctrinæ meæ, quæ uosipsi sciebatis uerissima, quę nunc indecore cogor de meipso prædicare. Non arrogo mihi laudem officij, quod non præstiterim: quod si præstiti, quantum alius quisquam, cur alij nobis anteponuntur? Tenuis sum, humilis sum, afflictus sum ac deiectus, infans sum, nihil horum recuso, neq; refello, hæc ad me pertinent, si quid habent incõmodi. Cæterũ quamlibet nihil sum, tamen quod ad uos attinet, nulla in re sensistis me inferiorem cæteris apostolis, non dicam gregarijs, sed ne summatibus quidem. Non iacto quod non sitis experti, nam ueris argumentis docui me esse apostolum, uobis quoque testibus.

9 Signa tamen apostoli facta sunt super uos in omni patientia, in signis & prodigijs & uirtutibus.

Primum ac præcipuum argumentum apostolici pectoris est, euangelij gratia nihil non libenter perpeti. Hac certe nota præstiti Apostolum. Neq; defuerunt illa, quibus ad tempus ob incredulitatem quorundam deus fidem arrogat sermoni nostro, quod genus sunt ostenta prodigia factaq; potentia, qualia uos sensistis, ut me tacẽte defendere me potueritis, quem patrem habuistis in euangelio Christi. Quare ergo Apostolus quibusdam non uidebatur, cum eadem posset per dei gratiam, quę & apostoli? Ideo dolet & ostendit cõpulsus, quid à dignatione domini mereatur. Hinc est quod non solum minorem se non esse coactus est profiteri, sed & plus omnibus laborasse.

10 Quid est enim quod minus habuistis præ cæteris ecclesijs, nisi quod ego ipse nõ grauaui uos? Donate mihi hanc iniuriam. Ecce tertio hoc paratus sum uenire ad uos, & non ero grauis uobis.

Proferte, si quid habetis, in quo fueritis inferiores cęteris ecclesijs: aut quid ul

li ecclesiæ per magnos illos apostolos est collatum, quod per me uobis non sit collatum? Nihil est quod in me desideretis, nisi hoc unum desideratis, quod ad apostolorum aliorum exemplum, nõ onerarim uos sumptibus. Quare si læsi uos, ob hoc quia non læsi, condonate mihi hanc iniuriam, etiamsi non pœnitet huius animi. Iam bis apud uos fui, neq; cuiquam fui grauis, & ecce est animus tertio uos inuisere, nec tamen cuiquam ero onerosus, nihilo magis q̃ antehac fuerim.

Non enim quæro quæ uestra sunt, sed uos. Nec enim debent filij pa- 11
rentibus thesaurizare, sed parentes filijs.

Ostendit ideo se nolle accipere ab eis, ut illos ipsos lucraretur, ut intelligentes, quia pecuniæ præponit eos, tandem cognoscerent affectum illius erga se. Quacunq; inquit, ratione hæc facio, uestris inseruio cõmodis, ac uerum ago patrem. Non enim debent filij congerere diuitias parẽtibus, sed contrà parentes filijs. Habet hoc parentum affectus, ut non solum opes suas haud citra sudorem quæsitas, uerumetiam seipsos impendant suis liberis. Patrem ergo se eorum significat, sicut in prima dicit, Per euangelium ego uos genui. Carnales tamen parẽtes sunt, qui filijs thesaurizant: spiritales uero, à filijs dignum est ut accipiant sumptus, ad sustentandum uitam præsentem. Non enim magnum est, ut spiritualia tradẽtes, consequantur carnalia. Hic autem in tantum probat se nolle accipere, ut transferat causam carnalis patris ad spiritualem: ut non solum non ab eis accipiat, sed & si potest fieri, ipse illis tribuat. Ostendens quantus sit illis, & quid hi mereantur, qui tanti Apostoli prouidentiam negligunt.

Ego autem libentissime impendam & superimpẽdar ipse pro animabus uestris, licet plus uos diligens, minus diligar. 12

Expendẽdi hic sunt nobis gradus uirtutum Pauli. Licebat accipere temporalia pro spiritualibus, ipse uero non accipiebat, ecce primum opus illustre. Et id quoq; quamuis inopia premeretur, ecce secundum. Et dum illis prædicat euangelium, en tertium. Et se tamen impendit, ecce quartum. Et non id simpliciter, sed cum incremento, ecce quintum. Et non solum pecuniam, sed & seipsum, en sextum. Et his denicq; qui non ualde diligebant ipsum, ecce septimum. Et his qui ualde diligebantur, ecce octauum. Tantum, ait, abest, ut quicquam à uobis extorqueam, ut non mea solum libentissime paratus sim uobis impẽdere, uerum etiam meipsum insuper, si id postulet salus animarum uestrarum. Mihi satis est, quod hæc pater præsto liberis, etiamsi non sim nescius, idem mihi usu uenire in uobis, quod uulgo solet parentibus in liberis, ut cum impensissime uos diligam, non perinde diligar à uobis, posthabitus ijs, qui non æque uobis bene uolunt atq; ego.

Sed esto, ego uos non grauaui, sed cum essem astutus, dolo uos cepi. 13
Nunquid per aliquem eorum quos misi ad uos circumueni uos?

Obiectionem pseudapostolorum diluit, qui astu factum à Paulo dicebant, ut nihil recepisset, quo uel breui per alios uel tandem ipse expilaret. Quærit ergo, num per alios degrauarit eos. Esto, inquit, ipse uos non grauaui, metuens inuidiam, uerum uafer & astutus, dolo uos cepi, per subornatos agens, quod per me puduit facere: nam id fortassis cauillabitur quispiam, ex aliorũ moribus me æstimans. Agedum, an per quenquam eorum qui meo nomine uenerunt ad uos, exorsi quicquam à uobis?

Rogaui Titum, & misi cum illo fratrem. Nunquid Titus uos circum 14

uenit? Nónne eodem ſpiritu ambulauimus? nónne ĩſdem ueſtigĩjs?

Titum rogaui ut uos adiret, huic addidi collegã fratrem illum, eccleſijs omnibus ſpectatum. Nunquid à uobis extorſit Titus? Non recuſo, quo minus imputetur mihi quicquid geſtum eſt ab ĩjs quos ad uos legaui. Nihil aũt tale dictum aut factum eſt ab eis, una ipſorum probatur in bono ſententia excluſa ſuſpicione auaritiæ. Vult enim omnino ſeipſum ab accipiendo ſeruare purum, ſimulq; eos qui â ſe mittebantur, nolens uel paruam relinqui anſam carpendi miniſterium, ſuper quo Corinthiorum quoq; ſententiam citat, teſtesq; adducit. Rem quoq; fraudem uocat, dum quis ab inuoluntarijs accipit, id quod nemo ſuorum fecerat: & non tantum Titus, qui id iuſte potuiſſet, miſſus ab Apoſtolo & rogatus. Tota autem hæc laus Titi & ſua, ſpiritus diuini bonum eſt & gratiæ, non ſtudij humani. Erat ſanè maximæ gratiæ, ab inopia preſſos & eſurientes apoſtolos, nihil accipere propter docendorum ædificationem.

15 Olim putatis quod excuſemus nos apud uos? Coram deo in Chriſto loquimur. Omnia enim chariſſimi propter ædificationem ueſtram.

Excuſat quod ab alijs obijci potuit, Impatiẽs es, ô Paule, ut ne uerbulum quidem ferre poſſis contra te dictum. Hoc quod ego facio (inquit) ueſtri cauſa facio, ut uos ædificemini. Quum enim is qui docet contemnitur, fieri nõ poteſt, ut non ſimul doctrina eius contemnatur. Nihil ergo patitur authoritatem ſuam minui: non ut ipſe magnus fiat, ſed ut gloria Chriſti promoueatur. Non eſt ergo ut rurſum arbitramini, ut cauſam noſtram agamus, imò quicquid loquimur, ſiue deijcientes nos, ſiue extollentes, ſiue uobiſcũ expoſtulantes, in ueſtrum commodum loquimur: Teſtis eſt deus, qui nouit animum noſtrum: teſtis eſt et Chriſtus, cuius negotium agimus. Nihil non tento, nullum non moueo lapidem, in omnia uerto me, quo uos planè correctos reddam, & ut ædificemini.

16 Timeo enim ne fortè cum uenero, non quales uolo, inueniam uos: & ego inueniar à uobis, qualem non uultis.

Non eſt peruicaciæ, neq; authoritatis doctoris, ſed curæ paternæ, quando eos qui peccarũt correcturus, metuit ac terruit. Nihil, inquit, eſt quod mihi metuam ab iſtis perſonatis apoſtolis, ſed uereor, ne quo pacto fiat, ut ſi cõtigerit uenire ad uos, non reperiã uos quales uelim & expecto, & ipſe uiciſſim reperiar uobis qualem nolitis. Mihi in uotis eſt, ut uos undiq; purgatos inſpiciã, uobis, ut me lætum ac lenem aſpiciatis.

17 Ne fortè contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſenſiones, detractiones, ſuſurrationes, inflationes, ſeditiones ſint inter uos.

Ne ſuum uideatur quærere, primum ponit quod commune erat. Ex inuidia enim prodijt, quod contra ipſum quidam efferebantur, pariter quoq; calumniæ, accuſationes, diſſidia. Si, inquit, pergitis auſcultare quibuſdam, metuo ne reperiam inter uos contentiones, æmulationes, iras, concertationes, obtrectationes, ſuſurros, tumores, ſeditiones. Tales erant errores Corinthiorũ, quos in ſuperiore epiſtola reprehenderat, quando perſonis deferentes, & alterum alteri præponentes, diſſidebant ad inuicem.

18 Ne iterũ cum uenero, humiliet me deus apud uos, & lugeam multos ex his qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia & fornicatione, & impudicitia quam geſſerunt.

Præmonet, ut non illos tales inueniat, quales inuenerat dudum, cum uitijs di-

uerſis

uersis operum immundorum notarentur. Illis autem peccantibus, humiliari se dicit, quia incipit ut pius pater filiorū deflere peccata. Quis enim pater non gaudeat bene agētibus filijs? Sic iterum necesse est ut lugeat, si praue uersentur: ideo admonet, ut si qui præteritarum fornicationum aut alterius criminis uel impudicitiæ non egerunt pœnitētiam, nunc interim agant, ut ueniens, sine tristitia cum eis sit. Et nō eum rursum deficiat dominus apud illos, procp triumpho & gaudio cogatur luctum sumere multorum nomine, qui iam pridem peccatis essent contaminati, nec adhuc resipuerunt. Permittit ergo ad pœnitentiam reditum, declarans posse neglecta emēdari: non pœnitentes autem luget, quia incurabiliter infirmi sunt, & uulneribus saucij maneant.

CAPVT XIII.

HOce tertio hoc uenio ad uos. In ore duorū uel trium testium stabit omne uerbum. 1 Prædixi enim & prædico, ut præsens uobis & nunc absens, ijs qui ante peccauerūt, & cæteris omnibus, quoniam si uenero iterum, non parcam.

Potens uidetur Paulus & frequens in promissionibus, tardus autem & cunctabūdus in punitionibus, deū patrem imitatus. Non statim peccātes punit, sed denūcians semel & iterū. Tertius hic erit meus ad uos aduētus, in hunc se quisq; præparet. Necp enim amplius conniuebo, sed iuxta ius strictum atcp exactum res agetur. Quisquis delatus fuerit, is duorum aut trium hominū testimonio uel absoluetur uel damnabitur. Iam ante uos monui, semel & iterū, præsens & per epistolam, id nunc quocp tertio facio, iterum admonens & contestans, non solum ijs qui iam tum peccauerant, uerumetiam omnibus qui delicto fuerint obnoxij, si comperero inemendatos, cum bis iam admonuerim, non parcam, quemadmodum antehac feci. Alioqui quid uobis uultis?

An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus? qui in 2 uobis non infirmatur, sed potens est in uobis.

An uestro malo uultis experiri, utrum quæ loquor, ex meipso loquar, an ex Christi spiritu, per me uobis loquentis? An hunc quocp uelut imbecillum contemnitis? Is erga uos non fuit imbecillis, etiamsi olim talis fuit Iudæis & Pilato, imò potentem se declarauit apud uos, ad cuius nominis inuocationem uidistis reuiuiscere mortuos, fugere dæmones, sanari ægrotos, eliminari flagitia, aboleri errores. Hæc omnia sunt uirtutis signa, non infirmitatis, denicp hac causa attracti sunt ad fidem.

Nam & si crucifixus est ex infirmitate, sed uiuit ex uirtute dei: nam & 3 nos infirmi sumus in illo, sed uiuimus cum eo ex uirtute dei in uobis.

Quamuis olim ex naturæ humanæ quam susceperat imbecillitate crucí uoluerit affigi, ut mortem destruens credentes liberaret à morte, & quasi peccator occisus, chirographum Adæ deleuit, quo tenebantur etiam pij: tamen non debet eius crucifixionis gratia, & mortis assumptæ pro nobis, uelut imbecillis haberi. Ex infirmitate susceptí corporis mortuus est, sed uiuit ex uirtute dei patris. Itidē & nos apostoli, Christi præceptoris uestigia sequentes, licet incredulis simus infirmi, dum ab illis cædimur, conijcimur in carcerem, conuitijs afficimur, tum ex uirtute dei, cum illo potētes erimus erga uos, si uestra pertinacia uicerit nostram mansuetudinem. Denicp mors illata à perfidis, uita est credentium apostolorum, uirtute enim dei resurgunt, ut uiuant cum Christo.

4 Vosmetipsos tentate, si estis in fide, ipsi uos probate. An non cognoscitis uosmetipsos, quia Christus Iesus in uobis est? nisi forte reprobi estis.

Ne uelitis experimentum nostri quærere, ipsi magis uestri sumite experimentum, utrum in fidei dono persistatis, an hinc excideritis. Ipsi uos inter uos explorate, sensistis in æditis prodigijs, sensistis ex donis tam uarijs, ne in uobis quidem Christum imbecillem fuisse. Eauis si uos destituit, argumentum est, fidem in uobis relanguisse, aut Christum moribus uestris offensum, à uobis alienatum esse. An ipsi uobis estis ignoti, & de me uultis experimentum capere, cum ipsi non intelligatis in uobis esse Christum. Est enim in uobis, si fidei uigor in uobis manet, nisi forte fide utcunq; incolumi, uita impura meruistis à Christo reijci.

5 Spero autem quod cognoscetis, quia nos non sumus reprobi.

Vtcunq; de uobis est, spero uos ipsa re comperturos, quod nos non simus reprobi, uiget enim in me fides, & per hanc ualebit in me Christus, ad castigandos qui nolũt sua sponte resipiscere. Cupio autem magis prouocari uos ad scientiam fidei, & rectæ uitæ, ut intelligatis domini uoluntatem circa apostolicum officium mihi ad uos creditum, & certam authoritatem ac meritum, ut sitis circa credenda & agenda soliciti iuxta Christi doctrinam.

6 Oramus autem deum, ut nihil mali faciatis: non ut nos probati appareamus, sed ut uos quod bonum est faciatis, nos autem ut reprobi simus.

Quid autem dixi, Spero? imò contrà magis opto, deumq; precor, ut illius beneficio fiat, ne uestris commissis cogar meam declarare potentiam: nõ quod metuamus, ne si fuerit utendum potestate, deprehendamur imbecilles, quemadmodum quidam de me iactitant, sed illud optamus potius, ut uos honestate uitæ probati sitis, nos habeamur ueluti reprobi. Etenim si uos in fide morumq; sanctimonia perstiteritis, nihil erit quod meam potestatem in uos exerceam. Neq; recuso uideri imbecillis, ad istum sanè modum, si ideo iudicer parum ualere, quod uos exercendæ potestatis non dederitis occasionem.

7 Non enim possumus aliquid aduersus ueritatem, sed pro ueritate.

Satius est ut imbecilles habeamur ab illis, q; si plagis potẽtiam quam dedit nobis deus, consilio minus recto declararemus: non enim possumus contra ueritatem, sed pro ueritate possumus quicquid possumus. Vt enim non uideatur illis condonare, hoc est animi à uana gloria alieni, sed quod faciat id quod rei postulabat natura. Proinde si inueniemus uos probe agentes, & peccata emendãtes, per pœnitentiam ac fiduciam erga deum habentes, neq; poterimus etiamsi uellemus in posterũ punire, sed & etiamsi tentaremus, non cooperaturus esset nobis deus. In hoc enim nobis dedit potentiam, ut sententiam ueram & iustam feramus, non à ueritate uel paululum diuersam.

8 Gaudemus enim quoniam nos infirmi sumus, uos autem potentes estis. Hoc & oramus, uestram consummationem.

Pergant obtrectatores isti mihi calumniam imbecillitatis impingere, cauillantes me non potuisse meo uitio, quod ob uestram integritatem non potui, sed mihi uoluptati est, quoties cum ad istum modum uos ualidi fueritis, nos infirmi iudicamur: imò non solum gaudemus si id contingat, uerũetiam optamus ardẽtissimis uotis, ut mihi uideatur aliquid deesse, modo uos sitis consummati & irreprehensibiles. Hæc Pauli paterna uiscera, discipulorum salutem suæ gloriæ præferebant.

Hoc

Hoc animæ fuerit à uana gloria alienæ, tunc certe uirtus maxime à corporis libe-
rat uinculis, & à terra in cœlũ sublimem esse facit, si pura sit à uana gloria, quem-
admodum hæc admissa, in plurima inducit peccata.

Ideo hæc absens scribo, ut non præsens durius agam, secundum po- 9
testatem quam dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destru-
ctionem.

Hac de causa putaui uos seuerius per literas admonendos, ne cum uenero,
præsens cogar esse seuerus. Vellem literis insitam esse austeritatem, & non ipsis
operibus: uellem uehementes esse epistolas, ut maneant minæ, & in opus pœna-
rum non exeant. Malo uos minis emendari, q̃ me puniendi potestatẽ in uos exer
cere, quam dedit mihi dominus in bonum uestrum, non in malum. Aduersus in
nocentes nihil possum, sed uestra refert non esse impunitos, qui flagitijs cœtum
uestrum contaminant: & hoc quidem insinuauit, reliquit autem illis expenden-
dum, si incorrigibiles manserint quid futurum.

De cætero fratres gaudete, perfecti estote, exhortamini, idipsum sapi- 10
te, pacem habete, & deus pacis & dilectionis erit uobiscum.

Meo sum functus officio, feci oĩa quæ mea sunt, longanimis fui, distuli, non
execui, obsecraui, consului, terrui, minatus sum, ut omnibus modis uos cogerem
ad pœnitentiæ fructum, supereſt ut uestro fungamini officio. Date operã, ut sub
latis dolorum causis, pure gaudeatis, utq̃ semper ad meliora proficientes, perfe-
cti reddamini, sarciẽtes ea quæ uestram lædunt integritatem, utq̃ peracta casti-
gatione malorũ, solatium ex emendatione capiatis. Estote cõcordes, nec diuersis
opinionibus inter uos decertate. Sit inter uos pax, & mutua charitas. Quod si
feceritis, deus charitatis & pacis author, aderit uobis fauens ac propitius. Idẽ au-
tem & precatur, & futurum prædicit, Dilectionis enim deus est & pacis, illisq̃
gaudet & lætatur.

Salutate inuicem in osculo sancto. Salutant uos omnes sancti. 11

Osculum sanctum dicitur, nõ fictum uel subdolum, sicut Iudas Christum est
osculatus. Est enim osculum sanctum charitatis Christianæ in ecclesia symbolũ,
ut accendat affectionem, ut sic mutuum diligamus, tanquam fratres, & filij pa-
tres. Videmus ut omnes cogat Apostolus, & eos qui procul distant corpore, &
qui prope: illos quidem per osculum, hos uero per literas.

Gratia domini nostri Iesu Christi, & charitas dei, & cõmunicatio san- 12
cti spiritus sit cum omnibus uobis. Amen.

Iterum ad preces deflectit sermonem, magna diligentia illos etiam deo cõiun
gens. Connumeratur autem hic spiritus sanctus cum patre & filio, tanquã eius-
dem essentiæ tres personæ in diuinitate una. Ea em̃ quæ trinitatis, indiuisa sunt,
& cuius spiritus est communio, is inuentus est esse filij, & filij est gratia, & patris
& spiritus sancti, sine confusione hypostasum. Agnoscentes ergo filij beneficium
patris erga nos, charitatem quoq̃ eius qui sic dilexit nos, ut unicum filiũ pro no-
bis impẽderit, ac bonitatem spiritus sancti, per quem semper nobis impartit suas
dotes, ad huius indiuidui ternionis exemplum uiuamus, concordes & sancti.

FINIS.

COMMENTARIVM IN EPISTOLAM D. PAVLI APOSTOLI AD GALATAS.

ARGVMENTVM.

GALATAE Græci sunt. Hi uerbum ueritatis primum ab Apostolo acceperunt, sed post discessum eius tentati sunt à falsis apostolis, ut legalia et circuncisionem, quamlibet Christo initiati ex gentibus, cum euangelio obseruanda crederent ad salutis necessitatem. Horum errori medetur salubri, sed austeriore epistola, suam contra pseudapostolos authoritatem asserit. In primis testatus se authoritatem euangelij prædicandi accepisse à Christo ipso, iam immortali, & cœlitus: qua & multis temporibus usus sit, & uarijs in locis, antequam apostolorum aliquem uiderit. Deinde contulerit euangelij sui prædicationem cum apostolis principalibus, à quibus tamen nihil nouæ doctrinæ acceperit, sed in ea quam à Christo edoctus, apostolorum comprobatione perrexerit. Adeoq; non fuisse se compulsum à Petro, ut gentibus legis onus imponeret, ut accepta fiducia in domino, Petrũ quoq; admonuerit eius, quod ex fide salus contingeret fidelibus, non ex obseruatione legis, iam suo modo antiquatę, & in Christo maxima ex parte impletæ, quem spectarit unice. In illa Mosaica lege fuisse ueluti carnem, in euangelio spiritum: in illa umbras, in euangelio lucem: in illa imagines, in euangelio ueritatem: in illa seruitutem operum, in euangelio spiritus libertatem. De legis autem seruitute & onere differens, ostendit subinde Christianam libertatem non esse peccandi licentiam, sed ultroneam functionem officiorum pietatis, quæ charitate dictante, non lege iubente præstantur. Postremo hortatur ad Christianam concordiam, ad subleuandos infirmiores, aut lapsos, ad benemerendum de ijs qui nos fidem & sanctimoniam docent. Huiusmodi factis, quoniam spiritus sunt, æterna deberi præmia, cum ceremonijs temporarijs temporaria tantum sit gloria. Obiter in odium trahens pseudapostolos, qui non obaliud legalia subintroducebãt ad Galatas, nisi ut super hoc gloriarentur, ueluti authores huius nouitatis. Hanc epistolã pro singulari affectu suo ad Galatas, totam sua manu scripsit, cum in alijs soleat subscribere tantum. Vnde uero missa, non satis est certum, nec multum refert, cum tamen uideatur scripta inter ultimas.

CAPVT PRIMVM.

1 PAVLVS apostolus nõ ab hominibus, neq; per hominem, sed per Iesum Christum, & deum patrem, qui suscitauit eum à mortuis, & qui mecum sunt omnes fratres, ecclesijs Galatiæ.

Saulus cum essem, Christum domini, Dauidis filium, & mundi regem, exemplo Beniamitici regis & improbi, persequutor eram: nũc Paulus, à domino Christi domini apostolus factus, ad prædicandum euangelium coram regibus & gentibus in orbe toto. Apostolus sum sanè non inferioris notæ, ne quis cõtemnat ministerium meum, aut aliorum apostolorũ authoritate meam premat. Neq; enim hæc functio mihi ab hominibus delegata est, quemadmodum alijs quibusdã, qui cum apostolorum discipuli sint, pro eximijs apostolis se gerũt: aut qui redemptis hominum fauoribus, in apostolicum munus ingerunt sese. Neq; per ullum hominem, quamlibet præminentem, mandata est euangelij prędicandi authoritas, sed per ipsum Iesum Christum, dei unigenitum filium, qui me non humanis suffragijs

gijs euangelij præconem esse iussit, sed suapte uoce, iam immortalis, cœlitus euocauit ad hoc negotij, nimirum ex sententia & authoritate dei patris, cui iuxta naturam dei consubstantialis est, qui & ipsum iuxta humanitatis substantiam diuinitati unitam, crucifixũ & mortuum excitauit rediuiuum à mortuis. Neq; ideo uiuere desijt, quod à nobis uideri desierit: imò si merito pro magnis apostolis habentur & sunt, quos ille mortalis adhuc inter homines, hominem agens designauit, certe non inferior habendus uideor, quem è cœlis regnans, & gloriosus deus ad apostolicum munus obeundum miraculo præclaro exciuit. Siquidem in hoc par sum etiam primarijs apostolis, quod ab eodem Iesu Christo sum institutus. Illud uero prærogatiue mihi iure uidebor posse asserere, quod illos adhuc nostri corporis iniurijs obnoxius delegerit, me seorsum unũ seuocauerit, posteaquam omnem humanæ conditionis imbecillitatem exuissem. Tantum abest, ut apostolatus mei ratio à quibusdam contẽptior, & ob id doctrina leuior traduci passim debeat. Paulus igitur ego ille apostolus, & talis apostolus, scribo uobis hanc epistolam, quicunq; per omnem Galatiam in Christi doctrinam conspirastis: nec ego solus, ne forsitan unius leuis sit authoritas, sed quotquot hic sunt, est autem immensus numerus, qui mecum unanimes Christi nomen profitentur, & relicta Mosi lege, quatenus relinquenda est, fidem & doctrinam euangelicã amplectuntur. Hactenus uero subscriptionis series, nunc salutatio.

Gratia uobis & pax à deo patre nostro, & domino Iesu Christo, qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsenti sæculo nequam, secundum uoluntatem dei & patris nostri. Cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Salutatio est Paulina, argumentum indicãs quoq; totius epistolæ. Optamus, inquit, uobis omnibus primum gratiam, qua uobis deus bene uult, & præstat, ut semel gratis exempti pristinis peccatis, posthac innocentem ac puram agatis uitam, in pacifica conscientia, per fidem in iustitiam Christi, simulq; cõcordiam, ne quid dissentiatis à reliquis bene institutis ecclesijs, aut etiã à uobisipsis, quorum utrunq; nobis sperandum est, non à Mose, aut ab ullo mortali, non ab operum iustitia & meritis, sed ab ipso deo patre, unde uelut à fonte nostra salus omnis proficiscitur, qui noster uult esse & haberi pater pientissimus: nõ solum deus & dominus, quę maiestatis sunt nomina. Et ab huius filio domino nostro Iesu Christo, per quem, quamlibet ad crucis contumeliam humiliatũ, pater nobis omnia largitur, cui & potestatem dedit omnem in cœlo & in terra. Cui conuenit acceptum ferri quicquid malorum effugimus, & quicquid bonorum sumus consequuti. Neq; enim legis opera, & ipsa quoq; Mosaica circuncisio, cuiquam restituit iustitiam & innocentiam, sed ipse Christus ultro semetipsum in mortem obtulit, quo nostra commissa penderet, ut sic per euangelij gratiam pręstaret, quod obseruatio legis Mosaicæ præstare non poterat. Vt huius unius beneficio liberati à uitijs ac peccatis, quibus hic mũdus obnoxius est, posthac nec turpitudini, nec humanis cæremonijs seruiamus. Ita uisum est deo, patriq; nostro, à quo primo cõditi, nunc posteaq; uitio nostro in ius alienum relapsi fueramus, denuo sumus asserti, ac uelut renati, quodammodo cœlestes è terrenis facti, è carnalibus spirituales. Huic igitur, à quo nobis felicitatis nostræ summa proficiscitur, sit honos & gloria, nullis sæculis intermoritura. Non nostræ uel prudentiæ uel iustitiæ gloria debetur, quæ peccatũ est & confusio, sed deo, qui operatur omnia in omnibus, qui & gloriam suam alteri non permittit.

3 Miror quod sic tam cito transferimini ab eo qui uos uocauit in gratiam Christi, in aliud euangelium: quod non est aliud, nisi sunt aliqui qui uos conturbant, & uolunt conuertere euangelium Christi.

A castigatione exordítur narrationem, quia à libertate Christi in legis seruitutem & fiduciam legalium operum defeciſſent, in quibus nulla pax inuenitur, sed perpetua conscientiarũ uexatio. Cum hoc sit, ait, à me nuper uobis prædicatum, cumq; uos semel amplexi sitis, demiror quid acciderit, ut à tam benigno patre desciscatis, & desciscatis tam cito, alienati ab eo, qui condonatis gratuito per Christum commissis omnibus, uocauit per euangelicã prædicationem, & inspirationem sancti spiritus, & inuitauit uos ad æternã salutem, non per opera legalia, sed per gratiam & beneficentiam gratuitam Iesu Christi. Ac subito in seruitutem legis Mosaicæ, gentibus non datæ, uelut in aliud euangelium cõuersi, quod aliqui uobis obtrudere conantur, interim, cõtra id quod nos prædicauimus uobis, cum nullum omnino sit euangelium, præter id quod à nobis est prædicatũ. Vnde uobis tanta inconstantia? Vnde ista leuitas, ut gratis datam libertatem gentibus per euangelium ad deum conuersis, ultronea seruitute uelitis commutare? Vestrum ingenium incusare non libet, magis arbitror imputandũ pseudapostolis quibusdam, qui Mosi præcones, uerius q̃ Christi, imponũt simplicitati uestræ, uosq; magnificis summorum apostolorum titulis subdole falsoq; perturbãt, metum ac terrorem inijcientes animis uestris, quasi sine circunciſionis adminiculo, & legalibus alijs, circunciſioni, ut putant, adhærentibus, non possitis salutem consequi, non tam imponentes uobis ludaicæ legis ceremonias, quas antiquatas atq; abolitas esse oportuit, q̃ hoc prætextu subuertentes euangelium Christi. Quod cum per fidem ueram, quã sequitur uitæ pietas, perfectam salutem polliceatur omnibus, quicunq; uoluerint illud amplecti, uanum ac fallax habebitur, si quod isti docere conantur, non patet aditus ad æternam salutem, nisi iuxta Mosaicum ritum cum ceremoniarum obseruantia amputetur præputij pellicula, carnali semini Abrahæ tantum, & ad tempus commendata.

4 Sed licet nos, aut angelus de cœlo euangelizet uobis, præterquàm quod euangelizauimus uobis, anathema sit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico, Si quis uobis euangelizauerit, prꝛeter id quod accepistis, anathema sit.

Absit ut ullius hominis authoritas, uos ab euangelij synceritate dimoueat. Et adeo uos non commoueant Petri aut Iacobi Ioannisq; quãtumuis magna nomina, quibus abutuntur quidam ad illaqueandos uos legis oneribus, ut etiam si quis angelus è cœlo uobis prædicarit euangelium, diuersum ab eo quod à nobis prædicatum est, non solum non audiatur, uerumetiam execrabilis & abominabilis habeatur uobis. Quod uero dixi, ne quis per iracundiã animiq; impotentiam mihi putet excidisse, etiam atq; etiam repeto, Quisquis ille fuerit, siue angelus, siue quãtumuis inclytus apostolus qui uobis prædicauerit, si fieri posset, diuersum ab eo quod à nobis accepistis, execrabilis & abominandus habeat. Nullius enim hominis, imò ne angeli quidem authoritas, apud nos ualere debet, quoties de rectitudine fidei agitur. Id uero certissimi canonis loco habeatur ex hoc loco. Sic certus sit de euangelica ueritate, qui euangelistam agere iubetur & cupit.

5 Modo enim hominibus suadeo, an deo? An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Qui

Qui prædicat euangeliũ Christi, dei negotium agit, non hominis. Cur igitur uerear ullius hominis authoritatẽ? A deo nõ ab homine mihi cõmissum est euangelium, id utrum quæso sic tractare debeo, ut hominibus satisfaciã, an deo, quem unum authorem ac dominum agnosco? Iudæi quodam affectu humano student omnibus obtrudere ritus suos, quo uidelicet ipsi pluris fiant, hoc prætextu, ut quisq; præclara uideri cupit, in quibus ipse fuerit institutus. Proinde quidam horum gratiam captantes, circunciſionem suadent, prædicant sabbatha, ciborumq; delectum, perinde quasi rem eximiam tradant, cum ista tradunt. Sed absit, ut ego eousq; placere studeam Iudæis, humana magis quàm diuina sectantibus, ut patiar euangelij synceritatem admixtu Iudaismi uitiari. Olim addictus Iudaismo, genti meæ placebam, modis omnibus persequens, qui Christi nomen profiterentur. Sed dum hominibus placeo, deo displiceo, qui Mosen antiquari, Christum filium suum illustrare uoluit. Quandiu legi seruiebam, Mosi præscripta seruare curæ fuit, & laudem ab hominibus persequebar, nũc aliò me uocauit deus, cui soli probari cupio. Quod si posthac etiam eandem laudem captarem ab hominibus, Christi seruus esse desinerem: nam qui seruus huius uideri possim, si plus tribuam hominum studijs, q̃ eius præceptis? si magis metuam offendere Iudæos, quàm deum Christi patrem, & euãgelij authorem? Posteaquam semel addixi me Christo, nunquã seruiui Mosi ceremonijs, quas ob Christi lucem antiquatas sciebam. Quanquam enim semel atq; iterum ad sedãdum tumultum, quosdam ritus patrios apud Iudæos agens, obseruaui, nunquam tamen in his ullum salutis præsidium constitui, sed ideo memet ad tempus accommodaui meorum affectibus, quo plures Christo lucrifacerem. Cæterum ubi conspicio meum obsequium, abistis aliò detorqueri, at rem eò uenisse, ut non uereantur legis obseruandæ sarcinã imponere, his quoq; quos à legis onere liberos reperit euangelium, palàm censeo & studeo, ac libere reclamandum Mosaicis illis ritibus, & aperte detestandum, quod in Christi damnum cedit. Nec me deterrebit ullius apostoli quamlibet insignis authoritas, fretum authore Christo, cuius præscriptum per omnia discrimina sequor.

Notum enim uobis facio fratres euangelium, quod euangelizatum 6
est à me, quia non est secundum hominem: neq; enim ego ab homine accepi illud, neq; didici, sed per reuelationem Iesu Christi.

Quo magis intelligatis me non temere desciuisse à Mosaicis ritibus, tantaq; fiducia gentibus ad Christum conuersis & Iudæis quoq; nunc prædicare euangelicam libertatem & gratiam, nolim uos latere fratres, euangelium quod uobis tradidimus, non esse authoritatis humanæ, ut ad cuiusquam hominis uoluntatem debeat immutari, uelut ab homine profectum. Qui uobis prædicant circunciſionem, unde sumpserint suum euangelium, ipsi uiderint. Meum certe euangelium nec ab homine sum mutuatus, nec ab homine sum edoctus, ut cogar uel ab homine pendere authore, uel alicuius interpretis rationem spectare. Christus mihi dignatus est apparere insigni spectro, & apparitione gloriosa pariter & terribili, simulq; aperire ueritatis nouæq; euangelicæ legis & doctrinæ mysterium, ne quis me putet uel temere mutatum, uel à parum graui authore sumpsisse euangelium quod prædico. Christus sic homo est, ut mortalis non sit, nec mortaliũ affectibus nunc obnoxius. Sic homo est, ut idem sit deus, huius arcana uis & afflatus me subito mutauit in alium uirum: alioqui addictior eram legi Mosaicæ, cuius uenerationem ac religionem à maioribus imbiberam, q̃ ut ulla persuasione humana po-

tuerim ab ea distrahi, nisi numen aliquod afflasset animum meum.

7 Audistis enim conuersationem meam aliquando in Iudaismo, quoniam supra modum persequebar ecclesiam dei, & expugnabam illam, & proficiebam in Iudaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum.

Quod narro non arbitror obscurũ esse, nam opinor id uobis fama cognitum, quo studio olim me gesserim in Iudaismo, amore legis in tantum abhorrens ab euangelio Christi, cuius arcanum nondum acceperam, ut nouam congregationem, quæ tum in euangelicam doctrinam afflatu dei colligi cœperat, modis omnibus insectarer, ac prorsus hostili animo depopularer, existimans me rem egregiam deoq; gratissimam facere, dum inscius aduersus deum gero bellum. Et sanè succedebat res, nam in Iudaismo, quem tamen solum sanctũ ac pium esse iudicabam, tantum laudis assequutus sum inter meos, ut plæroscq; meæ ætatis antecellerem, hoc habitus religiosior, quo pertinacius hærebam institutis à maioribus traditis, Iudicio siquidem errabam, non affectu, studioq; legis authori legis repugnabam. Atq; id quidem deus arcano quodam suo consilio passus est ad tempus, uidelicet quo mox è tanto Iudaici ritus & legis propugnatore repente mutatus in euangelij præconem, plures exemplo meo pertraherem ad Christum.

8 Cum autem placuit ei qui me segregauit ex utero matris meæ, & uocauit per gratiam suam, ut reuelaret filium suum in me, ut euangelizarem illum in gentibus, continuo non acquieui carni & sanguini. Neq; ueni Hierosolymam ad antecessores meos apostolos, sed abij in Arabiam, & iterum reuersus sum Damascum.

Proinde simulatq; uisum est deo, qui me iam olim à matris utero destinarat, præordinauerat ac selegerat in hoc negotium, declarare suam in me uoluntatem, meq; nihil tale promerentẽ, sua gratuita bonitate uocauit ad hoc muneris, ut per me uelut organum, notum redderet filium suum Iesum, Iudeis adhuc perpaucis, gentium penè nulli cognitum, inter quas potissimum me uoluit euangelij præconem esse, quid me fecisse creditis? Num hæsi maiorũ institutis? Num cunctatus sum aggredi delegatum munus? Num diffisus sum oraculo Christi? Num cum meæ gentis apostolis ullis contuli meum euangelium? aut quenquã omnino mortalem consulturus adij? Num Hierosolymam profectus sum, ut eorum authoritate, qui me priores ad apostolicã dignitatem uocati sunt, plurimi fiunt, ut par esset meum adhuc certius fulciretur euangelium? Minime. Neq; enim existimabam hominis authoritate comprobandum, quod ipsius Christi iussu delegatum esset. Quin protinus ubi cognoui errorem meum, ubi per reuelationem Christi de omnibus plene instructum me noui in spiritu, ubi mandatum accepi cœlitus de prædicando euangelio Christi omnibus gentibus & regibus & filijs Israel, nihil moratus, profectus sum in Arabiam: nihil ueritus Christi nomen adhuc uel obscurum uel inuisum, etiam feris ac Barbaris nationibus ingerere: nec minore studio prædicare gratiam euangelij per Christum, q; antea Mosaicam legem prædicaueram. Rursus, Arabia relicta, Damascũ reuersus sum, ubi mox à baptismo cœperam Christi nomen profiteri.

Deinde post annos tres ueni Hierosolymam uidere Petrum, & man-
9 si apud eum diebus quindecim: alium autem apostolorũ uidi neminem, nisi

nisi Iacobum fratrem domini. Quæ autem scribo uobis, ecce coram deo, quia non mentior.

Peracto autem triennio, ueni Hierosolymam, Petri uisendi gratia, potius & cum illo conferendi de euangelio mihi reuelato & commẽdato cœlitus à Christo iam glorificato, quod aliud non erat, præter id quod prædicarat apostolis uerís, suisq; discipulis. Commoratus sum autem apud illum dies non plus quindecim, q; is inter apostolos primas tenere uisus perseuerabat Hierosolymis. Necq; quenquam aliorum apostolorum studui uisere, præter Iacobum cognomento Iustum, qui ob insignem uitæ sanctimoniam, frater domini dictus est. Nam is Hierosolymitanæ primus omniũ episcopus ordinatus est. Tantum abest ut euangelio meo diffisus, ad humana præsidia confugerim. Nihil horum fingere me, testis est ipse deus, cuius iussu negotium euangelij prædicandi suscepi. Hæc omnia ideo manifestat, ut ostendat concordiam se cum apostolis habuisse, nec in aliquo dissensisse cum Petro & reliquis, sicut de eo pseudapostoli susurrabant.

Deinde ueni in partes Syriæ & Ciliciæ, eram autem ignotus facie ecclesijs Iudææ quæ erant in Christo: tantum autem auditum habebant, Quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc euangelizat fidem, quam aliquando expugnabat, & in me clarificabant deum.

Post fidem Christi in Arabia fundatam à Paulo primum, & inuisos apostolos Hierosolymis, reditumq; in Damascum, contuli me in regiones Syriæ Cilicięq;, nusquam nõ profitens nomen Christi, & prædicans euangeliũ: nam in his quoq; regionibus cœperant aliquot Iudæorum greges cõspirare in Christi doctrinam, & augere passim Christi ecclesiam. Verum his de facie quidem parum notus eram, licet ipse natus Iudæus. Tantũ illud rumore cognouerant me esse illum, qui repente mutatus nutu diuino, ex persecutore Christianę fidei, nunc factus essem præco Christianæ fidei, quam pridem pro uiribus oppugnatam, nunc capitis periculo defenderem. Quamobrem duplici nomine deo mutationis huius authori gratabantur, & quod graui persequutionis molestia liberati essent, & quod professionis suæ talem essent nacti propugnatorem. Voluit his uerbis Paulus Galatas docere, circumuentos ab his qui legalia docebant Christianos, quæ Paulus à Christo institutus, docebat cessare per euangelium, ne crederent eis qui sub nomine Christi Iudæos se profiterentur, circuncidentes carnem præputij sui, cum Christi lex aliud imperet & Iudaismus. Illic enim circũcisio carnis est, hic cordis: illic sub elementis seruitur neomenijs & sabbatho, quia adhuc templũ stabat Hierosolymis cum sacrificijs, hic soli deo in spiritu seruitur, quia corde creditur: illic conditio est causa peccati, hic libertas ex remissione peccati.

CAPVT II.

DEinde post annos quatuordecim, iterum ascendi Hierosolymã cum Barnaba, assumpto & Tito. Ascendi autem secundum reuelationem, & contuli cum illis euangelium quod prædico in gentibus, seorsum autẽ ijs qui uidebantur aliquid esse, ne forte in uanum currerem, aut cucurrissem.

Vbi iam per annos quatuordecim gentibus potissimum euãgelij doctrinam prædicassem, in ualde multis regionibus & prouincijs, rursum me recepi Hierosolymã, comitibus Barnaba & Tito, quos huius rei testes esse uolebam. Id autem feci, non iam officij gratia, quemadmodum prius, sed iussus oraculo diuino, quo

magis liqueret Iudæis per orbem Romanum dispersis, & Paulo contradicentibus, non iam è circuncisione cæterisq; legalibus ceremoniis aut operibus petendam salutẽ, sed ab euangelica fide, posteaquam uiderent tam multos ex gentibus absq; circũcisionis præsidio uocatos ad communem salutem. Cum his igitur contuli meum euangelium, quod hactenus authore Christo prædico inter ethnicos, sed præcipue cum ijs qui plurimum apud Iudæos pollebant authoritate, ne quis quam eorum qui credebant adhuc legem huiusmodi Mosaicam cum euangelio Christi miscendã esse, iactaret me in euãgelico stadio uel hactenus frustra cucurrisse, uel nunc etiam currere, quod absq; mentione circũcisionis per fidei donum illis essem pollicitus eandem salutem, quam nos circũcisi Christo freti speramus.

2 Sed neq; Titus qui mecum erat, cum esset gentilis, compulsus est circuncidi, sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram quam habemus in Christo Iesu, ut nos in seruitutem redigerent. Quibus neq; ad horam cessimus subiectioni, ut ueritas euangelij permaneat apud uos.

Tantum abest ut circuncisionis onus gentibus duxerimus imponendum, ut ne Titus quidem cum & Hierosolymis & inter Iudæos circũcisionem mordicus tenentes uersaretur, à Iudæorum primoribus apostolis compulsus sit circuncidi, propterea quod Græcus esset, non Iudæus. Quo minus uobis id est faciendum, in uestra Galatia, compellẽtibus huc pseudapostolis. Qui inter apostolos primas tenebant, non exegerunt à nobis ut Græcum circũcideremus, nimirum id agentes, ut seruitus legis paulatim antiquaretur, & euangelij constabiliretur libertas. Verum irrepserant in cœtum nostrum quidam falso nomine Christiani, cum id urgeant quod Christus uoluit obsolescere: insidiose uero sese insinuauerãt, ut explorarent libertatem nostram, quam nobis peperit euangelium Christi, cui inuidebant, id agentes, ut nos in seruitutem legis per circuncisionem retraherẽt. Ab his potius, quoniam instabãt odiose, compellendi uidebamur, ne quid tumultus existeret. Quanquam ne his quidem eousq; cessimus, ut illis uel ad tempus obsequentes Titum circunc̃deremus, idq; fecimus uestra causa, ne si quod in Tito factum esset necessitate, uos citra necessitatem imitantes, ab euangelij ueritate excideretis, in Iudaismum prolapsi. Doctrina est, ut feramus fratrum infirmitatem, modo doctrina euangelica maneat incorrupta. Cum uero ex ista nostra per charitatem dissimulatione, pharisæi & proditores nostræ libertatis legem facere uolunt, in nullo cedendũ erit, ne dum fratribus seruimus, dei ueritatem uiolemus.

3 Ab ijs autem qui uidebantur esse aliquid, quales aliquando fuerint, nihil mea interest. Deus enim personam hominis non accipit: mihi enim qui uidebantur esse aliquid, nihil contulerunt. Sed contrà cum uidissent quod creditum est mihi euangelium præputij, sicut & Petro circuncisionis. Qui enim operatus est Petro in apostolatum circũcisionis, operatus est & mihi inter gentes. Et cum cognouissent gratiam quæ data est mihi, Iacobus & Cephas & Ioannes, qui uidebantur columnæ esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis, ut nos in gentes, ipsi autem in circuncisionem: tantum, ut pauperum memores essemus, quod etiam solicitus fui hoc ipsum facere.

Si quidam apostolorum, quorum est præcipua authoritas in ecclesia uniuersa, ali-

ſa, aliquando circunciſionem uel ciborum delectum aut ſimilia uel permiſerunt, ſancta ratione illis non ignota, ſed ſpiritu ſancto tunc adacti, uel exegerũt ad tempus: recténe id fecerint an ſecus iudicare nõ debeo, nec mea refert, mihi ſatis eſt, quod uetere ſententia iuxta tempus & cauſas digniſſimas relicta, nunc mecum ſentiũt. Apud homines perſonæ ualet authoritas & opinio, apud deum & in cauſa eccleſiaſticæ doctrinæ ſola ratio ueri, & ſcripturæ authoritas eſt ſequẽda. Sunt illi me præcellentiores authoritate, qui Chriſto domino conuerſati ſunt in carne, & primi euangelium à Chriſto prædicandum ſuſceperunt. Certe quod ad euangelicæ prędicationis ſynceritatem certiſſimamq; reuelationem attinet, adeo non præeminent nobis, nec plura aut maiora acceperunt à Chriſto, nec aliquid mihi contulerũt, ut à me potius illis aliquid acceſſerit. Etenim ubi communicato cum illis euangelio meo, perſpexiſſent mihi æque à Chriſto commiſſum euãgelij prædicandi munus inter gentes atq; Petro delegatum erat, præcipue inter Iudæos, meamq; prædicationem non minus efficacem fuiſſe, citra circunciſionis adminiculum, q̃ Petri fuerat adhibita Iudæorum circunciſione. Cumq; nobis referentibus, parem euangelij gratiam mihi quoq; collatam cognouiſſent, cum gaudio & gratiarum actione pro Chriſti gloria, Petrus, Iacobus & Ioannes: nam ij uidebantur omnibus, ut erant, apud illos columnæ eccleſiæ ex Iudæis conuerſæ, tantum abeſt ut damnarint euangelium noſtrum, ut potius datis dextris, mecum & cum Barnaba fœdus & ſocietatem inierint, ut idem euangelium cõcordibus animis in ſua quiſq; portione prædicaremus: nos quidem inter gentes, & ibidem diſperſis, paſſim per ſynagogas Iudæis quoq;: illi in Iudæa, & inter Iudæos paſſim præcipue. Quamuis & gentibus euangelizarit Petrus, & alij omnes. Neq; nobis iniunxerunt, ut quenquam è gentibus ad circunciſionem uocaremus, tantum rogauerunt, ut inter gentes prædicãtes euangelium, pauperum qui Hieroſolymis agebant memores eſſemus, ſi qui quid in horum ſubſidiũ conferre uellent. Qua quidem in re, quando non abhorrebat ab euangelica doctrina & charitate, ſtudioſe paruimus illorum uotis, haudquaquam parituri, ſi de circuncidendis Græcis nobis mandaſſent, quæ dominus non docuerat uel mandarat. Neq; enim æquum eſt, ut tantum apud nos ualeat cuiuſquam mortalis authoritas, ut in illius gratiam parum recte conſulamus euangelico negotio. Etenim quemadmodum initio res ita ferebat, ut ijs qui ex Iudaiſmo ſeſe conuertiſſent ad profeſſionẽ euangelicam, quoniam à maiorum inſtitutis, quorum religionem à pueris imbiberãt, prorſus auocari non poterant, nonnihil indulgeretur ad tempus (ſtante adhuc etiam templo & Hieroſolyma) ne per hanc occaſionem complures alienarentur à Chriſto, ita conandum erat, ut aliquando deſinerent monitis noſtris edocti, hac uti indulgentia, præſertim cum longe plus periculi q̃ lucri uideretur allatura. Si quidem perq; exiguus eſt numerus eorum qui ex Iudæis euangelij fidem amplexi ſunt, præ his quos ex gentibus Chriſto lucrifecimus. Atq; ex his in poſterum quoq; multo uberior ſpes arridet, cum gentium tot nationes latiſſime pateant, Iudæorum genus anguſtis admodum finibus circũſepiatur. Horum maxima pars ſic abhorrebat à circunciſione, ut citius Chriſtum aſpernaturi fuerint, q̃ legis Moſaicæ odioſum iugum ſubituri. Quin & illud periculi eſt, ne ſi diu paſſimq; hac utantur indulgentia, fiat, ut beneficium ſalutis gratuitum, quod deus ſuæ bonitati noſtræq; fidei uoluit acceptum ferri, uideatur magna ex parte deberi legis cerimonijs & operibus. Quas ſi conſpexerint à primarijs apoſtolis obſeruari, interpretabuntur, qui ſuperſtitioſiores ſunt, abſq; his nõ ſatis eſſe fidem euangelicam, & Chriſti iuſtitiam ad conſequendam ſalutem. Nam factum uident omnes, ani-

mum non uident. Et est ferè in peiorem partem suspicax mortalium animus: ita quod illi fecerint pro tempore, morem gerentes quorundam inuincibili superstitioni, contraq; animi sentẽtiam, id alij iudicabunt religione, non obsequio factũ. Tolerata est ad tempus Iudæorum excusabilis infirmitas, à qua paulatim oportebat illos proficere. Cæterum nullo modo permittendum est, ut à gentibus exigatur, quod in Iudæis pro tempore toleratum est. Iudæorum primum excusabat à maioribus hausta persuasio, diuturnus usus, cuius uis naturam æquat author deus, aliaq; permulta, quorum nihil gentibus patrocinari poterit, si Christũ cum Mose miscuerint. At gentium mihi peculiaris cura delegata est, quemadmodum Petro Iudæorum.

4 Cum autem uenisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Prius enim quàm uenirent quidam à Iacobo, cum gentibus edebat: cum autem uenissent, subtrahebat & segregabat se, timens eos qui ex circuncisione erant. Et simulationi eius consenserunt cæteri Iudæi, ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem.

Quandoquidem conuenit, ut utriq; potissimum curæ sit & cordi sua prouincia, ideo nullius authoritati cedendum putans, Petro quoq; in re certo perspecta non cessi. Cum enim uenisset Antiochiam, quanquam uiderem huius inter apostolos primam esse authoritatem, tamen non ueritus sum palàm & in os obsistere, pluris habens euangelij negotium, q; illius dignitatem. Neq; dubitaui metum illius ac uacillationem coram omnibus reprehendere, cum ipsa res uel hoc nomine reprehẽsibilis esset, quod in grauem multorum perniciem uergeret, secus interpretantium q; ille sentiret. Videlicet quasi superstitione motus id faceret, non studio consulendi Iudæorum infirmitati. Etenim cum prius accumbens Petrus in conuiuio quorundam, qui ex gentibus accesserant euãgelicæ professioni, promiscuis cibis unà cum illis uesceretur, mox ubi superueniissent aliquot ex Iudæis à Iacobo missi, subducebat sese à conuiuio, dissimulans sese communi cum illis usum mẽsa, uidelicet metuens, ne quid offenderet animos eorum, quos adhuc superstitiosiores esse suspicabatur, q; ut in totum ciborum delectũ possent contemnere, parumq; pium esse ducerent, Iudæum cum ethnicis habere mensæ quoq; cõmunionem. Ea Petri simulatio, quamuis ab animo pio proficiscebatur, tamen inconsultior erat, & in manifestam perniciem multorum uergebat, adeo, ut non solum Iudæi cæteri qui nobiscum accumbebant, assentirentur simulanti Petro, uerum & Barnabas quoq; collega meus, motus authoritate Petri, se etiam unà cum Petro subduceret conuiuio. Quorum simulationem non dubitabam quin cæteri omẽs ferè fuerint imitaturi, nisi acri manifestaq; obiurgatione fuissem itum obuiam.

5 Sed cum uidissem quod non recte ambularent ad ueritatem euangelij, dixi Cephæ coram omnibus, Si tu, cum Iudæus sis, gentiliter uiuis, & non Iudaice, quomodo gentes cogis Iudaizare?

Cum uiderem istos Petro consentientes, quod nunc gentilibus, nunc Iudæis sese accommodantes, ueluti claudicarent, neq; satis recte aut constanter ingrederentur ad euangelij ueritatem, quæ iam sic eluxerat, ut tempus esset eam liberà fronte constanterq; profiteri, legis ceremonias antiquatas esse, neq; quicquam conferre ad salutem euangelicam, ut omnium periculo mederer, restiti Petro coram omnibus, ut castigato capite, cæteri ad illius exemplũ resipiscerent, ubi conspexissent

ſpexiſſent illum obtemperantem admonitioni noſtræ, & nihil opponentem. Reſtiti autem his uerbis: Quid agis Petre? Quo cõſilio ſic te ſubducis? Cur dum tuis inconſulto metuis, hos meos in pernicioſam inducis ſuperſtitionem? Etenim ſi tu cum natura Iudæus ſis, & tamen contempta gentis tuæ ſuperſtitione, gentium more uiuis, nihil impurum ducens quod deo nõ ſit impurum. Cumq; id antehac feceris cum Centurione Cornelio, ac modo nobiſcum, cum nunc tui diſſimilis, parumq; conſtans, ſubducis te à conuiuio, perinde quaſi quod antehac ciborum delectum ac gentium commercium neglexeris, non certo conſilio iudicioq; feceris, ſed humana facilitate, nec ſentis exemplum iſtud tuum eò tendere, ut non ſolum Iudæi in ſua ſuperſtitione confirmentur, quam abolitam oportuit, uerumetiam ex gentibus adiũcti Chriſto, tuo, qui primus es inter apoſtolos, exemplo cogant Iudaicis onerari ceremonijs, à qbus Chriſtus eos liberos eſſe uoluit: nec hos modo, quos euãgelij gratia liberos reperit cõuerſos ad Chriſtũ ex gentibus, uerũ etiam Iudæos ipſos, quos legi obnoxios reperit. Hæc Petri hiſtoria cò pertinet, ut Paulus indicet ſe quandoq; aliquid etiam profuiſſe magnis apoſtolis, tantum abeſſe, ut ab eis euãgelium acceperit. Et ut ſcopus attingatur epiſtolæ, per ſolam in Chriſtum fidem credentes iuſtificari, non ex operibus legis.

Nos natura Iudæi, & non ex gentibus peccatores. Scientes autem 6
quod nõ iuſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti: & nos in Chriſto Ieſu credidimus, ut iuſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis, propter quod ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro.

Nos qui non ſumus ex gentibus orti, quas omnes Iudæi pro peccatoribus & impuris ducunt, quosq; idololatras reperit euangelij prædicatio, ſed genere ſumus Iudæi nati ſub lege, cui recte pro tempore ſeruiuimus, tamen edocti, quod per eius legis obſeruationem non contingat cuiquam homini uera iuſtitia, ſed potius per fiduciam, qua ſalutem ſperamus, & certo credimus nobis ex Chriſti gratuita beneficentia, diffiſi legi maiorum & iuſtitiæ operum legalium, ad Chriſti fidem & iuſtitiam cõfugimus, cuius præſidio nobis ueram iuſtitiam, quæ nos non hominibus commendet, ſed deo, pollicemur, quam legis obſeruatio uelut ineffi-cax præſtare non potuit. Et poſt hæc gentibus authores erimus, ut Chriſto diffiſi ad legis præſidia cõfugiant? Cum habeamus ipſa re compertum, neminem omnino mortalium legis beneficio ueram conſequi poſſe iuſtitiam, alioqui quid erat opus ad euangelij fidem tranſire? De quo ad Romanos.

Quod ſi quærentes iuſtificari in Chriſto, inuenti ſumus & ipſi pecca- 7
tores, nunquid Chriſtus peccati miniſter eſt? Abſit. Si enim quæ deſtruxi, iterum hæc ædifico, præuaricatorem me conſtituo.

Si ſemel amplexi fidem euangelicam, nihilo ſecius comperimus nos adhuc peccato obnoxios, ut rurſus alio remedio ſit opus, id quod nobis uſui uenit in lege Moſaica, ac fruſtrati ſpe cogamur ad legem ſemel relictã denuo refugere, quid dicemus? An quod Chriſtus, quem authorẽ perfectæ iuſtitiæ credidimus, potius iniuſtitiæ fomes ſit, qui non ſolum nõ auferat iniuſtitiam priſtinam, uerumetiam per occaſionem addat iniuſtitiæ cumulo, & adeo non conferat ſperatã ſalutem, ut grauiorem inſuper adducat cõdemnationem. Quandoquidem huius fiducia legem reliquimus, ad quã ſi cogimur redire, uidemur uitio reliquiſſe, atq; huius mali Chriſtus uidetur occaſionem dediſſe. Sed abſit, ut quiſquam ita ſentiat, exi-

ſtimetq; euangelicæ gratiæ quicquam deeſſe, quod à Moſi lege ſit petendum, ad conſequendam ſalutem. Etenim poſteaquã euangelij legem amplexi ſumus, rurſus ad Moſi legem recurrere, defectio quædam eſt à Chriſto, & euangelij contumelia. Imò quiſquis Iudæus aut proſelytus id facit, declarat ſeſe Moſaicæ quoq; legis trãſgreſſorem. Nam ſi ea pertinebat ad conſequendã ſalutem, cur reliquit? Si non pertinebat, cur repetit? Si demolitus ædificiũ, rurſus ab ijſdem fundamentis erigo quod deſtruxeram, nónne iuitium meum ipſe prodo, qui inſtaurem, quod non recte ſim demolitus? Nihil eſt igitur cauſæ, cur ſemel amplexi fidem euangelicam, per quam Chriſti benignitas perfectam & iuſtitiam & ſalutem nobis conferri uoluit, ad craſſæ legis præſidia reſpiciamus, cui iam deſiuimus eſſe obnoxij.

8 Ego enim per legem legi mortuus ſum, ut deo uiuam, Chriſto confixus ſum cruci. Viuo autem iam non ego, uiuit uero in me Chriſtus.

Quemadmodum mors alterius coniugum ſuperſtitem liberat à iure matrimonij, ita mihi Iudæo cum lege negotium erat, donec durante iure mutuo, & mihi uiuebat lex, & ego legi. Nunc autem mortuus ſum cum Chriſto, ne lex amplius mei dominetur. Habeo legem ſpiritus, per quam mortuus ſum legi literæ. Olim me lex urgebat, ut facerem quod non potui: & primum fecit hypocritam, dum eam non intellexi: deinde ſupra modum peccatorem, dum eam intellexi. Nunc lex ſpiritus uitæ, hoc eſt ipſe ſpiritus ſanctus, me trahit ut uelim quæ lex exigit, ut iam legi in me nihil ſit negotij, poſtquam legis ſententiam abſtulit mihi Chriſtus, qui eſt uita & iuſtitia mea. Qui ſpiritu dei aguntur, non lege cogente, hi ſunt filij dei. Dum uiuebam ſecundum ſapientiam & iuſtitiam carnis, lex mihi dominabatur, ut maritus uxori: iam uero mortuus ſum, crucifixus ſum cum Chriſto, baptizatus ſum in Chriſti mortem, ut uiuã cum Chriſto reſuſcitato, ut non uiuã mundi uitam & carnis, ſed Chriſti uitam, quæ eſt per fidem in Chriſtum. Spiritu enim fidei ex euangelio concepto, non iam aliam agnoſco uitam, q̃ Chriſtum: non alium ſpiritum, q̃ Chriſti. Ego mortuus ſum, ego abnegaui meipſum, cum Chriſto crucem fero ad mortem. Non iam habeo meum iudicium, meum arbitriũ, meam uoluntatem, ſed Chriſti. Neq; enim uiuo ego ille quondam craſſus & carnalis, & humanis cupiditatibus obnoxius. Mortuus eſt Saulus ille perſequutor Chriſti, & legis propugnator, euangelij contẽptor, atq; hauſto Chriſti ſpiritu, melius uiuo. Imò non uiuo ipſe, qui ex me quidem nihil aliud q̃ carnalis ſum, ſed uiuit in me Chriſtus, cuius ſpiritu omnia mea ſuo arbitratu moderatur.

9 Quod autem nunc uiuo in carne, in fide uiuo filij dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.

Quod nondum prorſus ab omni mortalitatis contagio ſum immunis, ſed adhuc corpus hoc circunfero, nonnihil obnoxium humanis affectibus ac mortalitatis iniurijs, quodammodo tamen uiuo uitam immortalem certa ſpe conceptam, idq; fretus promiſſore filio dei, cuius gratuita beneficentia mihi contigit donum fidei in Chriſtum, per quam & iuſtitia Chriſti. Per iuſtitiam autem contingit immortalitas, non ex obſeruatione craſſæ legis, ſed ex fide in Chriſtũ & charitatem Chriſti, qui ſuapte ſponte nihil promeritũ dilexit, adeo, ut pro meis peccatis crucis ſupplicium dependerit, pro mea ſalute ſemetipſum in exitium dederit.

10 Non abijcio gratiam dei. Si enim per legem iuſtitia, ergo gratis Chriſtus eſt mortuus.

Gratuitum eſt totum quod ille largitus eſt. Voluit ille nos ſalutem noſtrã debere

bere suæ benignitati & gratiæ, non legis obseruationi. Vltro defert ille beneficiũ hoc omnibus. Aufert gratis peccata, largitur innocentiam per Christi mortem, & iustitiam eius solam. Nónne sim ingratissimus, imò nónne cõtumeliosus in Christum, si quod offert, reiiciam. An non reiicit autem qui post gratiã euangelij cum baptismo acceptam, ad legis præsidia respectat, ad operum legis merita, ad humanam iustitiam qualemcunq;, quasi mors Christi non sat efficax sit ad abolendum peccata mundi totius, & omnibus conferendam salutem æternam? Etenim si per uitæ innocentis merita & opera contingit immortalis gloria, unde nobis quæso speramus utrunq;? A fiducia obseruantiæ legalis, an ex beneficẽtia Christi? Si ex huius beneficẽtia & gratia, cur adhuc à lege pendemus? Si ex obseruãtia legis, & operũ meritis, Christus frustra mortuus sit necesse est, quandoquidẽ id cuius gratia mori uoluit, per illius mortem non assequimur. Qui itaq; contendunt ex operibus esse iustitiam, negant Christum esse pro peccatis mortuum, atq; adeo Christum omnino inutilem faciunt & fabulam, cui titulos quosdam dant, cæterũ rem & gloriam ei auferunt, & gratiam misericordiamq; dei blasphemant. Manent ergo in sua maledictione, nam in isto semine Abrahæ promissa est benedictio.

CAPVT III.

O Insensati Galatæ, quis uos fascinauit non obedire ueritati, ante quorum oculos Iesus Christus proscriptus est, & in uobis crucifixus.

Acceperant à Paulo Galatæ uerum euangelium, fide in Christum iustificari, non operibus legis, & ritibus abrogatis. Ab isto euangelio plenæ salutis per Christum partæ fidelibus, & olim promissæ & creditæ à patribus sanctis, passi sunt se abduci per pseudapostolos, in aliud quasi dogma uel euãgeliũ, q̃d error erat: ideo hic eos graui obiurgatione dignos ducit, hoc modo, Vulgo quidẽ male auditis, stultitiæq; & facilitatis nomine accusamini, sed hac in re, ô uere stulti Galatę, quibus res adeo absurda persuaderi potuerit, ut cũ Iudæos ipsos Christus ab onere legis liberarit per fidẽ euangelij, uos liberi nati ex gentibus fideles, ultro dedatis uos in legis Mosaicæ seruitutem. Quicquid est hic mali, non totum uobis imputo, uestram credulitatem facilitatemq; accuso, sed magis accuso quorundam malitiam, qui uestros animos huc induxerunt. Quis fuit ille, qui uestræ inuidens felicitati, qua hactenus fruebamini per libertatem euangelicam, fascino uos læsit, & infelici præstigio ac pristinam mentem Christo dignam excantans, istam incantauit dementiã, ut ueluti Christo diffisi, & sua iustitia nobis parta ad abundantiam, ad frigidæ legis ceremoniales obseruantias tanquam ad salutem necessarias confugiatis? Vbi nunc illa præclara fiducia, qua per mortem Christi sperabatis perfectam iustitiam ac salutem, absq; legis auxilijs & operibus? Quorũ animis sic erat impressus Iesus Christus, unicus author totius salutis, sic illum tenebatis oculis fidei præsentem uobis, per crucem suam patri recõciliantem mundũ uniuersum, quasi aut depictus fuisset conspectibus uestris, aut uobis testibus res acta fuisset, quæ acta est Hierosolymis. Plus uos uidistis q̃ Iudæi, qui pendẽtem in cruce conspicati sunt, & abnegarũt. Intra uestras conscientias uere & pro uobis crucifixus erat, qui ex illius morte credidistis, uobis præstitã æternam salutem & iustitiam. Ad æneum serpentem in stipite præfixum uertebatis oculos, à quo solo sperabatis remedium perfectum omnium peccatorũ: nunc subito mutati, quò nam auertitis oculos uestros?

2 Hoc ſolum à uobis uolo diſcere, ex operibus legis ſpiritũ accepiſtis, an ex auditu fidei?

Si quid adhuc ſanæ mentis ſupereſt, uel illud perpẽdite quod in promptu eſt, quodq; uel cęco poſſit eſſe perſpicuum, ne ſubtilibus ac longe repetitis argumentis uobiſcum agam. Meminiſtis uos nuper ad prædicationem euangelij per baptiſmum & manuum noſtrarum impoſitionem concepiſſe ſpiritum Chriſti & ſanctum, non erat inanis perſuaſio linguarum, prophetiæ, ſanationũ, cæterarumq; dotium miracula. Docuerunt enim rem eſſe uirtutis diuinæ, non humani præſtigij. Hunc autem ſpiritum unde tandem accepiſtis? Ex circunciſione Moſaica, quam non ſuſcepiſtis, an ex eo, quod per me credidiſtis euãgelio Chriſti? Alienis uobis à lege Moſaica, Chriſtus tamen efficacem ſpiritũ ſuum ob fidem uobis impartiuit, certum arrabonem promiſſæ felicitatis. Cur nunc aliunde ſperatis ſalutem, q̃ unde pignus ſalutis habetis tam euidens? Si circunciſionem uobis prædicaui neceſſariam, & huius fiducia uobis contigit ſpiritus ſalutis cœleſtisq;, nihil obſto, quo minus aliquam ſalutis portionem acceptam feratis legi Moſaicæ. Sin nihil præter Ieſum Chriſtum à me didiciſtis, & in hũc unum coniecta fiducia eaſdem dotes in uobis experti eſtis, quas per baptiſmum accipiũt Iudæi, quid eſt cauſæ, cur uobis putetis Iudaiſmum grauem & inutilem accerſendum, in contumeliam Chriſti?

3 Sic ſtulti eſtis, ut cum ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummamini? Tanta paſſi eſtis ſine cauſa?

Cordatorum eſt, ab utcunq; cœptis ad meliora proficere, uos cõtrà, à tam præclaris orſis ad deteriora relabimini. Iudæi ſub legis craſſæ ſeruitute nati, relictis maiorum ceremonijs, ad ſpiritualem euangelij doctrinam ſe conferunt: uos contrà, cum ab euangelio ueſtram profeſſionem ſitis auſpicati, in Iudaiſmum degeneratis. Illi ex Iudæis fiunt Chriſtiani, uos cupitis ex Chriſtianis fieri Iudæi. Si obſeruatio legis Moſaicæ cõfert ſalutem, quid opus erat dare nomina Chriſto? Cur nunc relinquitis eum, cuius gratia tantum afflictionum eſtis paſſi, ab ijs quibus inuiſum eſt Chriſti nomen? Deſciſcit enim à Chriſto, quiſquis ex circunciſione ſibi promittit ſalutem. Ergo ne committetis, ut tantum malorũ ob Chriſti profeſſionem fruſtra paſſi uideamini? Sed abſit, ut fruſtra pertuleritis iſta, erraſtis hactenus iudicio, non affectu. Alieno impulſu uacillaſtis, nõ ueſtra malitia. Maturereſipiſcetis, nec patiemini priſtinæ fidei ueſtræ perire fructum.

4 Qui ergo tribuit uobis ſpiritum, & operatur uirtutes in uobis, ex operibus legis, an ex auditu fidei? Sicut ſcriptum eſt, Abraham credidit deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Cognoſcite ergo, quia qui ex fide ſunt, ij ſunt filij Abrahæ.

Deus qui impartit uobis ſpiritum ſuum Chriſto credentibus miniſterio noſtro, qui miraculorum argumentis declarat uim ſuam per uos, utrum id facit conciliatus uobis obſeruatione legis Moſaicæ, an potius ex eo, quod nobis Chriſtum prædicantibus credidiſtis? Si proſelytos qui cooptantur in Iudaiſmum, ubi circunciſi ſunt, comitatur ea uis ſignorum quæ uos comitatur, eſt cur legem putetis expetendam. Sin hæc ſolam euangelicam fidem comitatur, cur aliunde ſperatis finem, quam unde uidetis ortum initium? Princeps circunciſionis & author eſt Abraham, huius filios gloriantur ſe eſſe Iudæi, qui ad illius exemplum circunciduntur. At ne is quidem ueræ iuſtitiæ laudem conſequutus eſt ex circunciſione, uerum

uerum ex fide habita promittenti deo, cum nondum esset circuncisus. Neq; enim legimus in Genesi, Circũcisus est Abrahã, & iustus factus est: sed, Credidit Abraham deo, & id imputatum est illi ad iustitiam. Itaq; quod posteris Abrahę promissum est olim, non pertinet ad istos, qui præter circuncisionem nihil habent Abrahæ, sed qui tanquam germani filij fidem parentis referunt, credentes euangelio, & Christi se iustitia iustificandos & sanguine. Porrò qui circuncisione sua tumidi, filios se iactitant Abrahæ, frustra gloriantur, cum nothi sint, non legitimi filij Abrahæ: nam apud deum hi demum sunt filij Abrahæ, qui ad illius exemplũ toto pectore credunt fiduntq; deo, nobis per euangelium loquenti, quocunq; gene re ducãt originem. Siquidẽ hæc propinquitas non sanguinis affinitate, sed æmulatione mentis censetur.

Prouidens aũt scriptura, quia ex fide iustificat gentes deus, prænũcia- 8
uit Abrahę, Quia benedicẽtur in te omnes gentes. Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham.

Animaduertite quàm id quod nunc dico, iam olim scriptura præsenserit ac significauerit, uidelicet, iustitiam omnibus etiam gentibus sperandã ex fide, in expectatũ Christum, non tantũ paucis Iudæis ex circuncisione. Quod hodie uobis prædicatum est per euangelium, id tot retro sæculis deus promiserat Abrahæ, dicens, Omnes gentes laudem ac benedictionem consequentur in te. At fieri non potuit ut omnes gentes ex Abraham nascerentur, & tamen omnibus per illum promittitur benedictio, tanquã illius posteris: non utiq; ob sanguinis propinquitatem, sed ob æmulationem fidei. Siquidem filiorũ est exprimere parentem. Proinde qui diffisi legis ceremonijs, & operibus seruitutis, fidunt euãgelicis promissis, hi tanquam ueri filij Abrahæ cum parẽte fideli benedictionem illi promissam consequentur, exclusis ijs qui circuncisionis fidunt præsidio, ceu nothis & adulterinis, ad quos magis pertineat execratio q̃ benedictio.

Quicunq; enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum 6
est enim, Maledictus omnis qui nõ permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.

Quicunq; pendent ex obseruatione legis Mosaicę, obnoxij sunt execrationi, id ipsi Iudæi quoq; non possunt inficias ire, quando constat ita scriptum in libro Deuteronomij 17. cap. Execrabilis sit quisquis nõ perstiterit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, ac præstiterit ea quæ lege iubentur. Non promittitur iustitia seruanti legem, at denunciatur execratio non seruanti totam legem. Quis autem est, qui totam legem præstare possit, quæ cum uerando irritet peccandi libidinem, non conferat tamen robur ad uincendum animi cupiditatem. Deniq; ad legis impletionem non satis est opus externum patrare, & simulare obedientiam, sed ut uerũ opus sit, affectus syncerus cordis & ex fide requiritur. Ex corde enim toto diligendus est deus, & proximus sicut ipsemet. Dum igitur non facis legem, ut lex requirit, mortis te reum constituis, & maledictioni succumbis. Maledictus est enim qui non permanserit in lege.

Quod autem in lege nemo iustificatur apud deum, manifestum est, 7
quia iustus ex fide uiuit. Lex autem non est ex fide, sed qui fecerit ea homo, uiuet in illis.

Vt maxime totam præstet aliquis, quod fieri nequit, fortassis hic iustus habebitur apud homines, ut pœnas euadat legis trãsgressoribus decretas, & ut iustus

laudetur, apud deum nõ item. Apud quem si nemo iustitiæ laudem meretur per legis obseruationem, palàm est esse uerũ quod scripsit Abacuc propheta, iustum ex fide uiuere. Siquidem ut peccatum mortis est seminarium, ita uitæ fons est innocentia. Lex autem non nititur fide, sed obseruatione præscriptarum ceremoniarum: eas qui seruarit, uitam quidem assequetur, at non æternam uitam, quam pollicetur fides. Qualis est iustitia quam præstat lex, talis est uita. Apud homines iustus est qui præscripta legis non uiolat, apud homines uiuit tutus à supplicio: at apud deum nec iustus erit nec uiuus, nisi fidat per Christum promissis euangelicis. Interim tamen etiam humanæ leges sanctæ seruãdæ sunt, propter publicam tranquillitatem utiliter latæ, iuxta reipublicæ utilitatem, non ad conscientiæ laqueum. Quum igitur nemo, ut dictũ est, legem facit, imò quum per eam omnes maledictioni simus obnoxij, quis nos ab illa liberabit? Respondet.

8 Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: quia scriptum est, Maledictus omnis qui pendet in ligno, ut in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu, ut pollicitationem spiritus accipiamus per fidem.

Solus omnium Christus execrationi non fuit obnoxius, qui totus innocens, legi nihil debebat, eam tamen perfecte implebat. Nos eramus obnoxij, ac per hoc execrabiles, uerum ille nos obnoxios execrationi liberauit, noxam uertens in innocentiam, & execrationem in benedictionem. Tantum abest ut uos uoluerit ad legis seruitutem pertrahi. Quomodo autem liberauit? Nimirum nostris admissis debitum supplicium ipse dependit innocens: & execrationem, quæ nos tenebat obnoxios, in se transtulit ipse, alioqui liber, & benedictionis particeps. An nõ in se transtulit, qui pro nobis inter nocentes ut nocens ignominiosissimum crucis supplicium nobis redimẽdis subijt? Sic enim legimus in Deuteronomio, Execrabilis est quisquis pendet in ligno. Cur autem id fieri uoluit deus? nimirum ut sublata execratione, benedictio succederet, quondam promissa Abrahę. Succederet autem non solum Iudæis, uerumetiam gentibus: nõ per legis beneficium, quam Christus abolitam esse uoluit, sed per gratiam Iesu Christi, cuius morte reconciliati deo, & à crassæ legis onere liberi per fidem, assequamur benedictionẽ euangelicam, Abrahæ posteris promissam: non iuxta carnem, sed iuxta spiritum. Tuto fidamus deo, non enim fruſtrabitur quenquam, quod pollicitus est præstabit.

9 Fratres (secundum hominem dico) tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit aut superordinat.

A similitudine subinde arguit testamentorũ comprobatorum. Testamentum autem proprie est, quando hæredibus institutis promittitur illud quod sunt accepturi. Hoc inuiolate seruatur, & non aliud ordinare permittitur. Sic quoq; licet inter deum & homines nulla sit comparatio, tamen hominis testamẽtum, ubi semel est comprobatum ac ratum, nemo rescindit, aut addit aliquid præter uoluntatem testatoris: quo magis oportet esse rata pacta promissaq; dei.

10 Abrahæ dictæ promissiones & semini eius. Non dicit, Et seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno, Et semini tuo, qui est Christus.

Pollicitus est Abrahæ omnipotens deus benedictionem, quæ contingeret omnibus gentibus per illius semen. Semen dixit scriptura, non semina, ne per Mosen aut Dauid aut alios, promissum expectaremus benedictionis donũ. Sed unicum illud semen designauit, ac uerum semen Abrahæ, patris æterni, Iesum Christum,

stum, in quẽ nos insiti per baptismũ, & spiritus cõmunionem eadem per illũ expectamus, quæ illi iam præstitit deus. Appellatio aũt testamenti, cũ includat in se testatoris mortẽ, significabat & Christũ etiam deum, quandoq; moriturũ: id q̃d factum est in Christo, unde iam omnino confirmatum est testamentum dei in Christo. Habuit quidem & lex testamenti appellationem, sed in rebus quę tantum hoc uerum testamentum repræsentabãt, ut dum sacrificabatur & sanguine litabatur, & bona promittebantur legem seruantibus, quæ nihil profuerunt, nisi suscepta in fide huius ueri testamẽti. Ideoq; ut Moses, ita & omnes prophetæ in Christum Abrahæ promissum respiciebant fide, qua & iustificabantur.

Hoc autem dico, testamentum confirmatum à deo, quæ post quadrin 11
gentos & triginta annos facta est lex, non irritum facit ad euacuandam promissionem.

Vt, inquit, propositum conferamus exemplum, quod deus semel pactus est Abrahæ antequam lex esset lata, idq; pactum ratum esse uoluit, nõ potest irritum facere lex succedẽs promisso. Atqui id fieret, si benedictionis hæreditas Abrahæ posteris promissa, deberetur ex legis obseruatione, cũ in pacto nulla sit legis conditio: nam qui potuit esse, cum ipsa lex nondum esset? Alioqui fingite legem non successisse, nihilo secus præstitisset Abrahæ posteris deus, quod illi pactus fuerat. Numerat autem hoc loco Apostolus 430. annos à promissione facta Abrahæ ad legem usq; datam. De qua Gene. 15. ubi & intellectum horum accipies, quantum sat est, & aliâs.

Nam si ex lege hæreditas, iam non ex promissione: Abrahæ autẽ per 12
repromissionem donauit deus.

Si huius felicitatis hæreditas debetur ex promisso, & promissum ante legem, nullam habet admixtam legis obseruandæ conditionẽ, cur ab eo secludimus alienos à lege, sed non alienos à fide? Nam si legis beneficio contigit hæreditas, uidetur irritum reddi pactum dei, quod præstare nolit, nisi conditio legis accesserit. Perinde quasi quispiam cum homine pactus se daturũ illi filiam suam uxorem, contractu rite peracto, post neget se daturum, nisi is uicissim sororem suam ipsi loceet, cum pacti tempore soror illi nondum esset nata, nec in pacto fuisset ulla mentio mutui coniugij. Gratuitum erat dei promissum, solaq; fidei conditione ratum erat, eam quisquis præstat, promissi ius habet.

Quid igitur lex? propter trãsgressionem posita est, donec ueniret se- 13
men cui promiserat, ordinata per angelos in manu mediatoris. Mediator autem unius non est, deus autem unus est.

Dixerit quispiam, Si hinc erat speranda salus, quo cõsilio postea deus addidit legem inutilem? Non prorsus inutilem, nam tametsi non conferat innocentiam, tamen absterret & coërcet peccandi licentiam, dum malas cupiditates quasi cancellis cohibet, idq; alicubi ceremonijs & pœnis. Docetq; domini dei uolũtatem, in quibus domino placere uel conari debeamus, qualem agere in hac uita militiam, quid in nobis deus odiat, quid saluti nostræ prosit, quid uirtus uel uitium. Nec tamen data fuisset ea lex, nisi compulisset hominum effrenis malitia. Nec tamen in hoc data est, ut quoslibet penes omia semper obstringeret, sed ad tempus à deo præstitutũ & præfinitũ, typis interim deliniens Christum, supplicijs deterrens à peccando, & promissis inuitans ad innocentiæ studiũ, in hunc usum instituta lataq; per angelos authore deo, donec euolutis sæculis, ueniret semen illud

unicum, per quod deus Abrahæ promiserat salutem omnibus legitimis Abrahæ filijs. Sic autem lata est per angelos, ut totius legis potestas esset penes Christum, qui sic medius intercessit inter Mosaicam legem & euangelij gratiã, ut illius esset finis, huius initium. Sic medius interponens se inter deum & homines, ut ipse naturam in se utrancp complecteretur, utrancp alteri conciliaturus. Atqui conciliator qui intercedit, inter plures intercedat oportet. Nemo enim secũ ipse dissidet. Deus autem unus est, quo cum dissidiũ erat humano generi. Proinde tertio quopiam erat opus, qui naturæ utriusqp particeps, utrancp inter se recõciliauit, deũ placans sua morte, & homines sua doctrina ad uerum dei cultum pellíciens. Et iustitia sua electos consummans, & dignos æterna felicitate faciens credentes in ipsum. Vult ergo Paulus ostẽdere, ut quemadmodum lex per unius Mosi intercessoris operam lata est: ita etiam per unicum intercessorem Christum, cum deo redijsse in gratiam: omnesqp sub maledicto esse, qui aliunde qp per unicum illum intercessorem iustificari uolunt.

14 Lex ergo aduersus promissa dei? Absit. Si em̃ data esset lex, quæ posset uiuificare, uere ex lege esset iustitia.

Num, inquit, lex pugnat cum dei promissis? Nequaquam. Redit ad id quod superiori argumento dixerat, testamentum & promissionem dei non irrita facta propter legem, multos annos post sequutã. Si, inquit, lex iustificaret, esset aduersus dei promissiones de Christo, iustitia omnium fidelium. Nec enim promissionibus succedẽs lex, irrita reddidit promissa dei, sed homines in expectatione promissorum continuit, quo magis capaces essent euãgelicæ gratiæ. Nec ideo nunc cessat lex, quod aduersetur promissis diuinis, sed quod æquum esset umbras cedere ueris, & rem inefficacem efficaci. Nam si lex eiusmodi data fuisset, quæ uere uitam largiri posset, tamen nec erat futurum cur abrogaretur, nec opus fuisset euangelico præsidio, cum ex lege uere contingeret homini iustitia. Satis igitur fuisset huic fidere, quicunqp salutem ambirent æternam.

15 Sed conclusit scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.

Ne autem homines suis operibus iuxta legem freti, negligerent Christi gratiam, qua fideles cuncti semper saluati sunt, in hoc data est lex quæ præscriberet, quid agendum, quid uitandum, ut omnes intelligerent sese peccatis obnoxios, dum quod per legem didicerunt esse nefarium, non uitant tamen, nimirum uicti cupiditatibus carnis: atqp ita morbum agnoscentes suum, auidius amplecterentur oblatum euangelicæ gratiæ promissæ remedium & exhibitæ. Nam ante præscriptum legis fere impune peccabant, cum licere uidebatur quod libebat, & habebãt quod utcunqp admissis suis prætexerent. At lex sic eos constrinxit, ut non possent elabi, quin faterentur se commeruisse pœnam, quando negari non poterat, honestum esse quod lex præscriberet, & ratio dictarat. Hoc cõsilio cum deus nobis nostri fiduciam ademisset, ac malum nostrum nobis posuisset ob oculos, declaratum est promissum illud quod pollicitus est deus Abrahæ, quodqp soli Iudæi ueluti sibi peculiariter promissum expectabant, tanquam soli Abrahæ filij, ad omnes pertinere, quoscunqp fiducia erga deũ reddidisset ueros Abrahæ filios, non ex merito legis obseruatæ, sed ex eo, quod syncero pectore crederent euangelio, per mortem Iesu Christi, & innocentiã omnibus cõtingere, & uitam ac salutem.

16 Prius autem quàm ueniret fides, sub lege custodiebamur conclusi, in eam fidem quæ reuelanda erat.

Ad

Ad hanc quoq; rem pro tempore seruiebat lex Mosaica, antequam ueniret fides, id est Christus, qui saluat credentes, quæ lex Iudæos partim minis supplicio-rum, partim expectatione promissorum, partim adumbratione uenturi Christi, ceu uallo septos coërcebat, ne prorsum in omnem impietatem dilapsos, neq; dignos neq; capaces euãgelicæ gratiæ Christus adueniens ostenderet. Ex legis igitur promissis, utcunq; somniabant euangelij mysterium. Huius igitur custodia tantisper fulciebantur, donec aperiretur, quod lex adumbrasset per inuolucra, iamq; uigilantes clara luce cernerent exhiberi, quod ante ceu per somnium expectassent.

Itaq; lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide iustificemur: at 17
ubi uenit fides, iam non sumus sub pædagogo.

Lex non præstabat iustitiam perfectam, sed rudi populo ceu pædagogus erat addita, ut quos honesti ratio nondum poterat in officio continere, eos supplicij metus arceret à magnis flagitijs. Atq; ita paulatim proficientes, ad Christum perducerentur, à quo solo ueram expectarent iustitiam, pristinis diffisi ceremonijs. Pædagogus autẽ non sic additur pueris, ut semper adsit, sed tantisper donec adulti iam, suapte sponte ferantur ad honesta, nec opus habeant, ut metu mali coërceantur à flagitijs, sed patris hortatu sponte uolentes q; rapiuntur ad ea quæ sunt honesta, uicissim imperãtes pædagogo, cuius austeritatem ad tempus salubrem pertulerant. Intelligamus autem legem eatenus abolitam, ut credentes in Christum, amplius damnare non possit: non sic antiquatam, ut amplius curanda non sit, fides & charitas in lege ubiq; commendata, sed ut id quod lege impellente Iudæi coacte faciebãt timore pœnarum: nos omnes, qui Christum credimus, illius spiritu ex charitate & alacres faciamus, & uera ex spiritus libertate, scientes, qualis nobis sit, cui in his omnibus complacendo seruimus, quid in Christo à patre bonorum susceperimus.

Omnes enim filij dei estis per fidem quæ est in Christo Iesu: quicunq; 18
enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.

Causam subiungit, quare dixerit, fideles non amplius sub pædagogo esse, nimirum quod per fidem in Christum filij dei facti sint, & nũc per spiritum Christi sua sponte id exequi conentur, quod legis est. Quemadmodum enim pater, tametsi liberos habeat unice charos, tamen cogit ad tempus seruire pædagogo, cui mox sint dominaturi: ita deus populum suum rudem adhuc & crassum, legis austeritate coërcuit, donec concepta euangelica fide, iam sibi redditi desinerent esse sub iure pædagogi, sed tanquam ingenui filij sub benignissimi parentis clementia libere uiuerẽt. Neq; uero solos Iudæos deus pro filijs suis ducebat, quanq; his solis datus est pædagogus, imò quicunq; per fidem euangelicam inseruntur corpori Iesu Christi, eiusq; spiritum hauriunt, hi redduntur filij dei, posteaquã idem cum illo facti sunt. Quod si id per quod Christo iungimur cõmune est omnium, quomodo nõ deus omnes ex æquo filios agnosceret? Per baptismum autem non per circunci sionem hausistis hunc spiritum Christi. Quotquot igitur baptizati estis, in Christi consortium transistis, hac parte nihilo inferiores Iudæis, qui circuncisionis priuilegio sese uenditant. Cæteris in rebus quæ ab hominum indulgentia pendent, conditionis & personarum discrimen habetur, hoc suum beneficium deus ut gratuitum esse uoluit, ita uoluit esse omnibus commune. Per baptismum renascimur, ac subito uelut in aliam creaturam transformamur.

Non est Iudæus neq; Græcus, non est seruus neq; liber, non est ma- 19

sculus neq; fœmina, omnes enim uos unum estis in Christo Iesu.

Non imputatur cuiquam, quod ad hoc donum pertinet, quid fuerit ante baptismum. Omnes per baptismum transistis in Christi corpus, ex æquo participes huius doni, uelut à capite in omnia membra dimanantis. Vt omnem salutis fiduciam & spem in Christo habeatis, non attendentes ad illos, qui uobis persuadere uolunt, neminem ex gentibus conuersum, posse sine circuncisione & legis obseruantia saluum fieri, fide sola in Christum.

29 Si autem uos Christi, ergo semen Abrahę estis, secundum promissionem hæredes.

Si Christus est illud semen Abrahę, per quod deus pollicitus est omnibus gentibus benedictionẽ, uos quoq; Galatæ Christo insiti, posteritas Abrahæ sitis oportet. Si posteri Abrahæ, igitur & hæredes promissionis eius. Si nomen filij datur per Christi consortium, & in hoc omnes ex æquo recipiuntur per fidem & baptismum, hæreditas ad omnes ex æquo pertineat necesse est.

CAPVT IIII.

1 Dico autem, quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cum sit dominus omniũ, sed sub tutoribus & actoribus est, usq; ad præfinitum tempus à patre: ita & nos cum essemus paruuli, sub elementis mundi huius eramus seruientes.

Legalia in Christo cessasse probat per simile, iuxta humanas leges, iuxta quas hæres quandiu iunior est, opus illi est, ut aliquandiu seruitute aliqua pressus, suspirare discat ad libertatem, sub tutoribus & procuratoribus, donec grandescat, interim non exercet ius suum, imò nihil differt à seruo, cum natus sit dominus omnium, sed metu cohibetur, & alieno arbitrio ducitur, agens sub tutoribus & actoribus, usque ad ætatem adultam, quam legis aut patris uoluntas præscripserit. Itidem & nos olim, cum nondum essemus capaces huius doni, quod animos planè cœlestes requirit, nec mentes nostræ iustum etiamdum robur collegissent, puerorum in morem crassioribus quibusdam legibus continebamur, accommodis uidelicet imbecillitati nostræ, qui nondum cœlestem illam doctrinam saperemus, sed ijs tantum commoneremur, quæ corporeis oculis cerni possent. Quod genus sunt ista, quæ constant elementis huius mundi crassioris, ueluti dierum discrimina, delectus ciborum, cultus differentia, pecudum uictimæ, nota corporis, discursus ad Hierosolymam, & ibidem trium solennitatum celebritas. His omnibus ad tempus paruimus, seruorum ritu, donec maiorum nondum eramus capaces: quæ certe tunc aliquid erant, quando secundum uerbum dei fiebant. Hypocrisis autem erant, dum non respiciebatur in uerbum dei, ut ex fide in Christum fierent, qua non pauci carebant. Qui uero spiritu dei donati erant, intelligebant omnia, & libertate spiritus fruebantur, qua externa illa seruabant cum aliis: interim tamen non illa externa, sed dei gratuitam misericordiam, suam cognouerũt esse salutem.

2 At ubi uenit plenitudo temporis, misit deus filium suum, factũ ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.

Verum simulatq; impuberes esse desijmus, posteaquam ad ætatem adultam uenire contigit, exacto temporis modo, quod pater æternus arcano suo consilio præstituerat nobis, nõ passus est nos deus amplius seruire præceptis crassioribus, sed

sed in hoc misit deus, non iam Mosen aut prophetam, sed unicum filium suum Iesum Christum. Misit autem non per somnium aut uisum, sed hominem ex mulie re nasci uoluit, nostræ naturæ malis obnoxium, quo præsens nostris calamitatibus mederetur. Quem & circuncidi, reliquamq; legis seruitutem pati uoluit, ut Iudæos quos legi reperit subiectos & obnoxios, à legis onere redimeret, ne quisquam postea uelut impubes, tanquam sub actoribus seruiret, sed omnes in libertatem filiorum asciscemur, nam seruitus pugnat cum filij uocabulo.

Quoniam autem estis filij dei, misit deus spiritum filij sui in corda ue- 3
stra, clamantem, Abba, pater. Itaq; iam non est seruus, sed filius: quod si filius, & hæres per deum.

Vt autem certo argumẽto doceret diuina bonitas, nos in libertatem filiorum esse assertos, amoto supplicíorum metu, spiritum unici filij sui infudit intimis cordibus nostris, qui nobis certissimus testis est, quod sumus filij dei. Siquidem aliud spirat, aliud clamitat spiritus seruilis, aliud filiorum affectus: ille deprecatur iram domini, hic ingẽti fiducia clamitat, Abba pater. Nec dubitamus, quin deus agnoscat pietatis & charitatis, nõ metus appellationem. Quod si secus esset, neq; Christus suos appellaret fratres, neq; docuisset, ut communem deum patris uocabulo compellaremus, Pater noster qui es in cœlis. Proinde cuicunq; deus filij sui spiritum impartit, is iam non seruus est, sed filius: quod si filius est per Christum, per eundem & hæres sit oportet. Quisquis enim adoptat alterum in nomen filij, is in ius hereditatis asciscit. Quemadmodum ergo carne & sanguine cum parentibus carnis unum sumus, ita spiritu unum sumus cum deo. Illud ex prima natiuitate, hoc ex secunda. Vt conscientiæ nostræ non amplius seruituti legali sint obnoxiæ, sed cõcepto spiritu Christi, filij dei simus. Vbi autem spiritus domini, ibi libertas. Nec hic prædicatur carnis libertas, sed fidei & spiritus, quæ conscientiarum est, & ad bonum. Semper ergo nos oportet respicere non in nos, sed in filium dei, per quem sumus filij quoq; dei etiam nos, quemadmodum ipse dicit, Si filius uos liberauerit, uere liberi eritis. Christus enim natura filius dei est, qui in carnẽ natus, nos quoq; adoptione suos fratres & filios dei fecit.

Sed tunc quidem ignorantes deum, ijs qui natura non sunt dij, seruie- 4
batis: nunc autem cum cognoueritis deum, imò cogniti sitis à deo, quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuo seruire uultis?

Quemadmodum Iudæi pro tempore crassa religione uel superstitione magis cohibebantur, ne prorsus ab omni religione dilaberẽtur: ita uos quondam, cum deum uerum ignoraretis, ex maiorum instituto coluistis dæmones, qui cum dij credãtur, re non sunt dij, quod propior uideatur ueræ religioni, qui falsa religione tenetur, q̃ qui prorsus credens nullum esse deum, nullo religionis affectu tangitur. Iudæis non imputatur, quod pro ratione temporis maiorum institutis seruierint, à quibus tum ad uerum pietatis studium sese contulerunt, posteaquam meliora sunt edocti. Nec uobis imputatur cultus simulachrorũ, quæ rati numen habere, per errorem adorastis. Posteaquam per euangelicam doctrinam uerum deum cognouistis, imò ut melius dicam, posteaquã ab eo agniti estis. Neq; enim ille à uobis repertus est, sed ipse uos ad se pertraxit afflatu, quemadmodum quod illũ nunc ut patrem diligitis, non aliunde est, nisi quod ille prior dilexit uos. Cum igitur nos Iudæi reliquerimus externas iustitias, ueram dei per Christũ iustitiam

agnoſcentes, ab elementis mundi aſcendẽtes ad deum. Nónne ſtultitia eſt, quod uos contra à deo quem agnouiſtis, fidei prædicatione in Chriſtum, iuſtitiã mundi, iterum nunc deſcenditis ad infima & infirma legalium elementa?

5 Dies obſeruatis & menſes, & tempora, & annos. Timeo uobis, ne ſine cauſa laborauerim in uobis.

Facile ignotum eſt priſtino errori, uerum inexpiabile flagitiũ ſit, poſt cognitam ueritatem ultro ad priſtinum errorem relabi. Iudæi cognito uero cultu pietatis, à ſuis deſciſcunt ceremoniis: uos ab idolorum cultu reuocati, ac per euangelium ueram edocti pietatem, accepto cœleſti ſpiritu, rurſus ad Iudaicam ſeruitutem uoſmetipſos datis præcipites: ut cum liberi ſitis, tamen ultro ſeruire cupiatis elementis huius mundi, quæ nec uim habent ad conferendam iuſtitiam, nec efficacia ſunt ad ſalutem. An non eò relabimini, dum Iudaica ſuperſtitione obſeruatis dies, menſes, & annos, aliasq; temporũ differentias, perinde quaſi ſabbatiſmi, neomeniarum, dies feſti, iubilæorum quoq; & tabernaculorum, aliaq; tempora, in quibus Iudæi certa quædam exercent, aut à certis rebus ceu nefaſtis abſtinẽt, quicquam conferant ad ueram ſalutem, quum omnia tempora libera ſint Chriſtianis, ad cultũ ueræ pietatis. Si uere Chriſto fiditis, unde iſta ſuperſtitio? Si non fiditis, uereor ne fruſtra tantum laboris ſuſceperim in uobis inſtituendis. Siquidem excidiſtis à Chriſto, ſi Iudaiſmum admiſcetis. Ne cõmittatis, ut & ego meam operam luſerim, qui per uarias afflictiones uobis euangelium tradidi, & uos tantum malorum fruſtra pro Chriſto paſſi ſitis.

6 Eſtote ſicut ego, quia & ego ſicut uos, fratres, obſecro uos, nihil me læſiſtis.

Tales cupio ſitis potius, qualem me uidetis eſſe, neglecta legalium obſeruatione, ſoli Chriſto fidentem. Quandoquidem & ipſe quondam fui quales uos nunc eſtis, arbitrans eximiam quandam eſſe pietatem circuncidi, ſeruare ſabbatha, delectum ciborum, pecudum uictimas, quarũ rerum zelo tum perſequebar eccleſiam dei: quæ omnia nunc ut inutilia negligo. Fratres, quod per hæc uehemẽtius uobis expoſtulo, ueſtrum, mihi credite, non meum ago negotium: ipſe poteram recti conſcientia contentus eſſe. Non ideo uobis infenſus ſum, quod me affecerítis iniuria, ueſtri me miſeret, ſi à cœptis tam præclaris degeneretis. Hic autem eſt uere apoſtolicus animus, ſuccenſere & dolere propter ſeductionẽ animarũ, non obmiſſo quod eſt charitatis, diligenterq; uerbo dei inſtaurare quod perijt.

7 Scitis autem, quod per infirmitatem carnis euãgelizaui uobis iam pridem, & tentationem ueſtram in carne mea nõ ſpreuiſtis, neq; reſpuiſtis, ſed ſicut angelum dei accepiſtis me, ſicut Chriſtum Ieſum. Vbi eſt ergo beatitudo ueſtra?

Sitis oro conſtantes, ſemperq; ad meliora proficite potius, q; ut ad deteriora relabamini. Ego me, primum prædicans uobis euangeliũ Ieſu Chriſti, ad ueſtram imbecillitatem deieci, uos uiciſſim nunc ad meam firmitatem aſſurgite. Nolite præclaram illam fidei ueſtræ gloriam amittere. Noſtis enim quod pridem quum uobis traderem euangelium, nihil magnificum præ me tulerim, ſed humilis & abiecti homunculi ſpeciem geſſerim. Vidébatis hominem tenuem, obnoxium malis, multis inuiſum ob Chriſti nomen, multis afflictionibus diuexatũ, ad hæc ſimplici rudiq; ſermone. Nihil prædicaui uobis, q; Ieſum Chriſtum crucifixum. Et tum tanta erat promptitudo fidei ueſtræ, ut hiſce rebus nihil offenſi, non reiecerí

tis,

tis, neq; spreueritis euangelium nostrum, cum ex his immortalitatem pollicere-
mur, imò summo studio summoq; cum honore excepistis me, nõ ut Paulum, sed
ut angelum dei, imò ut ipsum Iesum Christũ, propterea quod intelligeretis non
humanam esse doctrinam quam ad uos adferebam, sed diuinam: neq; me meum
ipsius agere negotium, sed Iesu Christi. Deum igitur in me, Christum in me uene
rati estis, hæc docẽt fidem uestram spectatissimã aliquando fuisse, quæ tam prom
pta fuerit, quæ tam constans, ut nullis meis malis, nulla specie humilitatis potue-
rit languescere. Gratulabar uobis hoc nomine, beatos iudicabam, me felicem du
cebam, qui tales haberem discipulos. Quod si pœnitet uos cœptorum, ubi uestra
illa felicitas? ubi mea? cũ & ego mihi de uobis, & uos uobis de me gratulabamini.

Testimoniũ enim perhibeo uobis, quia si fieri posset, oculos uestros 8
eruissetis, & dedissetis mihi: ergo inimicus uobis factus sum, uerum di
cens uobis?

Illud uere de uobis testari debeo, tãta erat animi uestri ad me propẽsio, ut uel
oculos uestros erutos daturi fuerítis, si ita res tulisset. Vnde nũc à nobis alienati,
nouos apostolos uobis ascisciti, à quibus Iudaismum discatis? Illi fucis & blandi
loquentia uos illectant, sibiq; cõciliant, non ea prædicantes quę uestræ saluti con
ducant, sed quæ ad ipsorum quæstum ac fastum faciant. Ergóne ob id factus sum
uobis inimicus, quod simpliciter ac uere monuerim, quæ uidebam ad uestram sa
lutem pertinere?

Aemulantur uos non bene, sed excludere uos uolunt, ut illos æmule- 9
mini. Bonum autem æmulamini in bono semper, & non tantũ cum præ
sens sum apud uos.

Video, ô Galatæ, quid agatur, ambiunt uos quidam, ac ueluti mihi inuiden-
tes captant, at non syncero animo. Non enim hæc faciunt quo uobis consulant,
sed ut uos ab euangelij libertate secluſos retrahant in Iudaismum, cui ipsi sunt ob
noxij: quærunt enim alios sui similes reddere, quo uideantur ipsi rem præclaram
ac mirificam sectari pariter ac docere. Ne putetis quiduis in quouis æmulãdum
esse, uerum quod rectum est decet æmulari, idq; constanter, non modo cum præ-
sens sum apud uos, uerumetiam cum absum. Vidistis me legis ceremonias negli-
gere, nihil prędicare præter Christum, æmulabamini præsentem. Si id rectũ erat,
cur nunc absente me uultis alios æmulari in ijs quæ recta non sunt? Vtinam lice
ret uobis oculos in pectus meum inserere, cerneretis nimirum, quanto cum ani-
mi dolore hæc scribam.

Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in uobis. 10
Semel uos genui Christo, non sine multo nixu ac molestia, nunc desciscentes
à Christo denuo parturio, donec plene Christus formetur in uobis. Semen bonũ
ieceram, unde pure Christianos nasci conueniebat, sed nescio quo fascino dege-
neratis in Iudæos, & in aliam formam transitis. Christus cœlestis est, spiritualis
est, uos terreni & carnales esse contenditis. Tum autem Christus formatus est in
nobis, quando nos illius facti sumus, quando iuxta illius spiritum, nõ carnem no
stram ambulamus, dum illius non nostra iustitia fidimus.

Vellem autẽ esse apud uos modo, & mutare uocem meam, quoniam 11
confundor in uobis.

Affectum animi mei nõ satis exprimit epistola, utinã quoq; nunc liceat apud
uos esse, ut quod literis utcunq; significo, possim uiua uoce uobis aperire. Nonni

hil adderet uultus, nonnihil lachrymæ, nõnihil ipse uocis ardor, in omnia me mutarem, quo uos reuocarem ad Christum, nunc blandiens, nunc obtestans, nunc obiurgans. Orationem melius ad uarietates animorum, & ad rem præsentem accommodarem. Experirer omnes remediorũ uias, donec omnes ad sanitatem reuocassem: nunc cum uideam uos partim ad Iudaismum relapsos, partim huius periculo proximos esse, partim, ut spero, constantes in eo quod à nobis didicistis, in uarias curas metusq; mihi distrahitur animus, neq; satis consilij est, qualibus literis tanto malo queam mederi.

12 Dicite mihi qui sub lege uultis esse, legem non legistis? Scriptum est enim, Quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est: qui autem de libera, per repromissionem, quæ sunt per allegoriam dicta.

Iam ut eos peculiariter appellem, quibus omnino cordi est, in legis seruitutem reuolui, quæso ut mihi respondeatis. Si lex Mosi placet, cur non huius authoritatem sequimini? Et parum creditis euangelio, siquidem ipsa quoq; lex Mosi uult eos, qui cooptabuntur in societatem Christi, liberos esse à seruitute legis. Accipitis legem, & non audistis legem: aut si audistis, non intelligitis. Scriptum est enim in libro Geneseos, Abrahę, qui princeps ac pater credentium fuit, duos fuisse filios, quorum maiorẽ, uidelicet Ismaelem, sustulit ex ancilla Agar: minorem Isaac, ex uxore legitima Sara. Verum is qui natus est ex ancilla, iuxta morem hominum cõmunem natus est: nec quicquam aliud erat, q; filius Abrahæ, quemadmodum sunt Iudæi à Christo alieni. Is uero qui natus est ex uxore libera, præter communem ordinem naturæ ex effœta matre, ex uetulo patre, iuxta diuinũ promissum natus est, & quibus ætas ac corporis imbecillitas hæredis desperationem ingerebant, his promissio diuina certam fiduciam prolis addidit: itaq; prior ille naturæ debebatur, hic fidei. Neq; uero historia hæc præter gestæ rei narrationem nihil habet retrusioris mysterij, nam huiusmodi fermè est lex Mosaica, ut quemadmodũ in homine sub crasso corporis operculo latet animus corporis moderator: ita sub historia penitius quiddam ac sublimius tegatur, quod sit allegoricũ, & mysticum ad eruditionem animi.

13 Hæc sunt duo testamenta, unum quidem in monte Sina, in seruitutem generans, quæ est Agar. Sina enim mons est in Arabia, qui coniunctus est ei, quæ nunc est Ierusalem, & seruit cum filijs suis.

Scrutemur quid nobis significent per allegoriam duæ matres, quid duo filij. Nimirum duæ matres adumbrãt duo testamenta, quorum alterum ædidit populum seruituti legis obnoxium, alterum populum per fidem liberum ab onere legis. Siquidem Sina mons est in Arabia, quæ Chaldæorum uel Syra lingua Agar ancillæ nomen refert, confinis quidem monti Sion, quia ad Ierusalem tendit uel uersus eam, quando de monte Sinai profecti sunt fideles in terram Chanaan, in cuius meditullio fermè situs est mons Sion, ad quem sita est ciuitas, cui quondam erat nomen Iebus, nunc Ierusalem dicitur. Porrò qui montem accolũt Agar, hodiernis quoq; temporibus seruitutem seruiunt, ueluti gentis authorem conditionem referẽtes. Cæterum Hierosolyma, quæ cessit posteris Isaac, nescit seruitutem.

14 Illa autem quæ sursum est Ierusalem, libera est, quæ est mater nostra. Scriptum est enim: Lætare sterilis quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis, quia multi filij desertæ, magis q; eius quæ habet uirum.

Ea

Ea Hierosolymorũ ciuitas, quoniam in ædito sita est, cœlestem illam patriam, in cuius municipium asciti sumus, adumbrat. Ea mater est nõ solum Iudæorum, sed omnium nostrum qui Christo credimus. Lex Mosaica terrena est, lex euangelica cœlestis, nimirum è cœlo profecta. Vt corpus seruit animo, ita quod crassum est, seruile est: quod spirituale, cum libertate coniunctum est. Lex Mosaica prior suum ædidit fœtum: lex euangelica, tametsi serius enixa est, tamen quanto copiosiorem sobolem genuit deo? Illa duntaxat unicam gentem produxit, nec eandem admodum numerosam: hæc totius orbis nationes complectitur. Atq; id ne fortuito quis putet accidisse, iam olim fore prædixit Isaias cap. 60. qui prophetico spiritu prospiciens gentium multitudinem, ad euangelium Christi undiq; conuolantem, exultat hisce uerbis: Lætare sterilis quæ non paris, erumpe in gaudij uocem, & clama quæ non parturis: nam longe plures tui filij, quæ orba & effœta uideberis, q̃ eius quæ uirũ habet, ac miram posteritatis spem de se pollicebatur. Per paucos Iudaismus olim commendauit deo, plurimos autem fides euãgelica deo conciliat, ac sine fine conciliatura est, Iudæos scilicet & gentes ad Christum conuertendos. Vide suo loco.

Nos autem fratres, secundũ Isaac promissionis filij sumus: sed quem- 15
admodum tunc is qui secũdum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum spiritum, ita & nunc.

Videtis duas matres, uidetis duos filios, duarum gentium authores. Qui legem Mosaicam adhuc mordicus tenẽt, ad Ismaelem ex ancilla natum pertinent: nos uero qui relicta legis fiducia per fidem synceram ab uno Christo pendemus, ad Isaac pertinemus, qui ex libera non secundum carnem natus est, sed iuxta dei promissum. Nec enim ideo recipimur ad salutem euangelicam, quod sub lege nati sumus, sed quod deus olim promiserit salutem omnibus, qui per fidem accederent in consortium filij sui Iesu Christi. Quin hac quoq; parte pulchre congruit allegoria, quod utraq; posteritas sapit originem suam. Siquidem quemadmodum olim Ismael natu grandior, qui iuxta carnem modo fuit filius Abrahæ, tenerum adhuc Isaac persequebatur, ex promisso dei natum, iam tunc inter colludendum plus sibi uendicans q̃ æquum erat: ita nostris quoq; temporibus, qui carnali legi hærent, iuxta carnem filij Abrahæ, non per fidem Iudæi, inuisos habent eos qui spiritualem euangelij legem amplectũtur, filijs Abrahæ iuxta fidem, ijsq; præire conantur, quasi uendicantes sibi ius primogenitorum, quod uni debebatur Christo. Ac uetustatis prærogatiua matris ingenuæ filios in seruitutem communem pellicere conãtur, uidelicet, quo ipsi serui maiores, minoribus quodammodo dominentur.

Sed quid dicit scriptura? Eijce ancillam & filium eius, nõ enim hæres 16
erit filius ancillæ cum filio liberæ. Itaq; fratres, non sumus ancillæ filij, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberauit.

Non probat mater ingenua commercium filij senioris, non uult misceri dissimiliter natos. Clamat enim protinus indignata, quemadmodum refert scriptura, Eijce ancillam & filium eius: nec enim patiar ut hæres sit filius ancillæ cum filio meo Isaac. Nimium hæret synagoga ijs qui crediderunt euangelio. Nimium urgent Iudæi Christianos, quorum inuident libertati. Si mater non uult sponte discedere, pellatur potius q̃ commercio seruili filium corrumpat meum. Isaac promissa est ac debetur æternæ salutis hæreditas. Agar efferat, si uelit, secũ hydriam insipidæ legis quam deamat. Meus Isaac efficacem euangelicæ doctrinæ succum

bibens feliciter adoleſcet uſq;, donec euadat in uirum perfectum. Proinde fratres mei, ſinite ut Iudæi, quibus nimium pertinaciter placet lex ſeruilis, ſuam ſibi habeant ſeruitutẽ, nec à matris ingenio degenerent. Nos qui & ipſi fuimus aliquando ſeruituti legis obnoxij, & tanquam filij Agar ancillæ, perſequuti ſumus ingenue eccleſiæ filios, nũc exempti ſumus à ſeruitute priſtina, & cooptati in ius filiorum Saræ, hanc libertatem Chriſto ferimus acceptam, cui per fidem ſumus inſiti, ſic ut in cõmune ius hæreditatis promiſſæ uenerimus. In eam libertatẽ, in quam nos Chriſtus ſuo pretio ueluti poſtliminio reſtituit, uos uocauit per euangelium.

CAPVT V.

1 STate, & nolite iterum iugo ſeruitutis contineri. Ecce ego Paulus dico uobis, Quoniam ſi circuncidamini, Chriſtus uobis nihil proderit.

Nihil ſupereſt, niſi ut in eo quod ſemel eſtis aſſequuti perſiſtatis. Nã quæ dementia ſit, à libertate, quæ uobis gratuito contigit Chriſti beneficio, ultro in ſeruitutis iugũ inſerere colla ueſtra? Nos experti ſeruitutis moleſtiam, gratulamur uobis, quibus tandem contigerit libertas: uos libertatem pertæſi, ultro ſeruitutem affectatis? Fortaſſis ſic uobiſipſis blandimini, Non deſciſcimus à Chriſto, ſed legẽ cum Chriſto copulamus, quo certior ſit ſalutis expectatio. Chriſtus totũ hoc beneficium, ut omnibus uoluit eſſe cõmune: ita ſibi ſoli acceptum ferri uoluit, non patitur in hoc negotio conſortium. Atq; ut intelligatis quãto periculo meditemini Iudaiſmum, en ego uobis nõ ignotus Paulus gentium apoſtolus, & apoſtolus inſtitutus ab ipſo Chriſto, palàm edico uobis, Si circũcidamini, Chriſtus nihil uobis profuturus eſt. Etenim ſi uere creditis ab hoc perfectã ſalutem omnibus præſtari poſſe, cur accerſitis circunciſionem? Sin diffiditis, nondum agnoſcitis beneficiũ Chriſti, cuius participes eſſe non poſſunt qui diffidunt, nam ſoli fidei datur, non meritis. Aut planè Iudæi ſitis oportet, abdicato Chriſto: aut planè Chriſtiani ſitis oportet, reiecto Iudaiſmo. Non fert ille claudicãtes utroq; pede. Non uult uinum nouum infuſum utribus ueteribus, non uult uetus infuſum nouis utribus. Non fert aſſutum pannũ nouum ueſtimento ueteri, non fert ueſti nouæ ueterem pannum admixtum.

2 Teſtificor autem rurſus omni homini circuncidenti ſe, quoniam debitor eſt uniuerſæ legis faciendæ.

Sed leuis ſeruitus legalium Iudaicorũ fortaſſe negligi poterat, ſi grande præmium eſſet ſeruitutis. Poterat conditionis onus mercedis magnitudine penſari, nunc autem præterquam quod onus eſt moleſtiſſimum, adeo nihil eſt lucri, ut damnum maximũ ſit capiendum. Neq; uero uobiſipſis blandientes dicatis, uel uoſipſos fallatis, Non illigabimus nos uniuerſæ legis ſarcinæ, tantum aſpergemus aliquid ex lege, ne prorſus ſimus alieni. Recipietur circunciſio duntaxat, uictimæ pecudum, aditus templi, multitudo feſtorum, cæteraq; id genus nõ recipientur. Ego contrà, ne quid inſciẽtes erretis, clara uoce teſtor omnibus hominibus, Quiſquis ſe circunciderit, ſiue Iudæus ſit, ſiue ſecus, obnoxium ſe facit obſeruandæ toti legi. Quemadmodum enim per baptiſmum toti dedicamur Chriſto, ita qui circunciditur, totus dedicatur legi: nam hac ueluti teſſera in genus Iudaicũ cooptatur. Liberum eſt ex lege quædam decerpere ijs qui circunciſi non ſunt: cæterum circunciſos tota lex habet obligatos. Cui circũciſio placet, huic & uictimæ & ſabbatha, & neomeniæ, & lotiones, & ciborũ delectus, & ſtata ieiunia, atq; id genus placeant alia oportet. Tantũ onus ultro accerſere, nónne manifeſtarie cuiuſdam dementiæ

demẽtiæ eſt, præſertim hac mercede, ut ob moleſtiſſimam & inutilem ſeruitutem à Chriſto libertatis ac ſalutis unico authore deſciſcatis? Etenim, ut ſæpe iam dixi, ſi ueram iuſtitiam expectatis à legis præſidio, quæ per operũ fiduciam promittit qualemcunq; iuſtitiam, nimirum alieni facti eſtis à cõſortio Chriſti, qui ſuum donum gratiæ eſſe uoluit, non meriti. Quod ſi diſcedítis à Chriſti contubernio, ne lex quidem uobis erit uſui, imò perniciem adferet. Etenim ſi quem uſum habebat ante lucem euangelicam, eum totum amiſit euulgato iam euangelij myſterio.

Euacuati eſtis à Chriſto, qui in lege iuſtificamini, à gratia excidiſtis. 3
Nos enim ſpiritu ex fide ſpem iuſtitiæ expectamus.

Si legalia huiuſmodi apud uos ualent, Chriſtus eſt antiquatus: ſi ualet Chriſtus, lex antiquata ſit oportet. Cum legem dico, craſſam illam atq; carnalem Moſaicæ legis partem intelligo, quam ſolam mordicus tenent Iudæi, ex obſeruatiunculis ad corpus pertinentibus, ſibi pollicentes perfectam iuſtitiam, exiſtimantes quod pecudum ſanguis aſperſus expiet animum à peccatis, aut aquæ lauacrum mentium ſordes abſtergat, aut cibus purus aut impurus animum expurget aut inquinet. Nos contrà ſpiritualem legis amplexi portionem, non ex huiuſmodi rerum corporalium ſuperſtitioſa obſeruatione promiſſam iuſtitiam expectamus, ſed ex eo quod per euangelium credimus ueram innocentiam, ueramq; ſalutem per Chriſti mortem nobis gratis donari. Quod uero dicit hic ſpem iuſtitiæ, quaſi eam nondum habeamus iuſtitiam. Nondũ quidem perfecta eſt noſtra iuſtitia in hac mortali uita, ſicut nec fides, ut neceſſe ſit ſemper eſurire & ſitire iuſtitiã, quæ eſt per fidem, quam & ipſam continuo augendam oramus. Ex fide ergo iuſtificamur, quia quod credimus imputatur nobis ad iuſtitiã, interimq; ſperamus & expectamus iuſtitiæ quoq; ſpem, toto tempore uitæ noſtræ nobis nõ defuturam, & hoc per ſpiritum ex fide.

Nam in Chriſto Ieſu neq; circunciſio aliquid ualet, neq; præputium, 4
ſed fides quæ per charitatem operatur.

Nihil refert utrum circunciſus uenias ad Chriſtum, an incircunciſus, quãdo totum hoc negotium non ab obſeruatione legis, ſed à fide pendet, cui licet deſint opera legis Moſaicæ, non eſt tamen otioſa. Verum occultos impetus adhibet ad omnia pietatis officia, non ex præſcripto legis, ſed ex charitate, quæ nullius iuſſu ſuapte ſponte, multo plus preſtat, q̃ ulla lex poſſit extundere uel minis uel ſupplicijs. Hæc quum adeſt, quorſum opus legis præſcripto? Si non adeſt, ad quid conducit legis obſeruatio?

Currebatis bene, quis uos impediuit, ueritati non obedire? 7
In euangelij ſtadio bene currebatis cum eſſem uobiſcum, ad æternæ felicitatis brauium recta properãtes. Quis impediuit curſum ueſtrum? Cur quod ſemel placuit, non probatis conſtanter? Cur ueſtro decreto reſciſſo, in alienam ſententiam pedibus itis? Cauete ne cuiuſquam hominis authoritas tantum ualeat apud uos, ut ab inſtituto curſu ceſſetis. Semel credidiſtis ueritati, turpiſſimum eſt nunc ad umbras deflectere.

Nemini conſenſeritis, perſuaſio hæc non eſt ex eo qui uocat uos. Mo 6
dicum fermentum totam maſſam corrumpit.

Qui uobis diuerſa perſuadere conantur, qui fidei ueſtræ curſum interpellantes, ex tranſuerſo auocant ad Iudaiſmum, eis minime conſentiatis. Non enim ſequuntur authorem deum, qui uos ad gratiam uocauit per fidem, non ad Iudai-

ſmum per circunciſionẽ, ſed humanas cupiditates ſuo quæſtui, ſuæ gloriæ, ſuæq; tyrannidi ſeruientes. Etiam atq; etiam cauendum ab iſtorũ oratione. Pauci ſunt, ſed hi pauci, niſi uitentur, periculum eſt, ne totam multitudinem inficiant, ac totius ueſtræ congregationis uitiabunt ſynceritatem, quemadmodũ uidetis à paululo fermenti totam conſperſionem acidam reddi, cui fuerit admixtum, paulatim acorem ſuum per omnem farinam antea ſynceram diffundens. Quantulacunq; portio Iudaiſmi, ſi cum euangelio miſceatur, totius fidei ueſtræ ſynceritatem uitiabit. Fermenti autem nomen & res aliquando in bonam partem accipitur, non nunquam etiam in malam. Vt cum Chriſtus regnum dei fermento farinæ immixto comparat: & aliud phariſaicum, à quo monet Chriſtus cauendum.

7 Ego cõfido in uobis in domino, quod nihil aliud ſapietis, qui autem conturbat uos, portabit iudicium, quicunq; eſt ille.

Quandoquidem hactenus alieno impulſu cœpiſtis uacillare, certam ſpem de uobis concipio, quod in priſtina ſententia perſeuerabitis: partim quidem fretus animis ueſtris, pridem mihi perſpectis & exploratis, ſed multo maxime auxilio Chriſti, is dedit ut alacriter inciperetis, idem dabit ut fortiter perſeueretis. Cæterum quiſquis eſt ille, qui ueſtræ fidei tranquillitatem puritatemq; noua doctrina perturbat, nõ effugiet iudicium dei, quamuis fefellerit homines. In præſentia certis de cauſis nec prodo qui ſit, nec in illum ſæuio, deo tamen, cui non eſt ignotus, quiq; nullius authoritate cõmouetur, pœnas dabit, quem læſit, potius q̃ me.

8 Ego autem fratres, ſi circunciſionem adhuc prædico, quid adhuc perſecutionem patior? Ergo euacuatum eſt ſcandalum crucis. Vtinam & abſcindantur qui uos conturbant.

Non uos moueat ſi quidam iactitant, me quoq; non abhorrere à legis obſeruatione, qui ſæpenumero Iudæus factus ſum Iudæis, ac Timotheum circũciderim. Compulſus id feci, atq; identidem reclamans, illiq; tum tempori ceſſi, quo neq; periculi multum adhuc uidebatur imminere, ſi feciſſem, & grauis tumultus niſi feciſſem. Nunc diuerſa temporis ratio diuerſum cõſilium poſtulat. Poſtremo aliud eſt pati circunciſionem, aliud eam prædicare. Paſſus ſum ut Timotheus circuncideretur, nunquam docui oportere circuncidi. Ita frequenter cum Iudæis agens, à uetitis lege cibis abſtinui, nunquam præſcripſi cuiquam ciborum delectũ, imõ contra docui, nihil referre quibus cibis ueſcaris, modo ſobrie cum gratiarũactione. Erat tempus cum nonnihil dandum eſſet inuincibili perſuaſioni Iudæorum, nunc quando ſatis eluxit euãgelium, & pertinacibus animis hoc agant Iudæi, ut gentes etiam in ſuam pertrahant ſuperſtitionem, neq; rectum eſt neq; tutum uacillare, ſed libera fronte prædicandum eſt, ceſſaſſe legem Moſaicam, amplectendam omnibus libertatem euangelicam. Nam ſi uerum eſt quod iſti dictitant, me circunciſionis authorẽ ac præconem eſſe, quid igitur eſt, quod me Iudæi tam obſtinatis odijs in hodiernũ uſq; diem perſequuntur? Nam hinc oĩe gentis odium in me, quod ſic prædicem euangelium Chriſti, ut doceam ceſſare legem Moyſi. Illi putant pluris ſe habendos apud omnes, ſi Iudaici ritus admiſcerentur Chriſto. Nunc diſcruciantur inuidia, quod omnibus per fidem ad eam gratiam admiſſis, ipſi circunferunt inutilem circunciſionem. Atq; hæc præcipue cauſa, cur iampridem obſtinatis animis mihi perniciem ſtruãt, quod per Chriſti crucem omnibus pollicear perfectam ſalutem, abſq; circunciſionis præſidio. Quod ſi circunciſionem adhuc prædico, quemadmodum quidam calumniantur, cur non ceſſant me Iudęi perſequi, cum ſublata ſit cauſa, cuius gratia fuerã illis inuiſus? Mihi credite

Galatæ,

Galatæ, semper eadem fuit & futura est mea prædicatio. Videte ut uestra fides iti
dem sit eadem. Tantum enim abest, ut assentiar istis qui circunciſionem docent,
ut si non queant à sua lege distrahi, distrahantur penitus ab euangelij consortio,
potius q̄ uos labefactent, & à recto statu sua persuasione dimoueant. Si tam per-
tinaciter placet istis circunciſio, faxit deus, ut non solum circuncidantur, uerum
etiam prorsus abscidantur, ut affatim habeant quod amant. Præstat illos perire so
los, quàm alios tam multos in ruinam secum trahere, ut uidētur egisse uobiscum.

Vos enim in libertatem uocati estis fratres, tantum ne libertatem in 9
occasionem detis carnis, sed per charitatem spiritus seruite inuicem.

Fruantur illi sua pudenda seruitute, si ita collubitum est ipsis, uos autem fra-
tres non in seruitutem, sed in libertatem estis uocati per euangelium. Neq̄ quic-
quam aliud restat, nisi ut caueatis, ne libertatem acceptam per Christi spiritum,
per occasionem accommodetis ad carnis cupiditates: nam ita sublata est seruitus
legis, ut in huius uicem succesſerit charitas euangelica, quæ plus impetrat à uo-
lentibus, q̄ lex exculpebat ab inuitis. Nec tamen dominatus aut seruitus est in-
ter amantes, inter quos mutuum est obsequium. Lex non præcipit, ut pro capite
amici tuum caput opponas, ut tuam defraudans genitū, fratris inopiæ subuenias,
ut firmus infirmo, doctus indocto, melior deteriori obsecundes, & tamen hoc im
petrat charitas, quæ sic ubiq̄ dictat quid sit agendū, ut ultro facias q̄d dictauerit.

Omnis enim lex in uno sermone impletur, Diliges proximum tuum 10
sicut teipsum. Quod si inuicem mordetis & comeditis, uidete ne ab inui-
cem consummamini.

Quod lex tot præscriptis, tot minis non efficit, id compendio sola præstat cha
ritas, totius legis uim & summam in sese complectēs. Siquidem quicquid uerbo-
sissima lex innumeris præceptis conatur efficere, id totum unico breuiq̄ sermo-
ne completur, nimirū hoc, quem legimus in Leuitico cap. 19. Diliges proximum
tuum sicut teipsum. Proinde si mutua charitate conglutinabimini, inter uos mu-
tuis officijs oīes fulciemini, mutuis obsequijs adiuuabimini. Rursus, si quod in-
ter carnales fieri solet, mutuis odijs inter uos dissidentes, non solum non subleua
tis alij alios, uerumetiā obtrectationibus mordetis inuicem: nec mordetis modo,
atq̄ arroditis, uerumetiā quod immanium est ferarum, deuoratis, quod quidem
in uobis est, etiam atq̄ etiam metuendū est uobis, ne beluarum ritu uos inuicem
laniantes, ad earundem exemplum mutuis uulneribus conficiamini. Huc prola
buntur qui euangelicæ charitatis expertes, hærent legi carnali, dum omnia suis
commodis metiuntur: quo contrà, Christiana charitas alienis seruiat commodis.

Dico autem in Christo, Spiritu ambulate, & desideria carnis non per 11
ficietis. Caro enim concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduer-
sus carnem. Hæc enim sibijnuicem aduersantur, ut non quæcunq̄ uultis,
illa faciatis.

Horum quæ dicta sunt huc tendit summa, ut posteaquam exempti estis à ser-
uitute legis Mosaicæ, quæ carnalis est, iuxta spiritualem euangelicæ charitatis le
gem uitam agatis: id fiet, si nec ceremonijs Iudaicis metiemini iustitiam, & à car-
nis cupiditatibus temperaueritis. Non desieritis esse legi obnoxij, si perseueretis
esse obnoxij cupiditatibus. Proinde date operā, ut iuxta spiritus ductum uitam
agatis: id si feceritis, abstinebitis ab his factis, ad quæ solicitāt carnis cupiditates.
Etenim quemadmodum in uno homine corpus est crassum ac graue, animus cœ

lestis & immortalis, ut in eadem lege crassum quiddam est, quã dicimus literam, atq; è diuerso cœleste quiddam, quod spiritum appellamus: ita in eodem hominis animo uis quædam inest, ad honesta uocãs, rursus altera huic diuersa, cognataq; corpori & literæ, quæ nos ad diuersam uitam incitet. Inter has res perpetuum bellum est, dum caro spiritui, spiritus carni aduersatur. Caro coërceri potest, prorsus opprimi non potest, quin nititur aduersus spiritum: quæ si uincat, fit aliquoties, ut cum iuxta spiritum expetat ea quę sunt pietatis, tamen superatus à carne, faciat ea quæ nouit esse fugienda.

12 Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege.

Si spiritus Christi uos impellit uolentes ad ea quæ sunt honesta piaq;, nihil iuris in uos habet lex Mosaica. Ac res quidem inuisibilis est spiritus, res uisibilis caro, de qua loquimur in præsentia. Neq; tamen difficile est colligere, carnis arbitrio seruiat aliquis, an spiritus ductum sequatur. Cuiusmodi sunt fontes, eiusmodi sunt ea quæ proficiscuntur de fontibus. Vita, mores, factaq; hominis testantur habitum animi.

13 Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immũditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, ueneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissentiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia: quę prædico uobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum dei non consequentur.

Ne de dubijs aut occultis malis loquamur in præsentia. Hæc sunt quæ palàm declarant hominem adhuc carni seruire, etiamsi baptismum adeptus sit, ac legis seruitutem effugisse uideatur. Adulterium dum coniugi fides frangitur, semper seuerius punitum. Scortatio, inter non coniugatos, & extra matrimonium. Immũditia, non tantum in turpissimis factis, sed obscœno ore spurca loquendo. Lasciuia, luxus est omnis generis in cibo, potu, ueste. Simulachrorum cultus, idololatria est, quam sequuntur errores innumeri, aliud q; deum pro deo colere. Veneficium, homicidij genus ineuitabile, & apud gentes nimium frequens. Simultates, perpetuas gerere inimicitias contra proximum. Lites autem, dum odiunt hostiliter, & conflictis manibus aut uerbis. Aemulationes, hic in malã partem, quando eos odimus, qui nobis & nostris uotis uel dogmatibus aduersantur. Irę, in cordibus cum maleuolentia. Contentiones, dum quisq; suam opinionem mordicus defendit. Factiones cum seditionibus, ob inobedientiam subditorum, uel præposteram leuitatem magistratus, uel iniqua iudicia. Sectæ, dum singuli contra uerbum dei uel plures sibi magistros eligunt & sectantur, unde dissidium oritur. Inuidiæ sequuntur ex sectis & contẽtionibus. Homicidia uel cædes, dum priuatus priuatum uel alium præter iuris ordinem occidit. Ebrietates, Comessationes, in potu excessus sunt & in cibo. Et his similia. Quando enim omnia enumerare crimina & carnis opera nequeo, ex recitatis uolo nõ nominata intelligi. His, inquã, quisquis obnoxius est, quamlibet sit baptizatus, tamen nondũ uere liber est, sed cupiditatũ malarum seruus est. Nec est quod uobis ob baptismum aut ædita miracula blandiamini. Olim præsens uos monui, at nunc rursus per epistolam denuncio, Quicunq; talia patrãt, secludentur ab hæreditate regni cœlestis, qua maior pœna indici nulla potest, ut hinc magnitudinem malorum intelligamus.

14 Fructus autem spiritus est, charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, ca-

stitas,

ſtitas. Aduerſus huiuſmodi non eſt lex.

Contra qui uere liberi ſunt, & ſpiritus arbitrio ducũtur, huiuſmodi fructibus dignoſcuntur. Siquidem adſunt comites, Charitas, omnium bonorũ operum radix, quæ ſola legem implet, & qua ſola ueri Chriſtiani cenſemur, uel Chriſto ipſo iudice. Gaudium inuidiæ opponitur, quando fideles congaudent gaudentibus, & felicitati alienæ congratulantur. Pax opponitur liti, æmulationi, contentioni, dum fideles pacis ſunt ſtudioſi, quod ſignum eſt inhabitantis ſancti ſpiritus. De quibus Chriſtus: Beati pacifici, quoniam filij dei uocabũtur. Patientia uel animi lenitas, quæ iræ opponitur, dum pro illata iniuria nõ facile aliquis iraſcitur. Longanimitas in idem redit. Bonitas, oportet hanc amicitiæ & ſuauitati eſſe coniunctam, ut ſit fructus ſpiritus. Benignitas, quæ opponitur amaritudini. Suauitas in conuictu & uerbis. Manſuetudo, quæ uindictam non appetit, ſed cohibet à ſæuitia & ferocia animi. Fides, magnifica in unum & uerum deum per Chriſtum fiducia, cui opponitur idololatria. Modeſtia, temperamentum iræ & uerborum, quæ cohibet à ſæuitia & animi ferocia. Temperantia uel continentia, opponitur ebrietati & comeſſationi, quin & modum docet in rebus omnibus, libidinis ſcilicet & iræ cibi & potus. Hæc qui ſuapte ſponte præſtant, nihil opus eſt admouere legis ſtimulos, nam hos ipſorum innocentia liberos reddit à lege, à legis enim condemnatione liberati ſunt.

Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum uitijs & con 15
cupiſcentijs.

Qui uere Chriſti ſunt, & in Chriſtum uere credunt, & ſpirituales eſſe cupiũt atq; ſtudent, in fructibus ſpiritus, carnem ſuam, ſi omnino in totum mortificare carnem non poſſunt, crucifixerunt tamen cum ſuis uitijs & concupiſcentijs, ſpiritu pugnãte iugiter contra carnem & affectus ſuos, ne putemus libertatem concedi nobis per ſpiritum, aliter q̃ ad operum ſpiritus exercitia ſacra. Siquidem per baptiſmum ſignificatur nobis mortificatio carnis, ad quam ſemper tendamus, ut Chriſto cõmoriamur, ſimulq; cum eo ſepeliamur huic mũdo. Non conuenit medios inter carnem & ſpiritũ fluctuare. Si corpori uitam impartit ſpiritus, æquum eſt ut ſpiritus regatur arbitrio. Ideo ſequitur.

Si ſpiritu uiuimus, ſpiritu & ambulemus. Non efficiamur inanis glo- 16
riæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.

Si nos uitam accepimus à ſpiritu Chriſti, non à fiducia operũ legis, iuxta ſpiritus eiuſdem inſtinctum uiuamus. Si uere hauſimus Chriſti ſpiritum, huius fructus edamus, ac procul abſimus ab operibus carnis. Ne ſimus inanis gloriæ cupidi, huius gratia nos inuicem prouocantes ad certamen, nobis inuicem inuidentes. Siquidem hæc uitia frequenter obrepunt etiam ijs qui pietatis ſtudium profitentur, cum tamen ſunt præcipua peſtis ueræ pietatis.

CAPVT VI.

FRatres, & ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, uos qui 1
ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans teipſum, ne & tu tenteris.

Oſtendi fratres quo ſit omnibus enitendum, quicunq; ſemel Chriſto dederũt nomen. Et tamen quando baptiſmus non aufert nobis ut homines ſimus, ſi quis fuerit per humanam infirmitatem in culpam aliquam prolapſus, ueſtræ partes erunt, qui ſpiritu robuſti, non ceſſiſtis cupiditati carnis, ut hominem huiuſmodi

blande leniterq; restituatis, erigentes ut resurgat, non sæuis dictis proculcantes, ut desperet. Hypocritarum est huiusmodi supercilium ac sæuitia, Christi spiritus quoniam cupit omnes saluos fieri, mansuetudine pellicit ad resipiscendum, ac sæpe flectit & humiliat, lenis ac fraterna correptio, quos prorsus alienat iurgatrix austeritas. Lex Mosaica sic coërcet peccatũ, ut tollat peccatorẽ. Christiana charitas medetur uitijs, non extinguit hominem. Quo melior es, hoc clementius te accommoda fraternę infirmitati. Ad id si te parum hortatur exemplum Christi, qui suos lenissime pertulit, donec resipiscerent, saltem illud te adhortetur, quod intelligis fieri posse, ut in te recidãt uices. Accidit huic humanum quiddam, meminerís & te hominem esse. Huius lapsus te doceat, non tibi fidere, nõ efferre cristas. Sic age cum lapso quomodo tecũ agi cupias, si quid simile ueniisset usu: & homini potest usu uenire quicquid humanum est.

2 Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Nam si quis existimat se aliquid esse cum nihil sit, ipse se seducit.

Qui uacillarunt impellentibus pseudapostolis, nõ sunt per sæuitiam alienandi, sed per charitatem reuocandi ad pristinam firmitatem: nam fieri potest, ut illi uicissim iam robusti, uestræ subueniant imbecillitati. Qui laborat sub onere, subleuandus est, nõ deijciendus. Quare si uicissim aliorũ alij baiulabitis onera, tunc uere præstabitis legem charitatis, quæ peculiariter Christi lex est: is cum nec peccatis esset obnoxius, nec affinis esset peccãdi periculo, tamen nostras iniquitates ipse portauit, ac benignitate sua sanauit, non condemnauit austeritate. Nemo sibi placeat tanquam iustus, & hac fiducia despiciat fratrem, aliquo delicto præuentum: nam hoc ipsum argumentum est falsæ iustitiæ, sibi iustum uideri. Proinde si quis sibi uidetur esse aliquid, cum nihil sit, ipse sibi imponit. Nec enim ideo quisquã iustus est, quod alteri lapso se præferat: nec ideo condemnabitur alieno commisso, si se demittat ut lapsum erigat: nec ideo bonus est, q; se conferat deteriori.

3 Opus autem suum probet unusquisq;, & sic in semetipso tantum gloriam habebit, & non in altero. Vnusquisq; enim onus suum portabit.

Neminem oportet suis factis fidere, sed explorandum, num quod recte facere uideẽ, sit huiusmodi, ut probari deo possit. Quod si te nõ remordet animus tuus, ne glorieris ob alienam imbecillitatem, sed ob tuam firmitatem, & glorieris apud te, tibi gratulans de dono diuino: ne uero iactes apud alios, aut eos despicias, qui tuum robur non assequuntur. Succurre si potes: si non potes, suo illum iudici relinquito: nec delictum illius tuum diminuet præmium, nec tu pro alieno commisso plecteris, sed apud deum iudicem, sua cuiq; sarcina tollenda erit, nostra igitur potius & aliena delicta dijudicanda sunt nobis, nullus enim pro alio causam dicturus est ante Christi tribunal, nec pœnas luiturus pro alio.

4 Communicet autem is qui catechizatur uerbo, ei qui se catechizat in omnibus bonis. Nolite errare, deus non irridetur.

Quandiu sumus in hoc sæculo, mutuis officijs nos inuicem fulcire debemus, atq; ut eorum qui præcellunt dotibus partes sunt, doctrina, consolatione, atq; exhortatione fratris imbecillitati succurrere: ita quibus subuenitur, meminerint se non ingratos præbere, de se bene meritis. Ita fiet, ut sit inter uos omniũ bonorum communio. Si qui doctrina ualent euangelica, erudiant, erigant, fulciantq; rudes, atq; hi uicissim de suis facultatibus impartiant doctoribus ac monitoribus suis, ut officiorum fiat communicatio. Videant autem qui docent, ut digna Christo sint quæ tradunt, & Christi spiritum sapiant, alioqui præstat non assentiri doctori.

ctori. Porrò qui perperam tradita doctrina euangelica, præmium accipit ab eo quem inſtituit, hominem quidem fallit, imò ſeipſum fallit, cæterum deum non fallit, quare moneo ut ſyncere doceatis, nam deus nō irridetur. In omnibus ergo bonis & neceſſarijs uitæ prouidendum eſt ijs qui ſpiritualia ſeminãt, & laborant in agro dominico: contrà uero, eccleſiarum in uerbo miniſtri uictu & amictu, hoc eſt neceſſarijs debent eſſe contenti, ne cadant in laqueum diaboli, ſi diuites uelle fieri incipient.

Quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet. Quoniam qui ſeminat 5
in carne ſua, de carne & metet corruptionem: qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet uitam æternam.

Cuiuſmodi ſementẽ fecerit homo, huiuſmodi quoq; meſſem facturus eſt. Qui carnalem tradiderit doctrinã, pro carnali ſemente fructum demetet periturum: qui uero ſpiritualem impartierit doctrinam, ex ſpirituali cœleſtiq; doctrina mercedem adſimilẽ refert uitam æternã. Itaq; perpetuum ſtudiũ ſit nobis, bene mereri de omnibus, nec unquam ceſſemus à benefaciẽdo, ſiue gratos nanciſcamur ſiue ingratos, ſiue reſpondeat præmium ab hominibus, ſiue nõ reſpondeat. Nam ſuo tempore fructus cõtinget à deo, nunquam interiturus, proq; temporarijs beneficijs uel officijs merces reponetur æterna. Non ſemper erit ſementis tempus, ueniet dies, cum neq; noſtris benefactis, nec alienis ſubleuabimur.

Bonum autem facientes, nõ deficiamus, tempore enim ſuo metemus, 6
non deficientes. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domeſticos fidei.

Quandiu uerſamur in hoc mundo, licet deum benefactis placare & demereri, licet alijs opitulari. In die iudicij nec benefactis locus erit, nec bene merẽdi de quoquã erit facultas: proinde dum tempus habemus, utamur tempore, bene mereri ſtudentes, cum de omnibus, tum uero præcipue de ijs quibus cum nobis religionis ac fidei commercium eſt. Iudæus non agnoſcit niſi ſuos, Chriſtianus ad exemplum Chriſti, de nemine non cupit bene mereri.

Videte qualibus literis ſcripſi uobis mea manu. 7

Videtis, ô Galatæ, quantopere res mihi cordi ſit, qui tam prolixam epiſtolam uobis meapte manu contra meum morem ſcripſerim. Agnoſcitis notulas digitorum meorum. Non eſt quod ſuſpicemini ſubdititiam epiſtolam, tota mea eſt, mei pectoris apud uos index. Facite ut hæc plus ponderis apud uos habeat, q̃ pſeudapoſtolorum oratio. Cuius meæ epiſtolæ ſumma eſt, iuſtitiam eſſe per Chriſtum, crucifixum pro iniuſtitia noſtra, contra doctrinam pſeudapoſtolorum, qui alia uia docent iuſtificationem, gloriamq; apud homines quærunt, & inuidiam prædicationis crucis declinant.

Quicunq; enim uolunt placere in carne, hi cogunt uos circuncidi, tan 8
tum ut crucis Chriſti perſecutionem non patiantur.

Qui ſunt huius animi, ut prius habeant hominibus morem gerere q̃ deo, hi pertrahunt uos ad circunciſionem, ne ſimul & gentibus inuiſi ſitis ob Chriſtum, & Iudæos habeatis infenſos ob præputium. Iudæi ſunt, & ſuæ gentis odia metuunt, ſi Chriſtum abſq; præputio profiteantur, ueluti legem abolentes, hi magis uerentur homines q̃ deum, magisq; uenantur gloriam apud homines, q̃ apud deum. Metuunt ne ſyncera profeſſio crucis Chriſti perſecutionẽ aduerſus ipſos excitet eorum, quibus Chriſti nomen eſt inuiſum, ne parum glorioſi doctores ha

beantur, si præter crucifixum nihil doceant.

9 Nec enim qui circunciduntur legem custodiunt, sed uolunt uos circuncidi, ut in carne uestra glorientur.

Isti glorioſi doctores non faciũt ista ſimplici legis ſtudio, quemadmodum ego quondã errans, amore patriæ legis, quam mordicus quoq; & ſeruabam & defendebam, ſæuiebamq; in gregem Chriſti, quando ne ipſi quidem Iudæi legem ſeruant, tametſi circunciſi ſint à maioribus, ſed abutuntur uestra ſimplicitate, uobis imponentes onus circunciſionis, ut ſe de uobis iactitent apud ſuos, quod ipſis authoribus ac magiſtris Iudaiſmũ receperitis. Hac arte placare conantur, inuidiam ſuorum indigne ferentium, per euangelium Chriſti ſuos ritus & legalia aboleri.

10 Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.

Non ego Iudæorum inuidia deterreor, nec gentium inſectatione, quo minus ſyncere prædicem euangelium Chriſti. Abſit autem, ut alia quapiã de re glorier, quàm de cruce domini mei Ieſu Chriſti. Scio crucem huius probroſam eſſe apud gentes, inuiſam apud Iudæos. In hac una tamen mihi ſatis eſt omnem gloriam meã ponere, quem ne tantulũ quidem iam tangit mũdi gloria, utpote, cui per baptiſmũ in Chriſti corpus inſito, mundus mortuus eſt, & ego uiciſſim mundo: nec malis illius territor, nec cõmodis titillor, nec odium metuo, nec plauſum moror, nec ignominiam formido, nec gloriam affecto. Sic mundus mihi cœpit mori, & pro mortuo habetur: & ego mundo cœpi mori, & pro mortuo illi habeor. Si quid adhuc mundus mihi uidetur uiuere, dum caro pugnat contra ſpiritum, pro uita non habetur, quia crucifixus mihi eſt per Chriſtũ, & pro mortuo mundũ habeo.

11 In Chriſto enim Ieſu neq; circunciſio aliquid ualet, neq; præputium, ſed noua creatura.

Chriſtus mihi pro omnibus & aduerſus oñia ſatis eſt, ad huius profeſſionem nihil refert circunciſus uenias ex Iudaiſmo, an incircunciſus ex gentibus. Quiſquis enim in illius corpus per fidem cooptatur, ita repente tranſit in alium hominem, ut noua fiat creatura, eoq; renaſci dicitur. Faceſſant igitur humana diſcrimina. Quiſquis Chriſtum profitetur, tantum hoc meminerit quod Chriſtianus eſt, & in Chriſto noua creatura, cum mortificatione omniũ quæ carnis ſunt & mundi. Illud ſolum à Chriſto donatur, & ad Chriſtum pertinet, cuius ſpiritu renouamur, donec ſpiritus ipſi efficiamur, tandem & felices.

12 Et quicunq; hanc regulã ſequuti fuerint, pax ſuper illos & miſericordia, & ſuper Iſrael dei.

Hæc crucis mortificatio, Chriſti pro nobis, & noſtri per imitationem Chriſti, iuſtificationis quoq; per fidem in Chriſtum regula eſto immobilis credentium. Hanc quicunq; ſequuti fuerint, his pacem imprecor ac miſericordiam, conuenit enim his idem precari quod Dauid precatur Iſraelitis, cum ait in Pſalmis, Pax ſuper Iſrael. Verum duo ſunt Iſraelitarum genera. Sunt Iſraelitæ ſecundum homines, ſunt Iſraelitæ iuxta deum. Non protinus uerus eſt Iſraelita, quiſquis præputium habet amputatum, ſed qui mentem habet circũciſam, qui per fidem deo fortis eſt. His igitur Iſraelitis, quorum de numero & uos eſtis, opto pacem ac miſericordiam, qui iuſtificandi rationem à me præſcriptam ſequuntur, non eam quam pſeudapoſtoli Galatis præſcripſerunt.

13 De cætero nemo mihi moleſtus ſit, ego enim ſtigmata domini Ieſu in corpore

corpore meo porto.

Valeant falso nomine Israelitæ, qui pertinacibus odijs decertant aduersus euangelium Christi, me certe nunquam dimouebunt ab hac sententia. Quod prædicaui, semper sum prædicaturus, quare super hac re nemo posthac mihi facessat negotium. Tantum enim abest, ut ab euangelica ueritate probris ullis aut afflictionibus queam diuelli, ut ignominiam ob Christum inustam mihi, ut carceres, ut uirgas, ut uincula, & lapidationes, cæteraq; mala quæ pro Christi nomine perpessus sum, ceu notas & stigmata domini mei Iesu Christi mecum ubiq; circunferam in corpore meo, ueluti trophæa quædam ostentans, ac gloriæ mihi ducens, quod qua licet, imitari merear Christi crucem quam prædico. Mea crux declarat cuius sim. Non ergo persuadebunt, ut fiam transfuga, derelicto principe meo Christo. Si non uolunt nos audire, non tamen sperent nos ad ipsos cõcessuros. Habeant sibi suam gloriam, nos aliam q̃ crucis Christi gloriam ignoramus.

Gratia domini nostri Iesu Christi cum spiritu uestro fratres. Amen. 14

Gratiam loco salutationis precatus fuerat, nunc eandem in calce epistolæ repetit, qua gratia sic tandẽ ualemus bene, ut deum & nos cognoscamus, per hanc Christo fidimus, uitam ducimus innocentem. Is nobis domini fauor & beneuolentia adsit, cuius præsidio persistamus in euangelij ueritate. Quod uotum ut ratum sit, faxit ille, cuius afflatu hæc scribo.

FINIS.

COMMENTARIVM IN EPISTOLAM D. PAVLI APOSTOLI AD EPHESIOS.

ARGVMENTVM.

PHESIOS Asiæ minoris incolas, superstitiosos Dianæ multimammiæ cultores, ad apostolorum prædicationem conuersos ad Christum, & à Paulo triennio edoctos, non sine periculis multis & magnis, obscuriore quidem, sed ualde erudita epistola docet, & simul Christianos omnes. Posteaquam in fide perstiterant, hortatur ut pergant, & ad perfectionem proficiant. Commonefaciẽs cuiusmodi fuerint, cum uitijs addicti seruirent impijs spiritibus, & quales nunc facti sint insiti Christo. Docens interim euangelij gratiam consilio diuino, licet Iudæis promissam, in gentes quoq; recte propagatã, & huius muneris se ministrum à deo constitutum. Quoniam autem scripsit è carcere, hortatur ne deijciãtur animo ob ipsius afflictiones, uerum eas potius sibi gloriæ ducãt. Hæc agit capite primo & secundo, in cæteris tribus uitæ formam illis præscribit, demonstrans quid sequendum, quid fugiendum, quæ officia maritorum in uxores, uxorum in maritos: quæ parentum in liberos, liberorum in parentes: quæ dominorũ in seruos, seruorũ in dominos. In summa autem breuiter docet, quæ fusius epistola ad Romanos: Omnem carnem peccato obnoxiam: à lege non esse nisi peccati cognitionem, non iustitiam: à gratia dei & merito Christi hanc prouenire: omnia pendere ab electione dei libera: gratificandũ deo abnegatione nostri, & dilectione proximi: magistratui parendum: cauenda fratrum offendicula: eandem esse redemptionem Iudæorum & gentium: omnia autem agit breuiter & distincte, ut uel so

la uideatur sufficere ad Christi gratiam commendandã, ad uitam quàm pientissime instituendam, errores quoq; conuincendos, si recte intelligatur.

CAPVT PRIMVM.

1 PAVLVS apostolus Iesu Christi per uoluntatem dei.

Paulus cũ circuncideretur à suis parentibus, Saulus uocatus, quia de tribu Beniamin, cuius fuerat prima gloria rex primus. Postea ob Romanum imperiũ, in quo frequens esse cœperat Pauli nomen, illud quoq; ei indictum est, non sine causa, quo & libenter utitur, præfigens illud suis ad fideles ex gentibus conuersis epistolis. Legatum uero se nominat & apostolum, nõ Mosis aut ullius hominis, sed Iesu Christi, cuius agebat negotium. Legatus sum, ait, & missus non meapte occupatione, aut hominum legatione, sed authoritate iussuq; dei patris, qui me per filiũ suum iussit euangelicæ doctrinæ inter gentes esse præconem, ad ipsarum salutem, & dei gloriam, pro qua propaganda missus fuerat à domino Paulus uel inuitus, tantum abest ut suo arbitrio sese Christi apostolum ingesserit, & sic cucurrerit.

2 Omnibus sanctis qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Iesu.

Hanc epistolam, ait, scribo omnibus qui uiuunt Ephesi, & ita uiuunt, ut & ab huius mundi uitijs ac sordibus sese tueri studeant immunes, & syncero pectore credunt euangelio Iesu Christi, non aliunde sperantes innocẽtiæ sanctimoniæq; præmium, q̃ unde sumpserunt exemplũ. Nec ab alio præstolantes felicitatis suæ summam, q̃ unde profectum est exordium. Isti autem Apostolo sancti dicuntur, hoc est deo dicati, eoq; uere pij, deiq; cultores augusti & diuini, per fidem in sortem filiorum dei adsciti. Quemadmodum & fideles dicuntur, qui fidem euangelio Christi habent, qui Christo fidunt, qua & fiducia iustificantur, ut Abraham, persuasi solidissime de omnibus diuinis promissis: id autem per spiritum Christi assecurantem, & consolantem de omni bono.

3 Gratia uobis & pax à deo patre nostro, & domino Iesu Christo.

Opto, inquã, uobis, non quæ solent ij qui felicitatem suam huius mundi præsidijs metiuntur, sed opto, ut deus author omnium bonorum, quem iam patrem etiam nostrũ appellare possumus, nõ solum quod ab eo conditi sumus, uerũ multo magis, quod insiti corpori Christi, cooptati sumus in ius filiorũ, indies augeat in nobis suam beneficẽtiam, qua gratis uos à pristinæ uitæ commissis assertos, ex impijs fecit innocentiæ iustitiæq; cultores, uestramq; concordiam tueatur, ut inter uos sitis unanimes, & semel deo reconciliati, caueatis ne iteratis peccatis rumpatur initum cum illo fœdus. Idq; per Iesum Christum illius filium, per quem, & qui cum nobis largitur omnia, quem merito dominum nostrum appellamus, posteaquam pretio sacrosancti sanguinis illius, assertos à diaboli tyrannide, sibi nos uindicauit, & ab illius seruitute emancipatos in suum ius asciuit. Felix seruitus qua Christo conglutinamur.

4 Benedictus deus & pater domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cœlestibus in Christo.

Omni genere laudis ferendus est nobis deus, & idem pater domini nostri Iesu Christi, qui gratuito fauore omnem benignitatem in nos effudit, non solum impartiens nobis hæc quæ ad huius uitæ usum, quæq; ad corporis præsidia pertinent, uerumetiam eas dotes quæ ad animi salutem & ad uitam faciunt immortalem, quæ nos manet in cœlis, idq; per Christum, per quem nobis aperuit aditum

ad

ad ſuperos. Monemur in gratiarumactionem erga deum erũpere, quoties de dei beneficijs ſermo inciderit, aut ſenſus obtigerit alicuius doni, quo amor & fides in deum amplior indies accendatur. Benedictiones autem cœleſtes intelligit, ſermonis dei intelligentiam, iuſtam cognitionem myſteriorum dei, & alia ſpiritus ſancti dona cœleſtia ſimul & ſpiritualia, quibus teſtimoniũ Ieſu Chriſti cõfirmatur.

Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate. 5

Ne uero quęrat aliquis, Vnde hic tantus fauor, unde tam inaudita beneficentia? Sic illius bonitati æterno conſilio decretum erat, etiam antequam orbis conditi fundamenta iacerentur, iam tamen delegerat nos, ut per filiũ ſuum per quem & condidit, & gubernat & reſtituit uniuerſa, abolitis priſtinæ uitæ uitijs, efficeremur ſancti & inculpati, non ſolum apud homines, ſed etiam apud ipſum deum, qui ex occultis animi affectibus æſtimat hominem. Idq; non metu Moſaicæ legis, cuius ſeueritas ad hoc reperta eſt inefficax, ſed euangelica charitate, quæ plus impetrat à uolentibus, q̃ lex extundebat à coactis. Non eſt autem perfectum officium, quod à ſeruis extorquet metus mali, aut ira domini, ſed quod à filijs impetrat ultronea charitas pietasq;. Diſcimus nihil perfectæ ſanctitatis uitæq; deo probandæ humanis uiribus tribuendum, ſed liberæ ac benignæ electioni diuinæ omnia accepta referri oportere, nõ tamen ſine mediatore Chriſto, in quo ſolo ſumus immaculati & ſancti in conſpectu dei, gratuitoq; electi ante iacta fundamẽta, quando iam tunc gratia ſanguinis Chriſti olim effundendi, ſancti inſcripti fuerunt in librum uitæ, & in album filiorum dei, nam ſunt deo omnia pręſentia. Eſſe ergo in Chriſto electum, uitaq; ſancta & beata donari, eſt Chriſti merito & gratia electis adnumeratum eſſe, facultatemq; beate uiuendi diuinitus capere. Immaculati autem ſumus coram deo, cum totos nos ad proximorũ officium & ſalutem impendimus, quod lex & prophetæ Chriſtus quoq; unice à nobis exigunt.

Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum ſecundum propoſitum uoluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ. 6

Charitas & obedientia hæc noſtris uiribus præſtari non poterat, niſi ille æterno ſuo decreto ſibi nos adoptaſſet, in uicem & ius filiorum: idq; per Ieſum Chriſtum, cui ſic nos conglutinauit per fidem & charitatem, ut illius membra facti ſimus unum cum illo, per cuius conſortiũ conſequimur, quod noſtris meritis non debebatur, non eſt enim quod hinc nobis tribuamus. Sic illi placuit, qui natura bonus eſt, quo gratuitã ſuam in nos beneficentiam redderet orbi magis illuſtrem ac dilucidam. Nos quod ad noſtras uires attinebat, nihil aliud eſſe poteramus q̃ inimici dei, ſerui reprobi, ſed ille per eum quem diligit ineffabiliter, nos ſibi reconciliauit, & ex odio dignis ſeruis, filios fecit gratos & charos. Qua quidem in re notandus eſt ordo, in quo electio primas tenet: deinde adoptio in filios, quæ uocatio dicitur, dum ſpiritu ſuo donatos trahit ad ſe dominus, donãs ſui cognitione: demum ſuccedit ſanctimonia uitæ cum ſanctis operibus, unde pater cœleſtis glorificatur, & ſancti felices tandẽ reddantur, non priore ex cauſa quàm merito Chriſti, propter quem deus electos diligit, uocat, adoptat, iuſtificat, & glorificat.

In qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo, in quo habemus redemptionem per ſanguinem eius, remiſſionem peccatorum, ſecundum diuitias gratiæ eius, quæ ſuperabundauit in nobis in omni ſapientia & prudẽtia. 7

Quandiu ſceleribus obnoxij, membra eramus diaboli, non poteramus nec amare deum, nec ab illo diligi. Cæterum ubi chariſſimus illius filius ſacroſanctí ſanguinis ſui pretio nos redemit à ſeruitute uitiorum, ſibiq; ceu membra conglutinauit, non poteſt non amare pater, quos filij ſui conſortes eſſe uoluit. Inæſtimabile beneficium, ſed ſic uoluit opulenta largitas optimi dei, quæ cum nuſquã non promit ſeſe, tum uero in nos peculiariter etiam exuberauit, dum æternæ uolũtatis ſuæ arcanum tot iam ſæculis orbi cælatum, nunc nobis tanquam propitius pater filijs ſuis aperit, cuius cognitio ſumma ſapiẽtia ſummaq; prudẽtia eſt. Longe præſtãtior ea, qua hactenus cæteris mortalibus antecelluiſtis, humanarum diſciplinarum ſumme periti. Sic ergo ſatisfaciente pro nobis ſanguine Chriſti, redemptionem per Chriſtum habemus, peccatorum remiſſionem, per fidem, qua certi ſumus nos reformandos ad imaginem Chriſti in futuro, quæ ſuprema noſtra ſapientia eſt, & arbor uitæ, quæ ex ſe dei amorem lætamq; conſciẽtiam gignit, cum prudentia ſpiritus, qua probamus ea quæ uel pro dei gloria uel proximorum ſalute conducunt & proficiunt.

8 Vt notum faceret nobis ſacramentum uoluntatis ſuæ, ſecundum beneplacitum eius quod propoſuit in eo, in diſpẽſatione plenitudinis temporum, inſtaurare omnia in Chriſto quæ in cœlis & quæ in terra ſunt in ipſo.

Arcana naturæ perueſtigat humanũ ingeniũ, nec tamen protinus beatos reddunt perueſtigata. Hoc arcanum nulla mentis humanæ ratio poterat aſſequi, ni deus nobis aperuiſſet, cognitũ quoq; ad ueram felicitatem adducit. Quod ſi quis roget, cur hoc tandiu cælatũ, nunc demũ aperiat, nihil habeo quod reſpondeam, niſi quod ſic uiſum fuerit illius optimæ mẽti, quæ nihil poteſt uelle, niſi quod optimum eſt, cum ſit ipſa bonitas. Quod nobis nunc nouum eſt, apud illum nouum non eſt. Quod nunc miſſo filio patefecit orbi, hoc ab æterno decretum erat patri & filio. Verum id certo & inenarrabili conſilio decretum & abditum eſſe uoluit, donec impleretur tempus ab ipſo præfinitum, huic arcano mortalibus aperiendo, quo iam abolitis ſuperiorum temporum diſpendijs, per quæ felicitas fruſtra quærebatur, alijs per obſeruantiam legis Moſaicæ, alijs per ſtudium philoſophiæ, alijs per ſuperſtitioſam religionem cultumq; dæmonum impeditis. Summa cunctorum, quæ ad ueram innocentiam ueramq; beatitudinem pertinent conferetur in unum Chriſtum, extra quem nihil iam eſſet cuiquam expetẽdum, cum ab uno hoc fonte peti poſſet, quicquid bonorum uel cœlum habet uel terra. Hunc enim pater deus caput omnium eſſe uoluit, ab hoc uno uoluit oms pendere, ab hoc ſperari quicquid uere ſit expetendum, huic acceptum ferri quicquid nobis ſua benignitate largitur.

9 In quo etiam & nos ſorte uocati ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitum eius, qui operatur omnia ſecundum conſilium uoluntatis ſuæ.

Per quem & nobis cõtigit tanta felicitas, ut in ſortem & hæreditatem immortalitatis adoptaremur, non ex noſtris meritis, ſed quoniã ad id olim deſtinati fuerimus decreto illius, cuius arbitratu, cuiusq; ui geruntur ac temperantur uniuerſa conſilio nobis inſcrutabili, iuxta uoluntatem illius, qui cum ſit optimus & ſapientiſſimus, non poteſt uelle, niſi quæ ſint & optima & ſapientiſſima. Vide fidelibus nobis locũ concedi inter ſanctos dei, qui ſunt eius peculiaris poſſeſſio, in quibus oſtendit diuitias bonitatis ſuæ inexhauſtas, non aliunde promotæ q̃ conſilio uoluntatis diuinæ, ad cuius gloriam omnia bona noſtra ſunt referenda.

Vt simus in laudem gloriæ eius nos, qui ante sperauimus in Chri- 10
sto, in quo & uos quum audissetis uerbum ueritatis, euangelium salu-
tis uestræ.

Sic uisum est domino, ut nullis nostris meritis, sed gratuita illius bonitate uo-
caremur ad hanc hæreditatem, Christiq; consortiũ, nos qui moniti prophetarum
uaticinijs, quodammodo spem nostram fixeramus in Christo nobis promisso, e-
tiam antequam illucesceret euangelij ueritas, quo beneficium hoc non ascribere
tur obseruatæ legi Mosaicæ, sed tota laus redũdaret in gloriam bonitatis diuinæ,
cui sic uisum est, ut hæc per filiũ suum nobis gratis largiretur. Neq; uero soli nos
Iudæi uocati sumus ad promissum Christi consortium, qui diffisi Mosaicæ legis
umbris ueritatem euangelicam sumus amplexi, unde ueram speramus salutem,
etiam citra legis præsidia, quin & uos licet incircũcisi, tamen posteaquam eidem
credidistis euangelio, ad idem consortium estis adoptati. Neq; enim circunciso-
ni debemus, quod ad immortalitatis spem recipimur, sed fidei, quæ si uobis est cũ
Iudeis communis, quid est, cur à beneficentia dei sitis alieni? Amputata præputij
pellicula signum est, quo Iudæum ab ethnico dignoscas: at euangelij signum la-
tius patet: neq; corpori imprimitur, sed animo. Hoc ex æquo obsignãtur omnes,
cuius cuius nationis fuerint, qui doctrinam euangelicam amplectentes, credunt
illius promissis.

In quo & credentes signati estis spiritu promissionis sancto, qui est 11
pignus hæreditatis nostræ, in redemptionẽ acquisitionis in laudem glo-
riæ ipsius.

Rogabit quispiam, Quod nam hoc signaculum, quod Christianos discernat
ab impijs? Nimirum spiritus sanctus, & affectus non seruilis, sed qualis esse so-
let in pijs filijs, qui hoc agit in nobis, ut toto pectore fidamus euangelij promissis,
etiamsi hic nondum appareant. Siquidem hæreditas in quam sumus insiti, non
tota præstabitur, nisi cum erit corporum resurrectio, sed interim tamen spiritum
suum nobis impertit, ceu pignus & arrabonem promissæ hæreditatis. Hoc signo
certi sumus, nos à deo pro filijs haberi, neq; dubium est, quin is sibi uindicaturus
sit suos, quos filij sui morte redemerit. Cupit enim diuina benignitas, q; plurimos
lucrifacere, cupit suam magnificentiam quàm maxime notam & illustrem esse
mortaliũ generi, quæ quo latius patuerit, hoc à pluribus prædicabitur. Olim Iu-
dæi peculiariter erant curæ deo, quod hos ex Aegyptiorum seruitute liberasset.
Sed parum erat in una gente celebrari dei bonitatem, uult ab omnibus prædica-
ri, cum omnes à peccatorũ seruitute gratis redemerit: idq; existimat ad suam glo-
riam pertinere, si non Iudæi tantum, sed omnes totius orbis nationes per fidem
euangelicam participes fiant salutis. Nominat autem spiritum promissionis, pro
pter non solum prophetarũ promissiones, de spiritu inserendo in corda fidelium,
sed etiam patris & Christi, quemadmodum apostolis loquebatur in cœna, qui spi
ritus opulentius in gentes effundendus erat, Christo iam regnante. De quo Ioel,
Ezechiel, &c. Hucusq; Apostolus gratias egit pro salute parta per Christũ, eiusq;
& rationes & causas explicauit, summam exponens euangelij: nunc consequen-
ter memorat gratias se deo agere, quod ipsi quoq; Ephesij in Christi agnitionem
peruenerint, & in ueræ pietatis solidam beatitudinẽ, quæ est dilectio in sanctos.

Propterea & ego audiens fidem uestram quæ est in Christo Iesu, & di 12
lectionem in omnes sanctos, non cesso gratias agens pro uobis, memo-

riam uestri faciens in orationibus meis.

Has ob res nihil equidem moror in uobis circuncisionem, cum uideam manifesta indicia salutis euangelicæ. Primum, qui fiduciam uestram collocastis in domino Iesu, deinde charitatem uere Christianã declaratis erga sanctos omes Christi membra. Proinde non desino gratias agere pro uobis. Facit enim hoc euangelica pietas, ut alienis bonis nõ secus atq; nostris gratulemur, semperq; uestri mentionem facio in precibus meis, quibus quotidie deum interpello, pro prouehẽdo euangelij negotio.

13 Vt deus domini nostri Iesu Christi pater gloriæ, det uobis spiritum sapientiæ & reuelationis, in agnitionem eius, illuminatos oculos cordis uestri.

Imprecatur Ephesijs Paulus, quæ indubie agnouit omnium optima. Nihil autem conferendum iustæ cognitioni Christi & agnitioni gratiæ dei, quæ in eo nobis exhibita est, quod & in filios illi & hæredes cooptati sumus. Precor autem iugiter, ait, is qui ex æquo deus est omnium gentium, atq; etiam pater domini nostri Iesu Christi, unde habet & Christus ut deus sit, cui tanquam authori fontiq; bonorum omnium totius gloriæ summa debetur, magis ac magis impartiat uobis arrabonem, de quo dixi, spiritũ suum, qui mentibus uestris inspiret cœlestem hanc sapientiam, & huius arcani cognitionem, ut agnoscatis eum qui largitor est unicus salutis. Eumq; interim quodammodo cernatis oculis non quidem corporeis, sed cordis ac mentis, fidei luce perspicacibus, quibus ea quoq; cernũtur quæ futura sunt, quæq; crassis oculis cerni non possunt.

14 Vt sciatis quæ sit spes uocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in sanctis, & quæ sit supereminens magnitudo uirtutis eius in nos.

Oro autem, quo sic illuminatis cordibus, scire possitis id quod nulla humana philosophia docet, cq; felix sit hæreditas, ad cuius spem ille uos adsciuit, quantaq; dignitas huius opulentissimæ hæreditatis quam accepturi sunt sancti, quantaq; amplitudo, quamq; eximia magnitudo potentiæ illius, quam & nunc declarat in nobis quando modis omnibus perditos, in filios sibi restituit, & à captiuitate errorũ & peccati, satanæ quoq; prestigijs uindicatos, in beatæ immortalitatis spem uindicauit, quæ in eo potissimum declaratur, dum spiritu sancto roborati, mortem & omnia aduersa magnanimiter contemnimus, & peccato superiores euadimus, & dum eramus omnibus modis miseri, inæternum nos beatos reddidit.

15 Qui credimus secundum operationem potentiæ uirtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis.

Potentiã & bonitatem suam sic deus & pater noster declarat in nobis, quod ui quadam occulta & ineffabili, sic à uetere instituto transformauit nos, ut cæteris omnibus spretis, illi soli fidamus: contemptisq; his quæ uidemus, ea speremus ab illo quæ nõ uidemus. Et ante palàm declarauit in capite nostro Christo, quem potẽtia sua è mortuis reuocauit ad uitam immortalem, tantumq; habuit honoris, ut eum collocaret sibi ad dexterã in regno cœlesti. Quod autem in capite nostro præcessit, in nobis mẽbris eius certo sequetur: alioqui quomodo beatus esse possit etiam Christus, laborantibus misere membris eius. At electi uniuersi os suum sunt de ossibus eius, & caro de carne eius.

16 Et constituens ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum

patum, & poteſtatem, & uirtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur: non ſolum in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro.

Sic Chriſtum ſuum pater conſtituit ad dexteram ſuam, ut prælatus eſſet omni reliquo principatui, poteſtati, uirtuti & dominationi: aut ſi quod aliud eſt dignitatis potentiæue nomen, quod dici poſſit, his etiam quæ dixi magnificentius, ſiue in hoc ſæculo ſiue in futuro, ut præſideat non ſolum rebus omnibus corporeis ac terrenis, uerumetiam ſpiritualibus ac cœleſtibus. Adeo citra omnem exceptionem omnia ſubiecit illius pedibus. Hoc ergo eſſe ſedere Chriſtum in dextera patris Paulus declarat, omnia ſubiecta eſſe pedibus eius. Ab eo enim quod qui à dextris regibus proximi ſedent, ſecūda ab ipſis poteſtate polleant, mutuata eſt hæc metaphora. Dum autem addit, In cœleſtibus, id eſt in inuiſibili gloria, recte inde concluditur, corpore eum non poſſe hic aliquid pati, aut præſentem eſſe. Quod enim apparuit Stephano, Paulo, & fortè alijs quibuſdam, id magis adeo reuelatio fuit eius ad dexteram patris ſedētis, id eſt diuina maieſtate & proxima à patre poteſtate iuxta humanam naturam fruentis, & ab illa gloria ad terrena hæc rurſum demigratio. Vnde carnaliter atq; modo paſſibili quomodocunq;, nō poſſe modo illum haberi, recte hic colligitur, quòd ad dexteram patris regnat, inde glorioſus ac omnibus conſpicuus ad iudicium rediturus.

Et omnia ſubiecit ſub pedibus eius, & ipſum dedit caput ſupra om- 17
nem eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur.

Adeo citra omnē exceptionem omnia ſubiecit pedibus illius, quo certiorem nobis faceret ſpem, nos quoq; uenturos ad huius gloriæ conſortium, eundem ſic uniuerſis rebus prælatum, uiſibilibus & inuiſibilibus, uoluit eſſe caput toti gregi credentium, qui ſic Chriſto cohæret, ut capiti totum corpus cōnectitur, nec alterum ab altero poteſt diuelli. Porrò capitis gloria membris item cæteris communis eſt, quibus ſic præſidet caput, ut ſua bona transfundat in ſingula. Nec corpus abſolutum eſt, niſi caput accedat, & capiti uidetur aliquid deſiderādum, niſi corpus omnibus membris conſummatū acceſſerit. Inq; ſingula ſic ſuas dotes transfundit Chriſtus, ut idem impleat uirtute & influxu ſuo pariter, & diuinitate omnia. Iamq; totus & integer uiuat, ac regnet adglutinatus ſibi membris omnibus, cuius eſt nos eius membra in omnibus ducere & uiuificare, qui nihil prorſus ſine ipſo poterimus. Cumq; omnia in omnibus perficiat, ut per eum omnia condita ſunt, nos tamen plenitudo eius ideo recte dicimur, quod in nos uirtutē & gratiam ſuam effundit cumulatiſſime. Id cum nemo præter Chriſtum poſſit uel agat, pluſquam ut miniſter Chriſti & cooperator in uerbo, quod tamen ſine illius ſpiritu ſemper ineffícax eſt. Ideo nemo caput eſt uel dici debet eccleſiæ, præter unicū Chriſtum dominū, à quo nobis omnis uita datur, motus, ſenſus, & actus, nos uero nobis relicti, ſumus id tantum quod corpus ſine capite.

CAPVT II.

ET uos cum eſſetis mortui delictis & peccatis ueſtris, in quibus 1
aliquando ambulaſtis ſecundum ſæculum mundi huius, ſecundum principem poteſtatis aëris huius ſpiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ.

Videte nunc illud, quomodo pater diuinus, quod in Chriſto completum eſt, ac poſt in uobis complendum, iam nunc in uobis quodammodo præſtare cœpe-

rit. Christus mortuus est, & reuixit, nunquam posthac moriturus. Non erat ille quidem obnoxius peccato, sed tamen ob corpus assumptum mortalitati erat obnoxius. Porrò, ut peccatum mors quædam est animi, æternæ mortis præludium, sic innocentia fidesq; in Christi merita & in gratiam patris cœlestis uita quædam est animi, æternæ uitæ primordiũ. Vitæ autem huius princeps est deus, spiritum suum nobis impartiens. Mortis author est diabolus, habẽs & ipse suum spiritum, quo afflati, rapiuntur ad huius mundi commoda, nimirum diffisi promissis æternæ uitæ. Christus mortuus est ob nostra commissa, & reuixit ut nobis fidem faceret immortalitatis futuræ. Ad huius interim imaginẽ uos quoq; per baptismum insiti Christo, mortui estis peccatis ac uitijs uestris, in quibus dum male uiuere-tis, uere fuistis mortui, nihil amantes, nisi mortiferas bonorum umbras, quibus hic mundus ad tempus imponit ijs qui carent spiritu dei, sed aguntur spiritu satanæ, cui nunc interim tyrannis est permissa in hunc aërem inferiorem. Huius, inquam, spiritus, & ipse uim quãdam suam exerit in his, qui promissis euangelicis summam felicitatis collocant in rebus uisibilibus ac fluxis, nec audiunt deum patrem ad ueram felicitatem inuitantem, malẽtes impio crudeliq; seruire domino, cui quondã seruistis: at non uos tantum, uerũ nos etiam omnes. Vnde sequitur.

2 In quibus & nos omnes aliquando conuersati sumus, in desiderijs carnis nostræ, facientes uoluntatem carnis & cogitationum, & eramus natura filij iræ, sicut & cæteri.

Quamuis lex dei nos arceret à cultu simulachrorum, tamen omnis uita erat contaminata cupiditatibus noxijs rerum temporalium, quarum arbitrio uiuebamus pro naturæ humanæ corruptela, facientes non ea quæ dictabat spiritus ille cœlestis, sed quæ nostra mens turpibus affectibus dedita, nobis dictabat. Quibus rebus fiebat, ut quemadmodum qui Christo per fidem adglutinantur, pertinent ad hæreditatem, filijs obedientibus promissam: ita nos uelut immorigeri filij, ad diuersam hæreditatem pertineremus, nimirum eius consortes, cui nos iunxeramus. Ea est mors æterna, quæ debetur impijs. Huic igitur eramus & nos addicti quemadmodum cæteri, quod quidem ad nos attinebat. Nostra sponte nosmetipsi addixeramus, nec erat uirium nostrarum explicari ab ea seruitute longe miserrima. Notandũ interim usu uenire sanctis quoq;, ut antea sese filios iræ quàm gratiæ uiuendo carni experiantur. Quanquam hoc inter ipsos & reprobos interest, quod spiritus dei malo in illis semper reclamat, & uel aliquantulũ ad honesta propellit, cum hi infreni & nullo remoramento in mala ruant, utcunq; à satana acti, & à propria concupiscentia fuerint allecti: id quod Paulo non defuit, etiã sancto.

3 Deus autem qui diues est in misericordia, propter nimiã charitatem suam qua dilexit nos: & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo, cuius gratia estis saluati, & conresuscitauit, & considere fecit in cœlestibus in Christo Iesu.

Mortem nostram audistis, exitium audistis, sed unde uita? unde salus? Haudquaquam ex nostris meritis, nec ex legis Mosaicæ beneficio. Vnde igitur? Nimirum ex gratuita largitate dei patris, cuius tam opulẽta est benignitas, tantaq; pietas erga genus humanum, ut non solum nõ animaduerterit in nos, sicut eramus commeriti, uerumetiam cum essemus mortui, propter peccata nostra, unà cum Christo reuocarit nos ad uitam, (non erat, inquam, hoc meriti nostri, gratuitum est quod donat) neq; tantum reuocauit ad uitam cum filio, uerumetiam reuexit nos

nos ab his humilibus rebus ad cœlestia, atq; ibi nos collocauit per Christū Iesum, per quem habemus communiter, quicquid habet ille caput nostrum, ac nunc spe possidemus quicquid mox sumus re ipsa possessuri, interim ipso fidentes, æquo animo plenam nostri redemptionem expectemus, proximis ad salutem seruientes. Futura autem sanctis, & tantum promissa, ut cum Christo sancti sedeant in cœlis, ut facta hic propterea scribuntur, quia profecto apud deum iam facta existunt, qui caput nostrum eò euexit, et nobis arrabonem huius felicitatis spiritum suū donauit. Vnde & seruatos iam nos quoq; adserit, qui tamen adhuc cum mortis carnis nostræ anxie luctamur. Certitudinem ergo electionis dei, amplitudinemq; meriti Christi attendens, recte saluos & beatos iam dicit, quos deus saluare decreuit, & Christus iam cœpit.

Vt ostenderet in sæculis superuenientibus, abundantes diuitias gra- 4
tiæ suæ, in bonitate super nos, in Christo Iesu.

Ita uisum domino, quo tēpore resurrectionis & consummatæ felicitatis, cum apparebūt illius promissa, declaret cumulatissimam beneficentiam suam, quam pro sua gratuita bonitate uoluit effundere in nos: nō ob benefacta nostra, sed ob merita Iesu Christi. Sæpius enim iterandum est, quod oportet altissime infixum esse uestris pectoribus, modo uita nostra abscondita est cū Christo in deo, & nondum tamen apparuit quod futuri sumus. Manifestato autem Christo in gloria, tunc & nos cum illo manifestabimur glorioſi, & similes ei erimus. Tunc & opulentia dei per Christum exhibita nobis, & recte agnoscetur, & iusta gratiarumactione à sanctis celebrabitur.

Gratia enim estis saluati per fidem, & hoc non ex uobis, dei enim do- 5
num est, non ex operibus, ut ne quis glorietur.

Gratuitum, inquam est, quod ab exitio quo tenebamini, salutem estis consequuti, ne uos occupet quorundam Iudæorum error, qui seruandis Mosaicę legis præscriptis, sibi promittunt salutem. Vos fidei debetis uestram salutem, qua credidistis euangelio, atq; eam ipsam non est quod uobis arrogetis, prior ille dilexit uos, & attractis dedit, ut ipsum redamaretis. Idem gratis fidei donum infudit, per quam depulsa caligine, cerneretis ueritatis euangelicæ lucem. Illius igitur munificentiæ totum est adscribendū: nec est quod quispiam hinc tanquam de suo glorietur. Nihil ergo huius ex nobis, nihil nostrorum operum, sed omnia diuinæ electionis & gratiæ existunt, ex qua donato suo spiritu, mente nos renouat, & in filios suos adoptat, quia natura nostra filij perditionis & iræ sumus.

Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu, in operibus bonis, 6
quæ præparauit deus ut in illis ambulemus.

Quod conditi sumus, deo debemus: rursum, quod per fidem ac baptismū renati sumus, ac ueluti rursus alia ratione renati & cōditi, semoti à consortio parentis Adæ peccatoris, & insiti Christo innocētię principi, eidē debemus, ut posthac huius ope atq; exemplo uacemus officijs ueræ pietatis, positoq; uetere homine, nouum hominem nouis actionibus præstemus, adeoq; nostri dissimiles simus, ut merito neget quis eosdem esse, nam idem nobis deus per euangelicā doctrinam ostendit præmium immortalitatis, ut ad eam innocentia uitæ rectęq; factis enitamur. Nec enim otiosa res est fides euāgelica, sed comitem habet indiuiduam charitatem, quę plus officiorum impetrat ab ultroneis, q̄ ulla præscripta legis extundere queant à coactis. Quanto enim ampliorem dei erga se gratiam fideles agnoscunt, tanto magis ad amandum colendumq; illum accenduntur. Cumq; se ser-

uatos credunt, & peccatis liberatos, peccata odiunt: & si quando lege mẽbrorum uicti labuntur, faciunt quod odiunt, & peccanti carni spiritus in eis semper reclamat & aduersatur: cõditi sunt enim ad opera bona, ad ea internus homo propendet, ijs solis oblectatur, hæc proprij & germani eius fructus sunt.

7 Propter quod memores estote, quod aliquando uos eratis gentes in carne, qui dicebamini præputium, ab ea quæ dicitur circuncisio in carne manufacta.

Non uobis imponitur iugum legis Mosaicæ, sufficit una lex Christianæ charitatis, ad omnem officiorum functionem. Nec Iudæi suæ legi debent hanc salutem, sed uos tamen hoc magis debetis diuinæ beneficentiæ, quo longius abfuistis à cultu dei ueraq; religione. Proinde quo magis intelligatis quantũ debeatis largitati diuinæ, quod nunc tales sitis, meminisse debetis quales aliquando fueritis: eratis enim aliquãdo gentes, certe iuxta corporalem generis distinctionem, quas Iudæorum natio, carnali & quæ manu fit circuncisione glorians, ignominioso uocabulo præputiatos appellat, pro prophanis & abominandis ducens, & exilli mans hanc felicitatem, etiam olim prophetarum oraculis promissam, ad se peculiariter pertinere, nec intelligens eos demum immundos haberi, qui mentem habeant incircuncisam. Hæc autem in hoc cõmemorat Paulus, ut agnoscentes gentes incomparabilem dei erga se bonitatem, totos se illi crederent, atq; ex uoluntate eius uiuere studerent.

8 Quod eratis illo in tempore sine Christo, alienati à conuersatione Israel, & hospites testamentorum, promissionis spem non habẽtes, & sine deo in hoc mundo.

Eratis, ô Ephesij, id temporis corporibus simul & animis incircũcisis, hoc Iudæis abiectiores ac deploratiores, quod Christũ uobis nec sperabatis, utpote prorsus alieni à iure cõsortioq; gẽtis Iudaicæ, cui peculiariter ille uidebat esse promissus, extorres à pactis dei, quibus ille pollicitus fuerat, cum Abrahæ gentis auctori diceret, Per semen tuum benedicentur omnes gentes. Nec uidebatur ulla spes reliqua seruãdi uestri, cum dæmonum cultores in hoc mundo, uerũ deum ignoraretis, cum illi deum suum appellarent, & ille uicissim eos suum populum diceret. Quanquam & nonnulli & forsitan non etiam pauci erant, quos ex gentibus quoq; deus Christi sui fide & expectatione donauit per sanctum spiritũ: ut nanq; non Iudæorum solum, sed & gentium deus agnosceretur omnibus sæculis, & in gentibus aliquot suo spiritu illustrauit, quanquam in Iudea præcipue suo modo notus esset deus. Satis declarant gentium fidem Abimelech, qui tam sancte agit cum Abraham: Iethro cum Mose, consilium dans quod & deus approbat: Iob quoq; cum amicis, & qui ex Iudæis dispersis dei agnitionem perceperunt in toto orbe ex uetustis temporibus. Hi uero ut de deo optime sperarunt, deq; uniuersali salute expectarent, haudquaquam absq; Christo sanctorum reparatore fuerũt, tametsi forsan qua ille ratione esset uenturus, & omnia instauraturus, parum distincte noscerent. Sicut & Iudæi multi, adeoq; aliquando ipsi Christi discipuli. Difficile enim uisum est mundo per stultã crucis prędicationẽ electos saluandos.

9 Nunc autem in Christo Iesu, uos qui aliquãdo eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi.

Statim ut effulsit euangelij ueritas, rerum uices inuertit Christus, efficiens, ut uos qui quondam uidebamini nihil ad deum pertinere, nunc sitis illi coniũctissimi,

mi, non per circuncisionem præputij, sed per sanguinem Iesu Christi, cuius pretio liberi à peccatis uitæ pristinæ, deo patri fuistis recõciliati. Inimicitia erat inter Hebræos, circuncisione cooptatos in Remp. dei, eoq; domino prope cõstitutos, & gentes ab eo alienas, & ueluti à domino dissitas, quod illi leges dei obseruarẽt, hi abominarentur. Eratq; diuina lex illa ceu interstitium quoddam & maceria, disiungens Iudæos à gentibus. Et illi quoq; deum uerum colebant, non isti, ceremonijs nempe, quas suo populo deus dederat, quibus ab omnibus gẽtibus secernerentur. Vt ergo unus ex utrisq; populus coagmentaretur, morte sua Christus interstitium amouit, & internum & externum. Internum quidem, dato etiã gentibus spiritu sancto, quo deum agnoscerent & colerent: externum quoq; ceremonias & uarios ritus, quæ unà cum templo & sacerdotio deus abstulit, ne posthac Iudæi gentes præ se contemnerent.

Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraq; unum, & medium parietem 10
maceriæ soluens, inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis euacuans.

Antea dissidium erat uobis cum Iudæis, dissidium cum deo, at Christus author pacis & concordiæ sustulit omne discrimen, circuncisi & incircuncisi: sustulit Mosaicæ legis ceremonias, ueluti maceriam quandam, gentium ac Iudæorum concordiam dirimentem, ut iam duæ gentes prius inter se disiunctissimę coirent, & coalescerent in unum, abolita uetere simultate. Nam ante Christum gentes à Iudæorum obseruatiunculis ueluti superstitiosis uehementer abhorrebant, & Iudæi his adeo sibi placebant, ut horũ expertes execrarentur. Christus igitur miro consilio legem inuisam in prę scriptis ceremoniarum carnalium sitam aboleuit & antiquauit, ut nec Iudæos alienaret, nec gentes eius onere premeret. Ipse enim cum esset deus, & idem homo, iuxta carnem legis præscripta seruauit, & tamen testatus est salutem, quam iuxta spiritum adferebat ad gentes, non minus q̃ ad Iudæos legem dei pertinere, ut iam nec præputium sit abominandum in uobis, nec in illis glorioſa circuncisio.

Vt duos condat in semetipso, in unum nouum hominem, faciens pa- 11
cem, ut reconciliet ambos in uno corpore deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso.

Abolita gentis utriusq; uetustate, è duabus unam conderet nouam, quæ in unum nouum hominem Christum coalesceret, seruatorem utrisq; ex æquo communem. Et quemadmodũ Iudæos ac gentes inter se conciliarat, ita simul utrosq; deo reconciliauit, ne quid usquam esset, quod pacem dirimeret, sed cœlestia pariter ac terrena, uelut in unum corpus coagmentarentur. Mors Christi, quam ille pro nostris peccatis dependit, nos deo iunxit, quo cum nemo pacem habet, qui peccatis est obnoxius. Ea quoniam ex æquo impensa est gentibus & Iudæis, non est cur alteris alteri se præferant, præsertim cum pignus etiam & arrabo sacri spiritus, de quo paulò ante diximus, sit utrisq; citra discrimen communiter datus.

Et ueniens euangelizauit pacem, uobis qui longe fuistis, & pacem ijs 12
qui prope, quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno spiritu ad patrem.

Factum iam uidemus, quod olim Isaias afflatus, futurum esse prædixit. Christus enim non Iudæis tantum obtulit euangelicam doctrinam, quibus hæc beati tudo uidebatur peculiariter promissa, quiq; iam suo quodam modo dei ueri cul-

tores erant, uerumetiam uobis qui procul aberatis, & à cognatione Iudaicæ gentis, & à ueri dei cultu, docens per mortem ſuam utrunq; gregem ouium in unum ouile coiturum, & unicum paſtorem agniturum. Is nobis aperuit aditum ad patrem, prius iratum noſtris commiſſis: nec alius aperuit aditum Iudæis, q̃ qui gentibus, ſed eidem oẽs debemus, quod audemus utriq; iam ad patrem propitium accedere, nimirum freti communi ſpiritu, qui noſtris animis hanc ex æquo inſpirat fiduciam. Præcipuum autem opus extitit Chriſti incarnati, & pro nobis immolati propter peccatorum noſtrorum expiationem, euulgatio euangelij pacis in uniuerſum orbem. Pulchre autem cõuenit, ut qui pacem cum patre nobis ſuo ſanguine reſtituit, ſuo etiam ſpiritu eam apertius & magnificentius ubiq; faceret annunciari, ut palàm fieret ad quod eſſet homo factus, & quid nobis ſua morte promeruiſſet.

13 Ergo iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorũ, & domeſtici dei, ſuperædificati ſuper fundamentũ apoſtolorũ & prophetarũ.

Ne uero uobis quid diſpliceatis, quod iuxta carnis propinquitatem non ſitis oriundi ex ſtirpe Dauid, aut Abraham, aut quod immunes ſitis à lege Moſaica, cum iuxta ſpiritum ſitis ciues conſortesq; ſanctorum, ad dei domum ac familiam pertinentes, quæ non ex Iudæis tantum conſtituitur, uerum ex omnibus qui pure credunt euangelio. Huius fundamenta ſunt apoſtoli, euangelij præcones, & prophetæ, qui iam olim ſuis uaticinijs oſtenderũt euangelij donum, omnibus ex æquo fore commune. Huic fundamento uos quoq; nitimini: id uero ut intulit Apoſtolus ex præmiſſis, nimirum quod inſiti Chriſto, iam non longe à deo, ſed deo prope facti eſſent, conditi cum Iudæis in unum hominem, & unum corpus, quibus per eundem Chriſtum in eodem ſpiritu aditus ad patrem contigiſſet: ita eadem figurate nunc hic repetit, quo magis cauſam oſtenderet, unde tanta ethnicis felicitas contigerit, ut Chriſto inædificati ſint, qui lapis eſt in Zion, pro fundamento poſitus. De quo ſubditur.

14 Ipſo ſummo angulari lapide Ieſu Chriſto, in quo oẽis ædificatio conſtructa, creſcit in templum ſanctum in domino, in quo & uos coædificamini in habitaculum dei, in ſpiritu ſancto.

Ieſus Chriſtus huius ædificij ſummus ille lapis eſt, qui in angulo additus, pariter utrunq; iungit & complectitur, cuius ui complexuq; tota ſtructura credentium undecunq; coagmentata, indies augeſcit, ac ſurgit in templum ſpirituale, uere ſanctum, nimirum ab ipſo domino conſecratum. Atq; huius ſacræ ſtructuræ uos quoq; pars eſtis, dum ueluti uiui lapides ijſdem fundamentis ſuperſtructi, & ab eodem lapide angulari comprehenſi, puritate mentis ac ſpiritus, deo præſtitis habitaculum ſanctum, & ab omnibus inquinamẽtis uitiorum & cupiditatum immune. Moſi templũ non recipit niſi Iudæos, ad hoc omnes ex æquo pertinent, qui fidem euangelicam amplectuntur. Nec aliud & tabernaculũ fœderis, & templum Salomonicum deſignarunt, q̃ concionem ſanctorum, cuius cauſa quoq; illa domicilia dei dicta fuere. Deus ſiquidem ſumma eſt bonitas, quare ibi præſentius habitare uere dicitur, ubi illa magnificentius relucet, ut fit in ſanctis.

CAPVT III.

1 Vius rei gratia ego Paulus uinctus Chriſti Ieſu, pro uobis gentibus, ſi tamen audiſtis diſpenſationem gratiæ dei quæ data eſt mihi in uobis.

Vt

Vt autem firmius credatis, ethnicos quoq; per dei gratiam in Christo nactos esse aditum ad salutem, coagmentatosq; in unum corpus cum fidelibus conuersis ex Iudaismo, coædificari quoq; in idem domicilium dei, scitote quod ego Paulus nõ aliam ob causam his uinculis oneratus sum, q̃ quod hæc prædico edoctus à Christo. Non enim ob maleficium, sed ob amorem domini Iesu Christi, cui Iudæis indignãtibus, uos gentes lucrifacere studeo. Si tamen audistis hanc prouinciam ab ipso Christo mihi delegatam, ut euangelicam salutem, quam antehac quidam ad solos Iudæos arbitrabãtur pertinere, dispensarem quaqua uersum, etiam inter gentes, quarum de numero uos estis.

Quoniam secundum reuelationem notum mihi factum est sacramen- 2
tum, sicut supra scripsi in breui, prout potestis legẽtes intelligere, prudentiam meam in mysterio Christi.

Hoc arcanum antea cælatum etiam quibusdã apostolis ad tempus, mihi Christus quoq; aperuit, quemadmodum & ante paucis cœpimus attingere, cum alijs nationibus scriberemus, ex quorum lectione poteritis cognoscere, mihi non esse ignotum Christi arcanum consilium, qui cum Ananiæ prædixit fore, ut nomen suum circunferrẽ inter gentes, tum ipse mihi iussit, ut ipsius legatione functurus irem ad gentes procul semotas. Mysterium ergo & arcanum Christi quod reuelatum sibi Paulus hic memorat, est Christum esse caput & principem sanctorũ, per cuius sanguinem redemptionem habemus, quotquot ad uitam electi sumus ex gentibus uel Iudæis, perficienda quoq; esse per ipsum omnia. Quod mysterium antea absconditum à morte Christi reuelari oportuit, & gentibus quoq; annunciari, quæ iam æque ac Iudæi Christo imò copiosius q̃ Iudæi adducendi erant.

Quod alijs generationibus non est agnitum filijs hominũ, sicuti nunc 3
reuelatum est sanctis apostolis eius & prophetis in spiritu.

Prius id uidebatur abominandum, ut impij & simulacrorum culturæ dediti, uocarentur ad euangelij consortium, licet deo sic decretum fuisset iam olim ante conditum terrarũ orbem, & utcunq; prophetis per afflatum patefactum, tamen haud perinde mortalium generi fuerat patefactum, quemadmodum nũc est per me, gentes absq; legis Mosaicæ præsidio per solam fidem euangelicam consequi salutem, adeo ut primores etiam apostolorum, non ausi sint incircuncisos ad baptismum admittere. Quod autem dicit, uulgo hominibus & generationibus arcanum hoc non reuelatum, non obstat, quin multis selectis prophetis id reuelatum fuit, ut testantur abunde uaticinia eorum, quibus luculenter prædictum legimus, Christo gentes accessuras, amplissimam futuram humani generis reparationem.

Gentes esse cohæredes, & concorporales, & cõparticipes promissio- 4
nis eius in Christo Iesu per euangelium.

Palàm factum est nunc sanctis apostolis Christi huiusq; prophetis, afflatu sancti spiritus, gentes sic per fidem esse conglutinatas Iudæis, ut in eiusdem hæreditatis uenerint consortium, & in idem corpus coaluerint, gaudentes communi capite Christo, ac per hoc simul omnium promissorum participes sint facti, quæ manent eos, qui fidem habent euangelio Christi, hoc est esse factos hæredes dei, eoq; cum ipso Christo & sanctis uniuersis cohæredes, concorporati, & participes eorum: quem Christus plene exhibuit, plenius autem quando sistet nos deo patri spiritu suo ita sanctificatos, ut nullam maculam uel rugam simus habi-

turi. Per euangelium igitur sed creditum, ista tanta gentibus felicitas & salus contigit.

5 Cuius factus sum ego minister secundum donum gratiæ dei, quæ data est mihi secundum operationem uirtutis eius.

Huius euangelij prædicandi mihi delegata est authoritas, nec desum mandatæ prouinciæ, usq; ad carceres & cõpedes. Hactenus constanter laborãs in euangelij negotio: nõ quod ipse meis uiribus par sim tam arduæ prouinciæ, sed is qui delegauit hoc munus, idem de suo addit opem suam, qua fit, ut meis præsidijs imbecillis & inualidus, illius beneficio fortis sim, atq; intrepidus aduersus omnium malorum procellas.

6 Mihi autem omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à sæculis in deo, qui omnia creauit.

Non iacto meam dignitatem, fateor me minimum esse sanctorum, sed tamen huic minimo placuit diuinæ bonitati, concredere negotium longe maximum, ut inter gentes antehac prorsus ignaras dei, promulgem ac prędicem imperuestigabiles diuitias Christi, quas affatim offert omnibus, utq; quod antea latebat in lucem proferam, nunc esse dispensandum in omnes nationes euãgelij beneficium, quod ante putabatur solis Iudæis esse delatum, licet ab æterno secus erat deo decretum, rerum uniuersarum & conditori & moderatori. Iterum nominat sacramentum absconditũ in deo, uel penes deum. Non hoc ita fuit, ut nullis innotuerit, cum tot tamq; luculenta de eo extent prophetarum uaticinia. Absconditum aũt fuit, quia nõ fuit ne apud Iudæos quidẽ palàm inuulgatũ, apud quos paucissimi sanè fuere, qui recte quale esset Christi regnum futurum pernouissent. Quod hic Græci addunt, Per Iesum Christum, quod Latini codices etiam uetusti nõ habent, fidei nihil præiudicat, sed quod uerum ostendit Christi diuinitatem & æternitatem, qui aliâs iuxta humanitatem primogenitus dicitur uniuersæ creaturæ, qui iuxta diuinitatem, quia uerbũ dei, & filius, & sapientia patris creauit omnia.

7 Vt innotescat principibus & potestatibus in cœlestibus per ecclesiã, multiformis sapientia dei, secundum prędfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Iesu domino nostro.

Dominus hoc diuinæ mentis suæ consilium hactenus arcanum esse uoluit, quod hisce temporibus adeo uoluit esse palàm, idq; per ecclesiam suam, in quam tantum spiritualium donorum effundit, ut multiplex illius sapientia, quæ miris consilijs dispensat omnia, per mortem largiens uitam, per ignominiam adducẽs ad gloriam, per humilitatem illustrans dei maiestatem, quod olim nemo potuisset suspicari, nunc innotescat non solum orbi terrarum, uerumetiam principibus ac primoribus angelicarum mentium, atq; etiam dæmonum, qui in cœlis summaq; aëris parte uersantur, quæ tametsi suspicari poterant fore, ut genus humanũ aliquando redimeretur, tamen illud latebat, quibus rationibus id ab æternis sęculis sapientia diuina facere decreuisset. Id quod tum demum innotuit, posteaquam filium suum misit in terras, qui assumpto corpore humano, modis ineffabilibus sibi assereret, atq; agglutinaret ecclesiam, cuius ipse caput esset Iesus Christus dominus noster, cuius mysterio admiranda ratione humano generi tot modis perdito, consuluit, regenerando, quos ante iacta fundamenta mundi delegit, & experditis

ditis peccatoribus, mortiq; addictis, filios sibi & hæredes condit.

In quo habemus fiduciam & accessum in confidentia per fidem eius. 8

Contigit nobis per hunc Christum innocẽtia & iustitia coram deo, nimirum abolitis peccatis nostris, sicut & fiducia certa, ut tanquam filij non uereamur ad patrem accedere, cuius irati uultũ antea non fuissemus ausi obtueri. Quid enim non audeamus freti tali capite, quod haudquaquam sinit ullum membrorum suorum perire, quantumuis hic interim affligamur? Vult autem ostendere Apostolus unde habeat, quod contemptis periculis, tam confidenter egerit in negotio euangelico, aggrediẽdo rem tam periculosam pro gloria Christi, cõtra principes huius mũdi irreconciliabiles hostes Christi. Addit autem, Per fidem eius. Est autem fides Christi quam habemus euangelio eius, & credimus non solum ipsi nostra omnia curæ esse, & uigilare eum super nos, sed & æternam in ipso & per ipsum nos uitam possidere. Sicq; per fidem de ipso sentientes, eam persuasionem & animi fiduciam habemus, ut non dubitemus nihil nos posse agere uel præstantius uel melioris frugis, q̃ ut nomen eius quantis licet præconijs extollamus, atq; ut ipsi nomen dent persuadere q̃ plurimis conemur. Ad similem fiduciam Ephesios cupit animare, cauereq; ne ob suas afflictiones frangerentur, quod mox eos orat.

Propter quod peto, ne deficiatis in tribulationibus meis pro uobis, 9 quæ est gloria uestra.

Hoc arcanum dei consiliũ, quoniam fortiter ubiq; prædico, uehementer affligor ab ijs, quibus id nondũ persuaderi potest. Sed obsecro uos, ne qd uos perturbent, aut deijciãt afflictiones meæ, quas uestra causa patior. Nec est quod uos pudeat huius apostoli compedibus onusti: nam quemadmodũ Christi crux nostra est gloria, ita meæ compedes, quas non ob flagitia, sed ob euangelij synceritatem gesto, uobis decori sunt non probro. Etenim quo plus malorum infracto animo ferimus ob euangeliũ Christi, hoc pleniorem fidem facimus, non esse uana Christi promissa, quorum spe fulti, nullis huius uitæ malis labefactamur. Neq; mihi solum glorioſum est ob euangelij negotium affligi, uerum omnibus etiam Christo initiatis, pulchrum fuerit, authoris & capitis sui exemplum sequi.

Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem domini nostri Iesu Chri 10 sti, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur, ut det uobis secundum diuitias gloriæ suæ, uirtutem corroborari per spiritum eius in interiori homine.

Hac sanè gratia flexis genibus ex intimo mẽtis affectu deprecor deũ patrem nostrum, ac patrem domini nostri Iesu Christi, à quo ceu summo capite, pendet omnis cognatio spiritualis, qua conglutinantur siue angeli in cœlis, siue fideles in terris, & à quo uno ceu fonte proficiscitur, quicquid ad ueram felicitatem pertinet, ut quemadmodũ cœpit exuberantem suam gloriam declarare in uobis, ita magis ac magis augeat suam erga uos munificentiam, ut qui per baptismum estis insiti Christo, quasiq; denuo nati, quotidianis auctibus robur ac uires colligatis, non iuxta corpus, sed iuxta mentem & animum: idq; semper augescẽte in nobis dono paterni spiritus, per quem fortes & inuicti reddimur aduersus omnia terriculamẽta persequutionum. Erigere Ephesijs spem uoluit, futurum esse, ut deum & patrem domini nostri Iesu Christi, q̃i & fratrum domini & membrorum eius pater indubie esse diciq; dignatur, ut nequaquã frustra hæc petat pro eis. Omnis

præterea cognatio & familia, tam in cœlo q̃ in terra ex eo cõstat. Vnus omnium opifex est, & nihil eorum odit quæ condidit. Etiam familiæ gentium ex ipso sunt, quare & illis suam bonitatem impartire uolet: non quidem singulis, sed quos ex illis sibi elegit, inter quos & uos estis, quibus Christum suum dedit cognoscere & adorare. Amplissima quoq; bonitas dei summæ sapiẽtiæ & potẽtiæ iuncta, solidã illi gloriam parit: dumq; electis suis impartit suam bonitatẽ, efficit, ut & ipsa præclare in illis reluceat, & magnifice ab eis prædicetur. Quæ autem Ephesijs petit, sunt, ut internus homo bene habeat, & ut per spiritum dei corroborentur, ut habitet Christus per fidem in cordibus ipsorum, &c.

11 Christum habitare per fidem in cordibus uestris, in charitate radicati & fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum.

Oro autem ut ea sit fidei uestræ firmitas, ut existimetis Christum nusquam uobis non adfuturum, imò habitare in intimis cordibus uestris, idq; ob fiduciam, qua uos totos illi creditis: nam ijs adest maxime, qui suis opibus diffisi, toti ab ipsius auxilio pendent. Id fiet eo magis, si fidei euangelicæ iunxeritis charitatem euangelicam: & sic adiunxeritis, ut ea penitus insideat animis uestris, ac radices agatis, ut hoc stabili fundamento nixi fultiq;, grandescatis spiritu uestro, deiq; immenso spiritui aliquo modo respondeatis, ut iam adulti, eò proficiatis capacitatis, ut non solum cum Iudæis, uerumetiam cum uniuersa multitudine sanctorum, quæ per fidem euangelicam agglutinatur in corpus Christi, possitis comprehendere, q̃ in immensum se porrigat dei patris bonitas: quamq; non angustijs finibus cohibeatur, altitudine ad angelos usq; se proferens, profunditate ad inferos usq; penetrans, longitudine ac latitudine ad omnes huius mundi plagas sese dilatans. In quæcunq; enim animũ & oculos intendimus, omnia ut nostri gratia condita, ita nostræ saluti seruire agnoscamus, dicentes cum Dauid, Benignitate domini plena est terra. Et, Benignitas tua, ô deus, in cœlis, & fides tua usq; ad nubes, & similia multa. Animus enim de deo per fidem recte sentiẽs, obuiam habet bonitatem eius quocunq; se uertat, ut admiretur bonitatem creatoris, & amore accendatur.

12 Scire etiam supereminentem scientię charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem dei.

Oro quoq;, ut simul possitis intelligere inæstimabilem Christi charitatem erga genus mortalium, cuius cognitio præpollet omni sciẽtiæ humanæ, quantumuis excellenti. Atq; his dotibus sic augescatis, ut ceu robusta perfectaq; membra, tam insigni capiti, tamq; sublimi patri respondeatis. Quemadmodum enim corporalis natiuitas habet ætatũ gradus, habet auctus suos, habet & metam, quoad adolescere detur: ita & hęc spiritualis generatio habet suam infantiam, habet adolescentiam, habet & perfectæ iam & adultæ ætatis robur.

13 Ei autem qui potens est omnia facere superabundanter quàm petimus, aut intelligimus secundum uirtutem quæ operatur in nobis: ipsi gloria in ecclesia, & in Christo Iesu in omnes generationes sæculi sæculorum. Amen.

Hæc, inquam, flexis genibus peto frequenter à patre deo, magna quidem illa longeq; supra uires humanas, sed ab eo peto cuius est tanta potestas, ut nihil à nobis queat excogitari tam ingens, quin ille possit longe maiora, tam bonus & benignus,

gnus, ut ſua liberalitate non modo æquet uota noſtra, uerumetiam ſpem ſuperet. Neq; enim hic quicquã noſtris uel meritis uel uiribus agitur. Nos nihil aliud ſumus q̃ organum potẽtiæ diuinæ, quæ uim ſuam exerit in nobis. Huius igitur largitati trãſcribenda eſt omnis gloria, quæ relucet in eccleſia per Chriſtum Ieſum, cuius commercio tantas dotes poſſidet; atq; huius gloriæ nullus erit finis, ſed per omne æuum perſeuerabit inæternum, quemadmodũ & eccleſia Chriſti nullum finem eſt unquam habitura. Quod dixi, certum eſt & indubitatũ. Hactenus Paulus, quid nobis electis in filios dei ante conditum mundũ diuinitus per Chriſtum donatum ſit, quod ſit Chriſti officium, nempe oĩa perficere, quod gentes quoq; regno eius adiungendi per euangelium fuere, atq; ideo leges ceremoniarum abrogãdæ, & ex omnibus populis unus uelut homo & corpus domino compingendum, quod deniq; à cognita dei in nos bonitate, omnia bona pendeant, & cumulate proueniant, magno ſpiritu & ardentibus affectibus diſſeruit, nũc in ſequentibus admonitiones & exhortationes ſcribit, & de uitę officijs monet, non minus dextre q̃ ardenter.

CAPVT IIII.

OBſecro itaq; uos, ego uinctus in domino, ut digne ambuletis uocatione qua uocati eſtis, cum omni humilitate & manſuetudine, cum patientia, ſupportantes inuicem in charitate, ſoliciti ſeruare unitatem ſpiritus, in uinculo pacis.

Quoniam igitur intelligitis à quàm abiecta conditione, ad quantam dignitatem, à quanta deſperatione, ad quàm eximia præmia uocati ſitis, obteſtor uos per has catenas, quibus non ob mea facinora, ſed ob dei gloriam & ueſtram ſalutem uinctus ſum, ut quod ſupereſt, ueſtræ profeſſioni, deiq; erga uos benignitati, morum innocentia reſpondeatis. Id fiet, ſi profeſſionis dignitas non reddet uos elatiores ac ferociores, ſed tota uitæ cõſuetudo præ ſe ferat in omnibus ueram animi modeſtiam, manſuetudinem ac lenitatem: neq; per faſtum alius alium deſpiciat, ſed per mutuam charitatem uos inuicem toleretis, potius ad tempus obſecundantes alienæ infirmitati, quàm dum ſuum quiſq; ius mordicus tuetur, ſcindatur concordia & unanimitas, qua per uinculum pacis eſtis connexi conglutinatiq;, ut nemo interim ſua quærat, nemo ius ſuum perſequatur, ita pacifica ſunt omnia, dum & delicta inuicem condonant facile, eademq; mens inter multos ſeruatur. Huiuſmodi igitur eſt ingenium Chriſtianæ dilectionis, per quam fides ſeſe exerit & declarat, ad quam hortatur Apoſtolus, nihil imperioſe mãdat & ſtatuit, ſed ut pater hortatur & orat.

Vnum corpus, & unus ſpiritus, ſicut uocati eſtis in una ſpe uocationis ueſtræ.

Non cõuenit eos inter ſe diſſidijs animorum diſtrahi, quibus tam multa communia, unum corpus eſtis omnes, ab uno pendetis capite, eundem Chriſti ſpiritum hauſiſtis omnes, quin & ad eandem hæreditatis ſpem ex æquo uocati eſtis omnes, ut deus ſit olim in nobis omnia. Noſtri igitur amor ponendus, ſed animorum continuo unitas fouenda mutuis officijs. Quando ſinguli inuicem membra ſumus, quibus nihil eſt neq; inter ſe coniunctius, neq; ad mutuas operas propenſius, idem ergo & in nobis appareat.

Vnus dominus, una fides, unum baptiſma, unus deus & pater omnium, qui ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.

Vnus est omniũ dominus Iesus Christus, qui potestatem accepit omnem in cœlo & in terra. Eadem est oñibus fidei professio, unum omniũ baptisma, quod ex morte Christi æqualiter efficax est in omnes qui credunt euangelio, siue præputiati sint siue recutiti. Postremo unus est pater & deus omniũ, qui ueluti princeps & author uniuersorum, sic præsidet omnibus nobis, ut interim spiritu suo, quo nos moderatur, susus sit per omnes, semperq; nobis præsens & opitulans, in habitet in omnibus. Cum sit igitur dominus unus, conuenire debet inter seruos quoq;, quorum commune & unicum studium sit, ut domino placeant: mutuum ergo amemus, & fraternam inter nos beneuolẽtiam declaremus. Præsidet omnibus, exerit uirtutem suam per omnia, agit in omnibus. Hunc igitur imitati, in omnes & nos quoq; benefici simus.

4 Vnicuiq; autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.

Vnius summi boni est, quicquid in nobis est bonarum rerum. Nec illud officere debet nostræ concordiæ, quod huius dotes nec eædem, nec pares emineant in omnibus, nihilo magis profecto, q; distrahi uidemus membrorum inter seipsa consensum, quod nec ad usum eundem æque ualeant omnia, nec pariter sentiãt capitis influxum: imò hæc ipsa uarietas magis inuitare debet ad concordiam. Etenim dum nulli cuipiam membrorum omnia sua præsidia cõstant ex sese, fit ut singula alterius egeant officio, nec sit quod aliud possit aliud contemnere. Cæterum hæc bonorum partitio non à nobis, sed à dei pendet arbitrio, qui cuiq; sua beneficia dispensat, largius aut parcius, utcunq; perspexerit expedire. Non est cur fastidiatur qui minus habet, nec est cur cristas erigat qui plus habet. Illud dispensantis est dei, hoc largientis, licet omnia per Christũ, qui simul hæc largitur cũ patre.

5 Propter quod dicit, Ascendens in altum, captiuã duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Quod autem ascẽdit, quid est, nisi quia & descendit, primum in inferiores partes terræ?

Hoc erat nimirũ, quod olim diuini numinis afflatu prædixit Psalmographus. Iam enim Christus debellatis inferis, ascendit rediuiuus in sublime regnum patris, secum ducens uictoriæ suæ trophæum captiuorum gregem, à peccati diaboliq; tyrannide liberatum: atq; inde ex liberalitate patris, per spiritum cœlestem dedit uaria donorum genera, inter homines dispartiens, quemadmodũ triumphantibus est solenne, missilia in populũ è sublimi spargere. E cœlo misit dona, & cœlestia misit. Porrò quod dicitur ascendisse, nónne consequitur eum aliquando descendisse? Nec descensus est nisi è sublimi. Prior est descẽsus in domino, posterior ascensus: nam sublimitatem non meretur, nisi humilitas suiq; deiectio.

6 Qui descendit, ipse est & qui ascendit supra omnes cœlos, ut impleret omnia.

Summam humiliationem summa consequitur sublimitas. Christus è summo cœlo, quo nihil esse potest sublimius, demisit sese usq; ad inferos, quibus nihil potest esse inferius. Atq; ob id meruit ut rursum subueheretur, ultra cœlorum omnium fastigia: ita nobis subducẽs corporis sui præsentiam, ut è sublimi cœlestibus donis impleret omnia, & alia quadam ratione iam nobis adesset efficacius, q; ad fuerat cum nobiscũ in terris uersaretur. Ascendit autem super omnes cœlos, hoc est, in conditionem & locum omnium diuinissimum & glorioßimum, ut nimirum perficeret omnia: dedit enim ei pater omnia in manus, ut ea in unũ collecta plene

plene tandem consummaret. Videtur autem Paulus magis hic uoluisse prædicare quid præstiterit hominibus, & quę dona dederit, perficiens illis omnia, q̃ quod oraculis scripturarum satisfecerit, implendo scripturas omnes.

Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophe- 7
tas, alios uero euangelistas, alios autem pastores, & doctores ad consum
mationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis
Christi.

Non deseruit suum corpus Christus ascendens, sed ita partitus est singulis membris suas dotes, ut in uniuerso nihil desideretur, licet alijs dotibus alia præpolleant. Quosdam enim uoluit esse præcipuos, ueluti apostolos, primores & authores euãgelicæ prædicationis: quosdam uero prophetas, qui Mosaicæ legis involucra norint explicare: quosdam euangelistas, qui apostolorum fungentes uicibus, obambulantes circunferant euangelium: quosdam rursus pastores ac doctores, uelut episcopos, qui pabulo sacri sermonis ac salubri uitæ exẽplo pascant Christi gregem: atq; item cæteros alios alijs dotibus instruxit, ut ex his omnibus in unum collatis, consummaretur sanctorũ cœtus, sic instructus ad omnem officij functionem, ut perfectum sit Christi corpus omnibus suis membris coagmentatum. Verum apostoli illi primarij, ut Paulus & alij, nonnulli his dotibus omnibus instructi fuerunt, nam animum & successum habuerunt ad multas gentes, perferendi euangelium. Ex reuelatione spiritus multa quoq; sunt moniti. Ecclesias docuerunt, magnifice præconium Christi annunciare potuerunt. Sed & fuerunt alij quoq;, qui præter hoc & prophetiæ munere ualuerunt, non tamen erant apostoli: sic fuerunt episcopi & pastores, qui simul & prophetæ & euãgelistæ fuerunt. Differunt autẽ doctores à prophetis, quod hi ex certa reuelatione quædam discunt quæ doceant: illi uero docent, quæ ab hominibus uel sacra lectione didicerunt. Horum donorum usum docet, ut sancti pietate proficiant, & sint qui seruiant ad id, ut uerbum domini currat, & cum fructu percipiatur, & ædificiũ corporis Christi accipiat incrementum, dum continuo gregi Christi noui adducuntur fideles.

Donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filij dei, in 8
uirum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.

Sic interim mutuis præsidijs foueatur corpus Christi mysticum in suis quibusq; membris, ut interim membrum ualidius imbecilliori morigeretur, & imbecillius ad robustiorum exemplum enitatur, donec omnes tandem perueniamus ad par fidei robur, similiq; perfectione cognoscamus filium dei. Cuius auxilio sic grandescamus, secretis animorum auctibus, ut tandem euadamus in uirum perfectum, ac iuxta modum nostrum perfectissimo capiti respondeamus, in quo nihil fuit nec imbecillitatis, nec erroris, nec uitij, ut Christus in nobis uiuat, nõ iam infans adhuc, nõ puer, sed uir plene adultus, quod erit, dum ipsi cognitione amore q; dei, quantũ fieri potest, q; simillimi euaserimus, nullis neq; errorum technis, neq; affectuum tyrannidi obnoxij. Virum enim iustæ ætatis Christus agit in ijs, qui solidam fidem plenamq; adeo bonitatis dei agnitionem consecuti sunt, ut dicere audeat cum Apostolo, Quis separabit nos à dilectione dei?

Vt iam non simus paruuli, fluctuantes, & circunferamur omni uento 9
doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia, ad circumuentionem erroris.

Est ætas corporum, quæ plenum robur addit membris omnibus, & omnem

pueritiæ mollitudinem depellit. Est huius similis profectus in progressu pietatis, quo connitendum est omnibus, ne posthac simus quod olim fuimus, ritu puerorum incertis opinionibus fluctuantes, nec ullis certis decretis de paranda felicitate nixi, sed ueri inanes, nunc in hanc, nunc illam sententiã, quouis doctrinæ uento circunferamur puerili simplicitate, præbentes nosmet hominum quorundam uersutiæ calliditatiq́, non hoc agentium, ut uos Christum syncere doceant, sed ut uos callidis artibus adorti, capiant illaqueatos impostoris suis, uel ratiocinationibus philosophorum uocantes in dubium, quæ per fidem oportet esse indubitata, uel pro ueritate euangelica Mosaicæ legis umbras nobis obtrudentes.

10 Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus.

Potius nos semel amplexi ueritatem euangelicam, huic iungamus synceram erga mortales omnes charitatem, huc indefatigabili studio contendentes, ut pariter & in cognitione ueri, & in charitatis officijs assidue proficientes, efficiamus ut omnia membra suo capiti respondeãt. Caput autem nostrum est Christus, qui & ipsa est ueritas, & sic dilexit nos, ut semetipsum nobis seruandis impenderit.

11 Ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iunctu ram subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusq́ membri, augmentũ corporis facit in ædificationẽ sui in charitate.

Huic Christo capiti membra congruant oportet, ab hoc enim uitalis ille spiritus defluit in totum corpus, è diuersis membris ordine sibi cohærentibus compactum & coagmentatum, per omnes artuum commissuras penetrans, quod non fieret nisi mutua concordia partes corporis sibi iungerẽtur, ut eis spiritus à membro in membrũ possit dimanare. Neq́ enim manus aut pes amputatus, particeps esse possit uirtutis à summo capite proficiscentis. Verum dum omne corpus sibi conglutinatum est, fit ut in singulis membris, pro suo cuiusq́ captu atq́ ordine, Christi spiritus uim suam exerit, dumq́ membra omnia mutua charitate sibi uicissim student esse usui, totum corpus augescit, ualidumq́ ac uegetum redditur, haudquaquam cessurum uentis opinionũ falsarum, huc atq́ illuc solicitantibus, ut à uero deflectat. His igitur & nos mẽbra pro uiribus studeamus, ne quis quærat quod suum est, singuli autem, ut multi Christo iungantur, & in omni pietate proficiant, ut constet inter nos summa animorum coniunctio, ardensq́ studium bene merendi mutuum, & mutuum instaurandi.

12 Hoc igitur dico, & testificor in domino, ut iam non ambuletis sicut et gentes ambulant in uanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum.

Horum omnium quæ tot inuolucris significare uolui, summa hæc est, Non solum moneo, uerumetiam obsecro & obtestor uos per dominũ Iesum, cuius uestrã salutem, ut posteaq́ estis illi semel insiti, congruatis cum illo, non solum synceritate fidei & dogmatũ ueritate, uerumetiam integritate uitæ. Cum de numero gentium essetis, illorum gregi respondebatis, nunc alios factos, & in Christum renatos, alij decent mores. Gentes quoniam euangelij ueritatem non perceperunt, ducũtur uanis opinionibus, muta simulachra colentes pro deo, & huius mundi commodis temporarijs felicitatem metientes, atq́ ideo mortua colunt, ac perituris rebus inhiant, quod ignorent ueram atq́ æternam uitam, quæ deus est. Atq́ is quoniam cerni non potest, nisi purgatis oculis animi, idcirco ab illis non cernitur,

cernitur, qui cor habent malarum cupiditatum tenebris, ac diffidentiæ nebulis obscuratum, imò potius excæcatum. Vbi enim mens nihil dei percipit, affectus nihil tale cupit, manetq; expers pietatis tota uita.

Alienati à uita dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem 13
cordis ipsorum, qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam.

Impij suis relicti uitijs, tandem eò malorum uenerunt, ut ceu desperantes reditum ad meliorem frugẽ, & ad sensum infelicitatis suæ uelut obsurdefacti, præcipites abierint in omne probri genus, insatiabili libidine patrandi quicquid est impudicitiæ, etiã usq; ad eas species, quas turpe sit uel nominasse. Est autem ignorantia dei fons omnis mali, sicut scientia dei omnis boni: unde cum hæc obtinet, indolentia consequit, ut nihil peccatorũ animũ pungat, deest enim recti cõscientia, deest spiritus, carni malesuadæ repugnans. Nihil igitur tam fœdum, cui se mi seri non dedant, omnis eorum uita lasciuiæ addicta est, & omni immunditiæ.

Vos autem non ita didicistis Christum, si tamen illum audistis, & in 14
ipso edocti estis, sicut est ueritas in Iesu, deponere uos secundum pristinam conuersationem ueterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris.

Multum ab ijs dissidet euangelica doctrina, à qua didicistis non humanas & stultas opiniones, sed ipsum Christũ, omnis innocentiæ fontem atq; exemplum: si tamen uere illum audistis intus loquentem, & uere per illius spiritum estis edocti, ut ipsi pro uiribus sedulo imitemini, quæ uere fuerunt in Iesu, uidelicet, ut quemadmodũ ille nulli uitio fuit obnoxius, iamq; uictor mortis fruit immortalitatis gloria: ita & uos in illũ renati, exuatis ueterem hominem, primam illam originem, malis & mortiferis cupiditatibus referentem, naturã istam nostram quanta est, quæ erroneis concupiscentijs perpetuò fertur, semper sibi noxia expetens, & quibus ad suũ ipsius corruptionem festinet.

Renouamini autem spiritu mentis uestræ, & induite nouum homi- 15
nem, qui secundum deum creatus est, in iustitia & sanctitate ueritatis.

Qui praua & fœda tantum sectabamur, nunc donati dei spiritu, & nouo ac sancto mentis iudicio, sancta duntaxat & deo grata studeamus, nouumq; hominem secundum deum conditum, qui iustitia & solida sanctitate syncera q; proximi dilectione, & omnimoda uitæ puritate polleat, induamus. Etenim Christum didicisse & esse doctũ ueritatem Iesu, aliud non est q; concepisse studium uitæ ordinatæ ad dei uolũtatem, cui aduersantur omnes naturæ affectus. Id quod in sanctis omnibus operatur spiritus dei, qui metamorphosim quandam agit in eis: ut abolita iniustitia, succedat innocentia: & ablata immunditia cupiditatum humanarum, succederet sanctitas euangelicæ ueritatis.

Propter quod deponentes mendacium, loquimini ueritatem, unus- 16
quisq; cum proximo suo, quoniam sumus inuicem membra.

Hanc euangelicam sanctimoniam ubiq; sectantes, nolite uobis inuicem mendaciorum fucis imponere, sed & apud se quisq; quod est uerum sentiat, & uerum agat cum proximo, memor omnes nos eiusdem corporis esse membra, ut nemo iam alteri nocere possit, nisi simul & sibijpsi noceat. Vt igitur nos inuicem iuuemus studere conuenit, non ut fallamus: sic etiam ex animo in omnibus dei glo-

riam & proximorum salutem quærere nos addecet, ut nulla sit mentiendi causa uel necessitas.

17 Irascimini & nolite peccare. Sol nõ occidat super iracundiã uestram. Nolite locum dare diabolo.

Perfectum est ira non tangi, sed si ob imbecillitatem humanæ naturæ nonnul lus naturæ impetus perstringat animum, memores quid admoneat sacer ille Psal mographus, Sic iram erumpere gestientem cohibete, ut non exeat in conuitium aut iniuriam, aut odium. Sit autem non solum innoxia, uerumetiam breuis ista ira, quæ citius animos uestros relinquat, q̃ sol terram nostram, ne cum ille ferue re desierit noctis aduentu, uos nihilo secius interim æstuetis iracundia. Sola con cordia uos tutos reddat aduersus insultum diaboli, ea si scindetur odijs & offen sis mutuis, aperietur hosti rima, per quam erumpat in uestrum exitium. Aduer sus unanimes imbecillis est, aduersus dissidentes potens. Huic locum dabitis, si locus dabitur odio, & fratrum perturbationi. Non est suijpsius compos homo ira tus. Ira uiri boni nihil operatur.

18 Qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret, operando ma nibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatẽ patienti.

Qui iuxta pristinum uitæ suæ institutum hactenus furto cõpilabat alios, iam non solum temperet ab alienis, uerumetiam ultro de suis impertiat. Quod si de sit facultas, ne graueẽ honestis laboribus manuum parare unde subueniat egen ti. Furti autem nomine omnem iniquum quæstum intelligit, ad quem omnium mortalium natura propendet, ut quæ satis habere nequeat quantumuis habeat. Hinc docemur, q̃ dedeceant artes illæ, quæ nihil commodi adferũt proximis, sed tantum exercentibus lucrum.

19 Omnis sermo malus ex ore uestro non procedat, sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.

Non satis est manus habere continentes, nisi & lingua sit innoxia. Varijs mo dis solet esse pestilens mala lingua, turpiloquio inficit, obtrectatione infamat, de latione iugulat, mẽdacio fallit, ac peierat. Nullus itaq; sermo malus proficiscatur ex ore uestro. Mentis imago est oratio. Si mente pura estis, non cõuenit exire ser monem impurum. Neq; satis est ut innoxius sit hominis Christiani sermo, imò ta lis esse debet, ut in tempore & ad usum depromptus, fructũ adferat audientibus. Quod si secus fecerit, non solum offendetis homines inutili, intempestiuo aut no xio sermone, uerumetiam spiritum dei.

20 Et nolite contristare spiritum sanctum dei, in quo signati estis in die redemptionis.

Ea tantum loqui discamus, quæ bonos instaurent mores audientiũ, alioqui contristabimus spiritum sanctum dei, tum in nobis tum audientibus habitãtem. Studet enim ille unicę gloriæ dei, & proximorum ædificationi, quare non potest non deijci, ubi non inutilibus modo, sed & noxijs fabulis & tempus teritur, & ae nimi audientium prophanantur. Certe sentiunt molestiam sancti, quoties ab hu iusmodi fabulis ad sese redeunt. Obsignati enim sumus hoc spiritu, ut redemptio nem olim consequamur, ab omni peccato liberati. Huc ergo & in hac uita idem nos spiritus agit, quare molestum ei esse oportet, quicquid cum peccato conjun ctum est. Decet hoc signaculum illibatũ exhiberi in illo die, cum accipietur præ mium innocentiæ, à secretis de grege malorum.

Omnis

Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tol 21
latur à uobis, cum omni malitia.

Adhæret hoc uitij multis, ut cum non propensi sint ad beneficentiã, nec iram apud se consenescere sustineant, sunt tamen adeo impotẽtis animi, ut si quid accidat quod non probent, continuo exacerbentur, amariq; fiant, commoueãtur, ira conciti, tumultuentur, uociferentur, maledicãt, insaniant. Quæ animi intemperies, etsi breui in sanctis resideat, plurimum tamen dedecet eos. Spiritus enim sanctus fugatur & offenditur omni turpitudine, nec patitur cum ira, cum uindicta, cum turpiloquio consortium uel commercium: placidus, benignus ac benefi cus est: quem si uere, ait, hausistis, procul facessat à moribus uestris omnis amarulentia, tumor ac ferocitas, &c. ut nec in animo resideat ullum malitiæ fermentum, unde solent hæc pullulare mala.

Estote autem inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem, sicut 22
& deus in Christo donauit uobis.

Quin potius sitis inter uos comes ac faciles, & ad miserendum propensi, condonantes & ignoscentes uobis mutuo, si quid admissum erit per errorem & humanam imbecillitatem. Ignoscentes, inquam, ob Christum, quando deus uobis per Christum cõdonauit semel omnia uestra commissa: atq; hac lege condonauit dominus seruis suis, ut ipsius exemplo cõseruis uicissim ignosceremus. Nec em alia ratione constare potest inter mortales cõcordia, nisi sese uicissim in humanis erratis ferant: nisi in proximos sint affectu propenso, aliorum malis non aliter q; propriis afficiantur, bonis aliorum æque ut suis gaudeant, inde uenit ut nihil per inde studeant, atq; proximis gratificari in bonis, & ferre defectus.

CAPVT V.

Estote ergo imitatores dei, sicut filij charissimi: & ambulate in di 1
lectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam deo, in odorem suauitatis.

Quandoquidem per spiritum sanctum estis filij dei, facite ut parentem sancti monia uitæ referatis, quo digni sitis, quos ille perpetuò diligat. Sic autem obtinebit ille perpetuam erga uos charitatem, si uos mutuam inter uos charitatem obtinueritis. Quanta fuerit patris erga uos charitas, filius illius declarauit, qui sic impense dilexit nos, ut non solum gratis condonarit omnia peccata, uerumetiam se ipsum exposuerit supplicio crucis, ut hoc sacrificio uictimaq; fragrãtiq; ueræ suauis apud deum patrem placatus ille, ex offenso nobis redderetur propitius. Hãc charitatem, si ut decet æmulabimur, non solum faciles erimus, si quid erit in nos admissum, uerumetiam pro salute proximi, si res ita ferat, non dubitabimus capitis adire discrimen.

Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut auaritia nec nominetur 2
in uobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio.

Quid autẽ attinet uos à fœdioribus illis & crassioribus uitijs deterrere, quod genus sunt scortatio, & si quod est aliud turpitudinis genus. Item pecuniæ studium insatiabile, à quibus portentis in tantum abesse oportet mores Christianos, ut indecorum sit hæc inter illos uel nominari. Sunt enim res quædam adeo execrabiles, ut purus & castus animus etiam à commemoratione abhorreat. Decet autem sanctos, ut non solum uita pura sit ab omni turpitudine, uerum sint & ore

casto puroq; .Neq; satis esse putemus, si uita & oratio absit à turpitudine, nisi se-
mo noster abhorreat & à stultis ac friuolis fabulis, & ab inanibus iocis ac salibus,
quę ut in alijs uel ferantur, uel etiam laudentur, certe Christianis non cõgruunt,
quibus ad cœlum properantibus, assidue bellum est cum uitijs, & bellum tam pe-
riculosum, ut otium non sit similibus nugis risuiq; indulgere. Flendũ potius, aut
si exhilarãdus est animus ob bonæ rei successum, hymnis quibus deo gratias agi-
mus est exhilarandus. Videmus amatores mundi undiq; occasionem quærere lo-
quendi de suis amoribus, quare si deus recte nobis cognitus esset & amatus, de
eius benignitate & operibus loqui satis nunquam possemus, neq; ulli sermones
plus oblectarent.

3 Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator aut immũdus,
aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno
Christi & dei.

Non ignoro philosophos esse, qui doceant Veneris usum extra matrimoniũ
non esse flagitium, quod humanis legibus non puniatur, Pecuniæ studium non
esse scelus, quod huic malo nulla sit pœna. Verũ uos illud scire uolo, quod quis-
quis scortator sit, aut alio genere libidinis inquinatus, aut auaritiæ deditus, qui
quoniam in re muta factitiaq; præcipuum suæ felicitatis præsidium collocat, non
multum abest à cultu simulachrorum, non admittetur ad hæreditatem immor-
talis uitæ, quam suis promisit deus cum Christo communem. Hæc pœna si uo-
bis uidetur leuis, credite ijs qui uobis persuadere conãtur, hæc esse leuia peccata,

4 Nemo uos seducat inanibus uerbis, propter hæc enim uenit ira dei in
filios diffidentiæ, nolite ergo effici participes eorum.

Non sinite uobis imponi uanis ac friuolis huiusmodi sermonibus, magis au-
scultate doctrinæ euãgelicæ. Siquidem propter huiusmodi uitia, etiamsi legibus
humanis non puniũtur, tamen ultio diuina sæuire solet in filios inobediẽtes, qui
diffisi promissis paternis, in huiusmodi rebus felicitatis præsidia ponũt. Semel ab
isto hominum commercio uos semouistis, professi Christum. Cauendum igitur,
ne uestra uita congruat cum illorum uitijs, quorum professio dissidet ab illorum
instituto.

5 Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. Vt filij
lucis ambulate, (Fructus enim lucis est in omni bonitate & iustitia, & ue-
ritate) probantes quod sit beneplacitum deo.

Hactenus erratũ est ignorantiæ tenebris, eas omnes discussit exorta lux euan-
gelij, & uos olim in nocte uersabamini, ac nocturna dedecora patrabatis, nunc
deus per euangelicam lucem illustrauit mentem uestram, ut qui prius suauia ui-
debantur, nunc cernatis q; sint execranda. Nox pudorem non habet, tegitq; mul-
ta, quæ nullus audéret clara luce facere. Sic igitur uitam omnem componite, ut
meminerítis uos in luce uiuere, semper conspicuos oculis dei. Frequenter impin-
git qui noctu facit iter, non enim cernit quid uitare debeat. Lux hunc habet fru-
ctum, quod indicat quid sequendum sit, quid fugiendum: docet enim ubiq; ui-
tandam esse malitiam, maledicentiam ac simulationem, proq; his sectandam bo-
nitatem, iustitiam ac ueritatem. Et in genere semper illud spectandum, non quod
arrideat hominibus, non quid suaue sit, aut nobis expediat, sed quid acceptum sit
uoluntati diuinæ, ad cuius nutum omnis nostra moderanda est uita, quidq; deo
in qualibet re probetur. Nihil enim bonum, iustum aut uerum, nisi quod deus uo-
lec

et nos agere. Deus solus bonus, iustus & uerax.

Et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis au 6
tem redarguite: quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est dicere. Om-
nia autem quæ arguuntur, à lumine manifestantur. Omne enim quod
manifestatur, lumen est.

Dominus est fons lucis nostræ, cui semper adhærentes, uacabitis frugiferis et
honestis pietatis officijs, ac luce dignis, pudebitq; posthac habere commercium
cum infrugiferis operibus tenebrarum. Tantum autem absit ut in pristinas tene-
bras reuoluamini, ut uestra potius luce prodatis, & arguatis ea dedecora quæ illi
in suis tenebris perpetrant: nam quando deum non uerentur, quoties nox aut se
cretum ademit pudorem? quæ tum patrant eiusmodi sunt, ut fœdū sit etiam com
memorare. Sed quandiu nulla luce prodēte peccant, licenter & impune peccāt,
at quoties admota luce produntur, tum incipit agnosci fœditas rei. Prodita uero
uertūtur in melius, ac corriguntur, nocte uidelicet uersa in diem, & animi cæci-
tate depulsa. Quod si uestra lux uita fuerit, pudebit illos suæ turpitudinis, uestra
innocētia cōspecta: atq; ita fiet ut uestris castis & sanctis moribus excitati, exper-
gefiant ad innocentiam, si uiderint in uobis emicare lumen Christi. Quę enim ar
guuntur, ceu à lumine manifestantur, ut lumen sint, id est aliquid habeāt luminis
& cognitionis: sic peccata arguta & prodita pudorem incutiunt, si modo sanabi
lis mens est & ad resipiscentiam prouocant. Adducit oraculum, incertum unde
desumptum sit.

Propter quod dicit, Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illumi- 7
nabit te Christus.

Letalis est somnus, imò mors est, obrutum esse uoluptatibus huius mūdi, nec
attollere oculos ad æterna ueraq; gaudia & bona: nec aliter possunt expergisci,
nec aliter reuiuiscere, nisi Christus mentibus illorum exortus, dispulerit crassissi
mas tenebras ignorantiæ. Peccatorum enim rite admonitus, sibij ipsi incipit displi
cere & quærere, quemadmodum illi Hierosolymis, quorum Petrus oratione pec
cata uiua fecerat, quid facere debeat, ut illis liberetur. Discamus malos monēdos
esse, non abijciendos, quia opera eorum arguere iubemur, non ipsos execrari.

Videte itaq; fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipien- 8
tes, sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.

Vos autem Ephesij, quibus prælucet Christus sol noster, etiam atq; etiam cir-
cumspicite, quibus modis ambuletis, non iam uiuentes gentium more, quæ ob
mentis cæcitatem non sapiunt quid sit honestū, sed uti decet eos qui uere sapiunt
euangelicam doctrinam, omnium rerum dispendio redimentes istam opportuni
tatem parandæ salutis, quæ hoc auidius est rapienda, quod graue sit hoc tempus,
& undiq; multa ingruunt, quæ possint incautos parumq; prouidos à synceritate
doctrinæ Christianæ depellere. Vere autem dies mali sunt, & homines nihilo me
liores, pessima autem caro nostra, neq; dormit malorum incentor satanas, rarissi
ma autem & pretiosissima est bene uiuendi opportunitas, perpauci qui eam redi
mant, & in tempore antequam præteruolet arripiant. Vigilandum ergo & medi
tandum nobis est uerbum dei, &c.

Propterea nolite fieri imprudētes, sed intelligētes quæ sit uolūtas dei. 9

Vobis igitur magis est obseruandum, ne per imprudentiam occasionem de-
tis impijs, uel ut ipsi sæuiant in euangelium, uel ut uos auocent à professione ue-

ſtra. Hæc eſt ueſtræ ſalutis ſumma, atq; hic prudentes ſitis oportet ad relíqua conniuentes, ac declarantes uos íntellígere quæ ſit uoluntas domini, nam is cupit omnes ad euangelicam ſalutem adduci, ſi fieri poſſit. Noſtra ergo unica ſapientia eſt, & íntelligatur eſſe, ut ſciamus quæ ſit in rebus ſíngulis uoluntas dei, quid ipſi maxime probetur, non quid ſenſui noſtro ſit gratum.

10 Et nolite inebriari uino, in quo eſt luxuria, ſed implemini ſpiritu ſancto, loquentes uobiſmetipſis in Pſalmis, hymnis & canticis ſpiritualibus, cantantes & pſallentes in cordibus ueſtris domino.

Cupientes domini uoluntatem intelligere & implere, ſobrietatem ſeruent neceſſe eſt: nam ſocors & incircumſpecta eſt temulētia: neq; ſocors tantum, uerum etiam præceps & temeraria. Nolite itaq; inebriari mero, quæ res ad luxum pertinet, non ad neceſſitatem, ſed impleamini muſto ſpíritus ſancti. Hæc enim eſt felix ebrietas, quæ uos extímulet, non ad laſciuas choreas, aut ineptas cantiunculas, quibus gentes dæmones ſuos inclamant, ſed ad Pſalmos, ad hymnos, ad cantica ſpiritualía, quibus inter uos exultetis, cantetis & pſallatis domino: non indecoris clamoribus, qui mos eſt temulentorum, ſed intus in animis & cordibus ueſtris. Hæc eſt uoluptas, hæc hilaritas, hęc comeſſatio digna Chriſtianis, ne gentibus in uideant ſua temulenta conuiuia. Illorum temulenta gaudia mœror excípit, nonnunquam & corporis morbus. Multū autem prodeſt de diuínis rebus ſæpe mulcum & digne loqui. Qui canere uolunt, ſacra canant, & religioſe: non ad iactantiam uocis, & ad gaudium ſęculare, ſed & in cordibus ueſtris, ait, magis q̄ lingua & uocibus. Domino quoq;, non nobis & ſæculo, multo minus ſatanæ, qui ſua quoq; quærit in talibus. Videmus enim quid inde in eccleſía obortum fuerit, q̄ abominabilis deo & mercenarius cultus, obmiſſio quoq; ſpíritualium actionum, quæ deus exigit, & noſtra neceſſitas. Non ergo nimium magnifacienda eſt eccleſiaſtica cantio, ſicut nec per omnia improbanda, ſed religioſe ſeruanda.

11 Gratias agentes ſemper pro omnibus, in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti deo & patri.

Veſtra iugis debet eſſe uoluptas & ſacroſancta. Quicquid uobis acciderit ſeu lætū, ſeu triſte: lætū à propitio deo, triſte à conſulēte ueſtræ ſaluti, ſemper oportet pro omnibus gratias agere, certos nihil accidere quod uobis nō cedat in cumulū felicitatis æternæ. Agendæ ſunt autem gratiæ deo, qui cunctis eſt author bonorum omniū, ſed idem domino noſtro Ieſu Chriſto, & pater eſt & deus, per quem nobis largitur omnia, qui cum ſibi laudem omnium uult eſſe communem.

12 Subiecti inuicem in timore Chriſti. Mulieres uiris ſuis ſubditæ ſint, ſicut domino, quoniam uir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt eccleſiæ, ipſe ſaluator corporis eius. Sed ſicut eccleſia ſubiecta eſt Chriſto, ita & mulieres uiris ſuis in omnibus.

Incipit monere de officijs quibuſdam peculiaribus, præmittēs uno uerbo unde omniū ratio pendet. Chriſtus ſeſe patri ſubiecit, nos item illi ſubditos eſſe conuenit: non quod cōueniat Chriſtiano Chriſtianum eſſe terrori, ſed qui Chriſtum ex æquo reuerentur, non grauantur ſibi uiciſſim cedere, cum ille ſummum omnium bonorum omnibus ſeſe ſubmiſerit. Agnoſcat inferior authoritatem ſuperioris: at uiciſſim ſuperior inferioris modulo ſemet accōmodet, quo magis queat prodeſſe. Nam qui inter Chriſtianos præcellit honore, non in aliud præcellit, niſi ut uberius proſit. Vxores igitur agnoſcant maritorum ſuorum authoritatem, eisq;

eisq; subditæ sint, non aliter q̃ ecclesia subdita est domino: nam quemadmodum Christus est caput ecclesiæ, ita maritus est caput suæ quisq; uxoris. Sed quemadmodũ caput sic dominatur corpori, ut ab hoc pendeat corporis salus: ita maritus sic prælatus est uxori, non ut in illam exerceat tyrãnidem, sed ut illius saluti consulat, nimirum prudentior & firmior. Nec ideo debet uxor aduersus maritum insurgere, quod ille præbeat se magis amandum ei quàm formidandum, imò hoc magis oportet esse subiectam in omnibus, quemadmodum ecclesia hoc magis se subiecit Christo, quo magis ille semet deiecit pro salute sponsæ suæ. Officia autẽ probæ uxoris, præter hanc obediẽtiam marito debitam, educabit sedulo liberos, administrabit prudẽter domum, benigna in omnes erit & intrepida, bene de deo fidens in omnibus, atq; alacris aget, eas spiritus bonus in eis nihil non docebit q̃d pium & honestum fuerit, & in omnibus feliciter diriget.

Viri diligite uxores uestras, sicut & Christus dilexit ecclesiam, & seip̃sum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ, in uerbo uitæ. 13

Vicissim mariti, ne uestra authoritate tyrãnice abutamini in uxores uestras, sed eas magis ea charitate prosequamini, qua Christus prosequutus est, & prosequitur suam ecclesiam, quam adulteram & rebellem adeo non repudiauit, ut seip̃sum pro illius salute redimenda in mortem tradiderit, ex inquinata puram reddens ac sanctam, ex fœda atq; immunda speciosam ac puram, non exprobrans illi suam turpitudinem, sed abluens eam unda sui sanguinis, ac purgans uitali lauacro, inuocatione diuini nominis efficaci. Quando enim uerbo dei fidem habẽt electi, & baptismo Christo consecrãtur, purgationem percipiunt, quia inde peccatum mortificare, & dei studium accẽdere incipit, inhabitans in ipsis Christi spiritus. Constat autem baptismus Christi spiritu, & secundum deum formata mente, quæ quotidie carnem cum uitijs crucifigit, & ad uoluntatem dei omnia instituit, per illam sanctificatio perficitur, nõ per aquam. Spiritus est qui operatur in nobis regenerationem & renouationem, quam lauacrum significat. Certe ex lauacro nemo regenitus est, nemo nouã & dei studiosam mentem nancisc̃itur. Externum est symbolum, quo in externam ecclesiam recipimur regenerandorum. Donum dei est fides, & spiritus largitur hæc quum ipsi uisum fuerit, non necessario ad nostra uerba.

Vt exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam 14
aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.

Beneficio sui spiritus in baptismo parauit sibi Christus sponsam gloriosam, nimirum ecclesiam, quę nam nec maculã haberet neq; rugam, aut aliud quicquam huiusmodi, quod oculos sponsi posset offendere, sed undiq; pura foret atq; inculpata, omni genere uirtutum exornata. Etenim purgatio nostri per omnem hanc uitam durat, quandiu pugna spiritus contra carnem, & carnis cum uitijs & concupiscentijs crucifixio durat.

Ita & uiri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxo- 15
rem diligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam: sicut & Christus ecclesiam.

Simili affectu decet maritos esse erga uxores suas, ut nihil non faciãt, quo reddant illas Christo dignas, non aliter soliciti pro illarum salute, q̃ caput solicitũ est pro salute corporis. Siquidẽ uxor uiri corpus est. Morosa est uxor, impudica est,

aut alijs uitijs obnoxia, ne perdas illam sæuitia, sed lenitate corrige ac medere. Sic medere uitijs, ut uxorem interim ames. Quid enim faceret caput, si cõspiciat corpus suum habere morbi uitijq; nonnihil? Vtrum odisse inciperet & auersari, an potius mederi si posset: ferre fouereq;, si mederi non posset? Nónne uideatur absurdum, si caput male uelit corpori suo? Quisquis uxorem suam amat, amat seipsum, nimirum partem sui. Quis unquã sic obsurduit ad naturæ sensum, ut corpus proprium habuerit exosum? Quis non magis quale quale corpus nactus est, nutrit ac fouet illud, quo melius reddat ac uegetius? Quod naturæ uis impetrat ab ethnicis, cur nõ multo magis hoc in nobis efficit Christiana charitas, quæ nos huc uocat exemplo Christi? Qui non est auersatus sponsam suam ecclesiam, licet antea fœdã, ac multis modis prostitutam, sed purgauit, sed expiauit, sed constabi liuit. Hoc igitur præstate mariti uxoribus uestris, quod in nos præstitit Christus, qui sumus membra corporis eius, quod est ecclesia, quemadmodum uxor est corpus uiri, ex cuius carne & ossibus condita est, ut palam esset non oportere diuelli quod idem esset & unum.

16 Quia membra sumus corporis eius de carne eius, & de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.

Coniugium typus est coniunctionis inter Christum & ecclesiam: & affectus uiri erga uxorem, dilectionem Christi erga ecclesiã figurat. Deinde & uerba de augustiore coniunctione & amore loquuntur, q̃ inter uirũ & uxorem apparcat, inter quos enim coniuges tanta animorum coniunctio, ut sint in carnem unam, unumq; prorsus hominem uiuant? Et tamen legimus in Genesi, Citius relinquet homo patrem ac matrem, q̃ deserat uxorem suam: cui sic adhærebit, ut è duobus fiat unum, corporum atq; animorum summa coniunctione. Secundum deum nulli plus debemus q̃ parentibus, & tamen his præfertur uxor.

17 Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in ecclesia. Veruntamen & uos singuli unusquisq; uxorem suam sicut seipsum diligat, uxor autem timeat uirum suum.

Subest hic ineffabile quoddam & ingens arcanum, quomodo quod in Adam & in Eua sub typo gestum est, in Christo & in ecclesia mystice peragatur. Huius indiuiduam copulam quisquis scrutabitur, intelliget magnũ subesse mysterium. Nam quemadmodum ipse cum patre unum erat, ita & suos omnes unum uoluit esse secum. Quod arcanum licet retrusius sit q̃ ut in præsentia sit explicandum, tamen in hoc sat est attulisse exemplum, ut suam quisq; uxorem non secus diligat atq; seipsum diligit, memineritq; secum illam unũ & idem esse, quemadmodum Christus adamauit ecclesiam suam, quam sibi intime adiunxit. Porrò uxoris partes erunt, non solum redamare maritum ut uitę socium, uerumetiam reuereri, ut authoritate præminentem. Optime cohærebit concordia, si utrinq; constabunt officia. Paulus autẽ quauis occasione arripit mysteria incarnationis Christi, quia in eo tota spes nostra sita est. Factus est maritus ecclesiæ Christus, in qua membra sumus, & caro sua, quã deserere non potest, sed tandem secũ sanctificatos beabit.

CAPVT VI.

1 Filij obedite parentibus uestris in domino, hoc enim iustum est. Honora patrem tuum & matrem tuam: quod est mandatũ primũ in promissione, ut bene sit tibi, & sis longæuus super terrã.

Vt

Vt minus sapiũt ætate minores, ita nihil salubrius præcipi potest, q̃ ut prudentioribus dicto audiant. Hinc in patria potestate esse liberos, non diuina tantum, sed & naturæ lex dictat: quibus sic obediant, ut ex animo & in omnibus uoluntati parentum sese adtemperent. Authoritatem autem parentũ temperet charitas, ne qua exeat in tyrannidem: ac rursus infirmitatem cohibeat reuerentia, ne surgat in rebellionem. Nec enim consensus ac tranquillitas esse potest, ubi confusus fuerit ordo. In uxorem solus maritus habet imperium, liberi debent utriusq; parentis authoritatem agnoscere. Ad hanc igitur regulam, filij morigeri dictoq; audientes sitis parentibus uestris, honesta præcipientibus, Christiq; professione digna. Nam id simul & ipsa naturæ æquitas exigit, ut honorem deferamus ijs, quibus ortum uitæ debemus: & gratissimus erga eos, quorum beneficio sumus alti educatiq;. Et lex quoq; dictat, Honorem, inquit, habeto patri tuo, & matri tuæ. Neq; sat habuit præcepisse quemadmodũ in cæteris facit, Non occides, Non furaberis, adiecit & præmium, quo magis inuitaret ad officium. Alioqui quæ sunt honesta & gratis præstanda sunt. Quod autem præmium pollicetur? Vt bene sit tibi, ut sis longæuus in terra. Siquidem indignus uidetur diu frui uita, qui ingratus ac rebellis est aduersus eos, per quos uitæ munus accepit.

Et uos patres, nolite ad iracundiam prouocare filios uestros, sed educate illos in disciplina & correptione domini. 2

Contrà quoq; uos patres, ne abutamini potestate ac liberorum obediẽtia, existimantes uobis quiduis in illos licere. Filij sunt, non mancipia. Imperium leniat pietas. Cauendum est ne senili morositate, aut sæuis imperijs, aut immoderata austeritate non sanetis, sed exacerbetis illorum animos. Si quid peccãt per ætatem, sic admonendi sunt, ut doceantur potius q̃ percellantur. Prima curarum esto, sic eos monitis & institutione formare à teneris annis, sic illos inuitare pietatis exemplis, ut appareat à Christianis parentibus, iuxta Christi doctrinam educatos esse. Sic enim citius perducentur ad bonam frugem, q̃ minis aut sæuitia, si doceantur, non tantum cogãtur. Caput autem omnis doctrinæ huius est, ut doceatur iuuentus deum ex animo reuereri, ubiq; præsentem credere, deinde agnoscere, suos omnes affectus ad iniquitatem ferri, neq; boni aliquid rationem nostrã posse præscribere, ut legi dei diligenter intendant, ut libenter ferãt se moneri ab omnibus, maxime uero à natu grandioribus, & à doctrina atq; pietate præstantioribus.

Serui obedite dominis carnalibus cum timore & tremore, in simplicitate cordis uestri sicut Christo, non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed ut serui Christi, facientes uoluntatem dei ex animo, cum bona uoluntate seruientes, sicut domino, & non hominibus. Scientes quoniam unusquisq; quod cum fecerit bonũ, hoc recipiet à domino, siue seruus siue liber. 3

Declarate uos, ô serui, ex euãgelica professione redditos esse meliores & commodiores. Et officiũ quod alij præstant heris suis, quibus iuxta temporariam seruitutis conditionem obnoxij sunt, uos multo præstate cumulatius. Nec enim hoc uobis adferre debet baptismus, ut seruire desinatis, sed ut officiosius seruiatis: nec ut dominos fastidire uelitis, utpote professione iam fratres factos, sed hoc magis illos reuereamini, metuatisq; offendere, neq;, quod seruorũ uulgus facit, metu præstetis officium, in animo male precantes, & insidiãtes illis, sed simplici synceroq; corde sitis illis obsequentes, illud uobiscum reputãtes, hoc officij uos præ-

ſtare Chriſto, cuius uoluntati paretis, ſi fortè illi non merẽtur obſequium. Ita fiet, ut diſſimiles ſitis uulgo ſeruorum, qui præſentibus dominis obſecundant malo metu, rurſus ubi ſperãt fore clam, ad ingenium redeunt. Hoc nimirum eſt ad oculum ſeruire, non ex animo: hoc eſt hominibus placere uelle, non Chriſto, cui nihil gratum eſt, quod fucatum aut coactum eſt. Vos uero ut dignũ eſt ſeruis Chriſti, in officijs erga dominos ex animo bonaq́ fide morigeri ſitis & officioſi: non quia cogit neceſſitas, ſed quia ſic placitum eſt uolũtati diuinæ: nec uos alienet ab officio, ſi moroſos aut impios habetis dominos. Expedit euangelij negotio, ut his quoq́ ſitis morigeri, modo ne ad impietatem uergat obſequium. Exiſtimate uos Chriſto præſtare, quod illis præſtatis euangelij gratia: deoq́ impendi, non hominibus, quod ob amorem dei impẽditis hominibus. Quod ſi illos ueſtris obſequijs lucrifeceritis Chriſto, recte collocatum fuerit officium. Sin illi ſe ingratos præbuerint, tamen intelligite, nemini recte factorum ſuorum perire præmium: id ſi non recipient ab hominibus, certe à domino recipiet olim, nõ ſolum ſeruus, ſed etiam liber, ſi quid officij bono animo collocarit penes hominem ingratum.

4 Et uos domini, eadem facite illis, remittentes minas, ſcientes quod & illorũ & ueſter dñs eſt in cœlis, & perſonarũ acceptio non eſt apud eum.

Quemadmodum decet ut ſerui Chriſtum profeſſi, commodiores ſe præbeant heris ſuis: ſic æquum eſt, ut domini Chriſtiani mitius imperent ſuis mancipijs, tamq́ ſe præbeant, ut amentur magis q̃ formidentur, ut ſeruis ſuis iam in fratrum conſortium receptis, ex animo bene uelint, non præcipites ad minas ac uerbera, quemadmodum uulgus dominorum ſolet. Sentiant uos mitiores eſſe factos per euangelium, quo magis inuitentur & illi ad cõmunem profeſſionem, ſi forte non dum profeſſi ſunt, memores ius herile temporarium quiddam eſſe ac iuris humani, quod tamen interim per nos turbari non oportet, ſed tamen apud deum non eſt perſonarũ reſpectus, apud quem nullus ideo minoris fit quod ſeruitutem ſeruiat: nec ideo pluris, quod ingenuus ſit natus. Iuxta leges hominum domini ius habetis in ſeruos in terris, ſed nihilo ſecius interim habetis cõmunem dominum in cœlis, cuius uoluntas eſt, ut ſeruorum ſaluti conſulatis per moderatum imperium, non ut eos prematis tyrannide.

5 De cætero fratres, confortamini in domino, & in potentia uirtutis eius. Induite uos armaturam dei, ut poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli, quoniam nõ eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores, tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus.

Quæ hactenus monuimus eò pertinent, ut & uitæ ſanctimonia reſpondeatis capiti ueſtro Chriſto, & mutua concordia conſentiatis inter uos. Nunc ſupereſt, ut quoniam impij uarijs machinis impetunt tranquillitatem ueſtram, aduerſus hos quoq́ forti infractoq́ animo uoſmet muniatis. Haudquaquam freti ueſtris præſidijs, ſed propugnatore domino Ieſu, qui non deſtituet corpus ſuum. Membra quidẽ imbecilla, ſed ille potens ac robuſtus, qui nos tuendos ſuſcepit. Ab hoc igitur petite quicquid ſpiritualium eſt armorum, ut undiq́ muniti, poſſitis ſubſiſtere aduerſus aſſultus diaboli. Neq́ enim uobis bellum eſt cum hominibus, quorum iniurias oportet tolerantia uincere, uerum eſt nobis conflictatio cum impijs ſpiritibus, inimicis & hoſtibus Chriſti, quorum hi qui nos impetũt, ſatellites ſunt & organa. Per hos è ſublimi nos oppugnant principes ac poteſtates dæmoniacæ in

in mundi huius uitijs addictos sibi tyrannidem occupãtes, & in hisce tenebris insidiantes ijs qui lucem amant euangelicam. Aduersus hos, inquam, nobis colluctandum est, non solum uiribus potentes, uerumetiam spirituali uersutia instructos, atq; id etiam in cœlesti regione, quo & facilius nos impetant, & difficilius à nobis queant prehendi. Aduersus hoc genus hostium nihil prosunt arma humana, solis armis dei tutis esse licebit.

Propterea accipite armaturam dei, ut possitis resistere in die malo, & 6
in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos uestros in uerita-
te, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparationem euange-
lij pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela ne-
quissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite, & gladiũ spiritus,
quod est uerbum dei.

Semper ergo facite quod solent strenui milites, quibus cum hoste periculoso res est, quoties ingruit cum aduersarijs conflictatio. Omni armorum genere uos munite, nihil nõ facite, quo cum ingruerit formidabile prælium, possitis tueri locum, fixiq; subsistere in solida petra Christo. Qui cum homine conflicturi sunt, primum undiq; se tegunt, ne qua pateant telis hostium, deinde parãt, quo feriant impetentem. Baltheo laminis contexto tegunt media corporis, utpote molliora. Thorace superiora communiunt, suras etiam ac pedes conuestiunt, caput operiunt galea. Porrò clypeus sinistra circumagitur ad omnem telorum assultum. Vobis igitur spirituali bello cum sceleratis spiritibus assidue conflictantibus, pro baltheo sit ueritas, quæ lumbos animi uestri præcingat, quo semper erecti stetis & immobiles aduersus omnes falsorum doctorum ac dogmatũ illecebras. Pro thorace uobis sit innocentia iustitiaq;, quæ mentis præcordia uirtutũ omnium squamis muniat. Pro ocreis, quibus suræ teguntur & pedes, sit uobis purus affectus, nihil appetens præter cœlestia, nihil formidãs præter turpitudinem, quo semper possitis esse parati ad tuendum euangeliũ, quod non tumultu, sed tolerantia tranquillitateq; defenditur, unde & pacis euangelium dicitur: hoc qui prędicant, horum pedes pretiosos olim demiratus est propheta. Sed undiq; in promptu habendum est scutum fidei, qua nihil omnino diffidamus promissis diuinis. Quicquid ingruerit terriculamentorum, hoc excipietur, quicquid ignitorum iaculorũ uersutus hostis in nos torserit: nec sinet ullum ad animi uitalia penetrare. Quid eñ uulneret animum, mortis etiam contemptorem? Cui si accesserit galea uigilantis animi, nihilq; non prospicientis, nihil est quod saluti uestræ metuatis. Postremo dextram semper obarmet gladius ille spiritualis, qui & prauas ab animis amputet cupiditates, ad intima cordis penetrans, & obsistentes euangelicæ ueritati refellat, falsitatem iugulans, ut uigeat ueritas. Is est sermo dei, constanti fidei uigore penetrabilis, non humanis argutijs perstringens magis q; feriens. Dilutus est eñ humanus sermo, nimirum de rebus fluxis & inanibus disserẽs, sed efficax est sermo dei, non nisi cœlestia sapiens, penetrans usq; ad artus animæ, ossium q; & medullarum intima perlustrans. Hæc armatura dei est, quam solus ipse largitur, nos assumimus eam, dum illam ab ipso oramus, et excití eius spiritu, in fide quotidie & dilectione proficere studemus, unde & consequenter addit Apostolus.

Per omnem orationem & obsecrationem, orantes omni tempore in 7
spiritu, & in ipso uigilantes, in omni instantia & obsecratione pro omnibus sanctis, & pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum fi-

ducia notum facere mysterium euãgelij, pro quo legatione fungor in catena, ita ut in ipso audeam, pro ut oportet me loqui.

Cum his hostibus bellum est Christianis, cum hominibus pax est. His armis sese tuentur ac uincũt, haud quidem suis uiribus, sed Christi imperatoris ope, cuius auspicijs bellum hoc agitur. Ab hoc igitur semper & assiduis uotis flagitandum, hoc nocturnis ac diurnis precibus indefesse postulãdum ex intimo mentis affectu, ut hic gladius spiritualis uincat in sanctis omnibus. Atq; etiam me quoq; uestris precationibus subleuare debetis, illud à deo petentes, ut ipse mihi sermonem suppeditet euangelicum, quoties dicendum erit, meiq; oris organo ad suam utatur gloriam, uestramq; salutem, quo fortiter & intrepide propalem omnibus arcanam euangelij doctrinam, ad quam omnes ex æquo uocantur: nec obstent mihi, qui modis omnibus obnituntur, ne late propagetur euangelij gloria, pro quo legatione fungor etiam catenis oneratus, nihil non perpetiens, quo fortiter obeam munus mihi delegatũ, utq; hic animus mihi perseueret, & Christo fretus, libere loquar, quemadmodum oportet me loqui. Non enim decet euangelij præconem ultro metu deterreri, quo minus peragat euangelij negotium. Magni autem ardoris fuit, non diffidẽtiæ, quod pro se orari hortatur, ut & alij desiderio gloriæ dei propagãdæ succenderẽtur, unde omnium salus pendebat. Sibijpsis enim nihil boni defuturum certo sciebant, quia Christo credebant.

8 Vt autem & uos sciatis quæ circa me sunt, quid agam, omnia uobis nota faciet Tychicus charissimus frater, & fidelis minister in domino, quem misi ad uos in hoc ipsum, ut cognoscatis quæ circa nos sunt, & consoletur corda uestra.

Quod ad rerum mearum statum attinet, utq; mecum agatur, omnia cognoscetis ex Tychico fratre: nec fratre tantum, ob fidei germanitatem, uerumetiam in euangelij negotio ministro & adiutore, quem huius rei gratia misi isthuc, ne nescíretis quo in statu simus, æque eius præsentia consolationis nonnihil caperetis, ne quid ob meas afflictiones animo cõsternemini. Sic enim uinctus sum, ut è carcere tamen triumphet euangelium Christi. Hic autem uidemus quanta solicitudine & fide Apostolus affectus fuerit ad ecclesias, quas ubi potuit uisitauit præsens, discurrendo sedulo, & fratres exhortando. Id ubi non licuit per arduas cautes & carceres, epistolis rem Christi & ecclesiasticam agit. Multum enim momenti habet sanctorum mutua appellatio, & exhortatio in causa fidei & morum. Literas quoq; mittit per personas idoneas & sanctas, ad solatium fidelium.

9 Pax fratribus & charitas, cum fide à deo patre nostro & domino Iesu Christo. Gratia cum omnibus qui diligunt dominum nostrum Iesum Christum in incorruptione. Amen.

Ex fide nascitur charitas, & ab hac alitur concordia. Hunc igitur felicem terminationem, largiatur uobis deus pater, ac dominus Iesus Christus. Fauor ac beneficentia diuina semper adsit omnibus, qui syncero affectu uitaq; incorrupta diligunt dominũ, spretis hisce rebus momentaneis, æterna autem & cœlestia sectantes, citra corruptionem hypocriseos, & uitæ impurioris, quales Christum uere diligunt, & sermones eius seruant, & cum omni sanctimonia sectãtur. Istud autem uotum meum precor, ut ille ratum esse uelit. Amen.

FINIS. COM-

COMMENTARIVM IN EPISTOLAM D. PAVLI APOSTOLI AD PHILIPPENSES.

ARGVMENTVM.

PHILIPPENSES in Macedonia, qui in fide Christi semel accepta perstiterant, ab Apostolo collaudãtur. Quos simul quoq; hortatur, ut perseuerent ac proficiant, ostendens gloriandum etiam in afflictionibus, quæ ad illustrandum Christi euangelium facerent. Se uero uel mortem adeo non horrere, ut optet etiam si Christo uolente contingat. Deinde cum primis hortatur ad mutuam concordiã, quæ inter elatos esse nõ potest, & quo æquiore sint animo, pollicetur Timotheũ, atq; etiã ipsum breui ad illos rediturũ, cum Epaphrodito, qui ex periculosissima ægrotatione cõualuerat. Hæc agit duobus primis capitibus, nam in tertio cõfirmat animos illorum aduersus pseudapostolos, ad Iudaismum ubiq; solicitantes, quos canes appellat. Quartum commẽdationibus & salutationibus occupat, nisi quod monita quædam obiter admiscet, & Philippensibus pro sua in se munificentia gratias agit. Scripsit ex urbe Roma per Epaphroditũ ex carcere.

CAPVT PRIMVM.

PAVLVS & Timotheus serui Iesu Christi, omnibus sanctis in 1
Christo Iesu qui sunt Philippis, cum episcopis & diaconibus.
Gratia uobis & pax à deo patre nostro, et domino Iesu Christo.

Apostolum hic se tacet Paulus, scribens his qui de eo bene sentiebant, ideo dignitatem apostolatus sui supprimit, quibus manifesta erat. Addit autem Timotheum, quia illum missurus erat ad illos, propterea eum cõmendat, ut eadem quę nunc hic scribit, iste superueniens luculentius exponat eisdem. Seruos dei & domini Iesu Christi dicit, propter quem dura sustineant fideles, ut & ipsi Philippenses discant aduersa pro Christo ferre, si ingruãt. Omnibus sanctis. Suo modo sanctos appellat fideles, & Christo deuotos, deum pure timẽtes, & colentes fideliter. Addit autem, Qui in Christo Iesu sanctificati sunt, per fidem iustificati, & renati baptismo spiritus. Qui sunt Philippis: in qua urbe fortassis nondum omnes ciues Christum colendum susceperant, sed magna multitudo, quæ in eadem urbe cum gentibus & Iudæis ecclesiam propriam habebant: nisi ueriśimilius credatur, totam fuisse urbem conuersam ad dominum. Quandoquidem sequitur, Cum episcopis & diaconibus, nempe multis, quando in amplissima urbe pauci non sufficiẽt. Sunt autem episcopi hic plures, ut uidetur in una ciuitate, ministri scilicet uerbi dei, & dispensatores mysteriorũ dei, sicut eos Paulus uocat ad Corinthios. Diaconi autem sunt sanctorum ministri, ad hoc ab ecclesia electi, ut dispẽsent bona ecclesiæ pauperibus, & reliquis ut conuenit, ad quod officium exemplo apostolorum eligantur probatissimi ciues, qui rem curent bona fide, ne episcopi cogantur seruire mensis, & inuolui huiusmodi negotijs sæcularibus. Longe aliter nunc actum uidimus, dum unus episcopus tot urbibus præesse, sed suo modo, contendit, non uni sufficiens. Episcopi autem nomine hic dicuntur congregationum & ecclesiarum uel etiam parrochiarum præfecti in uerbo & spiritualibus: non qui tot famulorum strepitu sepți, principes uideri & esse malunt q̃ episcopi. Quales sunt qui Christiano gregi in spiritualibus præsident & ministrant. His

omnibus optat Apostolus cum collega gratiam & pacem à domino. Beneuolentiam dei, ad peccatorum remissionem, & trãquillitatem mentis in fideli conscientia per Christum.

2 Gratias ago deo meo, in omni memoria uestri, semper in cunctis orationibus meis pro omnibus uobis, cum gaudio deprecationem faciens, super communicatione uestra in euangelio Christi, à prima die usq; nũc.

Domino deo suo gratias agit & Christo, cuius nutu & gratia prospera cũcta cedunt fidelibus: id uero facit quoties precibus dominum interpellat, id quod indesinenter agit, ut nunquam non faciat in oratione sua mentionem illius quoq; ecclesiæ in speciẽ, & diligẽter ualde. Cum exultatione, hoc est multa fiducia exauditionis, quã sentit amicus dei orans pro amico, si sit exaudiẽdus, & sancte precetur. Gaudet aũt & de cõmunicatione in euangelio, quia in illud usq; tẽpus ab initio professionis, Apostolum suis officijs & largitate subleuassent, & sese præstitissent consortes euangelio. Præuidẽs deuotionem illorum & fidem ratam ex ipsis prædicationis principijs, gauisus est in eis semper, sciens multis id futurũ exemplo perseuerantiæ in sancto & fideli proposito. Vt & ipsi pro exaltando euangelio, & dilatanda uera scientia & fide in Christum, seipsos & sua sint, ubi res postulat, magnanimiter exhibituri & communicaturi.

3 Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in uobis opus bonum, perficiet usq; in diem Christi Iesu. Sicut est mihi iustum hoc sentire pro omnibus uobis, eo quod habeam uos in corde, & in uinculis meis, & in defensione & confirmatione euangelij, quum socij gaudij mei omnes uos sitis.

Precor assidue, ut istis tantis uirtutibus magis ac magis abundetis, confidens fore, ut deus, qui ista pietatis exordia uobis donauit, quod cœpit in uobis perficiat, usq; ad illum diem quo aduẽturus est Christus Iesus, præmium æternum rependurus recte factis. Par enim est, ut ita de uobis sentiam, fretus auxilio diuino, cum hactenus expertus sim constantem ac uere euangelicã erga me charitatem, ut facile sit ex optimis initijs finem optimum colligere. Quas ob res sic animus meus est affectus erga uos, ut in his etiã uinculis, & apud Neronis tribunal, ubi mihi capitis reo dicenda fuit causa, reliquisq; afflictionibus, quibus non minuitur aut obscuratur, sed confirmatur & illustratur euangelij uigor, semper uos prosequutus sum singulari beneuolentia, quod huius gaudij, quo gaudeo, per meam calamitatem clarescere Christi præconium, uos omnes semper habuerim participes. Discimus, qui uere diligit in Christo, nõ potest male sentire de fratre, timere uero potest fratri, atq; hoc ipsum charitas facit. Et hic habemus quoq; exemplum ueri pastoris, ponentis exemplo Christi animam suam pro ouibus suis, & diligentis etiam in uinculis Christiano affectu, insigni perseuerantia fidei & charitatis. Quin & aliud de eis sentire non debuit, quos semper in fidei deuotione expertus est inflexibiles & constãtes. Videns quoq; tam directum & infatigabilem cursum eorũ, ut cogitarit dignos hos, qui sibi participes gaudij sancti in Christo esse uelint & ualeant. Vnius enim fidei homines congaudere oportet, de spe futuræ immortalitatis & gloriæ.

4 Testis enim mihi est deus, quomodo cupiam omẽs uos in uisceribus Iesu Christi, & hoc oro, ut charitas uestra magis ac magis abundet, in omni scientia, & in omni sensu.

Nouit deus ipse, quem nihil omnino latet, quanto tenear omnium uestri desiderio,

derio, non affectu quoquã humano, siue quod captem aliquid à uobis, siue quod blandiar uobis, ob uestram in me benignitatem, sed affectu pure Christiano sic amo uos, non ob aliud, nisi quod uideo Iesum Christum à uobis constanter ac synceriter diligi. Gratulor uobis illius munera, precorq; ut ista uestra charitas exuberet magis ac magis, accedente omni cognitione omniq; intelligentia, ut sciatis in quos debeatis officia charitatis collocare. Charitas enim hoc præstat, ut uelitis benefacere. Prudentia demonstrat beneficentiæ materiam idoneam; quicquid autem ob amorem Christi confertur in euangelij præcones & prouectores, rectissime collocatur, multo cum fœnore ad uos rediturum.

Vt probetis potiora, ut sitis synceri, & sine offensa in diem Christi, re 5
pleti fructu iustitiæ per Iesum Christum in gloriam & laudem dei.

Opto autem ut in uobis semper augescat utrunq;, quo probare possitis quid sit optimum factu, quæ diuinæ per omnia placeãt bonitati, ut bene quoq; placeat quicquid quacunq; occasione, siue propter euangelium, siue propter peccatum nostrum nobis acciderit, sciẽtibus quod omnia è manu benigni patris & pastoris nostri accipimus. Puro quoq; sitis affectu, præter Christum nihil spectantes, & euangelicam professionem sic ornantes integritate uitæ, ut nulli sitis offendiculo, sed omnes potius allectetis ad cultum dei, atq; ita perseueretis usq; ad diem aduentus Christi, ut tum appareatis diuites ac abundantes pijs operibus, quorum hic interim ueluti sementem facitis, tunc fructum uberrimum demessuri, idq; beneficio Iesu Christi, nec ad uestram meamq; gloriã, sed ad gloriam laudemq; dei, ad quem ceu fontem omnium bonorum referenda sunt omnia. Hic discimus ueram sapiẽtiam fidem esse, qua sola tute iudicamus de rebus quibuslibet, non tam externa nostra probari deo quàm fidem synceram, & uitæ innocentiam, quibus deus colitur digne & acceptabiliter. Syncerítatem seruare in omnibus, ne cui simus offendiculo uel damno, imprudentia uel uafricie nostra. Fructus quoq; iustiæ requiri potius à Christianis q̃ ceremonias.

Scire autem uolo uos fratres, quod quæ circa me sunt, magis ad pro- 6
fectum uenerunt euangelij, ita ut uincula mea manifesta fierent in Christo, in omni prætorio, & in cæteris omnibus, & plures è fratribus in domino confidentes, in uinculis meis abundãtius auderent sine timore uerbum dei loqui.

Quo sitis autẽ magis gaudij mei participes, scire uos uolo fratres, carcerem, cõpedes, tribunalia, ac cæteras calamitates, quæ mihi acciderunt ob euangelium Christi, adeo non offeciſſe propugnandæ confirmandæq; doctrinæ euangelicæ, ut potius in profectum cesserint, & adeo non deterruisse credẽtes à suscepta professione, ut magis etiam confirmarint, roburq; & animum addiderint, nimirum intelligentibus, indubitatum esse quod prædico, cuius gratia non dubitem hæc perpeti, seseq; meo exemplo ad similia audenda prouocantibus. Nam id ferè solet usu uenire rebus honestis & præclaris, ut quo magis premuntur & affliguntur, hoc magis inualescant emicentq;, malorum conatu in diuersum exeunte. Siquidem uincula mea dederunt occasionem, ut euangelij præconium non solum ad paucos, eosq; plebeios, quemadmodum antea peruenerit, uerumetiam per omnem Neronis regiam, perq; urbem uniuersam inclaruerit, adeo ut complures ex fratribus, qui antea subtimide profitebantur euangelicam doctrinam, nunc, domino Iesu negotium hoc ita temperante, animati uinculis meis, cœperint & ipsi

meo exemplo sermonem euangelicum liberius ac fortius, omni trepidatione posita confiteri. Accedebat quod Apostolus Romæ quidem uinctus, sed in liberiore custodia tantum, etiam in domo Imperatoris doceret euangelium multos, multaq́ miracula patraret, ideoq́ & multi per eum crediderũt, in tantum ut domum etiam persequutoris ecclesiam faceret, sicq́ magno cum fructu fidei & euangelij profectu manifesta facta sunt uincula eius in Christo.

7 Quidam quidem & propter inuidiam & contentionem, quidam autem & propter bonam uoluntatem Christum prædicant, quidam ex charitate, scientes quoniam in defensionem euangelij positus sum: quidam autem ex contentione Christũ annũciant, non syncere, existimãtes pressuram se suscitare uinculis meis.

Professio autem fidei euangelicę, quanq́ ab omnibus facta non est pari syncritate, quemadmodum pari studio, tamen res per occasionem cessit in euangelij gloriam: nam erant inter hos qui hoc malitioso studio facerent, quo mihi conflarent atrociorem inuidiam, ac Neronis animum hoc acrius in nos exacerbarent, quo latius uideret hanc sectam propagari, deorumq́ & idololatriæ cõtemptum, & unius ueri dei cultũ: quam per errorem ille iudicat suo imperio perniciosam: existimãtes futurum, ut tanto celerius me tolleret de medio, prædicationis & doctrinæ huius insigniorem prædicatorem. Fortasse nonnulli meæ gloriæ inuidentes, quam ego tamen mihi non uendico, sed totam Christo resigno, conati sunt æmulatione meam laudem obscurare, si nostrum studium etiam uincere uiderentur. Rursus sunt in his qui mecum prædicant Christum bono syncero q́ animo, licet imperfecto: nam humano fauore mihi uolunt deesse, quem amant, & uident in hoc periclitari, quod constãter obeam mihi delegatum munus euangelij tuendi aduersus impios. Quanquã & qui pessimo animo prædicant, tamen auxerunt euangelij gloriam, Christum enim annunciant, sed animo minime Christiano: nec affectu simplici, sed hoc agentes, ut capto uinctoq́ addant afflictionẽ, si euangelium acrius defendẽdo, nos in grauius odium pertraxerint. Non ergo semper ueritas uere digneq́ annunciatur, sed, ut uides hic, iniquo animo, ut semper cogites regnum dei non esse in sermone, sed in uirtute.

8 Quid enim? Dum omni modo, siue per occasionẽ, siue per ueritatem Christus annunciatur: & in hoc gaudeo, sed & gaudebo.

Veritatem quidam annunciabant, & si non per ueritatem, id est non uero animo. Ex occasione enim euangelizabãt, quærentes ab hominibus commoda sua, terrenis enim cupiditatibus consulentes: regnum cœlorum annunciabãt, habentes in lingua ueritatem, sed non in pectore castitatem. Qui sunt utiles eis quos instruit dominus, qui ait: Quæ dicunt facite, opera autẽ eorum nolite facere. Quis enim à deo præter deum aliquid quærit, non caste deum quærit. Tres inuenimus personas, si domini uerba in euangelio diligenter inuestigamus, Pastoris, Mercenarij, Furis. Pastor ueritatem annunciat propter ueritatem: Mercenarius occasione rei temporalis: Fur & latro ueritatem negat & tollit. Diligendus est ergo pastor, tolerandus mercenarius, cauendus est latro. Hæc Augustinus. Paulus autem sic uult, Vtcunq́ prædicatio illorum mihi cedet, non magni retulerit, modo uerterit in gloriam Christi, cui sic toto pectore faueo, ut gaudeam illum permnem occasionem omnibus innotescere. Amplissimam laudem merentur apud deum, qui eodem animo prædicant euangelium, quo ego prædico. Ferendi sunt, qui

qui priuato quodã amore noſtri iuuant euangelij partes. Cæterum, qui in odium mei prædicant Chriſtum, quod ſibi nocent, doleo: quod mihi male moliũtur, contemno: quod illorum peruerſa uoluntas cedit in gloriam euangelij, gaudeo, modo uere doceant Chriſtum, licet animo inſyncero. Neq; gaudeo ſolum in præſentia, uerumetiam in poſterum gauiſurus ſum, ſi pergãt odio mei diuulgare ueram Chriſti doctrinam.

Scio enim quia hoc mihi proueniet ad ſalutem, per ueſtram oratio- 9
nem, & ſubminiſtrationem ſpiritus Ieſu Chriſti, ſecundum expectationem & ſpem meam, quod in nullo confundar, ſed in omni fiducia ſicut ſemper & nunc magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſiue per uitam, ſiue per mortem.

Non me mouet quod iſta moliuntur in meam perniciem, cum ſciam rem præſidio precum ueſtrarum, atq; auxiliãte, & negotium hoc moderante ſpiritu Ieſu Chriſti, mihi futurum ſaluti, ſiue moriar, ſiue uixero. Neq; enim me fallit mea de illo fiducia, qua mihi perſuaſiſſimum habeo, fore ut in prædicatione euangelij, quod ille declarauit, nuſquam ſim deſtituendus aut pudefaciendus, ut ullis afflictionibus cogar ceu uanum retractare uel obticeſcere, quod ueriſſimum eſſe cognoui, quin potius quemadmodũ antehac afflictiones, quas iuxta corpus ab hominibus perpeſſus ſum, ceſſerunt in lucrũ euãgelij, ſiue cum lapidarer, ſiue cum uirgis cæderer, ſiue quum beſtijs obijcerer: ita & hæc afflictio, qua de capite uitaq; periclitor, ceſſura eſt in laudem & gloriam Chriſti, ſeu uiuere continget ſeu mori. Nam ut ſuperiores afflictionum procellę licet corpuſculum hoc afficerent, animum tamen nunquam ademerunt, , aut conſtantiam prædicandi Chriſtum: ita neq; nunc hæc tempeſtas adimet. Si dabitur uiuere, fortiter tuebor euangelicam ueritatem: ſi continget mori, mors ipſa mea, quam ob euangelij negotiũ non inuitus ſuſcipiam, illuſtrabit Chriſti gloriam.

Mihi enim uiuere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Quod ſi uiuere in car- 10
ne, hic mihi fructus operis eſt, & quid eligam ignoro. Coartor autem è duobus, deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto, multo magis melius, permanere autem in carne neceſſarium propter uos.

Siue mors contingat ſiue uita, mihi in tuto eſt mea incolumitas. Et hanc mortem adeo non formido, ut magis optandam exiſtimem, ſi ſic expediat euangelio. Neq; enim me tædet huius uitæ, quamlibet afflictæ, cuius felicitatem omnem mortior euangelij ſucceſſu, neq; mortem horreo, quæ mihi lucro futura ſit, quæ me reddet præmio, tum demum uere uicturum. Quanquam & hæc interim uita corporalis non caret ſuo fructu, dum accumulandis pijs factis, accumulatur & præmium immortalitatis, atq; interim noſtro labore propagatur ac cõfirmatur euangelium Chriſti. Huic in manu eſt, utrum me uiuere malit an mori. Ego ſic ad utrunq; paratus ſum, ut utrum potius eligam ignorem. Eſt cur optem mortem, eſt cur non recuſem uiuere. Verum ubi meĩ pſius cõmodi ratione ſubducta, meum animum cõſulo, uideo mihi longe potius eſſe, liberatum ab huius uitæ ærumnis, propius iungi Chriſto, & ad illam ineffabilem felicitatem mihi, cum in tertiũ cœlum raptus eſſem, utcunq; guſtatam, redire. Rurſum ubi reputo, quid ueſtris expediat commodis, intelligo conducere, imò neceſſarium eſſe, ut adhuc aliquandiu uerſer in hoc munere meo. Et hic eſt ſublimis ſanctorum affectus, quem nos tam adhuc ad ſpiritualia rudes intelligere non poſſumus, tamen ad hoc iſta utili-

ter legimus, ut agnoscamus nostrã imbecillitatem, quàm longe adhuc absimus à regno dei, qui crucem & mortem ut rem damnatissimam fugimus & horremus.

Et hoc confidens, scio quia manebo & permanebo omnibus uobis,
11 ad profectum uestrum, & gaudium fidei, ut gratulatio uestra abundet in Christo Iesu in me, per meum aduentum iterum ad uos.

Hoc autem certum scio fore, ut maneam adhuc in hac uita, & ita maneam, ut uobis omnibus aliquãdo sim fruiturus, meiq; facturus copiam, quo simul & uos uberius proficiatis in fide, & ego copiosius de fidei uestræ gaudeam incremento, uosq; uicissim magis etiam de me gaudere possitis, ut decet sanctos, posteaquam ad uos me recepero. Denuo conspicientes me præsidio Christi nõ modo non cessisse his malis, sed seruatum etiam uestris augendis commodis. Videtis quantam felicitatem meam uestro lucro posthabeam, si mihi optio detur, ut opto & oro, si domino placeat, cuius beneplacitum impediet nemo, ego nihil desidero impediendum. Quis non tertij cœli cupidus, fastidiat huius uitæ curas? Quis non paradisi superioris desiderio gestiat ab his malis euolare? Quis non uerborum arcanorum memor, humana negligat alloquia? Quis nõ pro tot exitijs, tot periculis, tot mortibus eligat trãquillam immortalitatem? Sed tantum apud me ualet fraterna charitas, ut aliorum profectum meo desiderio præponam.

12 Tantum digne euangelio Christo conuersamini, ut siue cum uenero & uidero uos, siue absens, audiã de uobis, quia statis in uno spiritu, unanimes, collaborantes fidei euangelij, & in nullo terreamini ab aduersarijs, quæ illis est causa perditionis, uobis autem salutis, & hoc à deo.

Magis enitendum est uobis, ut huic animo meo respondeatis: id autem fiet, si curabitis ut uestra uita digna uideatur euangelio Christi, ob quod hæc tanta perpetior, ne hoc ipso fructu frustrer, ob quem unum sustineo distrahi ab optatissimo consortio Christi. Proinde date operam, ut siue uos inuisero, si id dominus dederit, atq; uoluntati meæ indulserit, ut confido & cupio, tales uos reperiam, quales opto, siue quid obstiterit, quo minus reuisam uos, tamen absens audiam de uobis, quod quemadmodũ hactenus fecistis, persistatis uno spiritu, quem hausistis, communem, eodemq; animo concordes, simulq; uestris officijs adiuuantes, decertantem aduersus impios euangelij fidem: nec ullo persequutionum metu terreamini, quo minus fortiter ubiq; resistatis aduersarijs Christi, quorum improbitas nihil aliud efficiet, nisi ut & ipsis pariat exitium, & uobis salutem, semper in maius glisscente euangelij gloria, & illorum impijs conatibus in peius usq; prolabentibus.

13 Quia uobis donatum est pro Christo non solum, ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini: idem certamen habentes quale & uidistis in me, & nunc auditis de me.

Pulcherrimum est pro Christo perpeti, glorioſum per hunc uincere aduersarios. Verum hinc nihil est, quod nobis uendicemus, à deo uobis hoc donatũ est, ut non solum prompte crediderit is euangelio Christi quod ego prædico, uerum etiam parati sitis pro illo pati, uidelicet meum exemplum sequuti. Neq; detrectetis pro euangelij negotio certamen idem subire, quale & olim uidistis in me, tot modis afflicto, cum isthic agerem, & nunc audistis de me uincto, & capitis reo. Hæc casu non fiunt, sed à deo propitio donantur, ijs duntaxat, quorum pietatem uult afflictionibus huius uitæ reddi spectatiorem.

CAPVT.

CAPVT II.

SI qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si 1
qua societas spiritus, si qua uiscera miserationis, implete gaudiũ
meum, ut idem sapiatis, eandẽ charitatem habentes, unanimes
idipsum sapientes.

Qui me feciſtis iam gaudere de communione ueſtra in euangelio Chriſti, implete gaudium meum, addita ſuſtinentia & patientia tribulationũ, & exemplum ſecramini humilitatis in Chriſto. Monet autem eos, & per omnia ſacra quaſi adiurat, ut charitatem ſeruent mutuam. Si qua, inquit, conſolatio eſt mutua inter illos qui in unum Chriſtum conſpirant: ſi quod eſt ſolatium, quod habet fraterna charitas, quæ triſtia pariter ac læta facit communia: ſi quam uim habet Chriſti ſpiritus, omnibus uobis communis: ſi qui ſunt affectus, quibus in afflictionibus amicorum tanguntur homines: ſi quæ ſunt cõmiſerationes, quibus ipſo naturæ ſenſu ingemiſcimus aut indoleſcimus malis eorum, quos ex animo diligimus, quicq; noſtra cauſa perpetiuntur. Per hæc omnia uos obteſtor, ô Philippenſes, ut hanc uoluptatem, quam ex ueſtro profectu concepi, mihi perficiatis. Quicquid quocunq; nomine mihi debetis, acceptum feram, ſi uos concordibus animis congluti nemini, ſi mutua ſit inter uos omnes charitas, ſi ſitis unanimes, ſi conſentientes.

Nihil per contentionem, neq; per inanem gloriam, ſed in humilitate 2
ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes, non quæ ſua ſunt ſinguli conſideran
tes, ſed & ea quæ aliorum.

Non poteſt pax concordiaq; conſtare inter feroces & elatos. Siquidem ferox ac tumidus animus parit contentionem, parit ambitionem, parit iracundiam. At qui hæc charitatis fraternæ mutuæq; beneuolẽtiæ præſentanea ſunt uenena. Ne quid igitur inter uos Chriſti ſpiritu conglutinatos, Chriſtiq; philoſophiam profitentes, geratur per contentionem, aut inanem gloriam, ut alius alium prouocet ferocitate, nemo uelit alteri cedere, quibus ex rebus inter mũdi diſcipulos oriuntur iurgia, rixę, diſſidia. Ne ſint igitur uobis in conſilio ira, aut ambitio, aut ſuperbia, conſultores peſſimi, ſed potius fraterna charitas, & huius comes, animi modeſtia, qua nemo ſe preferat alteri, ſed quiſq; alterum ſe præſtantiorem exiſtimet, ſibi nihil arrogans, aliorum dotibus benigne candideq; fauens: neq; ſuum quiſq; priuatum ſpectet commodum: quod ubi fiet, ibi publica cõcordia periclitabitur. Sed quiſq; per Chriſtianam charitatem, quæ non quærit quæ ſua ſunt, ſuis commodis anteponat aliena.

Hoc enim ſentite in uobis, quod & in Chriſto Ieſu, qui cum in forma 3
dei eſſet, nõ rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem deo, ſed ſemetipſum
exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominis factus, &
habitu inuentus ut homo.

Neq; uero cuiquam ueſtrum in mentem ueniat impia cogitatio, Cur prudẽs ac ſciens ultro cedam melior deteriori? Ne pudeat uos Ieſu Chriſti exemplum ſequi. Cur enim non conuenit, uos, qui pares eſtis & cõſortes, ſic inter uos affectos eſſe, quemadmodum ille affectus fuit erga uos? Si ille ſibi uendicauit primatum, ſi ſua captauit commoda, ſit & inter uos decora pro rebus hiſce contentio. Atqui ille quum natura deus eſſet, atq; ipſis factis ſe deum eſſe declararet, dum mortuos nutu reddit uitæ, dum uertit elementa rerũ, dum dæmonibus imperat, dum uerbo pellit morbos, tamen quo nobis perfectæ modeſtiæ pararet exemplũ, non ſibi

per inanem gloriam uindicauit, ut haberetur æqualis deo, sed humiliauit ac deiecit semetipsum apud homines, à patre expectãs gloriam, ad quam demonstrauit aditum esse, non per ambitionem, sed per humilitatem. Et adeo se quoq; deiecit, quum esset summus, ut non solum uelut homo uersatus sit inter homines dormiturien s, sitiens, esuriens, pauper, reliquisq; nostræ cõditionis iniurijs obnoxius, uerumetiam serui speciem in se susceperit, & serui nocẽtis, quum ipsa esset innocentia. Pro eo autẽ quod Christus dicitur fuisse in forma dei, & certissime æqualis deo, nota catholicissimi Augustini diui uerba. Videamus, inquit, Christum Iesum deum & hominem, & factorem rerum, & factum in rebus, & creatorem hominis, & creatum hominem. Deus Christus æqualis est patri, tantus est quantus ille: talis est, qualis ille, hoc est quod ille. Non hic est qui ille, quia ille pater, hic filius: sed hoc est quod ille, qui ille est deus, & ille: ille omnipotens, & ille: ille immutabilis, ut ille. Ideo non rapina erat æqualis deo, quia natura erat. Sicut est natus, ita & semper natus: & sicut semper natus, ita & semper æqualis. Nõ itaq; inæqualem genuit, uel æqualitatem iam nato addidit, sed gignẽdo eam dedit, quia æqualem non imparem genuit. Non igitur immerito scriptura utrunq; dicit, & æqualem patri filium, & patrem maiorem filio. Illud propter formam dei, hoc propter formam serui, propter quam non tantum patre, sed etiam seipso & spiritu sancto minor factus est, & etiam minoratus est paulò minus ab angelis, ergo & homo factus est, & permanens deus. Ideo ualde rationabiliter & patre minor est homo Christus, & patri æqualis est idem ipse deus Christus. Christus enim dei filius, & deus est, & homo: deus ab æterno, homo in sæculo. Deus, quia deus uerbum: homo, quia in unitate personæ accessit uerbo anima rationalis & caro. Cum enim esset unicus dei filius, ut esset etiam plenus gratia, factus est hominis filius, unus dei filius, idemq; filius hominis. Non duo filij dei, deus & homo, sed unus dei filius: deus sine initio, homo accepto initio. Idem: Sicut non augetur numerus personarũ cum caro accedit animæ, ut sit unus homo: sic nec augetur numerus personarum, cum homo accedit uerbo, ut sit unus Christus. Hæc de forma dei & serui in Christo. Quod autem habitu inuentus dicitur ut homo, sic intelligendũ docetur: Sicut enim uestis induta aliam speciem & formam accipit, ut est uestis & induta, & eam quã habet deiecta, exuta, deposita: sic deus filius, semetipsum non formam suam dei mutans, sed formam serui ueluti uestem accipiens: nec; conuersus aut transmutatus est in hominem, amissa incommutabili stabilitate naturæ diuinæ.

4 Humiliauit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis.

Speciem quidem serui susc epit uerbum dei, & insuper serui mali, ut fieret etiam peccatum & maledictum pro nobis. An non mali serui & maledicti est, capi, alligari, cædi flagris, conspui? Atqui non ad hoc tantum se demisit Christus, uerumetiam usq; ad supplicium mortis, ceu facinorosus descendit, ad mortem longe probrosissimam crucis. Sic uisum erat patri, ut ille hæc pro nostris cõmissis penderet: isq; uolens obedientem se præstitit per omnia, nihil detrectans quod ad nostram salutem conduceret. Qui mundano sunt affectu, ambitione, contentione, cum aliorum iniuria grassantur ad falsam gloriam: at Christianus, qui ueram & æternam gloriam quærit, hac uia debet ad illam contendere qua Christus ingressus est. Per falsam ignominiam iter est ad ueram gloriam: per momentaria dispendia aditus est ad immortalia compendia. Gloriam captare non oportet, sed promereri.

promereri. Vultis audire quid meruit humilitas domini nostri Iesu Christi & eius benedicta humanitas.

Propter quod & deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est 9
super omne nomen, ut in nomine IESV omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia dominus Iesus Christus in gloria est dei patris.

Christus quidem in forma serui humiliatus, nõ usurpauit sibi apud homines, ut quod esset exhiberet, sed deus pater euexit filium suum in summam sublimitatem, ac per humilitatem & ignominiã crucis illustrato, largitus est nomen quod excellit omnem humanã gloriam, nimirum ut iam ad Iesu illius consputi & crucifixi nomen sese flectat ac submittat omne genu, non solum quicquid est in terris, uerumetiam quicquid est uel apud inferos, uel apud superos in cœlis. Nec ulla sit unquam lingua, siue hominum, siue angelorum, siue dæmonum, quæ non cõfiteatur Iesum omnium rerum principem ac dominum, à dextris assidere deo patri, ut regni communis gloriæq; communis consortem, idq; in gloriam dei patris, à quo proficiscitur, & in quem redundat omnis filij gloria. Quæ mortalium ambitio, quæ opes, quod regnum, quod studium humanum, unquam talem cuiquam parauit gloriam apud homines, qualẽ Christo sua parauit humilitas? Atq; hæc omnia nostra causa fecit, non sua. Nec enim ille meruit deijci, nec eguit illustrari, quo magis nobis est similis adhibenda modestia, sine qua non potestis esse incolumes.

Itaq; charissimi mei, sicut semper obedistis, non ut in præsentia mea 6
tantum, sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu & tremore uestram salutem operamini, Deus enim est qui operatur in uobis & uelle et perficere, pro bona uoluntate.

Hac quoq; parte dilecti fratres, pergite similes uestri esse, ut quemadmodum ad exemplum Christi semper obedistis euangelio nostro, ita & in posterum facietis: non solum cum erimus præsentes, sed multo magis nunc cum absumus, eam curam quã ipse præsens uobis impensurus essem, in uosipsos transferentes. Agite negotium uestrę salutis, non oscitantes, sed cum omni solicitudine ac tremore, non ignari quanta de re certetur, & quibus cum hostibus uobis res sit. Non est dormitationi aut securitati locus, sed rursus non est quod diffidatis. Vestrum erit pro uiribus adniti: deus autem is est qui hoc agit in uobis, ut quod ad salutem pertinet, & uelitis & perficiatis, quod spiritus dei bonũ uestrę uoluntati suggesserit, & placere fecerit, ne nesciatis cui tribuendũ sit, si quid ille uobis suggesserit. Nos quidem uoluimus, deus autem operatur in nobis uelle & operari. Hoc enim uobis & credere & confiteri expedit & est necesse, quia uerum est & pium, ut uere sic sit humilis confessio, ut totum quod bonum in nobis intelligimus, deo tribuatur. Per proprium enim arbitrium nisi gratia dei ipsum adiuuetur, nec ipsa bona uoluntas esse potest in homine. Deinde adiungit patientiam humilitati.

Omnia autem facite sine murmurationibus & hæsitationibus, ut sitis 7
sine quærela, & simplices filij dei, sine reprehensione, in medio nationis prauæ & peruersæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, uerbum uitę continentes ad gloriam meam, in diem Christi, quia non in uacuum cucurri, necq; in uacuum laboraui.

Curandum est uobis, ut uestris moribus commendetis euangelij doctrinam, ijs quoq; qui ab illa sunt alieni. Id futurum est, si cõspexerint uos esse summa concordia, pariq; fiducia, & quicquid agitis, id fieri sine murmure, sine disceptationibus, quorum alterum est, non ex animo facientium quod faciũt, alterum est diffidentium. Sed magis in omnibus synceri sitis, ac moribus adeo puris & inculpatis, ut nemo iure de uobis queri possit, ut cunctis perspicuum sit, uos esse uere filios dei, non nothos aut adulterinos, sed patrem cœlestem cœlesti uita referentes, qui sic interim uitam agatis, in medio nationis asperæ, tortuosæ & insynceræ, ut nulla tamen ex parte uestra uitietur syncerita, quin potius inter horũ tenebras innocentia uitæ sic luceatis, ueluti mundi luminaria quædam, oculis omnium exposita. Vos enim estis illi, de quibus in Euãgelio dixit Christus: Estis lux mundi, qui sustinetis uiuificum euangelij sermonem, ipsis etiam moribus Christi doctrinam exprimentes, ut confidam in uobis perseuerantibus, me quoq; gloriaturum in aduentu Christi, me non frustra laborasse, nec inaniter in hoc euangelij stadio cucurrisse, qui tales discipulos Christo lucrifecerim. Bene autem sanctos luminaribus comparat. Sicut enim stellas cœli non extinguit nox, sic mentes fideliũ adhærentes cœlo uerbi dei & sacræ scripturæ, non obscurat humana iniquitas, uel ignorantia aut error. Et sicut illa, quicquid agatur in terra, si etiam quæ annunciantur de ipsis, suos tamen in cœlo cursus non obliquant nec retardant: ita sancti, quorum conuersatio in cœlis est, propter mala mundi, quæ despiciunt, uel falsa quæ confinguntur in ipsos, lucem uerbi & uitæ exemplum, nullo modo interpellant.

8 Sed & si immolor supra sacrificium & obsequium fidei uestræ, gaudeo & congratulor omnibus uobis. Idipsum autẽ & uos gaudete, & congratulamini mihi.

Adeo me non pœnitet laborum meorũ, per quos uos obtuli deo gratissimam uictimam, ut etiam si ipse immoler, super hostiã sacrificiumq; fidei uestræ, & meo pariter & uestro omnium nomine sim gauisurus. Nam quemadmodum uideo meas afflictiones cessisse in profectum uestrum, ita scio mortem meam euangelio profecturam, atq; hac de causa mors quoq; mihi grata ueniet. Quod si decet uos in omnibus cõsortes esse gaudij mei, nõ debet mea mors uobis esse mœrori, quæ mihi est futura iucunda.

9 Spero autem in domino Iesu, Timotheum me cito mittere ad uos, ut ego bono animo sim, cognitis quæ circa uos sunt.

Habetis quo nomine de meo statu debeatis gaudere, sed spero fore, fauẽte domino Iesu, ut uos breui per Timotheum inuisam, quandoquidem ipsi mihi uenire nondum licet. Hunc igitur uelut alterum me mittam, ut quemadmodum cognito statu meo nunc gaudetis, ita & ego gaudeam, per Timotheum hunc reuersum, cognito statu uestro.

10 Neminẽ enim habeo tam unanimem, qui syncera affectione pro uobis solicitus sit, omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Iesu Christi.

Hic mihi Timotheus potissimum uisus est idoneus ad hanc legationem, cum nemo sit cæterorum, qui in euangelij negotio sic æquet animum meum, quiq; in curandis uestris negotijs fidem ac diligentiam Paulinam magis ex animo sit repræsentaturus, utpote quem merito pro filio germano habeam. Experi-

Experimentum autem eius cognoscitis, quia sicut patri filius mecum 11
seruiuit in euangelio. Hunc igitur spero me mittere ad uos, mox ut uidero quæ circa me sunt. Confido autem in domino, quoniã & ipse ueniam ad uos cito.

Sunt quorũ ministerio minore dispendio poteram hic carere, sed nolui quenquam mittere, nisi probatæ integritatis, nam cæteri ferè uenantur huiusmodi legationes, non perinde ut alijs prosint, sed ut suis lucris consulant potius q̃ Iesu Christi, à quo animo scitis me semper abhorruisse. Non arbitror opus ut eum uobis commendem, quippe iampridem uobis spectatum ipsa re, qui meminisse potestis, quomodo se gesserit mecum in euangelij negotio, neq; ceu patrem germanus filius per omnia retulerit. Hunc igitur, ut spero, mittã, simulatq; uidero quò se flectant res meæ, quin & illud fore confido, propitio domino, ut & ipse propediem ad uos ueniam.

Necessarium autem existimaui, Epaphroditum fratrem & cooperatorem & commilitonem meum, uestrum autem apostolũ, & ministrum necessitatis meæ mittere ad uos, quoniamquidem omnes uos desiderabat, & mœstus erat, propterea quod audieratis illum infirmatum.

Insuper autem & hoc sum arbitratus operæpretium, ut & Epaphroditus Timotheo comes iret ad uos, mihi quidem & frater, & collega, & commilito, uobis autem apostolus, ut uobis & meo & uestro ipsorum nomine debeat esse commendatus. Denicq; qui uestram benignitatem, qua soletis necessitati meæ subuenire, ad me detulit, is iampridem ingenti desiderio tenebatur uisendi uos, anxius animi, ne uos grauius discruciaret, q̃ audissetis ipsum ægrotasse periculose. Quid ergo est ut præsente Apostolo, qui mortuos suscitabat, hic Epaphroditus infirmaretur usq; ad mortem? Nunquid non pro illo orauit Apostolus, & non impetrauit ut citius sanaretur? Sed signa infidelitũ causa fiunt, nam huic non ad detrimẽtum contigit ægritudo, sed ad augmentum uirtutis. Sunt enim probationes diuersæ credentium. Non est cõtempta oratio Apostoli, sed melius prouisum est pro quo petebat. Quod etiam tristem se futurum fuisse de eius excessu dixit, non id alia ratione uoluit, q̃ quia solatiũ eius & auxilium requirebat, non tamen ut quasi peditum lugeret.

Nam & infirmatus est usq; ad mortem, sed deus misertus est eius: 13
non solum autem eius, uerumetiam & mei, ne tristitiam super tristitiam haberem.

Nec uanus fuit ille rumor, sic enim ægrotauit, ut de uita periclitaretur, mortuicinus, sed deus illum restituit, misertus famuli sui: imò non illius tantum, sed & mei, qui simul cum periclitante periclitabar, ne ad dolorem, quem mihi morbus illius adferebat, accederet ex morte tam fidi commilitonis desiderium.

Festinantius ergo misi illum, ut uiso eo iterum gaudeatis, & ego sine 14
tristitia sim. Excipite itaq; illum cum omni gaudio in domino, & eiusmodi cum honore habetote, quoniã propter opus Christi usq; ad mortem accessit, tradens animam suam, ut impleret id quod ex uobis deerat erga meum obsequium.

Quo magis studio fuit illum ad uos mittere: primum, ut eius cõspectus uobis sit uoluptati, ubi uideritis illum reualuisse, fortasse famæ non perinde crediturí;

deinde ut mihi quoq; dolor omis abstergatur ex animo, si sensero uos de illius ualetudine certo gaudere gaudio. Excipite igitur illũ affectu Christiano, cum omni gaudio; nec hunc tantũ, sed omnes huius similes habete in pretio. Siquidem huc à uobis missus, adeo non ueritus est sæuitiam Neronis, quem sciebat mihi infensum, ut ob euangelium Christi eò periculi se demiserit, ut morti proximus fuerit, prius habens profectum euangelicæ doctrinæ, quàm suam incolumitatem, quo pensaret id quod ob absentiam uestro erga mea officio uidebatur deesse, ac perillum mihi quodammodo fieretis præsentes, qui & uestram munificentiam ad me pertulerit, & suis officijs inseruierit. Perstitit enim in exhortatione fideliũ, ut impleret quod deerat plebi in doctrina, iuxta dispositionẽ Apostoli. Qui ergo à morte non retrahit animam suam, in interitum hanc tradit iuxta uitam præsentem, dicente domino, Qui uoluerit animam suam saluam facere, perdet eam. Perditio hæc interitus est, non secundum hunc mundum, sed iuxta animarum statum infelicem post hanc uitam.

CAPVT III.

1 DE cætero fratres mei, gaudete in domino. Eadem uobis scribere, mihi quidem non pigrum, uobis autem necessarium, uidete canes, uidete malos operarios, uidete concisionem.

Superest fratres, ut cognitis his quæ hic fiunt, & reddito uobis Epaphrodito incolumi, læto sitis animo, & neglectis afflictionibus, quibus mundus uos exercuit, gaudeatis semper in melius prouehi negotiũ domini nostri Iesu Christi. Cui non perinde metuo ab ethnicis, qui palàm impugnant euangelium, atq; ab istis semichristianis, qui sic Christum prædicant, ut Iudaismum interim admisceant. Gloriantur enim se populum dei esse, cui factæ sint promissiones, & quem deus multipliciter præ alijs gentibus honorauerat, è quorũ sanguine Christus erat natus, docebantq; opera legis necessaria ad salutem. Hac de re uos pro mea solicitudine frequẽter admonui, sed tamen non grauabor eadẽ inculcare literis, quo magis sitis in tuto: nam aduersus istos, qui nusquam non insidiantur, uix unquam satis cautum est, pestilens, improbum & impudens hominum genus. Inuidentibertati uestræ, oblatrant doctrinæ syncerę, mordent alienam uitam, laborant in euangelico negotio, sed sic, ut corrũpant. Iactitant sese de pellicula præputij præsciſa, cum mentem habeant incircunciſam. Cauete fratres, ne uobis imponant, obseruate canes huiusmodi, obseruate malos operarios, obseruate incircunciſos circunciſos, imò concisos uerius. Præter causam isti sese uenditant, corpore circunferentes suæ nobilitatis notam, quum animo sint impuro impioq;. Illi docent scilicet confidere in operibus legalibus, in iustitia operum nostrorum, quo fit nobis Christus inutilis: docent non gloriam dei, sed suam, & sua lucra: cum reuera si quæratis per opera iustificari, Christus nõ erit uestra iustitia: hoc est abnegare Christum, & Antichristum statuere loco eius.

2 Nos enim sumus circunciſio, qui spiritu seruimus deo, & gloriamur in Christo Iesu, & non in carne fiduciam habentes, quanquam & ego habeam confidentiam in carne.

Si tam glorioſa est circunciſio, nos uere circunciſi sumus, nos uere Iudæi, nos germani Abrahæ filij, qui deum colimus, non pecudum sanguine, sed spiritu. Sic enim ille coli gaudet, qui gloriamur non in pellicula corporis, non in Mose, sed in Christo Iesu, qui suo spiritu resecuit omnia uitia ab animis nostris, qui cordibus nostris notam pulcherrimam impressit, quo constet nos esse filios dei. Fidem & gratiam

gratiam ſuam qua iuſtificamur. Hæc demũ eſt uera glorioſaq; circunciſio. Deus poſthac non æſtimat hominem ex habitu corporis: at iſti neglecta cura mentis, to tam fiduciam collocant in carne, in qua ſi gloriandum ſit, ego ſanè ne hac parte cuiquam iſtorũ ceſſero, ne quid habeant quod cauſentur, mihi uilem eſſe circun ciſionem, ob id quod non habeam. Habes hic ſpiritualem circunciſionem, ſpiri tuale ſemen Abrahæ, qui credidit & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. Erat autẽ eius circunciſio non iuſtitia, ſed ſignum tantum iuſtitiæ fidei præcedentis. Hæc ſpiri tualis circunciſio, eſt affectuum impurorum reſecatio in membris ſingulis, maxi me autem infidelitatis & hypocriſis, ac confidentiæ ſuæ in ſuis operibus.

Si quis alius uidetur confidere in carne, ego magis, circunciſus octa- 3
uo die, ex genere Iſrael, de tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, ſecun dum legem Phariſæus, ſecundũ æmulationem perſequens eccleſiam dei, ſecundum iuſtitiam quæ in lege eſt conuerſatus ſine querela.

Si quis alius hoc nomine ſibi placet, ego magis etiam mihi poſſum placere, ni mirum legitime circunciſus octauo die, iuxta legis præſcriptum. Iſraelita, non in ſitione, ſed genere: non proſelytus, ſed Iudæus ex Iudæis oriundus: nec è quauis tribu, uerum è præcipua, nempe Beniamin, unde & reges cõſtituuntur, cum plæ runq; ſe putent Iſraelitas, quod è concubinis Iſraelitarũ ducant genus. Hebræus ex Hebræis, iuxta genus: iuxta legis ſectas uel gentis, Phariſæus, cuius ordinis ſemper fuit prima dignitas. Quod ſi libeat quenquam ex huius legis ſtudio, atq; obſeruatione æſtimare, nec his in rebus habent in quo ſe mihi præferant: nam pa triæ legis tantum me habebat ſtudium, ut ob eam tuendam, modis omnibus per ſequerer eccleſiam Chriſti, adeo tenax eorum quæ lex præſcribit, ut nihil eſſet, in quo merito culpari poſſem ut præuaricator.

Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum 4
detrimenta.

Si quid iſta præclarũ haberent, iuſtius gloriari poteram q; iſti, qui ſe ſemideos uideri uolunt, quod præputio careant: ac tum quidem temporis, quãdo nondum eram edoctus Chriſtũ, pulchre mihi uidebar felix, & nobilitate generis & digni tate ſectæ, & obſeruatione legis, ſed ubi per euangelium Chriſti didici, quibus in rebus ſita ſit uera iuſtitia, atq; his typis & umbris Moſaicæ legis res longe præcla riores denotari, mox quæ prius, ut uehementer expetenda ſectabar, abieci reli quiq;, damnoſum eſſe ducens, quicquid uel tantillum à Chriſti doctrina remo raretur. Non quod legem damnẽ, ſi quis ut oportet utatur & intelligat, ſed quod tantum tribuam euangelio Ieſu Chriſti domini mei, ut huius excellenti cognitio ni non ſolum poſthabeam legalia iſta carnalia, quibus gloriãtur iſti, uerumetiam quicquid uſquam mũdus hic præclarum habet aut ſuſpiciendum, pro diſpendio mihi ſit. Id quod conſequenter clarius.

Veruntamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem 5
ſcientiam Ieſu Chriſti domini mei, propter quem omnia detrimentum fe ci, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam, ut & inueniar in illo, non habens meam iuſtitiã quæ ex lege eſt, ſed illam quæ ex fide eſt Chri ſti, quæ ex deo eſt, iuſtitia in fide.

Hanc Chriſti doctrinam ſimulatq; guſtare cœpi, nullũ eſt ullius rei lucrum, quantumuis præclaræ, quod non pro damno, imò quod non pro rudere ducam, aut ſi quid rudere contemptius, modo huius diſpendio mihi liceat lucrifacere

Christum, fontem unicum bonorum omniũ quæ uere bona sunt. Pro nihilo habeo meam iustitiam, cuius opinionem mihi uindicabat apud homines Mosaicæ legis obseruatio, modo mihi contingat uera iustitia, qualis & in fide fuit Abrahę, qua & iustificatus est: quam meam non possum appellare, cum haudquaquã paretur nostris meritis, aut legalibus operibus, & ritibus ceremoniarum, sed gratia detur ijs qui sibi diffisi, simpliciter fidunt Christo. Nascitur & ex lege iustitia quædam, sed inefficax ad præstandum salutem: sed quę datur à deo, sic nostra non est, ut tamen nobis conferat ueram salutem, si modo credentes euangelio, per fidem cognoscamus Iesum Christũ, cuius natiuitas mirabilior est, ꝙ ulla mortali sapientia possit intelligi, cuius resurrectionis uis maior est, q̃ ut ullis humanis argumentis queat persuaderi, propter hæc ergo reputaui Iudaica illa omnia ut stercora. Quo enim amplius didiceris Christum cognoscere, tanto magis cadunt illa legis opera, & omnes iustitiæ in quibus confidunt homines, tu quoq; magis confirmaris in conscientia contra portas inferorum, & modestius portas iniustitias proximorum, intelligens te quoq; esse iniustum, & peccatis obnoxium, & sola dei gratia subsistere coram deo, tantum abest ut perfectum te credas & comprehendisse uel scire omnia. Sicut autem tuam insipientiam Christus fert, ita & tu ferre debes aliorum.

6 Ad cognoscendum illum, & uirtutem resurrectionis eius, & societatem passionum illius, configuratus morti eius, si quo modo occurram ad resurrectionem quæ est ex mortuis.

Excellentem autem cognitionem resurrectionis Christi sola fides hæc nobis persuadere potest: & adeo persuasit, ut spe promissorũ fretus, gaudeam uenire in consortiũ afflictionũ illius, uicissim pro illius euãgelio uinctus & moriens, quemadmodum ille pro nobis est cæsus & crucifixus. Si quo modo mihi contingat, ut sicut mortem illius imitor, ita perueniam ad resurrectionis gloriam, per illum resuscitatus. Hæc certissima spes est, quæ me consolatur in his afflictionibus, quod fidam Christi promissis, qui regni sui consortium pollicitus est ijs qui non detrectarint crucis consortium. Potentiam autem resurrectionis Christi cognoscit is, qui scit Christum regnare, & triumphare super mortem, peccatum, & inferos: resurrexisse quoq; propter nostri iustificationem. Hæc autem non sciũtur, nisi per spiritum & fidem uere Christianam. Communionem autem afflictionum Christi cognoscimus, dum omnes Christi afflictiones nostras quoq; esse intelligimus, & nostras Christi, cuius bona uoluntate nobis immittuntur, quali communione perducimur ad plenam resurrectionem cum Christo.

7 Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim, sequor autem si quo modo comprehendam, in quo & comprehensus sum, à Christo Iesu.

Non hæc dixerim, uelut in me situm sit, ut tantum assequar præmium resurrectionis cum Christo. Nondum mihi peruentum est ad metam cursus, nondum assequutus sum brauium, nondum perfectum est certamen, sed tamen huc omnibus neruis adnitor, ut quod sequor, assequar. Neq; enim quomodocunq; curren ti contingit præmiũ, sed acriter, sed constanter allaboranti. Bona spes est, me apprehensurum, quando in hoc ipsum apprehensus sum à Christo, atq; è medio cursu, quem olim male instituerat aduersus illius ecclesiam, retractus, ut in eundem stadio bene currẽs, mererer brauium immortalitatis, ne uos præmij promissi fiducia segnes reddat ac male securos.

8 Fratres, ego me non arbitror comprehendisse, unum autem, quæ qui dem

dem retrò sunt obliuiscens, ad ea uero quæ sunt priora extendens mei-
psum, ad destinatum persequor, ad brauium supernæ uocationis dei in
Christo Iesu.

Quod ambio, quodq; quæro, non arbitror me assequutum. Maximũ est quod
sequor, non temere quis assequitur. Scio ueracem esse Christum, sed humanæ na
turæ fragilitas ac mutabilitas me nondum sinit esse securum: proinde magna qui
dem spe rebus omnibus posthabitis, unum illud ago, ut in cursu euangelico, ue-
lut oblitus eorum quæ à tergo relicta sunt, toto nisu ferar in ea quæ restant à fron
te, neq; temere quouis feror. Dispendiũ enim facit, qui male currit, sed recta ten-
do ad metam euangelicam nobis præfixam, & ad præmium immortalitatis, ad
quod deus agonotheta noster, è cœlis spectans conatum nostrum, nos uocat, opi
tulante Christo Iesu. Extendebat se Paulus ad cœlestia, secundum intentionem,
non secundum peruentionem uel apprehensionem: sic & nos ne relabamur tem
poralium amore, unde iam transiliuimus, nec remaneamus in illis in quæ iam ue
nimus, in uia sumus, non retrospiciamus, sed in anteriora desiderio. Vita enim
Christiani, sanctum est desiderium: quod autem desideras, nondum habes, sed de
siderando capax efficeris, ut cum uenerit quod uideas implearis: differẽdo enim
bonum desiderium nostrum, intendit deus, & intendendo facit capacem. Deside
remus ergo, ut impleamur: tantum autem nos exercet sanctum desideriũ, quan-
tum desideria nostra amputauerimus ab amore sæculi.

Quicunq; ergo perfecti sumus, hoc sentiamus: & si quid aliter sapitis, 9
& hoc uobis deus reuelabit. Veruntamen ad quod peruenimus, ut idem
sapiamus, in eadem permaneamus regula.

Qui legem admiscent euangelio, quid aliud q̃ cursum nostrum studeant remo
rari? Quotquot igitur perfecti sumus, ita simus affecti, ut præter euangelicum
scopum nihil nobis proponamus. Quod si qui sunt inter uos aliquanto infirmio-
res, qui patriã legem cui asueuerunt, non omnino possunt contemnere, ferãtur,
donec & ipsi proficiant. Vobis reuelauit deus, legis præsidijs nequaquam esse o-
pus, fortassis futurum est, ut illis quoq; idem reuelet: at interim sanè cursum eum
quem iam cœpimus, iuxta regulam præscriptam pergamus. Et in hoc certe simus
concordes, ne patiamur nos ab instituto retrahi, sed pro sua quisq; uirili propere
mus ad præmium immortalitatis. Nos interim meminerimus, nondum nos esse
perfectos, multa adhuc ignorare, qui omnia præterita nostra ueritate cogente, da
mnare cogimur: sed fert Christus insipientiam nostram, ut nos quoq; aliorum in
sipientiam ferre discamus. Melior est conditio adhuc errantium, q̃ illorum qui se
iam putant apprehendisse. Adhuc nanq; in multis deficimus omnes, sed consola-
tur nos hic Paulus, dicens: Si quid aliter sentitis, hoc quoq; uobis deus reuelabit.
Deus multa ignorare permittit sanctos, & in quibusdam etiam errare, ut post de-
prehenso errore, discamus non cõfidere in nobis. Stultæ sumus ouiculæ, sed sub
manu pastoris Christi humiles sensu, perire non possumus.

Imitatores mei estote fratres, & obseruate eos qui ita ambulant, sicut 10
habetis formam nos.

Sunt qui rectum cursum non teneant, eos sequi tutum non est: me potius imi
temini, recta properantem ad euangelij brauia, & obseruate eos quos uideritis
ad nostrum exemplar incedere. Christus optimam formam nobis exhibuit, ad
hanc me uidetis eodẽ conniti, quo peruenit ille. Non omnes qui currũt in hoc sta

dio præmium consequuntur. Vult ergo illos solicitos esse, ne prauorũ hominum subtilitate capiantur, & notare unumquenq; , quomodo conuersetur & doceat, ut in his iungantur, in quibus sensum magistri sui agnouerint.

11 Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam uobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum deus uenter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.

Sunt cõplures, de quibus & antea sæpenumero loquutus sum uobis, & nunc rursum cum lachrymis dico, sic Christum prædicãtes, ut interim inimici sint crucis Christi: nolunt enim imitari uitam ac mortem illius, ut cum illo uiuant in æternum, sed ad quæstum & gloriam suam, pro uera pietate docent Iudaicas observatiunculas, circũcisionem, ciborum delectum, discrimina dierum, ut his alijs oneratis, ipsi interim regnent, ac suauiter uiuant, perinde quasi post hanc uitam non expectent aliam. Sed ab horũ moribus finis illoq; uos deterreat: nam quemadmodum per infamiam humanã tendimus ad æternã gloriam, & per tẽporarias afflictiones connitimur ad immortalitatem ac felicitatem: ita illi per momentarias uoluptates asciscunt sibi sempiternum exitium. Ventrem habẽtes loco dei, qui non poterit eis succurrere, & per fucatam apud homines gloriam, quã collocant, non in Christo, sed in rebus pudendis, festinant ad æternam ignominiam. Nam temporarium & fucatum est, quicquid terrenum est: uerum atq; æternum, quicquid cœleste. At isti nihil aliud curant q; terrestria, in his gloriam, in his uoluptatem, in his opes suas collocant, multum aberrantes à scopo euangelico.

12 Nostra autem conuersatio in cœlis est, unde etiam saluatorem expectamus dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem uirtutis suæ, qua etiam possit subijcere sibi omnia.

Nos qui Christum uere sequimur, licet corporibus detineamur in terris, tamen animis in cœlis uiuimus, illuc assidue suspirantes, quò præcessit caput nostrum, unde et per fidem expectamus dominum Iesum Christum, qui resuscitatis mortuis, palàm exhibebit ea quæ pollicet, interim transformaturus hoc corpusculum humile, & omnibus iniurijs obnoxium, ac simile redditurus corpori suo glorioso, quo nimirum membra, quæ fuerunt hic afflictionum illius consortia, illic uocentur in consortium felicitatis. Nec istud uidebitur cuiquam incredibile, qui perpenderit uim illius, per quem res geretur: nihil est enim quod ille præstare non possit, cui in manu est, ubi libuerit, sibi subijcere omnia. Eam potentiam tum aperiet omnibus, quamuis interim sæpenumero dissimulet.

CAPVT IIII.

1 ITaq; fratres mei charissimi & desideratissimi, gaudium meum & corona mea, sic state in domino charissimi.

Tantarum rerum spe suffulti fratres, quorum successum gaudium meum esse duco, quorum uictoriam, meam coronã esse iudico, quemadmodum cœpistis, ita persistite: neq; sinatis uos deflecti à Christo Iesu, sed unanimi spiritu fortes consistite contra calamitates huius mundi & tentationes: in præsenti enim uita constantia necessaria est fidei, ut in futuro sequatur corona. Discipulis quoq; in agone uictoribus, dignus quoq; erit corona magister.

2 Euodiam rogo, & Syntychen deprecor, idipsum sapere in domino.

Etiam rogo & te germane compar, adiuua illas quæ mecum laborauerũt in

in euangelio, cum Clemente & cæteris adiutoribus meis, quorũ nomina sunt in libro uitæ.

Euodia & Syntychis uidentur duæ mulieres sanctæ fuisse, mutua tamen inter se simultate laborantes, quas hac exhortatione studet iterum componere, ut concordibus animis sint in promouendo euangelio Christi. Quin & te rogo, uera germanaq; coniunx, mecum in euangelij negotio consentiens, ut istis mulieribus adsis, quæ participes fuerunt laborum & periculorum meorum in euangelio, unà cum Clemente, simulq; reliquis qui mihi fuerunt in euangelio cooperarijs, quorum nomina quid attinet à me referri, cum scripta sint in libro uitæ, nunquam abolenda? Ibi scripta sunt omnium nomina, quicunq; suis officijs adiuuãt rem euangelicã, quorum de numero estis uos. Sunt magni authores apud Græcos, qui putant Paulum habuisse uxorem, & cõsentaneum est, hic mulieres commẽdari mulieribus. Quod addit, Germana & uera, pulchre quadrat in eam, quæ & ipsa Christum unà cum marito amplecteretur. Cum enim consensus est, non solum in cõuictu, uerumetiam in professione fidei, in studio pietatis, in uitę similitudine, tum demiq; uerum est coniugium: alioqui impar uocatur coniugium, quoties diuersi religione iugo matrimonij continentur. Sanctus Clemens Historiæ Ecclesiasticæ libro 3. referente Eusebio, locum hunc citat, quo doceat Paulo fuisse uxorem, quum tamen eam exemplo Petri non circunduxerit, quo uidelicet expeditior esset ad negotium euangelicum. Quin idem & Philippo uxorem fuisse scribit, & apostolos filias suas nuptum dedisse, tantũ aberat ut damnarent matrimonium. Theophylactus Græcorum omnium recentior repugnat.

Gaudete in domino semper, iterum dico gaudete, modestia uestra no 5
ta sit omnibus hominibus. Dominus prope est.

Gaudete semper etiam in medijs afflictionibus. Iterum atq; iterum iubeo uos læto esse animo, quantumuis sæuiat in uos improborum iniquitas, tamen uestra æquitas uestraq; moderatio nota sit & spectata cunctis mortalibus, nõ solum fratribus, uerumetiam alienis à Christo, quo citius uestra bonitate prouocati, pelliceantur ad euangelij consortium. Lenitas enim morum conciliat ac frãgit etiam impios. Ne uelitis illos ulcisci, néue illis suas delicias inuideatis, instat enim aduentus Christi, qui & uobis pro spretis huius mundi commodis, largietur immortalitatem, & illi suæ dementiæ pœnas luent. Est autem modestia, uirtus qua non tuo sensui inniteris, sed accommodas te alijs, quantum cum deo licet in omnibus rebus: idq; intuitu dei, cuius spiritus adiuuat, ut eam præstes etiam hostibus & inferioribus, cum iactura quoq; æstimationis propriæ, quam pro te curabit dominus, tibi proximus semper.

Nihil soliciti sitis, sed in omni oratione & obsecratione, cum gratia- 4
rumactione, petitiones uestræ innotescant apud deum.

Vos in diem uiuite, nulla de re soliciti, tantum illud agẽtes, ut ille aduenies, uos offendat paratos, ab illo pendete totis animis. Quod si qua re fuerit opus, ne fidite mundi præsidijs, sed deum assiduis precibus interpellate, illi uotis ardentibus significãtes, si quid postulatis, illi gratias agentes, quicquid euenerit, seu prosperum seu aduersum, certi fore ut per illum & aduersa uobis reddantur prospera. Nouit ille quidem, etiamsi nihil postuletis quid uobis sit cõducibile, sed tamen amat huiusmodi legationibus appellari, amat pijs uotis solicitari, ac uelut cogi.

Et pax dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda uestra & 5

intelligentias uestras, in Christo Iesu.

Sic autem fiet, ut pax qua conciliati estis deo, res felicior, & ut humana mens queat percipere, muniat corda uestra atq; animos uestros, aduersus omnia quæ hic possunt incidere formidãda. Quid enim metuat, qui se norit deo charum esse per Christum Iesum? Ista autem pax donatur à deo credentibus, ut gaudeant de remissione peccatorum, & gratia donata, mutuaq; se charitate complectantur. Eam autem pacem nulla potest humana ratio comprehendere, quæ sola carni dulcia, iudicat esse pacem. Pax autem dei exultat etiam in tribulationibus, sciens deo placere quicquid fit electis, omniaq; eis cedere in salutem. Hæc est pax conscientiæ sanctæ.

6 De cætero fratres, quæcunq; sunt uera, quæcunq; pudica, quæcunq; iusta, quæcunq; sancta, quæcunq; amabilia, quęcunq; bonæ famæ, si qua uirtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate.

Vt harum rerum quibus uel blanditur uel terret hic mundus, cura uacuos uos uolo, ita totis animis aduigilandum est, ut uirtutibus diteſcatis, quæ uos deo commendent. Itaq; quæcunq; sunt uera, & ab omni fuco abhorrentia, quæcunq; decora atq; honesta, dignaq; his qui res humiles atq; ineptas detestantur, quæcunq; iusta, quæcunq; pura sanctaq;, quæcunq; ad alendam concordiam accommoda, quæcunq; bonam famam conciliant. Si qua uirtus, si qua laus uirtutis comes, hæc uobis curæ & cordi sint, hæc uestris animis obuersentur. In hoc sequuti formam Christi & apostolicam, ut pacem illam ueram assequamini, quam nulla admittit hypocrisis, sed ueritas fidei, uerborum & operum.

7 Quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & uidistis in me, hæc agite, & deus pacis erit uobiscum.

Hæc prædicta ac similia, quæ pridem & didicistis & à nobis accepistis: necau distis tantum ex me, sed etiam uidistis in me. Non enim docui uos, quod ipse non præstiterim. Hæc eadem igitur non solum meminerítis, uerumetiam prę̃stetis, & ipsi nos imitantes. Hæc agentibus aderit deus author pacis, cui non cõuenit nisi cum uirtutum cultoribus.

8 Gauisus sum autem in domino uehementer, quoniam tandem aliquando refloruistis, pro me sentire, sicut & sentiebatis, occupati autem eratis.

Voluptati autem non mediocri fuit animo meo, quod solitus ille uestræ charitatis affectus erga me, iam aliquandiu intermissus, aliquando reuiguit, ac ueluti refloruit: imò non fuit intermissus affectus, sed is cum esset sui similis, deerat uobis opportunitas mittendi quæ uolebatis. Proinde gaudeo, non perinde commodo meo, ac uestra charitate, qua gaudeo uos deo dignos reddi, qui memores facti Apostoli sui, uestros fructus misistis, condendos in horreo cœlesti, ubi neq; tinea nec rubigo exterminant.

9 Non quasi propter penuriam dico, ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse.

Non admodum me mouet meæ penuriæ uestra liberalitate subuentum esse: nam harum rerum rudis non sum aut insolens, imò multo iam usu ad horum malorum patientiam occalluí, ut sim iugiter contentus sorte mea, siue abundare me contingat, siue ferre penuriam, sic enim decet Christianos. Et Christus exemplar paupertatis factus, non habuit ubi reclinaret caput. Sed & habentes uictum & amictum,

amictum, his didicerunt sancti esse contenti.

Scio & humiliari, scio & abundare, ubicq; & in omnibus institutus 10
sum, & satiari & esurire, & abundare & penuriam pati. Omnia possum
in eo qui me confortat. Veruntamen bene feciſtis, communicantes tribu
lationi meæ.

Didici præsente fortuna quæcunq; ea fuerit, contentus esse. Noui uel inter
pauperculos humilis & pauper esse, noui & inter diuites excellere: si deest, con-
traho me: si supereſt, effundo in aliorū usus, & magnificum largitorem ago. Ege-
stas tutior est, abundantia benignior. Ad omnem locum, ad omne tempus, ad o-
mnem occasionem memet accommodare noui, sic ad utranq; fortunam factus &
edoctus. Nec me corrumpit saturitas, si adsit rerum copia: nec me deijcit esuries,
si desit quod edatur: nec elatum reddit opulentia, si quid obuenerit supra necessi
tatem: nec exanimat inopia, si minus est q̄ postulet usus uitæ. Cur enim hæc mo-
ueant animum meū, qui compedes & flagra contemno euāgelij gratia? Nihil est
horum quod non perpetiar infracto animo, confirmante & corroborante me Ie-
su Christo, cuius præsidio fortis sum, cū ex meipso sim nihil. Neq; uero hæc dixe
rim, quod ueſtram munificentiam habeam contemptui, imò uehementer laudo
pietatem ueſtram, qui uos me inseruerit is in societatem afflictionū mearum, præ
miorum quoq; participes futuri apud deum. Amplector spontaneam animi ue-
ſtri promptitudinem, nam ipse non soleo quicquam istorum officiorum, à quo-
quam flagitare.

Scitis autem & uos Philippenses, quod in principio euangelij, quan- 11
do profectus sum à Macedonia, nulla mihi ecclesia communicauit in ra-
tione dati & accepti, nisi uos soli, quia & Theſſalonicam semel & bis in
usum mihi misiſtis.

Vos mihi testes estis, quod cum primum in finitimis regionibus prædicarem
euangelium Christi, & è Macedonia discederem, nullam ecclesiam mihi commu-
nicasse. Certe quod attinet ad rationem dandi & accipiendi, nec enim illi dedere
quicquam, nec ego studebam accipere. Vos soli ultro detuliſtis, non solum cum
apud uos agerem, uerumetiā cum essem Theſſalonicæ, semel atq; iterum misiſtis
absenti, quę putabatis mihi esse opus. Ditior erat Theſſalonica, sed uobis animus
erat benignior.

Non quod quæro datum, sed requiro fructum abundantem in ratio 12
nem ueſtram.

Illos ego non incuso, sed ueſtro profectui gratulor potius q̄ meo: nam ingens
lucrum facit, qui ob euangelij Christi rem minuit temporariam, & alienas opes
cum ueris & æternis opibus commutat. Ipse non requiro munus, sed requiro fru
ctum, qui uobis accreſcit ex ista munificentia prompta ac ultronea. Paululum de
creſcit rationibus ueſtris pecuniarijs, nō nihil accidit censui domeſtico, sed plu
rimum accedit rationibus cœleſtium præmiorum: & tamen quod ad me quoq;
pertinet, non est quod doleatis, parum gratam fuisse ueſtram beneficentiam.

Habeo autem omnia & abundo, repletus sum, acceptis ab Epaphro- 13
dito quæ misiſtis, in odorem suauitatis, hostiam acceptam, placentē deo.

Iam omnibus receptis ueſtra nunc munificentia diues sum, expletus sum ijs,
quæ mihi à uobis pertulit Epaphroditus. Adeo copiose misiſtis. Accepi autē non

tanquam munus ab hominibus homini missum, sed tanquã hostiam deo gratissimam, cui nullus odor sacrificij gratior est, quàm spontaneum officium euangelicæ charitatis. Hic autem nobis uidendum, dum sine adulatione multis uerbis spiritualis homo gratias agit, quid discamus: nempe ueri prædicatoris officium esse, à suis nihil requirere: deinde auditorum esse prædicatoris inopiam subleuare. Et ne prædicator occasionem prębeat pseudapostolis, etiam ab aliquibus abstinere, quæ iure ei debentur. Sicut Paulus abstinuit, ne acciperet aliquid à Thessalonicensibus & Corinthijs. Item, quæ sic dantur, cedere in commodum illorum qui dant. Item, Hæc ipsa data esse hostiam acceptam deo, ad Heb. 13. Talibus hostijs placatur deus. Item, Dantibus reddi à deo abunde secũdum euangelium. Postremo, Sanctos esse contentos in ijs quæ habent, & sub dei prouidentia gaudere securos.

14 Deus autem meus impleat omne desiderium uestrum, secundum diuitias suas in gloria, in Christo Iesu. Deo autem & patri nostro gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Quemadmodum uos uestras fortunas atteritis, ne quid mihi desit: ita deus meus uicissim suppleat uobis quicquid defecerit in hac uita. Quum enim is opulentus sit, non sinit ut quicquam desit usibus uestris, qui ob eius euangelium pauperescitis. Hoc ad ipsius & Christi gloriam pertinet. Sit autem omnis gloria deo patri nostro sæculis æternis, Amen. Gloria autem est Christi Iesu, cum dei nutu Christianorum sancta implentur desideria.

15 Salutate omnem sanctum in Christo Iesu. Salutant uos qui mecum sunt fratres. Salutant uos omnes sancti, maxime autem qui de Cæsaris domo sunt. Gratia domini nostri Iesu Christi cum spiritu uestro. Amen.

Sancti sunt, qui iuxta Christi doctrinam, sanctimoniam, uitæq; puritatem sectantur. Et erant ex Cæsaris familia quoq;, qui Christi doctrinam amplexi fuerant, nec tam sæui principis dominiq; metu, à Christi professione deterrebantur, quos & significat propensiorem affectum habere circa Philippensium fideles, quos & sanctos appellat, utcunq; constitutos in aula impijssimi tyranni.

FINIS.

COMMENTARIVM IN EPISTOLAM D. PAVLI APOSTOLI AD COLOSSENSES.

ARGVMENTVM.

COLOSSENSES in Asia minore sunt, finitimi Laodicensibus & Hierapolitis, omnes accensi Phrygiæ. Istis Paulus in hac epistola Iudaismo & paganismo cõsuluit, illi fiduciam, isti supercilium detraxit. Vtrinq; enim euangelicæ doctrinæ puritas subinde aliis atq; aliis persuasionibus uitiata laborabat. Erãt ex ethnicis docti uiri ad Christum conuersi, qui arrepta ministerij functione, cum eloquẽtia ualerent, philosophiæ dogmata insyncera de deo, de astris, de fato, de uirtute, de rationis præcellentia & sublimitate, ex porticu fortassis aut academia petita ingerebant. Quippe in illis perdiscendis erant educati, & fides pro modulo data conceptã à teneris persuasionem nondum eliminauerat. Neophiti igitur à cisternis hauriebant, sed quod purissimis sanæ doctrinæ fontibus suffuderunt. Contrà, qui ex circuncisione crediderunt, fauebãt legi, pariter à teneris imbibitæ, nec desinebant ceu iussam à deo & ad salutem attinentem simplicium animis inculcare. Proinde Apostolus certo sciens, nec in ratione hominis aut uirtute, neq; in lege & eius iustitia quicquam esse quod ad salutem faciat, sed plenitudinem iustitiæ esse in Christo, per quem credẽtibus donata sit redemptio, Colossarum ecclesiam admonet, ut neq; his, neq; illis aurem præbeant: palàm testatus, tam philosophia quàm lege candorem euangelij subuerti, sed in Christo fixas radices teneant, quemadmodum essent illum ab Epaphra edocti. Vtinam & nos in postremis illis temporibus hanc eximiam doctrinam sic fuissemus secuti, Paulo inhortante, ut nec Iudæos audissemus operum fabricatores, nec ethnicos admisissemus argutiarum magistros. Hoc uno enim præsidio declinare licuisset flagrantissimum illud belli incendium, quod euãgelio etiamnum aduersum carnis iustitiam & prudentiam gerit. Hæc Ioachimus Vadianus. In posterioribus hortatur ad officia uaria & necessaria pietatis, salutationibus eam finiens.

CAPVT PRIMVM.

PAVLVS apostolus Iesu Christi per uoluntatem dei, & Timotheus frater, 1 ijs qui sunt Colossis sanctis & fidelibus fratribus in Christo Iesu. Gratia uobis & pax à deo patre nostro.

Solet Paulus officium suum prædicare apostolicum, significatq; hic quoq; se non humana electione, sed diuina uoce uocatum ad hanc functionem. Vt ergo uoluit deus Israelitas credere Mosi, sic Paulo quoq; nouam quãdam doctrinam, & in aliquibus dissimilem in mundum spargenti, propter quod utriq; largitus est miraculorum gratiam. Tutum est ergo Pauli doctrinæ credere, nõ aliter atq; manifestæ uoci dei de cœlo: is tamen sibi fratris & collegæ nomine ascisçit Timotheum, ob perfectum consensum in euangelio. Scribitq; his qui Colossis Christo fidunt, cuiusq; doctrinam uitæq; sanctimoniam sectantur. Precatur autem gratiam & fauorem dei, qua significatur simpliciter peccatorum remissio. Pacem quoq; quæ significat, non tantum conscientiæ tranquillitatem & gaudium, sed generaliter Hebraico more res secundas, & quicquid fauore dei donatur, fidem, gaudium mentis, & similia uere bona. Quæ à deo nobis precanda sunt, quando

induſtria noſtra comparari non poſſunt. Orat autem ut quemadmodũ grati deo ſunt & conciliati, ſic mutuam alant inter ſe concordiam, ſicuti decet fratres communi patre gloriantes.

2 Gratias agimus deo & patri domini noſtri Ieſu Chriſti, ſemper pro uobis orantes, audientes fidem ueſtram in Chriſto Ieſu, & dilectionem quam habetis in ſanctos omnes.

Gratulatur fidelibus, quod euangelium uere cognouerint, nempe cuius fructus in eis eximius uideatur, ex ſyncera fide in Chriſtum promereri opera charitatis in proximos. Tametſi, inquit, non contigit mihi uidere uos, tamen in precibus noſtris quibus aſſidue cõpellamus deum & patrem domini noſtri Ieſu Chriſti, ſimul etiam pro uobis, & gratias agimus pro donis illius in uos collatis, & precamur ut ſuas dotes indies augeat, & auctas tueatur. Poſteaquã per Epaphram cognouimus fidem ueſtram, qua confidimus uos fore incolumes, non alio quõcunq; præſidio, q̃ gratuito beneficio dei, & domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem patri uiſum eſt nobis largiri omnia, nam & hunc Chriſtum appellari uoluit, ut ex illo ſalutem haurirent omnes, & Ieſum, ne aliunde quis ſperet ſalutẽ. Neq; ſolum cognouimus fiduciam ueſtram erga illum, uerumetiam huius comitem charitatem, quam ad Chriſti exemplum habetis erga ſanctos omnes. Eſt autem charitas in ſcripturis officiũ, quo obligamur proximo: fides uero eſt in ſolo deo per Chriſtum hærere ſecundum uerbi eius promiſſionem, utcunq; tibi acciderit tentatio. Quod uero dicit audientes uel audiuimus, notat Paulum nõ acceſſiſſe Coloſſenſes, ſed miſerat Epaphram, à quo audierant euangelium, & iam habebãt Archipum apoſtolum ſiue paſtorem, ut patet ex fine epiſtolæ huius.

3 Propter ſpem quæ repoſita eſt uobis in cœlis, quam audiſtis in uerbo ueritatis euangelij, quod peruenit ad uos, ſicut & in uniuerſo mundo eſt, & fructificat & creſcit.

Benefacitis autem ſanctis, deq; eis ſtudetis bene mereri, non ulla ſperedituri interim ad uos cum fœnore beneficij, ſed ſpe immortalitatis, quam ſcitis ueſtræ pietati reconditam in cœlis. Sic enim uere perſuaſum eſt uobis per euangelium Chriſti, quod ita uerax eſt, ut licet ingentia polliceat̃, & inaudita proferat, tamen quoniam authore deo nititur, mentiri non poſſit. Quod ut per uniuerſum mundum indies magis ac magis propagabit̃, ita ad uos quoq; peruenit, quotidie creſcens & augeſcens, latius ſpargens ſeſe, ſimulq; fructificans pijs operibus, quæ gignit ultro Chriſtiana charitas. Non autẽ intelligamus hic opera charitatis in proximum mercenaria doceri, propter cœleſte præmium repoſitum facienda. Loquitur autem ſcriptura hic & alibi, quaſi merces operi debeatur, cum bonorum noſtrorum deus nihil indigeat, & uult paterfamiliãs, magnus deus, huic nouiſſimo laboratori dare ſicut primo. An non, inquit, licet mihi facere quod uolo: uultq; nos mutuo inſeruire gratis & libera charitate. Sicut fratres carnales ſeruiũt infirmis fratribus, ſpe quidem recipiendi à patre præmij promiſſi, alioquí tamen ſeruituri etiam ſi nihil daretur, quia diligunt & patrem & fratrem, certe non tam mercenaria q̃ naturali charitate: ſic quoq; Paulus loquitur quaſi pro paſſione noſtra debeatur nobis gloria. Roma. 8. Si tamen compatimur, ut & conglorificemur. Et Chriſtus, Oportuit Chriſtũ pati, & ita intrare in gloriam ſuam. Sed nõ eſt hic inſpiciendum opus uel paſſio, ſed bona uoluntas dei patris, uolentis per ignominiam glorificare. Non ſunt enim condignæ paſſiones huius ſæculi ad futuram, &c. Sic hoc loco charitas exhibetur in ſanctos, propter ſpem repoſitam in cœlis:

quam

quam ſpem concipis non ex opere quod facis, quaſi hoc opus dignum ſit cui merces debeatur in cœlis, ſed quam concipis, ex promiſſione dei promittentis cœleſtia, ſi hoc & illud feceris. Solius ergo uerbi dei fiducia facienda ſunt bona, ad placendum deo, ut omnia fiant ex fide. Audire quoq; in ueritate euangelium, eſt cognoſcere gratiam dei nō uane, ſed per fidem miſericordiæ dei per Chriſtum, quā ſpiritus dei imbuit & perfundit corda, ut fructificēt. Si enim uere eſt in nobis iſta fides, ſine fructu eſſe non poteſt.

Sicut & in uobis ex ea die qua audiſtis & cognouiſtis gratiam dei in 4
ueritate, ſicut didiciſtis ab Epaphra chariſſimo conſeruo noſtro, qui eſt fidelis pro nobis miniſter Chriſti Ieſu, qui etiam manifeſtauit nobis dilectionem ueſtram in ſpiritu.

Euangelicæ ueritatis per fidem fructificatio etiam accidit in uobis, ſemper ad meliora proficientibus, ab eo die quo primū audiſtis & cognouiſtis uere per gratuitam dei beneficentiam omnibus condonari peccata qui credunt euangelio, ſi recte credulitati copuletur ſyncera charitas. Sic enim didiciſtis ab Epaphra chariſſimo conſeruo meo, bonæq; fidei apoſtolo Chriſti. Quippe qui ſyncere noſtri uicibus functus eſt apud uos, ſic adminiſtrans pro Ieſu Chriſto functionem euangelicā, ut in omnibus integre ſe geſſerit. Sicut igitur per hunc uos docui, ita per eundem intelligimus ueſtram erga nos beneuolētiam: non uulgarem illam, qua uulgo bene uolunt notis & amicis, ſed ſpiritualem & euāgelicam, qua diligimus omnes, per quos illuſtratur & cōfirmatur euangelij gloria, etiamſi corporeis oculis nunquam ſint nobis conſpecti.

Ideo & nos ex qua die audiuimus, non ceſſamus pro uobis orantes 5
& poſtulantes, ut impleamini agnitione uoluntatis eius, in omni ſapientia & intellectu ſpirituali.

Nos itidem iſti ueſtro in nos animo reſpondentes, etiam non uiſos amamus, ex eo ſtatim die, quo de credulitate ueſtra, deq; charitate certiores facti ſumus, aſſiduis precibus interpellantes deum pro uobis, ac uotis ardentibus efflagitantes, ut ſua munera, quæ largiri cœpit, perficiat, atq; abſoluat in uobis, quo & plenius agnoſcatis illius uoluntatem, edocti non humana philoſophia, aut ſuperſtitioſa quorundam hominum perſuaſione, ſed ſapientia prudentiaq; ſpirituali, cuius iam bonam partem eſtis aſſequuti, in qua cupio uobis nihil deeſſe. Cognoſcere autem dei uoluntatem, eſt ſerio ſentire deum iraſci peccatis, & perhorreſcere dei iram: & rurſum re uera ſentire et credere deum propter Chriſtum condonare peccata, receptos in gratiā defendere, & ſuo ſpiritu gubernare, uelleq; affligi quidem & mortificari carnem, ſed tamen in cruce conſolari & iuuari. Hic aūt optat Paulus fidelibus nobis, ut firmam ſententiam teneamus, quod deus adſit, & uelit noſtri miſereri, & nos ſeruare. Eſt quoq; ſapientia de qua hic loquitur, ut noris ea quæ dei ſunt. Prudētia, ut noris cauere quicquid huic ſapientię eſt aduerſum, omnes aduerſariorum inſidias, qui adnituntur, ut à ſimplicitate uerbi dei abducant, quemadmodum Euam: unde & ſemper ſit uigilandum.

Vt ambuletis digne deo, per omnia placentes, in omni opere bono 6
fructificantes, & creſcentes in ſcientia dei, in omni uirtute confortati, ſecundum potentiam claritatis eius, in omni patientia & longanimitate.

Sic ergo perfecti in domini agnitione ueraq; ſapientia, ſic omnem uitam agatis, ut digna deo uideatur, utq; illi per omnia placeatis, non prætermittētes ullum

bonum opus, nam his rebus illi placetur. Siquidem credidisse euãgelio, rudimentum est salutis, absoluitur autem ac perficitur pijs actionibus. Neq; satis est per euangeliũ didicisse, deum esse salutis authorem per Iesum Christũ filium suum, nisi per hanc scientiam, Christianæ charitatis officijs adolescatis & fructificetis, usq; & usq; in melius proficientes, atq; in his constanter perseueretis, omni robore cõfirmati, ne qua uis aut procella persequutionis uos dimoueat à recto cursu, quam ad rem magnis sanè uiribus opus est, eos non est quod ipsi uobis ex nobis ipsis polliceamur. Deus illas suppeditet oportet, sic, uti omnis gloria eorum quæ per nos fortiter geruntur, ad illũ redeat, cuius beneficio nobis præstatur, uti summa cum tolerantia summaq; animi lenitate perferamus, quicquid interim nobis obstrepit ob euangelium Christi.

7 Cum gaudio gratias agẽtes deo patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ.

Non satis est ut in his fortes simus & intrepidi, quin potius decet, ut alacriter etiam suscipiamus afflictiones, cum gaudio gratias agẽtes deo patri, quo uos hoc honore dignatus sit, ut cum antea fueritis simulachrorũ ac dæmonum cultores, dignatus sit ascisere in consortium ludæorum, qui ob ueri dei cultum præ uobis erant sancti, & ad eandem hæreditatem admittere immortalitatis, cuius spe contemnendum est quicquid hic uel terrtat uel blanditur: utq; uobis, qui prius in densissimis ignorantiæ tenebris uersabamini, lucem euangelicæ ueritatis impertierit: & qui prius fœdissimam simul & miserrimam seruitutem seruiebatis, sub tyrannide diaboli, tenebrarum principis, inde uos exemptos transtuleritin regnum filij sui, quo nihil habet charius, ut in illius corpus ascíti, cum eodem haberetis regni consortium. Propterea etiam in tenebris esse, est, non nosse deum, nescire in quo peccetur contra deum, nec in quo sit iustitia uera coram deo, esse in potestate satanæ, & propensum ad omnis generis flagitia perpetranda, obnoxium q; æternæ morti.

8 In quo habemus redemptionem & remissionem peccatorum, qui est imago dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ.

In regno Christi & dei locus non est ijs qui peccato sunt obnoxij, eoq; per filium dei data est libertas, per quem remissa nobis sunt peccata uitæ superioris. In huius igitur ius cessistis, cuius beneficio fuistis restituti. Videte q; felix commutatio. Prius ad diaboli corpus pertinebatis, nunc insiti estis corpori Christi, cuius tanta est dignitas, ut imago sit dei patris, qui lucem habitat inaccessam, nec à quoquam cerni potest, etiamsi per filium nobis utcunq; cernitur, ipsi ut simillimum, ita etiam æqualem. Neq; enim minus sapiens est, aut minus potens, aut minus bonus q; pater. Neq; hæc illi nuper accesserunt, sed antequam quicquã esset conditum. Ille ab æterno fuit imago patris æterni, non conditus, sed natus ab eo, à quo sunt omnia, quiq; solus nullum habet principium temporis, genitus autem ab æterno à patre, ut lumen de lumine. Et uerbum similitudo est rerum. Vt enim uerba apud nos simulachra rerum sunt, sic filius dei uera est effigies patris, è mente patris nata. Et quia in terris filius caro factus, exposuit nobis uoluntatem patris, iuxta illud, Filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit nobis. Discimus hinc quoq; quid sit creatio. Non enim ita conditæ res sunt, ut nũc sine dei uirtute consistant. Deus enim gubernat omnes, agitat assiduo, in ipso enim sumus, uiuimus, & mouemur. Non discessit deus à conditis rebus suis, sed eius est quod spiramus, edimus,

edimus, loquimur, & naturalia quęcunq; officia perficimus. Primogenitus quo que dicitur ante omnem creaturã, quia omnia creata sunt per illum & in illum, siue propter illum, & omnia per illum & in illo conseruãtur, portante omnia uer bo uirtutis suæ.

Quoniam in ipso condita sunt uniuersa, in cœlis & in terra, uisibilia 9
& inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue pote-
states, omnia per ipsum & in ipso creata sunt.

Pater deus ex se genuit filium deum, simulq; cum filio creauit & cõdidit uni-
uersa, quicquid usquam est rerum, siue in cœlis siue in terris, uisibile pariter atq;
inuisibile: nec angelis ipsis exceptis, etiam summatibus, siue thronos dicas, siue
dominationes, siue principatus, siue potestates. Quæ sic præcellunt cæteris rebus
creatis omnibus, ut longe tamen sint infra dignitatem eius, quia creaturæ dei, cui
uos estis agglutinati. Quod enim conditum est, inferius sit oportet suo cõditore.
At per Christum non solum condita sunt omnia, uerumetiã ab eodem gubernan
tur & seruantur omnia. Hac quoq; in parte patri compare & cõsorte. Quicquid
potens & efficax & magnificum, ubiq; domino conseruante consistit & durat.

Et ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant, & ipse est caput cor 10
poris ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis.

Christus patris unigenitus ab æterno, nullo posterior est creato, sed præcedit
omnia condita, quæ per eum consistunt, peritura statim, nisi penderẽt ab illo. Vi
detis quæ sit dignitas ac præeminẽtia Christi, ne quis nimium tribuat angelis, uel
etiam dignissimis creaturis. At ne maiestas illius uos deterreat, audite bonitatem
eiusdem, ne putetis alium uobis quærendum esse, per quem aditum habeatis ad
patrem. Si enim est princeps omnium angelicarum mentium, & intelligẽtiarum
separatarum, ut philosophi nominant, ut idem non dedignetur esse caput eccle-
siæ, quam sibi adglutinauit, ut non aliter cum ipso cohæreat, q; corpus annexum
est capiti. Proinde nobis commune sit oportet, quicquid in capite præcessit. Pri-
mus ille resurrexit à morte, non ut solus frueretur immortalitate, sed ut nos sua
membra, ad immortalitatis consortium eueheret, sicut in Adam omnes fuerant
mortui. Primus ipse Christus resurrectione glorificatus est, ut nos omnes sua re-
surrectione glorificaret & iustificaret. Sunt quidem & aliqui ante Christi resur-
rectionem olim resuscitati à prophetis & à Christo, sed ad uitã animalem & mor
talem, iterum suo tempore morituri, per resurrectionẽ autem Christi, corpus est
factum glorioſum, impassibile, immortale.

Vt sit in omnibus ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit o- 11
mnem plenitudinem inhabitare, & per eum recõciliare omnia in ipsum,
pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœ-
lis sunt.

Quod primitijs tribuitur, toti massæ commune sit oportet. Ille quidem prin-
ceps & author resurrectionis, sed per illum resurrecturi sumus et nos: & quemad
modum primas tenet in rebus conditis, sic tamen ut conditus ipse non sit: sic &
in restitutione rerum conditarũ primas tenet: ut sicut illi debemus quod nati su-
mus, ita eidem debeamus, quod ad salutem renati. Sic enim patri uisum est, ut in
filium trãsfunderet plenitudinem omnem diuinæ potestatis ac bonitatis: quæ sic
in illo maneret, ut non esset opus quicquam unquã aliunde petere, cum nihil ue-
lit aut possit pater, quod idem non uelit ac possit filius. Non est nostrũ disquirere

cur ita uisum sit patri, cum certum sit, optimũ esse quicquid ille decreuit. Sic, inquam, illi uisum est, & ad nostram salutem, & ad suam gloriam conducere, ut omnia sibi reconciliaret: non per angelos, sed per filium proprium, qui suo sanguine supplicioq; crucis pro nostris peccatis pœnas daret, ut abolitis peccatis, quæ dirimebant concordiam & pacem cœlestium ac terrestrium, iam amicitia iungerentur omnia, siue quæ in cœlis sunt, siue quæ in terris, nimirum in unum Christum conspirantia, subq; eius regnum disposita. Oportet enim Christum primas habere & regnare, quia non est datus spiritus sanctus, nisi regnãte Christo, & sanctificante electos, & effundente dona. Vere autem nobis semper adest, dona largitur, exaudit atq; defendit, & conuersatur uere cum suis ad consummationem sæculi. Sic quoq; habitat in eo omnis plenitudo, ut de ea impertiatur omnibus, omniumq; peccata remittat, perq; eum omnia reconcilientur & pacificentur. In cœlis quidem patre reconciliato obedientia filij omnibus peccatis fidelium, in terra autem est pax facta, charitate mutua sanctorum, & fiducia plena in creatorem per Christũ, ut de eo optime sentiamus, misericordem simul & iustum fateamur, qui sit præsto, ut pater ad auxilium nobis præstãdum, cui sentiamus nos de sua bonitate placere. Huiusmodi est uera pax animarũ, & uita beata, summumq; in hac uita solatium, unde & pax inter homines prodit, & charitas, patientia, modestia, & similia bona omnia.

12 Et uos cum essetis aliquando alienati, & inimici sensu in operibus malis, nunc autem reconciliauit in corpore carnis suæ per mortem, ut exhiberet uos sanctos & immaculatos, & irreprehensibiles coram ipso.

Eorum de numero uos estis quoq;, qui cum olim sic essetis alienati à deo, ut simulachra dæmonum pro illo coleretis: neq; solum propria uoluntate dissideretis ab illo, uerum impijs operibus hostes ageretis, tamen illi nunc uos nec expectantes, nec promerentes reconciliauit sibi, & ex hostibus fecit amicos ac filios. Idq; non angelorũ ministerio, sed per corporalem mortem unigeniti sui, quem in hoc ipsum uoluit mortale corpus assumere. Et quoniam pax non potest esse cum deo nocentibus, gratis condonauit omnia commissa superioris uitę, ut exhiberet uos sanctos & irreprehensibiles & inculpatos in conspectu suo. Quis enim uobis imputet priora debita, si ipse sibi fert accepta. Intelligatis ergo uos esse debitores deo, & debere gratiarumactionem multam eidem, qui hostes cum essetis, amici facti estis.

13 Si tamen permaneatis in fide fundati & stabiles, & immobiles à spe euangelij quod audistis, quod prædicatum est in uniuersa creatura quæ sub cœlo est, cuius factus sum ego Paulus minister.

Sancti autem eritis, si semel gratis admissi ad fidem euãgelicam, semper in eo perseueretis, quod estis professi, ac solido innixi fundamento, sic uos præbeatis stabiles, ut nec per homines nec per angelos dimoueamini à Christo, unde uobis sperãda quæcunq; promittit euangelium, cui semel audito credidistis, quod neq; uobis modo prædicatum est, sed prædicatũ est palàm omnibus orbis nationibus, quas cœli ambitus complectitur. Inconstantis est desciscere ab eo quod semel est probatum: impudentis est, pro uano habere, in cuius credulitatem consentit orbis uniuersus. Postremo cuius ipse Paulus sim prædicator, haudquaquã relicturus legem patriam, & cum euangelio Christi commutaturus, nisi compertum haberem negotium esse cœleste, & à deo profectum. In hunc ergo Christum intueri uos oportet et credere, quod propter eum electos pater iustificet. Ea fides retinenda est,

da est, sentiendumq; quod per eum tantum iustificemur nō per ulla opera. Hæc præcipua euangelij doctrina, hanc tenere nos præcipuā consolationem oportet. Neq; coram deo possunt consistere, qui eam ignorant.

Qui nunc gaudeo in passionibus pro uobis, & adimpleo ea quæ de- 14
sunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est ecclesia.

Adeo mihi persuasum est, uerax esse euangelium, ut non solum me pœniteat aut pudeat, uerumetiam gaudens patiar, ac gloriæ mihi ducam flagra, carceres, compedes, quas non pro meis facinoribus, sed pro uestra salute tolero, quos reclamantibus Iudæis doceo, non minus ad euangelij beneficium pertinere, q; ipsos Iudæos. Cur enim non dicam me pro uestra salute pati, pro qua passus est Christus? Cur pigeat apostolum facere, quod nō grauatus est facere princeps noster? Ille non solum in suo corpore passus est pro uobis, uelut etiam in nostro quodam modo patitur, ueluti supplens per suos uicarios, quod in illius afflictionibus uideri poterat diminutum. Non quod illius mors per se non sufficiat, sed quod una sit afflictio corporis & membrorum, principis & uicariorum, quæ quo copiosior est, hoc magis redundat in cumulum uestræ salutis: imò non uestræ solum, sed totius corporis Christi, quod est ecclesia. Consolemur ergo, constituti in passionibus, scientes eas Christi esse, quæ utcunq; patiamur, ita placent deo patri, sicut Christi passiones placuerunt, ne dubitemus nos cum Christo glorificādos, si compatimur. Hæc autem patitur Paulus pro ecclesia, hoc est pro euāgelio quod prædicauerat ipsi ecclesiæ, sua passione confirmando.

Cuius factus sum ego minister secundum dispensationem dei, quæ 15
data est mihi in uobis, ut impleam uerbum dei, mysterium quod absconditum fuit à sæculis & generationibus. Nunc autem manifestatū est sanctis eius, quibus uoluit deus notas facere diuitias gloriæ sacramēti huius in gentibus, quod est Christus, in uobis spes gloriæ.

Fungor officio delegato, mihi mandata est ecclesiæ cura. Christus suas uices mihi quodammodo delegauit, & commisit corporis sui custodiam, hac præcipue portione, quę gentes respicit ad euangelium recipiēdas, ut opera mea suppleam, quod huic uidebatur deesse, euulgaremq; quod plurimis retro sæculis ac gentibus fuit absconsum: non Iudæis tantum, uerumetiam gentibus per fidem aditum patere ad salutem euangelicam. Id iam olim deo decretum fuerat, sed tamen orbi fuit hactenus cælatum, nunc mea prædicatione potissimū patefactum est ijs, qui priſtina uita relicta, Christi doctrinam amplectuntur, quibus uisum est deo patefacere, q; gloriosa sit illius in nos opulentia, cum euulgato quod ante latebat arcano, totus mundus intelligit gratuitam salutem, quam primum credebant solis Iudæis delatam, omnium gentium esse communem: nec requiri Mosaicæ legis obseruationem, sed fidem duntaxat, qua non dubitent de promissis euāgelicis. Procunctis quibus stulte fidunt Iudæi, Christus unus uobis satis est, is si in uobis est, non est quod uos pœniteat spei uestræ, & firmæ satis & gloriosæ per illum, qui quod pollicitus est, haud dubie præstabit ex sese.

Quem nos annunciamus, corripientes omnem hominem, & docen- 16
tes omnem hominem in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu, in quo & laboro, certando secundū operationem eius, quam operatur in me in uirtute.

Hunc nos Christum manifestatum mundo nunc prædicamus, non Mosen, aut angelos, uel diuos quoscunq;. Admonentes non Iudæos tantum, sed omne mortalium genus, ac docentes, neq; omnino quicquam prætermittētes, quod ad euangelicam sapientiam pertinet. Nimirum ut intelligant omnes homines, perfectam salutem non alibi constituendam q̄ in Christo Iesu, siue circuncisi sint, siue præputiati. Ad quod persuadēdum sic adnitor, ut non pigeat huius rei gratia tot me periculis ac malis obijcere, grauioribus utiq;, q̄ ut nostra imbecillitas perferre possit. Sed potens est ille, cuius instinctu atq; ope hæc per me geruntur, nostro sermoni fidem conciliantibus cum res postulat etiam miraculis. Vide hic quam efficaciam spiritus dei in se senserit Paulus, quo minus docere præsumāt, qui nullo zelo animarum tanguntur, qui sua tantū quærunt, nihil soliciti de ouibus &c.

CAPVT II.

1 VOlo enim uos scire qualem solicitudinem habeam pro uobis, & pro ijs qui sunt Laodiceæ, & quicunq; non uiderunt faciem meam in carne, ut consolentur corda ipsorum.

Hæc mihi dicta sunt Colossenses, non quo me iactem apud uos, sed quod cupiam uos scire quāta me teneat solicitudo, quantumq; periculorum adeam, non solum pro his quibus ipse præsens tradidi doctrinam euangelicam, uerumetiam pro ijs quibus de facie notus non sum: præcipue de uobis ac Laodicēsibus, quos tametsi corporeis oculis non conspexerim, animi tamen oculis contemplor alliduе, gaudens de profectu, trepidans si quid periclitari sensero aut labascere uestram integritatem. Neq; perinde mea refert ut hæc sciant, qui me non uiderunt, atq; ipsorum. Cupio enim ut corda uestra consolationem capiant de afflictionibus meis grauibus quas sustinui. Et sunt passim in scripturis tradita exemplaria, in quibus uidere est, sicut & hic nūc in Paulo, quomodo defenderit deus in se fidentes: ita suum quoq; Paulus hic nobis exemplum contemplandū ostendit, ad consolationem fidelium, & fidei firmamentum. Sicut Elisei quoq; puer, conspectis legionibus angelorum, consolationem accepit: ita nos uidentes defendi & seruari Paulum, credamus nos similiter deo curę esse, & custodiri ab eo ad tempus suum ad salutem æternam.

2 Instructi in charitate, & in omnes diuitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterij dei & patris, & Christi Iesu.

Extimulantur fideles mea solicitudine, meisq; periculis & afflictionibus, ut magis consentiant & cohæreant euangelica charitate, membrorum in morem inter se cōpacti & instructi, quasi in spirituale ædificium adaptati, quoq; magis intelligant, ac certius credant opulentam dei patris beneficentiam in omne mortalium genus, imò in omnia quæq; in cœlis, quæq; in terris sese largiter effundentem, patefacto iam arcano per Iesum Christum, quod hactenus cęlatum erat. Videlicet extra unum hunc, nihil nobis expetendum humanæ sapientiæ, siue quid promittunt huius mundi philosophi, siue quid pollicētur Mosaicæ legis doctores, siue quid alij iactant, sese doctos ex angelorum colloquijs. Et hoc est uere credere & agnoscere mysterium Christi mundo incognitum esse, hoc est carni & sanguini: quandoquidem non in rebus externis, sed in spiritu regnū dei & Christi eius in nobis est. In quo Christo sunt omnes thesauri sapientiæ dei reconditi. Christo ergo cognito uere, nihil opus est, ut aliud extra Christum sapias aut scias: imò quicquid huic sapientiæ & scientiæ addere uoles, uanum est & Christo aduersum. Iniuriam enim facis Christo, quasi illi aliquid desit sapientiæ & scientiæ, qui

qui in Christo sapiens es & prudens. Atq; per hoc contemptissime Paulus reiicit doctrinas humanas, Christum non docentes, uel ad Christi cognitionem non ordinatas, quales sunt Iudaicæ iustitiæ & carnales.

In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. 3

Ex hoc fonte Christo, ex eius spiritu percepto, & sapientia bene cognita, compendio licet haurire, quicquid ad ueram salutem pertinet. Non tamen attulit nobis Christus nouas aliquas leges, quasi præstantiores ueteribus, sed peccatorũ remissionem, ut tolleret peccata mundi, & daret suum spiritum, & cognitionem diuinæ uoluntatis perfectam, quæ est uera sapientia, nosse scilicet, ut deus uelit per Christum ignoscere, uelit seruare, uelit nos exaudire, quæ cor humanum sine spiritu Christi non agnoscit. Ratio tantum humana & carnalis non capit, non enim iudicat nos deo curę esse, nihil audet à deo expectare uel postulare. Perterrefacti autem cognitione peccatorum nostrorum, si tunc credimus remitti peccata per Christum, aliam de deo sententiam concipimus, & uere statuimus deum adesse nobis, & misereri & adiuuare. Hæc autem est arcana illa sapiẽtia rationi ignota, & abscondita sapientia in Christo & euangelij mysterium.

Hoc autem dico, ut nemo uos decipiat in sublimitate sermonũ: nam 4
&si corpore absens sum, sed spiritu uobiscum sum, gaudens & uidens ordinem uestrum, & firmamentum eius quæ in Christo est fidei uestræ.

Hæc autem quæ dicimus eò contendũt, ut etiam atq; etiam caueatis, ne quis humanis artibus, & philosophia gentilium sola ratione, quæ erronea dictat, docente, qualia Epicurus, Plato, Aristoteles, multa habet contraria pietati uerbi dei instructus, aduersus euangelicæ doctrinæ simplicitatem fucum uobis faciat, & imponat falso, picto, incerto callidoq; sermone, quamlibet in speciem probabili ac uerisimili. Solent enim huius mundi sophistæ captiũculis quibusdam & argutijs rationum humanarũ, animos simplicium illaqueare. Non hic Paulus ait philosophiam malam esse, abusus uituperatur, res ipsa non improbatur, ut si quis dicat, Vide ne uinum te decipiat. Deinde addit, Inanem deceptionem, quo significat argumenta de dei uoluntate, & animarum salute, ex philosophia collecta, deceptionem esse & somnia. Non est ex philosophia, de diuina ad nos uolũtate uel ex ratione iudicãdum. Sicut Epicurus negauit deo res nostras curæ esse, animas mortales. Aristoteles dixit mundum esse æternum, & similia. Quidam quoq; admiscuerunt doctrinæ Christianæ philosophiam, rationi quoq; tribuerũt uim efficiendæ in nobis fidei erga deum. Discrimen potius est habendum inter euangelij doctrinam, animarum saluandarum medicinam necessariam, & inter philosophiam, quæ est doctrina uitæ corporalis & moralis, cuius usus & donũ à deo est, & necessarius reipublicæ, & in suo genere bonus, ac inuestigandus diligenter, & pro eo deo gratiæ referendæ sunt, quamlibet non iustificent hominem coram deo, quod facit fides uera ex sacris edocta. Ait ergo Apostolus consequẽter, Non me clàm est, esse quosdam tales philosophiæ nimium deditos apud uos, insidiantes synceritati fidei uestræ: nam tametsi corpore absum, nec uideo coràm quid apud uos agatur, animo tamen adsum, cum gaudio spectans ordinem ac statum uitæ uestræ, simulq; contemplans soliditatem ac robur fiduciæ uestræ quam habetis in Christo Iesu, cui semel uos totos concredidistis.

Sicut ergo accepistis Iesum Christum dominum, in ipso ambulate, ra- 5
dicati et superædificati in ipso, & cõfirmati in fide, sicut & didicistis, abun-

dantes in illo in gratiarumactione.

Supereſt, ut in eo quod recte cœptum eſt, perſeueretis & proficiatis: & quem admodum ſemel accepiſtis & credidiſtis Ieſum Chriſtum dominum noſtrum, no bis eſſe ſummam bonorum omnium, fontem & caput felicitatis noſtræ: ita ueſtra uita omnis profeſſioni fideiq; reſpondeat: ut quemadmodum ſemel illi eſtis inſiti per baptiſmum, ita fixis in ea radicibus, robur colligatis. Et ſicut ſemel in uobis ia ctum eſt euangelicæ doctrinæ ſolidum fundamentum, ita quæ tali fundamento digna ſunt ſuperſtruatis. Ne uacillantes ad quemuis uentũ nouę doctrinæ, nunc huc nunc illuc nutetis, ſed firmi & immobiles perſiſtatis in eo quod ſemel didici ſtis: neq; perſiſtatis tantum, ſed indies magis ac magis exuberetis, ut indies auge ſcẽte fidei & religionis ueſtræ profectu, ſemper ſit, pro quo gratias agatis deo, cui acceptum ferre oportet quicquid recte agitur.

6 Videte ne quis uos decipiat per philoſophiam & inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſe cundum Chriſtum.

Vigilant qui inſidiantur ſynceritati ueſtræ, uobis contrà uigilandum, ne ca pti magnifica quadam ſpecie philoſophiæ, ſeducamini à ſoliditate fidei, ad inanes hominum commentatiunculas, ac præda fiatis hoſtibus. Id fiet, ſi auerſi à præſcri pto euangelicæ ueritatis, duci cœperitis cõſtitutionibus ac preſcriptis humanis, quæ ſita ſunt in rebus uiſibilibus, & in elementis huius mundi craſſis, quum con trà Chriſti doctrina cœleſtis ſit, ac ueram tradat pietatem in animis ſitam, non in cibo potúue, non in cultu corporis, non in obſeruatione dierum, aut lotione ma nuum, quæ nihil conducunt ad ueram religionem. Iſta magis auocant à Chriſto, diſtrahuntq; à fonte à quo petenda ſunt omnia. Clarum eſt ergo Paulum loqui de ritibus & traditionibus hominum, inſtitutis ad meritum & iuſtitiã aſſequẽdam, ad cultum dei, ut cœlibatus, & traditiones ordinum nouorum, ex quarum obſer uantia iuſtos ſe putant, & pro alijs quoq; mereri ſe iactauerunt. Elementa mun di, id eſt ordinationes ciuiles, & politicas ordinationes, non ſolum non damnat, ſed præcipit obſeruandas deus, ut ſunt, Parere magiſtratibus, reddere id quod iu xta leges humanas debes, neminem defraudare in contractibus, nulli inferre in iuriam, & cætera quæ publicæ pacis cauſa ordinat magiſtratus. Sunt enim etiam hæ leges non iuſtis poſitæ, ſed malis coërcendis. Hæc iuſtitia ciuilis neceſſaria eſt & prædicanda, ac etiam præſtanda, tametſi coram deo nos non iuſtificet, ſicut fi des ſola, qua credimus nobis propter Chriſtum peccata noſtra ignoſci.

7 Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis.

In hunc Chriſtum dominum noſtrum non uelut in lacunam dotes aliquot de riuatæ ſunt, ſed in eo perſeuerat, atq; inhabitat omnis plenitudo deitatis corpora liter, ut hunc habẽtes, non eſt q umbras legis Moſaicæ aut humanæ philoſophiæ præſtigias ſectemini. Inſuper quoq; ſic uere deus eſt in Chriſto, ut etiã diuina na tura induerit humanã, & facta ſit per unionem huiuſmodi caro. Quaſi dicat Pau lus, In alijs ſanctis habitat etiã deus, ſed ſpiritualiter, quia mouet & agitat, agitq; & gubernat, ſed in Chriſto corporaliter habitat, hoc eſt, ſic eſt in eo, ut ſit eadem perſona cum homine Chriſto. Ideoq; Chriſtus proprie eſt redemptio, ſanctifica tio, pater futuri ſæculi, in quo conſummati ſumus, redẽpti, & ſanctificati. Totam autem uel plenam diuinitatem intelligit, de potẽtia diuina & infinita, deq; donis abſq; numero quæ ſunt in reliquis ſanctis, iuxta gratiarũ diuiſiones. In Chriſtum autem

autem ipsa natura diuina infudit se in carnem cum tota sua potẽtia. Prior sententia Vulgarij est. Nominat quoq; Paulus hic Christum principem, non tantum ut sit caput ecclesiæ, sed tribuit ei principatum supra omnes potestates in cœlo & in terra, & significat eum regnare diuina potentia, sedere ad dexteram patris supra omnes creaturas, ut possit defendere suos contra omnia mala.

In quo & circuncisi estis, circuncisione non manufacta, in expoliatione corporis carnis, sed in circuncisione Iesu Christi, consepulti ei in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis dei, qui suscitauit illum à mortuis. 8

Iudæus fortassis ceu magnũ quiddam uobis persuadere conatur, ut ad ipsius exemplum præputij pelliculam amputetis, perinde quasi deo nos commẽdet habitus corporis: imò quicunq; Christum habent, habent & circũcisionis gloriam: qui non habent, horum inutilis est circuncisio; umbram circuncisionis habent illi, res ipsa penes uos est. Cum enim Iudaica circuncisio significet, per iugẽ & perpetuam pœnitentiã resecare crassas & terrenas cupiditates carnis ab animis, iam nihil nisi cœlestia spectaturis, illi prorsus sunt incircuncisi, qui torquentur habendi studio, qui uentri seruiunt, qui liuore macerantur, qui gloriam aucupantur apud homines, qui cœlestia præmia desperant. Vos cõtra uere estis circuncisi per Christum, non ea quidem circũcisione quæ fit manibus, sed spirituali. Neq; enim particula modo carnalis hominis resecta est in uobis, sed totum corpus peccatis contaminatum, & carnalibus cupiditatibus detractũ est uobis, spirituali circuncisione, uera pœnitentia & mortificatione uitæ carnalis, propter spem in Christum saluatorem animarum. Et quemadmodum Christus moriens, deposuit corpus morti obnoxium, & resurgens recepit corpus immortale: ita uos per baptismum iuxta spiritum, unà cum illo mortui estis huic mundo & concupiscentijs eius æque per salubrem pœnitentiam, depositis omnibus peccatis uitæ pristinæ: nec mortui solum cum eo, uerumetiam simul cum eo sepulti: atq; ita deposito corpore, quod erat peccatis obnoxium, (peccatum autem animæ mors est) per Christum unà cũ ipso resurrexistis à peccatis liberi, non per merita uestra, sed tantum quia pure creditis in Christum saluatorem, inq; deum patrem, qui sua uirtute resuscitauit Christũ à mortuis, & hæc sua ui in uobis uult agere, ut per filij mortem gratis condonatis peccatis omnibus, posthac cum illo uiuatis, nullis obnoxij peccatis, sed innocentiæ iugi studio procedente ex uera fide, ad ueram immortalitatem properantes. Ergo patri deo omnia debentur, quæ uobis largitur per filium.

Et uos cum mortui essetis in delictis, & præputio carnis uestræ, conuiuificauit cũ illo, donans uobis omnia delicta, delens quod aduersum nos erat chirographum decreti, quod erat cõtrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci. 9

Non profuit Iudæis carere præputio, nec uobis obfuit præputium corporale: at mortiferum erat præputium, quod addicti crassis & impijs cupiditatibus essetis obnoxij morti, imò iuxta spiritum mortui, carentes deo, qui per fidem qua carne, quòd ille suo spiritu amputauit, fiduciam largiendo qua iustificamur, semel condonatis nobis omnibus nostris peccatis: & ita condonatis, ut nihil esset periculi, ne nobis in posterum imputarentur. Propter quod uerbis conceptis in Mosaicæ legis obedientiam iurassemus, & ob hoc non seruatæ legis reos nos agere

posset aduersarius, uelut ex syngrapha obstrictos: imò uetus illud chirographū, per quod nos urgebat diabolus, Christus antiquauit professione fidei euāgelicæ, per quam non imputantur ulli uitæ prioris commissa. Quicquid enim ex hoc chirographo poterat à nobis exigi, id ipse Christus dependit in cruce, in qua dilaceratum est chirographum, ac penitus sublatum è medio. Non est quod satanæ tyrannidem metuamus, posteaquam Christus in cruce sua morte mortis authorem deuicit, nos ereptos, uelut opima spolia, referens à deuictis ac triumphatis principatibus ac potestatibus dæmoniacis. Est autem chirographum illud & conscientia nostra, quæ contra nos testificatur, nosq; condemnat, & iram dei sentit, propter decreta legis transgressa & præuaricata, quæ dicit: Maledictus qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt. Sed est deletum hoc chirographū per remissionem peccatorum: hoc est, cōscientia mala sublata est, & donata pax, & uis legis per Christum ablata, qui uicit sua morte mortem, quam suam uictoriam patefecit omnibus gentibus per resurrectionem, & per spiritum sanctū, perq; euangelium prædicatum & creditum.

10 Et expolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso.

Tunc illos libere palamq; uictos & exutos ostendit, & hominibus & angelis, circunferens ueluti in trophæo, & ostentans aduersarios concisos fractos & superatos, non angelorum aut hominum præsidijs, sed suaipsius uirtute, tam magnifi cum trophæum suspendit in cruce, ut esset omnibus è sublimi conspicuum. Tantum, ne relabamini in pristina peccata, in regnum tenebrarum & potestatem diaboli, qui impellit iugiter ad peccandum, sicut ipse ab initio peccat, sicut Christus sanctos custodit ac defendit ne pereant.

11 Nemo ergo uos iudicet in cibo aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbathorum, quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christus.

Non est periculum, ne quis uos condemnet ob neglectas Mosaicæ legis cere monias, uidelicet ob cibum, aut potum mundum uel immundum, ob discrimen diei festi aut profesti, ob nouilunium non obseruatum, ob otia sabbathorum uiolata. Siquidem hæ fuerunt umbræ, quæ portenderent olim ac delinirēt ea quæ post essent uere exhibenda à Christo. Cæterum posteaquam corpus ipsum tenemus, posteaquam ueritas nobis palàm illuxit, quid adhuc umbras metuimus uel sectamur? Qui Christo capiti adhæret in cœlis agenti, non curat nisi cœlestia, rectaq; tendit ad præmium immortalitatis, intelligit enim typos consummatos in morte Christi, & iustificationem impletam, quam significabant, non præstabant ceremoniæ legis. Id uero sancti ueteris testamenti credebant, & in fide huiusmodi iustificabantur. Sicut & de Eucharistia nos dicere possumus, Manducatio corporis ipsa non iustificat, sed admonet nos remissionis peccatorum promissæ credētibus, & in Christi crucifixione exhibitæ. Cum igitur credimus, iustificamur, & ita totam legem hic complectimur, cuius finis est Christus. Tota enim lex ideo data est, ut significaret deum Christū missurū esse, per quem omnes iustificaret.

12 Nemo uos seducat uolens in humilitate & religione angelorum, quæ non uidit, ambulans frustra inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus & coniūctiones subministratum & constructum, crescit in augmentum dei.

Cauete

Cauete ne quis uos ad terrena reuocans, præmium quod sectari cœpistis, uobis inuertat, pro sublimibus docens humilia, pro uera Christi religione superstitiosum quendam angelorum uel diuorum cultum inducens, commentitijs quibusdam uisis sese iactitans apud simplices, elatus carnali affectu suo, quo gloriam uenetur apud homines, uelut ex oraculis angelorum, ea docens quæ ex sese confinxerit, nec animosus in eo, præ quo decet omnia quantumuis sublimia contemnere: sic fretus angelis, ut à Christo capite cœlesti desciscat, ex quo totum ecclesiæ corpus pendẽs ab eodem, omni dote spirituali defluente in singula membra, per commissuras artuum ac membrorum alitur & augescit, usq; ad summam perfectionem spiritualem, deo patre dignam, cui per spiritum Christi connectimur. Vera autem humilitas, est humiliter de seipso sentire, agnoscere infirmũ suum, terreri iudicio dei, renunciare propriæ sapientiæ & iustitiæ, alios autem omnino non contemnere, scire deum maiora dona alijs posse largiri, & conficere opera meliora per alios uelle, qui minus habent uirium. Hæc maxime contra hypocritas. Incedere autem in his quæ non uiderunt, est affirmare incomperta, incertas sequi reuelationes, per fastum serere noua dogmata. Quos quoq; dicit esse inflatos mente carnis suæ, ut significet eos sequi iudicium rationis, non scripturæ aut spiritus sancti. Hi phanatici spiritus non tenent caput Christum, qui alit & gubernat ecclesiam, hoc est, non tenet ueram cognitionem Christi.

Si mortui estis cũ Christo ab elementis huius mundi, quid adhuc tan 13
quam uiuentes in mundo decernitis, Ne tetigeris, neq; gustaueris, neq; contrectaueris? Quæ sunt omnia in interitu ipso usu, secũdum præcepta & doctrinas hominum.

Si Christus huic uisibili & crasso mundo mortuus est, & agit in cœlis, & sic cum illo mortui estis, iuxta uitæ studium elementis mundi, nihil spectantes præter cœlestia, quorsum attinet obnoxios esse decretis humanis, præscribentibus non quæ Christum sapiant, sed elementa mundi? Perinde quasi iam non sitis mortui talibus, sed adhuc uiuatis in mundo. Cur auditur Iudæus hæc præscribens iuxta carnalem sensum Mosaicæ legis? Ne tetigeris, hoc corpus impurũ est: ne gustaris hunc cibũ, impurus est: ne contrectaris hanc rem, sacra est, nec fas est à profano tangi. Quasi uobis nõ sufficiat doctrina Christi, ita talibus præscriptis auscultatis, iuxta constitutiones ac doctrinas hominum, persuadẽtium in ciborum delectu, in obseruatione dierũ, cæterisq; Iudaicis præscriptis sitam esse pietatem. Cibus, potus aut uestis non commẽdat nos deo, sed ad necessitatem corporis adhibentur, ipsoq; abusu consumuntur, nec residen in animis nostris. Nec sunt traditiones humanæ huiusmodi factæ ad iustificandum, sed qui habent spiritum sanctum, iam desierunt uiuere secũdum carnem, & corporali huiusmodi disciplina non opus habent, uerum utuntur ordinationibus omnium locorum per charitatem, si nihil cõtra deũ tentetur. Non est enim obliganda conscientia ad traditiones humanas, ut aliquatenus quis sese iustificari credat earum obseruatione, & peccare in deum, si non obseruet.

Quæ sunt rationem quidem habẽtia sapientiæ in superstitione & hu 14
militate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis.

Qui tantopere urgent traditionum obseruantiam, præ se ferunt nescio quam falsam speciem sapientiæ apud stultos & imperitos, atq; hoc pluris fiunt, quo ma

gis impleuerint animos hominum superstitione, uitioſaq; humilitate: nam planè superstitio est, angelos æquare Christo. Praua humilitas est, per angelũ sperare, uel per diuos quoscunq; gentilium uel aliorum, quod ab ipso Christo petendum erat, aut certe per Christum à patre. Cibi cæteraq; uisibilia non ad hoc data sunt, ut cum corporis iniuria cogamur ab his abstinere, sed potius ut horum administriculo corpori subueniatur, ueste quacunq; defendatur aduersus uentorum aut frigoris iniuriam, cibo quocunq; saturetur, citraq; discrimen adhibeatur quocunq; tempore, quocunq; loco, quidlibet, quantumlibet opus fuerit ad præsentem necessitatem. Ista curant Iudęi, qui nondum habent mentem à crassa carnalique legis intellectu circuncisam.

CAPVT III.

1 IGitur si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera dei sedens. Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.

Si uere mortui terrenis rebus, unà cum Christo surrexistis ad studium rerum sublimium & æternarum, contemptis istiusmodi rebus humilibus, sublimia quæ rite, cœloq; digna. Alia uita, alios mores adfert. Nouam uitam consequuti estis, & participem diuinæ naturæ, debent & actiones esse quæ placeant deo. In sublimibus autem & in cœlo caput uestrum Christus dexter assidet deo patri, par est enim illuc tendere studia curasq; membrorũ, ubi iam uersatur caput, ubi & ipsa post cum suo capite regnatura sunt. Ibi quisq; uiuit, ubi amat. Luctandum ergo uobis erit cum carne, mundo, diabolo, magna quidem ui, sed non humana. Sed Christi qui ad dexteram dei sedet, hoc est, regnat cum patre, uestri curã gerit, uos exaudit, uos defendit, adiuuat in omnibus periculis, ab illo opem & auxilium nihil dubitantes postulate. Significãt autem ea quæ sursum sunt bona cœlestia seu spiritualia, ut sunt fides, pax cordis, patientia, charitas, castitas, & similia. Ea quæ desursum sunt carnalia, sunt uoluptates, diuitiæ, gloria mundi. Hæc autem caro amat quæ legi dei non potest subiici, nihil metuit aut odit nisi talium bonorum iacturam. Illa autem spiritualia spiritus sanctus desiderare facit, ut deus augeat in nobis cognitionem sui, & fidem eius, ut sentiamus in afflictionibus deum nobis opitulari.

2 Mortui enim estis, & uita uestra est abscondita cum Christo in deo, cum autem Christus apparuerit uita uestra, tunc & uos apparebitis cum ipso in gloria.

Huic mundo uidemini mortui, quibus nec arridet humana felicitas, nec eurę sunt ea quibus mundi cultores commouentur. Proinde non uiuitis hic apud homines, sed tamen cum Christo uiuitis apud deum. Etiamsi interim uita uestra abscondita sit iuxta iudiciũ mundi: sed & latet, tecta à deo qui eam defendit: ostendet autem se quando Christus ostendet se iterum mundo. Quin & in afflictionibus constituti, uidentur sancti planè deserti, sed iubet eos confidere, & sentire quia uita nostra tecta lateat apud deum & custodita, qui auxilium sit opportune laturus, quando ei uidebitur: nec propterea nos desertos esse credamus, etiamsi aliquandiu adfligi deus nos sinat. Cum autem Christus rursus aduenerit orbi se declaraturus, & suam & totius corporis sui gloriã, tunc & uos unà cum capite conspiciemini gloriæ consortes.

3 Mortificate ergo membra uestra quæ sunt super terram, fornicationem,

nem,immunditiam,libidinem,concupiſcentiam malam,& auaritiã, quæ eſt ſimulachrorum ſeruitus, propter quæ uenit ira dei ſuper filios incredulitatis,in quibus ambulaſtis aliquandò,cum uiueretis in illis.

Interim dum tardat aduenire Chriſtus, curandum ut totum corpus ſublimi atq; cœleſti capiti reſpondeat, cuius membra niſi penitus hic moriantur terrenis cupiditatibus,non poterunt in cœlis uiuere cũ Chriſto. Habet & diabolus ſuum corpus,quod alibi dixi corpus peccati. Huius membra ſunt ſcortatio,quæ mundi cultoribus placet,& laudi datur. Immunditia,mollities eſt,reliquaq; genera libidinis fœdiora,q̃ ut uel nominari debeãt. Rerum noxiarum cupiditates,ut gloriæ & principatus,ut uindictæ,cum primis autem pecuniæ,quod malum proxime accedit ad omnium ſceleratiſſimam impietatem,cultum ſimulachrorum. His qui obnoxij ſunt, non poſſunt eſſe conſortes gloriæ Chriſti. Tantum enim abeſt ut talibus inquinati,poſſitis eſſe filij dei,ut ob hæc ſæuierit etiam in ſuos filios Iudæos,tanquam immorigeros abdicans ac perdens. Hic uidemus quid ſcriptura uocet mortificationem,nempe uoluntatis noſtræ abnegationem, & uerum horrorem diuini iudicij,cum ad peccandum ſolicitatur,quę opus eſt ſpiritus ſancti. Non ut uigilijs,cruciatibus,inedia perimas iſta membra corporis tui,ſed uitia & concupiſcentias prædictas,quæ ab actu externo temperari ad tẽpus poſſunt exercitio corporis,ſed occidi non poſſunt niſi ſpiritu.

Nunc autem deponite & uos omnia,iram,indignationem,malitiam, 4
blaſphemiam,turpem ſermonem de ore ueſtro, nolite mentiri inuicem.

His quondã malis inquinata fuit & ueſtra uita, cum nondũ per baptiſmum mortui cum Chriſto,uiuebatis malis cupiditatibus: nũc per illũ renatos, æquum eſt & uos omnia uitę prioris abijcere, poſteaquam Chriſtus nihil mortalitatis aut terrenum ſibi fecerit reliquum. Neq; ſolum abijcienda ſunt illa enormia, de quibus modo diximus, uerumetiam hæc, in quibus hominum uulgus ſibi ignoſcit, quod genus ſunt,ira,tumor,malitia,maledicentia. Nec animus tantum purus ſit ab hiſce cupiditatibus, uerumetiam os purum ſit ab omni turpiloquio. Chriſtus ipſa eſt ueritas,non decet ut huius membra inter uos mentiamini.

Expoliantes uos ueterem hominem cum actibus ſuis, & induẽtes no 5
uum, eum qui renouatur in agnitionem, ſecundum imaginem eius qui creauit illum.

Ne ſingula proſequar,Poſteaquam Chriſtũ induiſtis, exuite totum ueterem hominem terrenũ,unà cum actibus & cupiditatibus ſuis, & induite nouum, qui neſcit ſenium,ſed indies augeſcente in ipſo cognitione dei,floreſcet ac ſoboleſcet in melius ac maius,ad imaginẽ Chriſti, qui ipſe nouus homo,& in nobis nouum condidit hominem,extincto uetere,dum per ſpiritum ſanctum renouatur, ut timorem dei,fidem,caſtitatem,charitatẽ, & ſimiles bonos fructus efficit & proferre uidetur. Eſt enim nouus homo,qui creſcit in cognitione dei, ſentiens deum reſpicere nos,& iraſci peccãtibus,ut deum quoq; timeat,quem tamen interim ſentit, uere deum ignoſcere propter Chriſtũ his qui agunt pœnitentiã: ſentit quoq; prope adeſſe deum,iuuare & regere ſanctos. Loquitur autem hic Paulus de imagine dei in nouo homine. Cum enim proprietates dei ſunt & perfectiones, Sapientia,iuſtitia,ueritas,ſanctitas: has cum imprimit deus nobis, ſumus imago dei, & participes diuinæ naturæ. Sic quoq; loquitur ad Epheſios, Induite nouum hominem,qui ſecundum deum creatus eſt,id eſt ad dei ſimilitudinem, in iuſtitia &

ſanctitate, & ueritate.

6 Vbi non eſt gentilis & Iudæus, circunciſio & præputium, Barbarus & Scytha, ſeruus & liber, ſed omnia & in omnibus Chriſtus.

Quotquot in Chriſti corpus inſiti ſumus, adeo deſijmus eſſe q̃d fuímus, quaſi rurſus alio modo cõditi, ut hic nullum ſit diſcrimen inter ethnicum & Iudæum, inter uerpum & præputiatũ, inter Barbarum aut Scytham, & Græcũ aut Athenienſem, inter ſeruum & ingenuum. Ex his æſtimãtur homines apud mundum, apud deum nullus eſt harum rerum reſpectus, ſed Chriſtus ex æquo omniũ communis, ſolus ſuppeditat omnibus. Is ſeruo ipſo libertas eſt, pauperi diuitiæ, Barbaro cultus, præputiato circunciſio. In ſumma, per hunc inter uos æquantur omnia, ne quis alterum faſtidiat.

7 Induite uos ergo ſicut electi dei, ſancti & dilecti, uiſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, ſupportantes inuicem, & donantes uobiſmetipſis, ſi quis aduerſus aliquẽ habet querelam: ſicut & dominus donauit uobis, ita & uos.

Pro abiectis membris ueſtris Chriſto indignis, induite uos alia mẽbra, diuerſa ab illis turpibus, quę ſupra recenſuimus, ſed pro illis induite quæ deceant eos, quos deus ſelegit ad ſanctimoniã, quosq; ſua dilectione dignatus eſt. Dicet quiſpiam, Quæ nam ſunt iſta? nimirũ quæ nos docuit, quæq; præſtitit Chriſtus, Affectum miſericordiæ, ut faciles ſitis ad ſubleuandam alienam imbecillitatem. Comitatem, quæ facit nę ſimus aſperi, intractabiles uel moroſi, ſed facile aliorum erratis ignoſcere poſſimus, & tolerare homines iracundos, & aſpera dicta, de iure noſtro cedere tranquillitatis publicæ cauſa. Humilitatem. Ea uirtus eſt, qua ſentiuntur quidem dona dei, ſed de eis nihil præſumitur, dum ſciunt ſe citra dei gratiam nihil poſſe, & ſeſe erigunt ad dei miſericordiam, & confidunt de diuino auxilio in rebus gerendis quas ſuſcipiunt. Modeſtiam uel mãſuetudinem intelligit, quæ opponitur cupiditati uindictæ. De qua ſaluator: Beati mites, quoniam poſſidebunt terram: qui ſcilicet carent cupiditate uindictæ. Longanimitatem uel patientiam, intelligit non philoſophicam, ſed Chriſtianam, dum in afflictionibus ſentitur totũ geri dei conſilio, iuxta illud: Dum iudicamur, à domino corripimur, &c. Propterea nos affligi, ut ſaluemur: deũ nobis bene uelle, ut humiliati promptius obediamus, ut miſeri deum inuocemus ardentius. Habet hæc patientia ſemper ſpem coniunctam. Sed, inquit, ſufferatis uos inuicem, ac mutuo uobis condonetis, ſi quid per humanam infirmitatem extiterit inter uos, ob quod aliquis poſſit alterum incuſare. Aequum eſt ut uos ignoſcatis uiciſſim peccantibus, cum Chriſtus qui neminem lædit, omnia ueſtra peccata uobis condonauerit.

8 Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod eſt uinculum perfectionis.

Præ cæteris omnibus ornet animos ueſtros Chriſtiana charitas, quę adeo nulli nocet, ut nemini non ſtudeat prodeſſe, iniuriam beneficio penſans, hoc eſt perfectũ illud & inuiolabile uinculũ, quo Chriſti corpus cohęret, & conglutinantur inter ſe mẽbra, alioqui dilapſura. Charitatis comes erit concordia & pax, non illa quidem uulgaris, ſed Chriſti glutino conſtans, qua mores difficiles tolerãtur alio rum, ignoſcitur erratis, non exigitur uindicta.

9 Et pax Chriſti exultet in cordibus ueſtris, in quã & uocati eſtis in uno corpore, & grati eſtote.

Ea

Ea pax & cõcordia ſemper uincat ac ſuperet in cordibus ueſtris, illa palmam ferat aduerſus liuorem, ſuperbiam, iram, & contentionem. Siquidem ad concordiam uocauit uos deus, & hoc conſilio uos omnes ſibi reconciliauit, & in unum corpus adoptauit, ut inter uos unanimes uiueretis, uelut unius corporis mẽbra. Ne uero ſitis ingrati, parumq; memores diuinæ erga uos clemẽtiæ. Cum illo pax non erat futura nobis, niſi ultro nobis cõdonaſſet omnia flagitia noſtra. Et huius oblitus, frater aduerſus fratrem bellũ mouet ob leuem iniuriam? lubet etiam deo gratias agere, quod nos in tot calamitatibus tamen non deſerat, ſed defendat, tegat, gubernet. Etenim niſi à deo cuſtodiremur, ſatanæ incurſibus quotidie expoſiti eſſemus. Nunc quod uita noſtra prorogatur ad pœnitẽtiam, quod adſunt alia bona, quod cohibemur, ne ruamus in deteriora flagitia, quod ad pœnitentiã uocamur & expectamur, inæſtimabilia ſunt beneficia de, pro quibus deo nihil reddere poſſumus præter gratiarum actionem, & quod præſeruati ſumus à tam multis peccatis, in quæ cadere contigiſſet, niſi dono dei præuenti.

Verbum Chriſti habitet in uobis abundanter, in omni ſapientia, docentes & commonẽtes uoſmetipſos Pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus, in gratia cantantes in cordibus ueſtris deo. 10

Sermo Chriſti, qui docet ea quæ pertinent ad ueram pietatem, habitet ac perſeueret in uobis exuberanter, ut in hoc plurimum ſapiatis, adeo, ut nõ ſolum ipſi ſcire poſſitis quid ſit Chriſto gratum, uerumetiam alius alium uiciſſim docere, ſi quis erret: commonefacere, ſi quis ceſſet: ſemper interim hilares, ſpe futuræ beatitudinis, Pſalmis & hymnis ſpiritualibus recinentes domino laudes ac ſua beneficia. Recinentes autem nõ ſolum uoce corporea, ſed potiſſimum in corde ueſtro: nam huiuſmodi demum cantilenis delectatur deus, ne quis magnum exiſtimet, ore ſuperis & uoce obſtrepere.

Omne quodcũq; facitis in uerbo aut in opere, omnia in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti, gratias agentes deo & patri per ipſum. 11

Poſtremo quicquid agitis, ſeu loquentes uel facientes aliquid, ſic agite, ut ad domini gloriam pertineat, illum ſapiat, illum ſonet, illum ſpiret omnis ueſtra uita. Atq; interea quicquid acciderit hæc agentibus, ſeu proſperum ſeu aduerſum id fuerit, ne quid uos uel deijciat uel efferat, ſed pro omnibus gratias agite deo patri per filium, per quem nihil nõ uertitur uobis in bonum. Sentiamus quoq; eum præcipere his uerbis, ut credamus quod uelit deus regere omnes uitæ caſus, omnia conſilia, omnia negotia, omnia pericula: quare quicquid ſuſcipimus, auxiliũ ab eo petendum eſt. Qui docent, qui adminiſtrant reſpub. qui gerũt bella, qui diſcunt, qui terram arant, qui artes exercent, poſtulent à deo auxilium in omnibus negotijs ſuis, admoniti hoc præcepto Pauli, Omnia facite in nomine domini.

Mulieres ſubditæ eſtote uiris, ſicut oportet in domino. Viri diligite uxores, & nolite amari eſſe ad illas. 12

Subditæ ſitis uxores maritis ueſtris, ſicut conuenit ijs qui Chriſtum profitentur, quos oportet in omnibus officijs eſſe cæteris perfectiores. Contrà, mariti diligetis eas, quas ita memineritis eſſe ſubditas, ne tamen ſitis amarulenti aduerſus illas. Rigorem uirilis legis emollit, ne poteſtate qua præualet, nimius quis ſit in dominatu uxoris, reſpiciat potius ad affectum, quia mulier caro eſt eius, ne plus illum humilians exacerbet, & contraria cogitet.

Filij obedite parentibus per omnia, hoc enim placitum eſt in domi- 13

no, Patres, nolite ad indignationem prouocare filios uestros, ut non pusillo animo fiant.

Filij, morigeros & obsequẽtes uos præbete parentibus uestris, citra ullam exceptionem, etiamsi grauiora præcipiant, modo ne impia. Sic enim placitum est Christo, quia iustum & pium est. Tunc possunt filij deum habere propitium, si debitam reuerentiam rependant progenitoribus, circa obsequium eorum faciles, in contemptu difficiles. Contrà patres, ne abutamini uestra authoritate erga liberos: neq; sic irritetis illos sæuitia, ut animum despondeant. Ira inconsiderata res est, in tantum, ut aliquando nec sibi parcant qui irascuntur, nec suis. Cogitent se quoq; fuisse filios, & filij cogitent se quoq; futuros filiorum parẽtes, si deo placeat.

14 Serui, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculũ seruientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes deum. Quodcunq; facitis, ex animo operamini, sicut domino, & non hominibus: scientes quod à domino accipietis retributionem hæreditatis. Domino Christo seruite. Qui enim iniuriam facit, recipiet id quod gessit: & non est personarum acceptio apud deum.

Quibus iuxta ius humanum debetis seruitutem, illis obedite serui per oẽnia: non iam ad oculum seruire studentes, quemadmodum ethnicorum uulgus seruire solet: sat habet si non offendat herum hominem, deum non timens: sed simplici syncerocq; pectore præstantes officiũ, non hominis metu, sed dei, qui respicit quo faciatis animo. Neq; perpendite quid mereatur dominus, sed quicquid obsequio rum illi, qualis qualis est, impenditis, sic habere, quasi Christo impendatis, nõ hominibus, certi quod ab illo recipietis præmiũ hæreditatis æternæ. Etiã si ingratus herus nihil indulserit peculij, nec uos agnoscat inter liberos, siquidem dum indignis dominis propter Christum seruitis, Christo seruitis. Nam quemadmodum herus si quid peccat in seruũ, tametsi non punitur apud homines, tamen non erit impunitus apud deum: ita seruus qui recte se gerit, etiamsi nullum fert præmium apud homines, qui seruis officio functis, non arbitrantur quicquam deberi gratiæ, tamen non peribit illi sua merces apud deum, apud quem non est discrimen personarum, sed mentium: nec est ratio conditionis, sed officij.

CAPVT IIII.

1 DOmini, quod iustum est & æquum, seruis præstate, sciẽtes quod & uos dominum habetis in cœlo.

Vos quoq; domini, ne iure uestro quod uobis leges humanæ dederunt, non synceritas naturæ, abutamini ad tyrannidem in seruos exercẽdam, sed quod iustum est & æquum, illis exhibete, suppeditãtes illis quæ ad naturæ usum sunt necessaria. Nec pro animi libidine alios in delicijs habentes, alios intolerabili seruitio prementes, non ignari uos iam conseruos illis esse uerius q̃ dominos, quum & ipsi communem cum illis dominum habeatis in cœlis, quem meritò talem experiemini in uos, qualem uos præstiteritis in seruos. Ne quoq; permittatis ut serui seruis dominẽtur, id quod intolerabile est, ubi spiritus dei non adest. Dominus enim omnes homines ingenuos condidit, iniquitate autem hominum introducta est seruitus, dum alterius alter fines inuadit, dum captiuos ducit, & seruos facit, qui fuerãt ingenui: unde & manucapti sunt dicti à ueteribus, indemancipia. Apud deũ hic seruus habetur, qui peccauerit, sed & homines decreuerunt omnes prudentes esse liberos, stultos omnes seruos: prudens enim abstinet à peccatis,

catis, ut hic ingenuus sit, qui recta sequitur: seruus autem, qui per stultitiam subiicit se peccato. Non sunt ergo ueri domini, sed quasi per imaginem, non animorum, sed corporum. Solus enim dominus & author rerum inuisibilis deus, tam corporibus quàm animis dominatur, ut hæc considerantes domini, iusta à seruis exigant seruitia, talia utiq;, qualia & à se exigi uolunt à domino communi.

Orationi instate, uigilantes in ea, in gratiarumactione, orantes simul 2
& pro nobis, ut deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi, propter quod etiam uinctus sum, ut manifestem illud, ita ut oportet me loqui.

Quo magis uobis contingat ut membra sitis Christi, corpore digna, precationibus instate, non segnes aut onusti crapula, sed sobrij ac uigilantes, simul admiscentes gratiarumactionem, ut non solum à deo postuletis quæ conducant ad salutem, uerumetiam pro quotidianis illius in uos beneficijs gratias agatis, quo cumulatius sit in uos beneficus, si memores & gratos inuenerit. Atq; interim deprecabimini deum & pro nobis, ut dignetur amotis impedimẽtis omnibus, liberam reddere euãgelij prædicationem, ut omnium in animos subeat mysterium, quod nunc pater omnibus notum esse uoluit de Christo, per quem sine legis adminiculo salutem offert omnibus, ob cuius prædicationem ego uinctus sum his compedibus, ne quid obstet mihi, quo minus euulgem apud omnes euangelium Christi cupide & intrepide, quemadmodũ ille me iussit euulgare. Oratio proprie est, cum aliquid flagitamus, sed sæpe abutimur nomine, ac uocamus orationem, in qua pro accepto beneficio gratias deo agimus. Coniunxit hoc loco Paulus orationem & gratiarumactionem, nam & bona à deo cum fiducia & ex fide petere sine hæsitatione debemus: & cum accepimus, prædicare eius beneficiũ. Est enim gratiarũactio, agnoscere quod bona illa quibus utimur, beneficia sint uere à deo profecta: idq; prædicare apud homines, ut alij nostro testimonio confirmati, discant timere deum, ei credere, & glorificare eum.

In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt, tempus redimentes. 3

Cum his qui à Christi professione sunt alieni, prudẽter est agendum, ne quid appareat in moribus uestris, quod illos irritet ad persequutionis sæuitiã, aut alienet ab euangelio. Postquam enim non potestis effugere, quin cum ethnicis commercium habeatis, uitæq; communis consuetudinem, experiantur uos in omnibus commodiores & humaniores factos, ex professione nouæ religionis, si quid sit eius generis, in quo possitis illis citra pietatis dispẽdium gratificari. Nunc hoc potissimum agendum, ut omnes alliciãtur ad euangelicam professionem. Huius rei occasio non est ob friuolas contentiones perdenda, imò iactura rerũ omnium redimẽda. Cedite honorem, cedite pecuniã, remittite uindictam, ingens lucrum existimate, si harum rerum dispendio aucta fuerit res euangelica. Vtilissimum præceptum est, ad retinendam ecclesiæ concordiam, ut recte utamur occasione, ut suum quisq; officium recte faciat, ut doctores doceant, magistratus dicant ius, auditores discãt. Suam quisq; spartam exornare curet, & quia deo placere suum laborem credit, ideo speret deum facturum esse, ne labor sit irritus: neq; potest labor esse felix susceptus contra domini uoluntatem.

Sermo uester semper in gratia sale sit cõditus, ut sciatis quomodo o- 4
portet uos unicuiq; respondere.

Sermo uester apud illos non sit contumelioſus atq; asper, sed humanitatis gra

tiam ſapiat, cum prudẽtiæ ſale coniunctã: nam comis oratio citius flectit feroces animos, & prudentia docet quid, quibus, & qua moderatione ſit reſpondẽdum. Aliter enim agendũ cum principibus mundi, aliter cum mediocribus, aliter cum humilibus, aliter cum manſuetis, aliter cum iracundis, aliter cum eruditis, aliter cum idiotis. Ad cuiuſq; habitum ſic attemperandus eſt ſermo, ut proficiat euangelio. Eſt ubi cedere præſtet, quoties furioſis conuitijs reclamat, quem pares docere, aut dum inſidiatur doctrinæ tuæ cui loqueris.

5 Quæ circa me ſunt, omnia uobis nota faciet Tychicus chariſſimus frater, & fidelis miniſter, & conſeruus in domino, quem miſi ad uos ad hoc ipſum, ut cognoſcat, quæ circa uos ſunt, & conſoletur corda ueſtra cum Oneſimo chariſſimo & fideli fratre, qui ex uobis eſt, qui omnia quæ hic aguntur, nota facient uobis.

De ſtatu rerum mearum non ſcribo uobis, uerum de his omnibus certiores uos reddet Tychicus, qui has perfert literas, mihi frater dilectus, ob profeſſionem communem, & idem fidus miniſter & conſeruus in euangelij negotio, quem hac gratia miſi iſthuc, ut & per illum ſciatis quid agatur apud nos, et ego per eundem diſcam quid agatur apud uos, ut & ueſtri animi refocillentur ex illius colloquio, & meus recreetur illius de uobis oratione. Tychico comitem addidi Oneſimum, quem nolim ex priſtina conditione uitaue æſtimetis, quum mihi nunc ſit fidus ac dilectus frater, qui & illo nomine uobis debet eſſe commendatior, quod ueſtræ gentis ſit, ex præputio conuerſus ad Chriſtum. Hi duo uobis bona fide referent, quicquid hic rerum eſt apud nos, quod ueſtra referat ſcire.

6 Salutat uos Ariſtarchus concaptiuus meus, & Marcus conſobrinus Barnabæ, de quo accepiſtis mandata, ſi uenerit ad uos, ſuſcipite illum. Et Ieſus, qui dicitur Iuſtus, qui ſunt ex circũciſione, hi ſoli ſunt adiutores mei in regno dei, qui mihi fuerunt ſolatio.

Ariſtarchus uos ſalutat, qui licet Iudaicæ gentis ſit, tamen ob fidei germanitatem uobis debet eſſe commendatus: nam nunc habeo ſocium & conſortem captiuitatis meæ pro euangelio Chriſti. Salutat & Marcus, Barnabæ uobis non incogniti conſobrinus, quem & aliâs commendauimus uobis, præcipientes quod & nunc præcipimus, ut ſi uenerit ad uos, cum humanitate excipiatis illum. Salutat & Ieſus, cognomento Iuſtus. Sunt hi quidem diuerſæ gentis, nimirum Iudaicæ, ſed tamen digni fauore ueſtro, quod ſoli ſint ſocij laborum meorum, ad prædicandum regnum dei: atq; in hiſce malis quibus affligor, mihi fuere ſolatio, & conſentientes ſententiæ meæ, in his quæ pertinent ad regnum dei. Circuncidere autem, & ſabbatha obſeruare, & neomenias, non ſpirituale eſt nec diuinũ, ſed terrenum & Iudaicum.

7 Salutat uos Epaphras qui ex uobis eſt, ſeruus Chriſti Ieſu, ſemper ſollicitus pro uobis in orationibus, ut ſtetis perfecti & pleni in omni uoluntate dei.

Epaphras quoq; ſalutat uos, non ſolum uobis cõmuni Chriſti cultu, ſed gentis etiam cognatione coniunctus, ſic ueſtris commodis ex animo fauens, ut anxie ſolicitus, non deſinat precari deum pro uobis, ut illius ope perſiſtatis in eo quod cœpiſtis: ſitisq; non ſemichriſtiani, ſed perfecti conſummatiq;, præſtandis omnibus quæ deo grata ſunt. Tam ſalutaria ſeipſis exoptare teſtatur Apoſtolus, ut illum

lum qui ciuis illorum est, & affectu unanimitatis charissimus, participem suæ deuotionis, in profectum eorum ostendat.

Testimonium enim illi perhibeo, quod habet multum laborem pro 8
uobis, & pro ijs qui sunt Laodiciæ, & qui Hierapoli. Salutat uos Lucas medicus charissimus, & Demas. Salutate fratres qui sunt Laodiceæ, & Nympham, & quæ in domo eius est ecclesiam.

Illud siquidē de eo testor, quod ingenti studio afficitur erga uos: nec erga uos solum, uerumetiam erga finitimos uobis Laodicenses & Hierapolitanos. Salutat uos Lucas arte medicus, mihi unicè charus. Demas, qui adhuc mecum agit. Vere charissimus fuit Lucas, quia omnia postponēs, apostolos sequutus est semper, qui & Euangelium & Acta scripsisse perhibetur. Salutate quoq; reliquos fratres omnes qui sunt Laodiceę, tum præcipue Nympham, simulq; domesticam eius uiri congregationem. Ambrosius putat Nympham fuisse mulierem deuotam, ut uocant, sed pronomen apud Græcos additum, significat uirum fuisse, non mulierem Nympham. Porrò quod addit, Et quæ in domo illius ecclesiam. Opinor hic ecclesiam accipi non pro uniuerso cœtu, sed pro reliqua familia iam Christiana: nam Græci interpretes putāt magnatem aliquem ob id fuisse, quod domi haberit ecclesiam.

Et cum lecta fuerit apud uos epistola hæc, facite ut & in Laodicēsium 9
ecclesia legatur, & ea quæ Laodicensium est, uobis legatur.

Cum fuerit hæc epistola apud uos recitata, facite ut eadem & in Laodicensiū congregatione recitetur, ac uicissim uos legatis epistolam, quæ Timotheo scripta fuit ex Laodicensium urbe, quo pluribus prosint. Non hic scribitur, Quæ scripta fuit ad Laodicēses, sed quæ scripta fuit ex Laodicea. Verisimile est fuisse epistolā quam Laodicensis quispiam scripserit ad Paulū, in qua tum inessent quæ ad Colossensium rem pertinerent. Extat apud Latinos epistola ad Laodicenses inscripta, sed falso, quum nullus sit apud Græcos, ne ueterū quidem, qui testetur eam à se lectam.

Et dicite Archippo, Vide ministerium quod accepisti in domino, ut 10
illud impleas. Salutatio mea manu Pauli. Memores estote uinculorum meorum. Gratia domini nostri Iesu Christi uobiscum. Amen.

Archippo præfecto uestro meis uerbis hæc dicite, Vide quam prouinciam susceperis, domini negotium est quod tibi delegatū est, non hominis. Cura ut præstes quod suscepisti, domino rationē redditurus. Quo firmior sit apud uos huius epistolæ fides, rursum ascribo uobis omnibus meapte manu, nempe Pauli uobis non ignota: Memores estote uinculorum meorum, quæ uestra causa gesto: & sic uiuite, ut horum me non pœniteat, &c.

FINIS.

COMMENTARIVM IN EPISTOLAM D. PAVLI APOSTOLI AD THESSALONICENSES PRIMAM.

ARGVMENTVM.

THESSALONICA Macedoniæ metropolis est, unde & regionis incolæ Thessalonicenses appellati. Hi in fide semel accepta, tanta cōstantia perstiterunt, ut & Pauli exemplo, ciuium suorum persecutiones infracto & alacri pertulerint animo, nec ullo pseudapostolorum suasu quiuerint ab euangelica institutione deflecti. Quod ueritus Paulus, quem non latebat pseudapostolorum improbitas, cum ipsi non liceret illos inuisere, misit Timotheum, ex quo reuerso, cum didicisset illorum constantiam, collaudat eos, gratias agens deo. Atq; id quidem agit primis duobus capitibus, in cæteris duobus instituit eos in uarijs pietatis officijs, subindicans esse inter eos, qui nondū omnino puri essent ab omni libidine: nec deesse qui otio dediti, grauarent alios. Item qui inquieti turbarent ecclesiæ tranquillitatem, quos corripi iubet. Præterea qui de resurrectione nondum satis confirmata essent fide, cum defunctos ita lugerēt quasi perissent, ac non potius ad meliora demigrassent. Hos instituit atq; confirmat. Rursus alios disputasse de die aduentus domini, quasi is præsciri prædiciq; possit, cum incertus sit omnibus. Verum eum, ait, subitum & præter omnium expectationem adfuturum, quo magis simus ad omne momentum parati.

CAPVT PRIMVM.

1 PAVLVS & Syluanus & Timotheus ecclesiæ Thessalonicensium, in deo patre nostro & domino Iesu Christo. Gratia uobis & pax.

Trium quidem episcoporum uel doctorum nomina epistola continet, quandoquidem & ab his ad Christi fidem conuersos fuisse traditur. Verba autem & sensus epistolæ solius Apostoli sunt, imò diuini spiritus in apostolo loquentis, ad ædificationem ecclesiæ: nedum Thessalonicensium, sed omnium quoq; aliarum in mundo constitutarum ad finem mundi: hoc est, omnium qui Christo credunt, & inserti sunt per fidem. Qui autem hic Syluanus dicitur, putatur is esse, qui Silas in Actis, deflexo paulisper Hebræorum more nomine & mutato. Quia quoq; hi tres cōmuni gaudio exultabant in profectu illius ecclesię, ideo cōmuni consensu & exultatione describitur hæc epistola, in qua patris & domini Iesu Christi nō excluso spiritu sancto, gratia illis optatur.

2 Gratias agimus deo semper pro omnibus uobis, memoriam uestri facientes in orationibus nostris, sine intermissione memores operis fidei uestræ & laboris, & charitatis, & sustinentiæ, spei dñi nostri Iesu Christi, ante deum & patrem nostrum.

Vestro profectui, sicut par est, gratulātes, semper agimus gratias deo, uestro omnium nomine, uestri mentionem facientes, quoties cum deo sacris precationibus colloquimur, quod nunquam non ueniat nobis in mentem, quantum præstiteritis in tuenda fidei uestrę professione: deinde quantum laboris exhauseritis ob charitatem quam habetis erga præcones euangelij, quàm fortiter & constan-

ter

ter omnia pertuleritis, freti ſpe & expectatione præmiorum. Quæ dominus noſter Ieſus Chriſtus promiſit in uita futura ijs, qui ob nomen ipſius huius uitæ negligunt incommoda. Non peribit uobis merces recte factorum, rependet is qui ſpectauit quo animo feceritis, deus & pater noſter, quem colitis fide, charitate & ſpe. Fides autem ueſtra per opera charitatis efficax eſt in uobis, non mortua uel inanis. Charitas laborioſa eſt, ut omnia ſufferat, ſeruiat omnibus, oñia abſoluat. Iam ſpes quoq; ueſtra perſeuerare facit uos in fide rerum æternarũ, ut facile perduretis in afflictionibus. Additur, Ante deum & patrẽ. Inde enim tam certi eſtis, ac ſi iam uideatis, dominus eſt, qui poteſt & uult uobis per gratiam adeſſe ſuam uſq; in finem.

Scientes fratres dilecti, à deo electionem ueſtram, quia euãgelium noſtrum non fuit ad uos in ſermone tantum, ſed & in uirtute, & in ſpiritu ſancto, & in plenitudine multa, ſicut ſcitis quales fuerimus in uobis propter uos. 5

Scitis non humana perſuaſione uos eſſe mutatos ab idolorum cultura ad cultum dei unius uiui & ueri, per fidem domini noſtri Ieſu Chriſti, ſed uoluntate diuina ad hæc delectos fuiſſe. Neq; enim ſic prædicauimus uobis euãgeliũ, ut præter uerba nihil adferremus uobis: imò dei potentia miraculis confirmauit ſermonem noſtrum. Datus eſt ſpiritus ſanctus, neq; quicquã omnino defuit, quod plenam faceret euangelicæ doctrinæ fidem, quandoquidẽ per noſtrum euangelium conſequuti eſtis, quicquid ad aliorum prædicationem cõſequuti ſunt Iudæi conuerſi ad Chriſtum. Atq; hic q̃ pure, q̃ ſubmiſſe, q̃ laborioſe nos geſſerimus apud uos, ipſi teſtes eſtis. Nihil enim nõ pertulimus, quo uos Chriſto lucrifaceremus. Inſignis eſt hic locus, quod qui uere ſuſceperunt euangelium, certi ſunt ſe eſſe in gratia. Ex uerbo enim audito, & fide credito, datur ſpiritus in cordibus noſtris, qui ſecuros reddit de gratia dei, & peccatorum remiſſione, reddens teſtimonium ſpiritui noſtro, quod ſumus filij dei.

Et uos imitatores noſtri facti eſtis & domini, excipientes uerbum in tribulatione multa, cũ gaudio ſpiritus ſancti, ita ut facti ſitis forma omnibus credentibus in Macedonia & in Achaia. 4

Non uos præbuiſtis degeneres diſcipulos, ſed noſtrum exemplum eſtis imitati: imò non noſtrum, ſed domini Ieſu, qui ſic deiecit ſeſe, ſic perpeſſus eſt omnia, ut nos ſibi lucrifaceret. Adeo enim non reſpuiſtis euangelium noſtrum, ut huius gratia quamuis graues ac multas afflictiones pertuleritis: non modo fortiter, uerumetiã multo cum gaudio, quod animis ueſtris ſuggeſſit ſpiritus ſanctus, quem accepiſtis ad noſtram prædicationẽ, arrabonem interim futuræ felicitatis, cuius ſpe dulce eſt etiam quicquid hic malorum infligitur ob euãgelium Chriſti. Tam inſignis fuit fidei ueſtræ fortitudo, ut exẽplo fueritis omnibus credentibus in reliqua Macedonia & Achaia. Magna pro his uobis promiſſa ſunt præmia, idoneus enim ſeruus probatur, quando pro amore domini hoſtes patitur & offendit. Magna quoq; exhortatio eſt ad profectũ, dum dicit illos ſimiles factos Chriſto & apoſtolis, in fide & paſſionibus, ad formam præbendã cæteris in illis locis, quæ fama huiuſmodi peruaſerat.

A uobis enim diffamatus eſt ſermo domini, non ſolum in Macedonia & in Achaia, ſed in omni loco fides ueſtra, quæ eſt ad deum, profecta eſt, ita ut non ſit nobis neceſſe quicquam loqui. 5

Tam insignis fuit fidei uestræ fortitudo, ut exemplo fueritis omnibus credentibus in reliqua Macedonia & Achaia. In tantum enim commouit omnium animos exemplum urbis metropolitanæ, ut euangelij fama tubæ clangentis ritu, late personuerit, ardorem fidei uestræ, quam habetis erga deum, diuulgans, non solum in Macedonia atq; Achaia, uerum in cæteris quoq; regionibus omnibus, ut iam nihil necesse sit à nobis prædicari fidem uestram. Tale autem hoc est, quale est illud ad Romanos, Quia fides uestra prædicatur in toto mũdo: sed in his amplius quod non solum fides, sed opus quoq; fidei peruenit in omnem locum.

6 Ipsi enim de nobis annunciant, qualem introitũ habuerimus ad uos, & quomodo conuersi estis ad deum à simulachris, seruire deo uiuo & uero, & expectare filium eius de cœlis, quem suscitauit à mortuis, Iesum qui eripuit nos ab ira uentura.

Si quando tentamus his de rebus narrare, ipsi potius ultro narrant de nobis, prius docti celebri rumore, q̃ nostra oratione, quomodo nos primum uos adierimus, doctrinam euangelicam prædicaturi, quantaq; uos promptitudine excepe ritis contemptis periculis, quæ nostra causa uidebantur uobis imminere, quantaq; facilitate traducti sitis à maiorum superstitione, qua simulachra dæmonum colebatis, ad cultum dei ueri, ut posthac detestantes falsos ac mortuos deos, seruiretis deo uiuo & uero, cuius promissis freti, pro nihilo ducitis huius uitæ commoda, pariter atq; incommoda, expectãtes ut filius eius Iesus, per quem nos asseruit in salutem, ac nobis futuræ uitæ præmia pollicitus est, rursum adueniat è cœlis, exhibiturus palàm orbi quæ promisit. Nam hunc in hoc excitauit ad uitam, ut & nos per illum reuiuisceremus, fruituri cum illo bonis immortalibus, qui hic pro illo mala huius mundi perpetimur. Nec erit nobis formidabilis huius aduentus, quos ipse suo sanguine purgatos à peccatis, deo recõciliauerit, & ab æterno supplicio liberarit, quod nostris commissis debebatur.

CAPVT II.

1 Am & ipsi scitis fratres, introitum nostrum ad uos, quia non inanis fuit, sed ante passi multa, & contumelijs affecti, sicut scitis, in Philippis, fiduciam habuimus in deo nostro loqui ad uos euangelium dei, in multa solicitudine.

Quid attinet commemorare, cum ipsi non ignoretis: licet nõ accesserimus ad uos cum fastu & supercilio, grandia quædam uerba trutinantes, aut magnificam aliquam philosophiam profitentes, tamen aditum nostrũ non fuisse inefficacem. Imò cum & antea Philippis multa pertulissemus, quemadmodũ ipsi nostis, multisq; essemus affecti contumelijs, unà cum Sila, ob phytonem eiectum à puella quam tenebat, nihilo secius tamen freti auxilio dei nostri, non ueriti sumus & apud uos libere prędicare euangelium Christi, non sine graui discrimine. Signum ergo deuoti & fidelis prædicatoris hoc dicit esse, si in pressura loqui uerbum dei non timeat: inanem illum significans, qui terrore præsenti formidinem patitur prædicandi. Qui enim securus est de promissa spe bonorum percipiendorum, non se sinit à corona prohiberi, ut cedat studio uincendi, & absoluendi bonum quod cœperat.

2 Exhortatio enim nostra non de errore, neq; de immunditia, neq; in dolo, sed sicut probati sumus à deo, ut crederetur nobis euangeliũ, ita loquimur, nõ quasi hominibus placẽtes, sed deo, qui probat corda nostra.

Quod

Quod si rem commentitiam & inanem uobis prædicassemus, nunquam eius causa capitis discrimen adissemus. Nam qui ex sese docent, quod à Christo nõ acceperunt, & docent ad suum quæstum, hoc agentes, ut alijs imponant suo lucro, his nec adest authoritas, & protinus se subducũt, ubi metuunt capitis aut rerum suarum discrimen. At doctrina, ad quam uos inuitauimus, haud fuit commentitia fucataq́, & ad impostu ram instructa: neq́ sub eius prætextu cælauimus artes impuras, quemadmodum faciunt pseudapostoli: neq́ dolo quicquam gessimus, aliud præ nobis ferentes, aliò spectantes, ac sub Christi titulo nostrum agentes negotium, eorum more qui se faciũt apostolos: sed quemadmodum deus per filium suum ad hoc munus nos delegit, ut syncere creditum euangeliũ prædicaremus, ita prædicamus omnibus, nõ ut apud homines ineamus laudem aut gratiam, sed ut deo nostram functionem probemus, qui penitus inspicit corda nostra, atq; ex his quenq́ æstimat. Formam hic discimus ueri ministri euangelici, imitatoris illius pastoris Christi, qui ob persecutiones non cessat prædicare, sed constãter agit in domino. Sic uocatum se esse, & dei agere negotium: ideo quicquid ei accidit, non est ei curæ, tantum agit commissum, ut fidelis inueniatur minister.

Neq́ enim aliquãdo fuimus in sermone adulationis, sicut scitis: neq́ 5
in occasione auaritiæ, deus testis est: nec quærentes ab hominibus gloriam, neq́ à uobis, neq́ ab alijs.

Non sumus cuiquã adulati, ex corde omnia egimus, & sine hypocrisi, cuius rei uel ipsi testes estis: neq́ sermonem euangelicum, uestramq́ credulitatem uertimus in quæstum nostrum. Testis est nobis huius animi deus ipse: neq́ uenati sumus ex euangelio gloriam humanã, uel apud uos, uel apud alios. Non enim gloriam meam uel laudẽ temporalem quæro, sed Christi domini mei, & apud deum æternam, & uestrum in omnibus profectũ, ad quod missus sum ut fidelis sim, humilitatem sciẽs me sectari debere, ut dei gloria & ueritas exaltetur. Ideo nihil egi uel dixi, in quo esset occasio auaritiæ. Iurat autem quia deo debet & saluti fidelium ius charitatis, ueritatis, & non falsitatis, ut sit uera & digna iuratio, non prohibita.

Cum possemus uobis oneri esse, ut Christi apostoli, sed facti sumus 6
paruuli in medio uestri, tanquã si nutrix foueat filios suos: ita desiderantes uos cupide, uolebamus tradere uobis non solum euangelium dei, sed etiam animas nostras, quoniam charissimi nobis facti estis.

Potuissemus authoritate nostra uti supercilioq́, non minus q̃ pseudapostoli, qui quum inania doceant, & ad suum compendium, tamen honorem & obsequium à uobis exigunt: at nos memores quid deceat apostolos Christi, qui sese submisit nostræ salutis causa, nõ uendicauimus nobis fastum & supercilium, sed placidos nos & mites præstitimus inter uos, haud sæuientes, uelut in discipulos, sed omni lenitate morigerantes uestræ imbecillitati, non aliter, q̃ si mater nutrix foueat teneram ætatem filiorum suorum. Sic & nos affectu propensi in uos, ex animo cupiebamus impertire uobis, non solum euangelium dei, ueluti pabulum animarum uestrarum, uerumetiam propriam uitam impendere: non quod à uobis quicquã speraremus premij, sed quod uos ex animo charos haberemus, haud secus ac mater diligit filios suos. Non exprobramus officium, sed testamur affectum: quem quia uerus est, non uerbis magis q̃ rebus probatum uolo uideri, potest enim in uerbis latere fallacia. Agit autem, ut his exhortationibus prouocati,

omnem ſenſum ſuum in dilectione haberent Apoſtoli.

5 Memores enim eſtis fratres laboris noſtri & fatigationis, nocte & die operantes, ne quem ueſtrum grauaremus, prædicauimus in uobis euangelium dei.

Ipſi meminiſtis fratres, ut ueſtra cauſa nullum laborem, nullum ſudorem fugerimus, nihil aliud ſitientes aut captantes, q̃ ſalutem ueſtram: & adeo nihil mercedis uenantes à uobis, ut opera manuaria nocturna diurnaq; nobis pararemus uictum, ne cuiquam ueſtrum eſſemus oneri. Pſeudapoſtoli ſuum euangelium in uos ingerũt, & extorquent quantum poſſunt, nos uobis gratuito prædicauimus euangelium dei, Omnia, inquit, quæ mihi & his qui mecum fuerunt neceſſaria, laborauerunt manus iſtæ. Vnde & in alia epiſtola ait, Qui non laborat, non manducet. Volebat exemplum dare, quemadmodum gubernãda ſit uita Chriſtiana, & ſimulatores prodere. Deniq; qui labori inſiſtunt, à malis cogitationibus declinant, occupantes animum ſuum, & à periculis prohibentes.

6 Vos teſtes eſtis & deus, quàm ſancte & iuſte et ſine querela uobis qui credidiſtis affuimus, ſicut ſcitis, qualiter unumquenq; ueſtrum, ſicut pater filios ſuos, deprecantes uos, & conſolantes teſtificati ſumus, ut ambularetis digne deo, qui uocauit uos in ſuum regnum & gloriam.

Vos quoq; mihi teſtes eſtis, & deus ipſe teſtis eſt, q̃ inculpate geſſerimus noſmet erga uos qui credidiſtis, quod ipſa re compertum habetis, q̃ ſyncero affectu cuncta fecerimus, ut erga quenque ueſtrum ſic fuerimus affecti, tanquam pater quiuis erga liberos ſuos. Nunc obſecrantes uos, nunc conſolantes, nunc obteſtantes: non ut nobis daretis quicquam, ſed ut uitam ageretis deo digna, qui uos prius alienos ab omni pietate, uocauit per fidem & afflictiones temporarias in regnum ſuum, & gloriam immortalem. Habẽt hoc loco exemplum egregium epiſcopi, amoris ſynceri, quo moueantur ad ſuas eccleſias, ut omnem, quod dicitur, lapidem moueant, ut ſubditos erigant à lapſu, alios à fuga reuocẽt, alios metu & errore fluctuantes confirment.

7 Ideo & nos gratias agimus deo ſine intermiſſione, quoniam cum accepiſſetis à nobis uerbum auditus dei, accepiſtis illud non ut uerbum hominum, ſed, ſicut eſt uere, uerbum dei, qui operatur in uobis qui credidiſtis.

Bene habet negotium ueſtrum. Agnoſcitis beneficiũ dei, quapropter & nos gratias agimus indeſinenter, qui ſic afflauit animos ueſtros, ut cum nos humiles ueniſſemus ad uos, nulla dignitatis ſpecie commendati, ſimulatq; audiſſetis à nobis euangelij doctrinam, non acceperitis tanquam ſermonem aut fabulam humanam, ſed tanquam ſermonem ab ipſo deo profectum, ſicuti re uera erat: nam ille uobis per nos loquebatur. Dilutus & inefficax eſt ſermo humanus, ſed efficax eſt ſermo dei, qui ſimulatq; hauſtus eſt uobis, non fuit otioſus, ſed exerere cœpit uim ſuam in uobis: ita ut ſatis appareret, uos eundem cepiſſe ſpiritum, qui mox imitari ceperitis reliquas eccleſias dei, quæ in Iudea profitentur Chriſtũ Ieſum. Quod indeſinenter orat & gratias agit, non de uerbis intelligendum, ſed de affectu cordis. Quomodo Chriſtus quoq; dixit, Oportet ſemper orare, & non deficere. Id quod non dicitur de murmure oris, ſed de deſiderio cordis, quod deus intelligit. Quandiu autem deſideras à malis liberari quibus premeris, tandiu uerbis & ſuſpiriis

ſpiritus animoq; oras, donec accipias uel libereris. Tale deſiderium humilium ſpiritu exaudit dominus.

Vos enim imitatores facti eſtis fratres, eccleſiarum dei quæ ſunt in Iu- 9
dæa in Chriſto Ieſu, quia eadem paſſi eſtis & uos à cõtribulibus ueſtris, ſicut & ipſi à Iudæis, qui & dominum occiderunt Ieſum & prophetas, & nos perſequuti ſunt, & deo non placent.

Quod Chriſtus, quod nos, quod cæteri Iudæi, qui amplectuntur doctrinam euangelicam, paſſi ſunt à ſuæ gentis hominibus, quibus inuiſa eſt hæc doctrina, hoc & uos paſſi eſtis à contribulibus ueſtris: nam ut hi dominum Ieſum occiderunt, & ante hunc trucidarunt ſuos prophetas, impatiẽtes ueritatis: ita & uos ueritatis euangelicæ præcones perſequuntur, tanta cæcitate mentis, ut & dei iram in ſe prouocent, cuius uoluntati rebellant, & cunctis hominibus aduerſentur, ue luti hoſtes humani generis, uelut omnibus inuidẽtes ſalutem per fidem oblatam, & cupientes omnes ſecum in exitium pertrahere. Grauiter hic ſuos accuſat Iudæos, ubi locus eſt, quomodo impij dei iudicio ſemper proficiunt in peius. Sicut enim diligentibus deum omnia cooperantur in bonum: ita impijs omnia cedunt in malum, donec ira dei obruat eos in finem, exemplo Pharaonis.

Et omnibus hominibus aduerſantur, prohibentibus nos gentibus lo 10
qui, ut ſalui fiant, ut impleant peccata ſua ſemper: peruenit enim ira dei ſuper illos uſq; ad finem.

Nec priuato odio quopiam ſic nobis Iudæi obſiſtunt, imò gentium omnium bono inuident, & ea gratia nobis obturbant, ne prædicemus euangelium gentibus, per quod ſeruari queant, quaſi parum ſit illos antehac trucidaſſe prophetas, mox à prophetis Chriſtum, niſi nobis etiam afflictis & extinctis, abſoluant cumulum facinorũ ſuorum, & hunc ueluti colophonem imponunt impietati ſuæ, nuſquam ſui diſſimiles, nec unquam ab inſania ſua reſipiſcentes. Quibus rebus adeo prouocant in ſe diuinam iram, ut deſperandi ſint: quippe deſtinata malitia propellentes ab ſeſe miſericordiam dei, & euangelium modis omnibus oppugnãtes, cuius unius ope poterant ab exitio eripi. Ideo Theſſalonicenſes à ciuibus ſuis eadem paſſos dicit, imitatos patiẽtiam ſanctorum, & domini noſtri Ieſu Chriſti. Cuius ſceleris authores inducit Iudæos, ut & quanta gloria digni ſint, qui pro nomine domini patiuntur, & quæ ultio infeſtis & infidis præparata ſit, dinoſcatur.

Nos autem fratres deſolati à uobis ad tempus horæ, aſpectu, nõ cor- 11
de, abundantius feſtinauimus faciem ueſtram uidere cum multo deſiderio, quoniam uoluimus uenire ad uos, ego quidem Paulus, & ſemel & iterum, ſed impediuit nos ſatanas.

Quo magis amo uos ob alacritatem & promptitudinem fidei ueſtræ fratres, hoc mihi grauius fuit ueſtri deſiderium, quod aliquantulum temporis à uobis diſtracto, non licuerit frui conſpectu ueſtro, cuius mira nos habebat cupiditas, licet animo nunquam fuerimus à uobis diuulſi. Et tamen hoc non ſat erat charitati in uos noſtræ, niſi præſens præſentes aſpicerem & corporeis oculis: quapropter non mihi ſatis eſt uiſum, aliquem ad uos mittere, aut per literas colloqui, ſed ipſe Paulus ſemel atq; iterum conatus ſum adire uos, quo magis etiam confirmarem animos ueſtros, ſed obſtitit hæc conanti ſatanas, qui per impios Iudæos impediuit meam ad uos profectionem, cum propter inſtructionem ueſtram faciem ueſtram quoq; uidere cuperem. In rebus enim diuinis deficiunt ſcribẽtis articuli compre

hendere, quæ possunt dici familiarius: & sunt quædã mystica religionis nostræ, quæ propter carnales sensus, ne scandalum patiantur, facile publicari non possunt, quia non omnibus dicenda sunt omnia, sed pro uniuscuiusq; captu moderanda sunt dicta, aliter rudibus, aliter fundatis: ideo præsentia corporis requiritur, quia sic perficitur ueritas charitatis. Quamuis enim charitas non diuidatur, desiderium tamen facit absentia corporis. Huius rei impedimento asserit fuisse satanã, qui etiam apostolis obuias manus tendebat, ne ueritatis ratio hominibus panderetur: accẽdebat enim perfidorũ mentes, ut eos uerberibus & uinculis arcerent, ne loquerentur uerbum dei.

12 Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nónne uos ante dominum nostrum Iesum Christum estis in aduentu eius? Vos enim estis gloria nostra & gaudium.

Quid autem mirũ si tanto teneor uestri desiderio? Nam quid aliud est in hoc mundo, quo mihi placeam, quo me iactem, quo fretus mihi promittam felicitatem? Omnia contemno præ euãgelio Christi. Quæ nam igitur est spes nostra, aut quod gaudium nostrum, aut quæ corona nostra? Nónne inter cæteros, quos ex gentibus lucrifeci Christo, uos quoq; estis? Si non apud mundum, certe apud dominum Iesum Christum. Vbi debellatis hostibus euangelij, palàm agetur triumphus in aduentu illius, quæ tum trophæa, quæ monumẽta uictoriæ proferam in illa pompa, nisi uos uestriq; similes? Interim harum rerũ certa spe fruor. Vos igitur estis in hac uita seges ac materia gloriæ nostræ, uos gaudium nostrum, si modo perseueratis in his quæ cœpistis.

CAPVT III.

1 PRopter quod non sustinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis solis, & misimus Timotheum fratrem nostrum, & ministrum dei in euangelio Christi, ad confirmandos uos, & exhortandos pro fide uestra, ut nemo moueatur in tribulationibus istis. Ipsi enim scitis quod in hoc positi sumus, nam & cum apud uos essemus, prædicebamus uobis passuros nos tribulationes, sicut & factum est, & scitis.

Cum iam impares essemus desiderio uestri, nec tamen daretur aditus ad uos, uisum est nobis, ut quod per nosipsos facere non licuit, per mihi fidelissimum socium, ac uelut alterum me, facerem. Nos igitur soli residimus Athenis, atq; inde misimus Timotheum fratrem nostrum, ac spectatum dei ministrũ, socium & adiutorem officij nostri, quo fungimur in euangelio Christi, malentes interim tam unici tamq; necessarij collegæ solatio carere, q; committere, ut usquam in prospiciẽdo rebus uestris cessasse uideremur. Misimus autem non nostra gratia, sed uestra potissimum causa, uidelicet ut confirmaret & cõsolaretur animos uestros, docens his afflictionibus, quibus hinc atq; hinc pulsor, neq; quicquam labefactari animum meum, & magis etiam prosperari gloriam euangelij, ne quis uestrum ob meas afflictiones, quas auditis, turbaretur. Neq; enim uobis nouum uideri debet, si hæc accidunt euangelij præconibus, cum iampridem sciretis, in hoc ipsum delectũ à deo, ut corporis afflictionibus illustrarẽ Christi nomen, præceptorem ac dominũ hac in parte referens. Etenim iam tum cum apud uos præsentes essemus, hoc ipsum prædicabamus fore, iam fieri uidetis, quemadmodum & ante nostis factum. Mihi nihil inopinatum accidit, neq; uobis nõ prædictum: quo minus est

est causæ, cur animo labefactemini. Idoneus autem doctor Timotheus mittẽdus
dicit, qui ostenderet hinc merita crescere Christianis, si pro domini nomine passi,
gratias agant, à quo huius rei mercedem expectant, simulq; preces deo funderẽt,
ut stabiles essent.

Propterea & ego amplius non sustinens, misi ad cognoscendũ fidem 2
uestram, ne forte tentauerit uos is qui tentat, & inanis fiat labor noster.

Cum pro mea ingenti de uobis solicitudine, qua tuta etiam timeo, nõ ferrem
desiderium uestri, Timotheum, ut dictum est, misi ad hoc, ut per hunc quodãmo-
do præsens cognoscerem fidei uestræ constantiam, & explorarem, si quos ex uo-
bis imbecilliores tentasset ille, qui nunquam non uigilat ad subuertendos uos, &
in his periisset mihi labor meus. Tentat autem satanas, nõ solum ad impuritatem
carnis, quia fidem labascere faciat, uerum multo amplius per falsos prædicatores,
qui non sustinentes, ut fiducia tota in solum deum per solum Christum feramur,
adducunt nos in fiduciam operum legalium, & merita diuorum. Addit autem,
Ne inanis fiat labor noster: quo significat, euangelium non prodesse illis, qui à sa
tana abducuntur in aliam uiam. Est autem euangelium, solo Christo saluandos fi
deles, in quo omnia habent, sine quo habemus nihil.

Nunc autem ueniente Timotheo ad nos à uobis, & annunciante no- 3
bis fidem & charitatem uestram, & quia memoriã nostri habetis bonam
semper, desiderantes nos uidere, sicut & nos quoq; uos. Ideo consolati su
mus fratres, in uobis in omni necessitate et tribulatione nostra, per fidem
uestram, quoniam nunc uiuimus, si uos statis in domino.

Cum nuper Timotheus rediisset ad nos à uobis, nobis lætum adferens nun-
cium, ac referẽs & fidei uestræ robur inconcussum, & charitati pristinæ simile:
quodq; disiunctio nostra non aboleuisset apud uos nostri memoriam, sed hanc
apud uos iugem ac perpetuam esse, uosq; semper mutuo nostri uidendi & audi-
endi desiderio teneri, quemadmodum nos habet desiderium uidẽdi uos, nihil est
necessitatum aut malorũ quibus premor, quod non æquo animo feram, postea-
quam cognoui uestram fidem esse in tuto, cui metuens, ipse mihi nõ metuebam.
Ego mihi uideor incolumis, si uestra incolumis est fides. Nunc uiuimus, & ab o-
mni discrimine uidemur erepti, si uos auxilio Christi Iesu persistitis in eo quod
cœpistis. Non piget horum malorum, si fructus respondeat in uobis, quorũ gra-
tia hæc perpetior. Talis est animus sancti episcopi in suam ecclesiam, si suam salu
tem reputat sanctum statum suorum. Dum enim recte habent res ecclesiæ, recte
ualet & ipse: cum infirmantur & laborant, tum uita ipsi quoq; iucunda esse non
potest. Pseudoepiscopi hoc unum agũt, ut ipsis bene sit, nulla ratione habita qua-
lis sit conditio commissæ sibi à deo ecclesiæ.

Quam enim gratiarumactionem possumus deo retribuere pro uo- 4
bis, in omni gaudio quo gaudemus propter uos, ante deum nostrum, no
cte & die abundantius orantes ut uideamus faciem uestram, & complea-
mus ea quæ desunt fidei uestræ?

Quoniam autem uideo fieri, ut indies latius euangelium crebrescat apud gen
tes, quas gratias tanto beneficio pares deo possumus referre? cuius beneficio no-
bis contigerit in hisce malis tam insigne gaudiũ, quod de uestro profectu gaude-
mus ex animo, teste deo nostro, cuius bonitati debetis q̃d præstitistis, quo noctur
nis & diurnis precibus & illud maiorem in modum flagitemus, ut eiusdem bene

ficio liceat aliquando uestro conspectu frui. Præstat aliquid præsentia, quod nec literæ nec nuncius, quamlibet fidus præstare possit. Hac itaq; gratia cupio uidere uos, ut si quid etiam desit euangelicæ disciplinæ, id suppleam ac sarciam. Non enim ecclesijs satis est, si leges dei scriptas habeant, nisi accedat episcoporum diligentia & authoritas, qua omnia secundum eas iuste moderentur.

5 Ipse autẽ deus & pater noster & dominus Iesus Christus, dirigat uiam nostram ad uos.

Cæterum precor, ut quando per impios homines non licet, ut uideamus uestras facies, ipse deus ac pater noster, & huius filius Iesus Christus dominus noster, submotis impedimentis, aperiat mihi uiam ad uos, simulq; uos doctrinis suis sic interim augeat, ut magno gaudio uos conspicere possim.

6 Vos autem dominus multiplicet, & abundare faciat charitatem uestram in inuicem & in omnes, quemadmodum & nos in uobis, ad confirmanda corda uestra sine querela, in sanctitate, ante deum & patrem nostrum, in aduentu domini nostri Iesu Christi, cum omnibus sanctis eius. Amen.

Id autem fiet, si uos abundantes & exuberantes reddat mutua inter uos charitate: nec inter uos tantum, uerum erga cunctos homines, quemadmodũ & nos erga uos omnes eximiam quandam habemus charitatem, uel mori parati pro uestra salute: atq; ita confirmet corda uestra, ut integritas uestra nulla ex parte culpari possit, non solũ apud homines, sed multo magis apud deum et patrem, quem nihil fallit, in aduentu domini nostri Iesu Christi: cum in conspectu sanctorum omnium palàm erit, non solum quod quisq; gesserit, uerumetiam quo quidq; animo gesserit. Deum autem uocat, propter terrorem maiestatis eius: patrem uero, propter benignitatem, qua dignatur credentes sibi adoptare in filios, quod in aduentu domini manifestabitur.

CAPVT IIII.

1 DE cætero ergo fratres, rogamus uos & obsecramus in domino Iesu, ut quemadmodum accepistis à nobis, quomodo oporteat uos ambulare & placere deo, sic & ambuletis, & abundetis magis. Scitis enim quæ præcepta dederim uobis per dominum Iesum.

Quod superest rogamus, ut quãdo satis à nobis estis edocti, quomodo uos gerere debeatis, & quibus studijs placere deo, date operam, ut in eo quod didicistis non solum perseueretis, uerumetiam quotidianis profectibus uosipsos superetis. Nostis enim & meministis quæ præcepta tradiderim, nõ meapte authoritate, sed domini Iesu: nihil istorum præcepi, quæ uobis inculcant pseudapostoli, de legis Mosaicæ ceremonijs, de præcellentia uisisq; angelorum, per quos sit aditus ad salutem, sed ea duntaxat, quæ sciebam esse grata deo. Proinde intellexisse pleratis negotium, id quoq; incepisse, & aliquanto esse progressum, non est satis, nisi & profectus quotidianus accedat, quò studia uestra omnia intendantur, ad id quod nemo ignorat placere deo.

2 Hæc est enim uoluntas dei, sanctificatio uestra, ut abstineatis uos à fornicatione, ut sciat unusquisq; uestrum uas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderij, sicut & gentes quæ ignorant deum.

Vult

Vult deus ut uos sanctos & incontaminatos præstetis, nec animo soli casti sitis, sed & corpore, ut abstineatis à scortatione, qua corpora conspurcantur. Corpora domicilia sunt animi, animus hospitium est dei. Vt igitur oportet animum esse purum, ob hospitem deum: ita decet corpus esse purum ob inhabitantem animum. Proinde nouerit suo quisq; corpusculo ceu uasculo fictili, hunc habere honorem, ut purum seruet & illibatum, neq; sinat inquinari morbo turpium cupiditatum ac libidinum, quod adeo Christianis indignum est, ut nec gentium sit omnium, sed earum quę non nouerunt deum: uerum existimant nullo ultore cuiquam licere quicquid libet: & honestum esse, quicquid corpori dulce est. Conge minatur autem libidinis malum, si cum fratris iniuria copuletur, ueluti cum alienam uxorem sibi quisquam usurpat. Hoc uero documentū non est pro immundis porcis illis, qui audientes libertatem Christianam, quam soli norunt spirituales, ad libertatem carnis uersi, putant sibi licere quiduis.

Et ne quis supergrediatur, neq; circūueniat in negotio fratrem suum, 3
quoniam uindex est dominus de his omnibus, sicut prædiximus uobis, & testificati sumus: non enim uocauit nos deus in immunditiam, sed in sanctificationem.

Ne quis in adulterio uel alijs in rebus sibi plus satis usurpādo, fraudem faciat fratri suo, propterea quod deus nihil horum sinet inultum, & adeo non proderit baptismus ista patrantibus, ut grauius etiam sint puniendi, quemadmodū & ante diximus uobis, ac testati sumus. Nec enim ideo deus nos auocauit ab instituto uitæ prioris, ut semel loti, rursus in easdem sordes reuolueremur, sed ut innocentiam semel gratis datam, uitæ sanctimonia puritateq; tueremur. Neq; fœditate libidinum expellamus à nobis spiritum sanctū, castitatis amatorem. Quod si non uultis abstinere amore fratris, id quod in Christianis spiritus fidei postulat, abstineatis uel metu iudicij dei, qui talia ulciscetur.

Itaq; qui hæc spernit, non hominem spernit, sed deum, qui etiam de- 4
dit spiritum suum sanctum in nobis.

Testatus hæc sum & iterum testor, non esse mea præcepta, sed dei. Proinde qui aspernatur ea, non hominem aspernatur admonentem, sed deum authorem aspernatur, qui ideo spiritum suum sanctum impertijt uobis, ut illius afflatu sanctimoniam amplecteremini. In hunc cōtumelioſus est, quisquis corpus suum turpi libidine polluere non ueretur: quia in corpore subdito peccatis, non inhabitat spiritus sanctus.

De charitate autem fraternitatis nō necesse habemus scribere uobis, 5
ipsi enim uos à deo didicistis, ut diligatis inuicem. Etenim illud facitis in omnes fratres, in uniuersa Macedonia.

De Christianorum uerorum charitate erga Christianos, non arbitror necesse ut admoneam hisce literis: nam ipsi ultro diuinitus docti estis per spiritum Christi quem hausistis, ut uos inuicem diligatis. Id enim re ipsa declaratis, Christiana charitate prosequentes cunctos fratres: non solum qui sunt Thessalonicæ, sed etiam qui sunt in tota Macedonia. Simile dixit in superioribus, nō opus esse ut scribat eis de fide, cuius fructus est charitas. Addit causam, quia docti sint à deo. Tantum obsecrat, ut abundet magis, id est crescāt in fide & charitate, quæ nunquam perfecta sunt in hac uita, habent enim semper in quo crescant per dominum Iesum suoq; spiritu.

6 Rogamus autem uos fratres, ut abundetis magis, & operam detis ut quieti sitis, & ut uestrum negotiū agatis, & operemini manibus uestris, sicut præcepimus uobis: & ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis.

Non hortor, ut quod facitis, ultro faciatis, sed ut quod facitis admonitu spiritus, in hoc superetis uosipsos, semper in melius proficientes. Detis autē operam, ne per otiosos & alienarū rerum curiosos, turbetur uestra tranquillitas, sed suum quisq; agat negotium. Quod si cui non suppetant facultates, manibus proprijs sibi paret, unde & sibi suppeditet, & alijs egentibus impertiat, quemadmodum & ante præcepimus uobis, ut uos geratis cum decoro erga eos qui sunt alieni à professione Christi, apud quos mendicare, aut ob inopiam impudētius agere, turpe sit uestræ professioni. Quin potius hoc suæ cuiq; manus præstent, ne qua re sit opus. Et facile suppetit illi qui paruo contētus est. Quasi omnibus autem scribens Apostolus, paucos notat, cum hodie plena sit terra, qui otium sectantes, uolunt aliorum bonis & labore nutriri, quasi serui dei sint quibus uictus debeatur. Tales scandalo erant incredulis etiam gentibus, unde & iubet, ut quieti labore manuum uiuant, ut non sint indigentes, & prætextu paupertatis & religionis ex alienorum labore otiose uiuere quærant.

7 Nolumus autem uos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut & cæteri qui spem non habent.

Quod attinet ad resurrectionis mysterium, non patiar uos quicquam latere, ne impotenti dolore eos lugeatis, quasi perierint, qui freti promissis euangelij, obdormierunt, ad exemplum gentium, ideo lamentantium mortem suorum, quod non sperent unquam reuicturos. At Christianorum mors nihil aliud q̄ somnus est, unde expergiscentur omnipotentia dei in aduentu Christi, longe iam felicius uicturi. Cur enim nō speremus in membris fore, quod factum scimus in capite? Planè autem ostendit Paulus de quo dolore loquatur, nō de quolibet, sed eo quo dolent qui spem nullam habent gentiles, qui ut immortalitatem animarum non credunt, ita resurrectionem corporum negant. Isti homines mortis memoria & charorum morte grauiter perturbantur, non credentes transitum potius esse q̄ dici mortem. Transitum autem ad sedes beatiores omniumq; sanctorū, & ad conditionis infelicis immutationem in longe meliorem. Dormire autem eatenus dicuntur, quia exuuntur corpora quidem functionibus suis, anima uero perpetuò uiuens, & cœlestia inhabitās, immortalis est, separata à corpore ad tempus, quod ipsum quidem in terram resoluitur, non tamen perpetuò manebit terra, sed reuiuiscet.

8 Si enim credimus quod Iesus mortuus est, & resurrexit: ita & deus eos qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo.

Adducet, inquam, cum illo, non ut perditos & extinctos per mortem, sed seruatos ad tempus, & ueluti in somno detentos. Vt nunc demū cum Christus manifestatur, qui caput est nostrum, etiam membra sua, hoc est nosipsi qui illi credimus, simul cum ipso manifestabimur. Iuxta illud: Ego sum resurrectio et uita, qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, uiuet: & omnis qui uiuit & credit &c. Si ergo credimus Christum mortuum nostro more, & reuixit ad immortalitatem: sic futurū credamus oportet, ut deus pater, qui resuscitauit Iesum, & eos qui Iesum professi sunt, & illius promissis confisi obdormierunt, unà cum illo adducet rediuiuos

uiuos in aduentu filij, ne capiti suo desint membra.

Hoc enim uobis dicimus in uerbo domini, Quia nos qui uiuimus, 9
qui residui sumus in aduentum domini, non præueniemus eos qui dor-
mierunt.

Mysterium aperit, prophetans ac docens in uerbo domini, sicut prophetæ so-
lent, subinde dicentes, Hæc dicit dominus. Est autem mysteriũ hoc, quod Thessa
lonicenses fortassis scire uolebant & quęsierant de eo. Quod ueniente Christo ad
iudicium, uiui adhuc homines uita animali, ut nunc sunt reperientur. Id quod e-
tiam habet Euangelium: Sicut in diebus Noë, Matth. 24. Luc. 17. Non, inquit, re
ferimus uobis humanam fabulam, sed quod ab ipso Christo didicimus, quod nos
quos aduentus domini residuos hic ac uiuos reperiet, non ante sistemur in con-
spectu dñi Iesu iudicis, q̃ ꝯ qui mortui fuerint unà sistant. Hic enascitur illa quin
decim signorum fabula ante diem iudicij futurorum. Dicit autem uiuos non præ
uenturos mortuos, sed qui mortui sunt primũ resuscitãtur: & sic simul, & uiui &
qui mortui erant, hoc est omnes qui Christi sunt, rapientur Christo obuiam in aë
ra. Loquitur autem solum de resurrectione iustorum Paulus, sicut & 1. Cor. 15.
aperiens mysterium, quod qui uiui reperientur in illo raptu, subito immutabun-
tur, & fiet corpus immortale, & spiritui obsequentissimum, & capax omnis felici
tatis & incorruptibile.

Quoniam ipse dominus in iussu & uoce archangeli, & in tuba dei de 10
scendet de cœlo, & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi.

Dixerit quispiam, Qui poterunt sisti qui sunt sepulti? Ipse dominus Iesus per
angeli uocem diuina tuba de cœlo personantem, excitabit illos, adhortans, ut ex-
perrecti properent, ac protinus qui obdormierant hac spe, reuiuiscent, & exur-
gent à monumentis. Describitur autem domini aduentus, quasi regis descenden
tis in prælium, ad debellandum rebelles, ad exaltandum obedientes. Vnde hic ar
changelum nominat, quasi ducem exercitus, & adhortantem tubam. Et Matth.
24. Signum siue uexillum filij hominis in cœlo, exercitum multum & maiesta-
tem. Hunc accipimus archangelũ, & uocem filij hominis, cuius uerbo & potẽtia
mortui resurgent, & conformabuntur corpora nostra, nunc uilia & caduca, cor-
pori claritatis suæ.

Deinde nos qui uiuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis 11
in nubibus, obuiam domino in aëra, & sic semper cum domino erimus.
Itaq; consolamini inuicem in uerbis istis.

Vbi resuscitati diuina uirtute fuerint mortui, nos qui residui ac uiui reperti
fuerimus in aduentu Christi, unà cum illis rediuiuis subito rapiemur per nubes,
ut in aëre domino occurramus, atq; inde nos secum auehet in cœlum, iugiter se-
cum uicturos. His itaq; sermonibus uos inuicem consolamini, ne grauius uos
discruciet mors piorum, dignior, ut gaudijs & gratulationibus prosequamini, q̃
lamentis. Ne uel ipsos moriẽtes ipsa mors terreat, & excruciet grauius: uel lugen
tes solicitos detineat in mœrore. Consolationes autem Romanisticæ longe aliter
habent, gentilitiæ potius q̃ Christianæ. Nihil enim nostra pro mortuis cura diffe-
rebat iam antea ab ea qua gentiles iusta suis celebrabant mortuis.

CAPVT V.

DE temporibus autem & momentis fratres, non indigetis ut scri- 1
bamus uobis. Ipsi enim diligenter scitis, quia dies domini sicut

fur in nocte, ita ueniet. Cum enim dixerint, Pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus. Sicut dolor in utero habentis, & non effugient,

Modum & ordinem resurrectionis habetis, quando id scire uestra referebat. Cæterum tempora temporumq; articulos, quando sint hæc uentura, nihil attinet uobis scribere: & adeo non conducit, ut nec dominus tale quiddam à se flagitantibus discipulis, uoluerit aperire. Siquidem ipsi planè nostis, & ante à nobis edocti, quod dies ille domini non aliter obrepet orbi inexpectatus, q̃ fur nocturnus obrepit dormientibus: ac tum potissimum opprimet oscitãtes, quum minime expectabitur. Quum enim isti qui non credunt euangelio, in medijs delicijs dixerint, Nihil est periculi, sed pacata tutaq; omnia, non ueniet dominus, tunc illis repente instabit exitium. Quemadmodũ grauidam mulierem subitus dolor partus occupat, ante diem expectatum: sic scriptura ubiq; diem domini dicit inopinate ueniturum. Quem & incertũ uoluit esse, ut semper essemus parati in eius occursum, Luc. 12. Sicut incertus est dies obitus nostri, in quo uenit dominus ad singulos, sicut tunc ad omnes ueniturus est: & sicut in obitu inuenimur, ita seruamur apud deum in illum diem. Cum autem supra nihil dixerit de resurrectione impiorum, hic dicit repentinum eis superuenturum interitum, & dolorem non interiturum. Venient enim talia super eos, dum maxime sunt securi, sicut dicit dominus de Noë temporibus, & de auaro diuite. Sunt enim tenebrarũ filij & noctis, lucem gratiæ Christum ignorantes.

2 Vos autem fratres non estis in tenebris, ut uos dies illa tanquam fur comprehẽdat, omnes enim uos filij lucis estis, & filij diei. Non sumus nocte neq; tenebrarum.

Christiani autem uigilant, & sobrie uiuunt, quia diei & lucis sunt filij: qui autem dicunt, Hora est, iam nos de somno surgere. Dormire, hic dicit negligentem esse, & dominum ignorare. Sicut in Euangelica parabola ex inebriatione, quam intelligere licet curas & solicitudines, diuitias & uoluptates huius uitæ, ut habet Luc. 8. nisi quod etiam crapula & ebrietas per se faciunt, ut dies illa non præuideatur. Ait autem Paulus, Dies oppressionis huius subitaneæ, metuendus est ijs qui nunc excæcati uitijs suis, nocturnã agunt uitam. Vobis fratres non perinde metuendus est, ne uos improuisos opprimat. Vos enim omnes qui Christum sequimini, non pertinetis ad regnum tenebrarum, sed ad regnum lucis & diei: præsertim si studio pietatis nostræ professioni respondeamus, atq; ita uiuamus, ut appareat nos in luce uigilare, non in tenebris stertere.

3 Igitur non dormiamus, sicut & cæteri, sed uigilemus & sobrij simus. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt.

Proinde si nolimus opprimi, ne dormiamus, quemadmodum faciunt cæteri, qui non norũt lucẽ Christi: sed uigilemus & sobrij simus, animo semper circũspectantes, ne quid per incogitantiam admittamus, quod oculos dei & hominum offendat. Nam ut qui iuxta corpus dormiunt, nocte dormiunt: & qui uino temulenti sunt, nocte sunt temulenti: ita qui oscitant ac dormitant in uitijs, in animi tenebris uersantur: & qui mundi cupiditatibus atq; illecebris ebrij sunt, in mentis caligine uersantur.

4 Nos autem qui diei sumus, sobrij simus, induti loricam fidei & charitatis, & galeam spem salutis: quoniam non posuit nos deus in iram, sed in

in acquisitionem salutis, per dominum nostrum Iesum Christum, qui mortuus est pro nobis, ut siue uigilemus, siue dormiamus, simul cum illo uiuamus.

Nos quibus illuxit euangelij dies, sobrios ac uigilantes esse decet, semper accinctos ac paratos, aduersus subitum insultū hostis, semper in nostrum exitium uigilantis, munitos armis spiritualibus. Nimirū pro thorace fidem induti & charitatem, pro galea spem æternæ salutis. Nec est quod diffidatis, aderit uigilātibus deus ipse propugnator. Nec enim ideo uocauit nos ad euangelij doctrinam, ut secus ꝙ illa commonstrat uiuentes, iram nobis & ultionem dei conduplicemus, sed ut illi parētes salutem consequamur, opitulante domino nostro Iesu Christo, qui ideo mortuus est pro nobis: ut siue contingat uiuere, per pietatem ac spem immortalitatis cum illo uiuamus: siue contingat mori, cum illo uiuamus immortales. Et Christianorum uita siue dormiant siue uigilent, siue edant siue bibant, semper Christi uita est, dum omnia in gloriam dei faciunt.

Propter quod consolamini inuicem, & ædificate alterutrum, sicut & 5
facitis.

Vt autem magis ac magis in Christo uiuatis, mutuis hortatibus uos inuicem animate, ac uicissim alius alium excitate ad perfectum, quemadmodum & uestra sponte facitis. Verbis autem & exemplis ad id annitamini, quo semper proficiatis in Christiana religione, & ædificemini in Christo, ad sanctificationem diuini nominis.

Rogamus autem uos fratres, ut noueritis eos qui laborant inter uos, 6
& præsunt uobis in domino, & monent uos, ut habeatis illos abundantius in charitate, propter opus illorum pacem habete cum eis.

Quin & illud rogamus, ut rationem habeatis eorum qui laborant inter uos, quiꝙ præsunt uobis in euangelica doctrina, quiꝙ admonent uos, quibus rebus oporteat placere Christo, ut cum oporteat omnibus deferre honorem, hos tamen præ cæteris habeatis in pretio, referentes illis charitatem, quam præstant uobis, tot laboribus ac periculis uestra causa subeundis. Et si quando uos arguunt delinquentes, tamen habete pacem cum illis. Neꝙ enim odio dignus est qui arguit, ut prosit: quin uos quoꝙ pro sua quisꝙ portione, ut illorum partes adiuuetis obsecro. Veneramini autem præpositos, ut præter honorem & uenerationē dignam etiam necessaria ministretis eis. Sunt autem præpositi, qui laborant in ecclesia, qui præsunt quidem, sed in domino, qui laborāt in uerbo & solicitudine, qui duplici honore digni sunt, non propter titulum, sed propter opus illorum & fidele obsequium ad promouendum salutem ecclesiæ.

Rogamus autem uos fratres, corripite inquietos, consolamini pusilla 7
nimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes.

Admonete eos qui suo uiuentes arbitrio, turbant ordinem uestrum. Consolamini pusillanimes, qui in multis adhuc trepidāt, timentes ne quid defuturum sit corpori, uel ne non satis magno animo perstituri sint in aduersis pro euangelio. Subleuate imbecilles, infirmos mente & conscientia, modicæꝙ fidei: sustentate quantum fieri potest, dum nihil per insolentiā admittunt, nec peruicaciter detrectant scientiam amplecti salutis. Lenes estote & benigni patientesꝙ erga omnes, non modo Christianos, uerumetiā à Christo alienos: si tamen id suadeat fides & charitas ad deum & proximos. Si nō lenitate nimia ansa permittitur & offertur

ferocitati malorum, ad iniuriam uel exitium piorum.

8 Videte ne quis malum pro malo alicui reddat, sed semper quod bonum est sectamini in inuicem, & in omnes.

Cauete ne quis iniuriam iniuria repensет, ne quis maleficium maleficio retaliet. Nec enim imitari decet malos in re mala, & illorũ similes fieri: imò magis adnitendum, ut benefaciatis omnibus, non solum Christiani Christianis, uerumetiam quibuscunq; promeritis, & non promeritis: certi nõ perire uobis officium, fideiussore Christo. Verum cõtingit tũc quoq; malum reddi pro malo, si quis merito corripiẽdus est, non corripitur, sed praua dissimulatione negligitur, & in malo uoluntarie sustinetur.

9 Semper gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. Hæc est enim uoluntas dei in Christo Iesu in omnibus uobis.

Quicquid uobis acciderit incolumi pietate gaudete semper, indesinenter interpellate deum precibus uestris, in quauis fortuna gratias agite: sic enim placitum est deo, ut semper sit pro quo gratias agatis patri benefico in uos per Iesum Christum. Iustus nunquam desinit orare, nisi desinat iustus esse. Semper orat qui semper bene agit: idipsum enim desiderium bonum, oratio est: & si continuum est desiderium, continua quoq; est oratio. Concludit autem, hæc deo placere per Christum, ne putemus reiiciẽda, uelut humanas admonitiones. Hæc est enim uoluntas dei, sanctificatio uestra.

10 Spiritum nolite extinguere, prophetias nolite spernere. Omnia autem probate, quod bonũ est tenete. Ab omni specie mala abstinete uos.

Cauendum quoq; & illud uobis, ne ex diuersis dotibus dissidiũ aliquod oriatur inter uos. Contigit alicui donum linguarum, ut spiritu psallat, quanquam infima dos est, nolite tamen extinguere, fouete potius, ut proficiat ad meliora. Qui per spiritum sanctum habetis donum intelligentiæ, nolite abscondere, quo merito idem perdere mereamini. Gratiam dei cælare nolite. Contigit alicui prophetię donum, ut enarret sensum scripturæ mystiçũ uel abstrusum, nolite reiicere quicquid dicitur. Illum ferte ut proficiat, hunc audite, sed cum iudicio: sic tamen, ut ne dicenti molestius obstrepant. Nemo sic suis dotibus faueat, ut contemnat alienas. Omnia probate, cæterum quod quisq; sibi iudicarit accommodum, id amplectatur. Attendite à falsis prophetis. Attendite à fermento Pharisæorum. Nolite omni spiritui credere. Quicquid boni speciem habet, non est aspernandum. Cæterum à malis sic oportet abhorrere, ut ab his etiã abstineatis qui mali speciem præse ferunt. Sed ad hæc omnibus conari studijs, uestrum erit.

11 Ipse autem deus pacis sanctificet uos per omnia, ut integer spiritus uester & anima & corpus sine querela in aduentu domini nostri Iesu Christi conseruetur.

Deus ipse author pacis, cui gratus est consensus, & concentus totius hominis in rebus honestis, efficiat, ut toti sancti sitis et illibati, ut anima spiritui, corpus animæ respondeat, spiritus autem respondeat deo, ne sit in quo possitis culpari, utq; in hac sanctimonia perseueretis usq; ad aduentum domini. Neq; pacem conscientiæ consequitur, nisi qui credit à deo sibi per Christum peccata dimissa, hanc fidem solus dat deus. Scriptura hominẽ in tres diuidit partes. Prima est spiritus, quem si deus illuminauerit, apprehendit incomprehẽsibilia per naturam & æternа: hic est domicilium uerbi dei, & fidei ueræ. Altera est anima per opus separata à spiritu,

à spiritu, non natura, animat enim corpus & uegetat. Hoc lumen est ratio, quæ non potest non errare, ubi spiritus fide nō est illuminatus. Tertia est corpus cum suis membris. Orat autem ut integro spiritu sint sancti: ubi autem plena est fides, facile & anima, id est uita & corpus, integra erunt.

Fidelis est qui uocauit uos, qui etiam faciet. Fratres orate pro nobis. 12
Salutate fratres omnes in osculo sancto. Adiuro uos per dominum, ut legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus. Gratia domini nostri Iesu Christi uobiscum. Amen.

Magnæ consolationis uerbum est afflictis conscientijs ac trepidis, dum cogitatur & creditur fidelis deus in promissis suis, qui uocauit ad sanctimoniam, & huius præmia, qui per euangelium certos reddit de gratia: & quod qui salutem cœpit per spiritum Christi, idem & perficiet. Non est nostrum salutem nec incipere, nec perficere, sed assumpti sumus cū adhuc essemus impij. Si in nostra esset manu nostra salus, dudū perissemus, sed est in manu patris nostri fidelissimi per Christum: is cœpit in nobis opus bonum, & perficiet, præstabit quod est pollicitus. Deus est enim qui agit in uobis, ut uelitis, & ut efficiatis pro bona uoluntate sua, non tua, in quem & sperare debetis, & sancte conuersari. Sanctam autē conuersationem sequitur oratio frequens, pro se & suis, imò omnibus: qui & facile exaudiuntur & impetrant. Quid enim filijs pater recte postulantibus denegaret? Ideo Paulus hortatur, ut pro se quoq; oretur, ut sancti conatus sui ipsorū precibus, ad dei gloriam & ecclesiæ profectum dirigantur. De osculo sancto & Christiano intelligit, non de carnali, qui non fit in Christo, sed est peccatum. Salutate, inquit, fratres omnes in osculo, non quale uulgus salutatorum ex more porrigit, sed sancto & digna charitate. Vult tandem esse solicitos, ut hæc consolatoria epistola perueniat ad omnes fratres, ut pariter omnes in Christo consolētur atq; proficiant ad gloriam Christi. Claudit tandem imprecando, quod maxime necessarium & expetendum prædicat semper, ut gratiam dei & fauorem desiderent ante omnia. Illam cogitent semper in principio & fine actionū & cogitatuum. Eam quam à patre nostro deo consequuti sumus per Christum, qua sola saluamur, & felices reddimur & consummamur.

FINIS.

COMMENTARIVM IN EPISTOLAM D. PAVLI APOSTOLI AD THESSALONICENSES II.

ARGVMENTVM.

QVONIAM non contigit Paulo facultas reuisendi Thessalonicenses, per hanc quoq; epistolam confirmat illorum animos, ut fortiter ferant illatas ob Christum afflictiones: nec ipsis defuturum præmium, nec aduersarijs uindictam. Rursum de die aduentus domini, de quo nonnihil attigerat in superiori epistola, ex qua permoti quidam putabãt uicinum diem domini, & instare propediem. Significatq;, licet tecte, prius abolendum imperium Romanum, deindeq; uenturum Antichristum ex eodem imperio suboriturum. Attentius etiam inculcat coërcendos esse, qui otio & curiositate sua turbarent quietem & ordinem publicum, & ad opus adigendos otiosos, cum ipse Paulus apud eos manibus quoq; suis laborarit.

CAPVT PRIMVM.

1 PAVLVS & Syluanus & Timotheus, ecclesiæ Thessalonicensium, in deo patre nostro, & domino Iesu Christo. Gratia uobis & pax à deo patre nostro, & domino Iesu Christo.

Iterum nunc tres nominant, quorum nomine mittitur epistola, à Paulo quidem scripta, sed spiritu sancto inspirata, cum re uera sit uerbum domini, & ad ædificationem non tantum eius ecclesiæ Thessalonicensium scripta, sed omnium fidelium, quemadmodum & omnes omnium apostolorum epistolæ. Syluanus autem existimari potest præ alijs Pauli discipulis familiarem fuisse magis Thessalonicensibus, & aliqua ratione commẽdatior & gratior, quando non alibi q; in his & quidem ambabus epistolis ponitur, & insuper Timotheo præponitur, quæ tamen parum aut nihil ad rem faciunt. Quod autem dicit, In deo patre nostro, referri debet ad ecclesiam, quæ collectio est adeoq; sacrosancta conspiratio fidelium per fidem in ipsum deum patrem nostrum & Christum dominum. Cui optat pro more suo id quod præcipuum habetur sanctis, gratia dei & fauor, & syncera pax conscientiæ, cum tranquillitate temporum. In quo gloriam dei & animarum salutem magnopere possint promouere, & fidelium in Christo sacrum augere numerum, & dei unius cultum in Romano imperio prædicare, & toto in orbe.

2 Gratias agere debemus semper deo pro uobis fratres, ita ut dignum est, quoniã supercrescit fides uestra, & abundat charitas uniuscuiusq; uestrum in inuicem.

Fides sola cum deo agit, & coniungit nos cum deo, opera autẽ fidei, id est charitas, proximo seruiunt gratis, nulla meriti habita ratione, sicut Christus seruiuit nobis. Supercrescit autem uel augescit semper, eam spiritu Christi prouehente, ne quis glorietur se iam assecutum ut sit perfectus. Semper ergo, ait, gratias agere debemus deo, pro sua magnifica in uos liberalitate, magnificas, qui nõ solum illius ope persistatis in ijs quæ cœpistis, uerumetiam indies magis ac magis exuberetis in fide, ac mutua inter uos charitate. Dignum est ergo pro his gratias deo agere, pro tam egregio dei dono, post acceptam enim primam epistolã, meliores sese

sese q̃ fuerant, prestiterunt, ita ut in eo copiosi & abundantes uiderentur.

Ita ut & nosipsi in uobis gloriemur in ecclesijs dei, pro patiẽtia uestra, 3
& fide in omnibus persecutionibus uestris & tribulationibus, quas sustinetis in exemplum iusti iudicij dei, ut digni habeamini in regno dei, pro quo & patimini.

Ouium profectus gloria est pastoris. Gloriatur autem Paulus non nisi in domino ob profectum fidelium ad gloriam dei, non de propris meritis uel operibus aut sanctimonia, sed in domino gloriatur hic duplici ratione. Collaudat enim dei misericordiam, & spiritus sancti efficaciam, in ijs qui susceperunt uerbum. Deinde hoc ipsum faciens coram ecclesijs alijs. Pio huiusmodi exemplo prouehere cupit gloriam & sanctificationem diuini nominis, pro qua indesinenter ipsum deo gratias agere uidemus, ut hoc quoq; in loco. Non iam arbitror, ait, necesse uos aliorum exemplis accendere ad studiũ pietatis, cum potius ipsi gloriemur de uobis apud alias ecclesias dei, uestro exemplo cæteros ad uirtutem inflammantes, commemorando patientiam uestram, fideiq; constantiam in omnibus persecutionibus uestris & afflictionibus, quas suffertis ut in uobis posthac declaretur iustum dei iudiciũ, dum uos hic pro ipsius nominis gloria uexatos admittet in consortium regni sui.

Si tamen iustum est apud deum, retribuere tribulationem ijs qui uos 4
tribulant, & uobis qui tribulamini, requiem nobiscum in reuelatione domini Iesu de cœlo cum angelis uirtutis eius in flamma ignis, dantis uindictam ijs qui non nouerunt deum, & qui non obediunt euangelio domini nostri Iesu Christi.

Cõtra qui uos odio sunt persequuti, tradet deus æternis supplicijs. Erit enim hoc iustitiæ diuinæ, utriscq; rependere præmium factis dignum, ijs qui affligũt innocentes, afflictionem: & uobis qui nobiscum affligimini, nobiscum largiri refrigerium ac solatium in illo die, cum apparebunt euangelica promissa, palamq; se orbi ostenderit è cœlo dominus Iesus, non iam humilis, quemadmodum apparuit in aduentu primo, sed stipatus angelico satellitio, sicuti decet potentem principem. Erit autem non iam mitis ac placidus, ad sanãdos improbos, sed armatus, horrendo ac flammeo incendio, inflicturus ultionem ijs, qui hic noluerunt nosse deũ, nec obedierunt euangelio domini nostri Iesu Christi, ut experiantur iustum ac potentem, qui misericordem ac mitem despexerunt, ac uel suis supplicijs docti fateantur esse uera quæ prædicauit euangelium. Sic domini iudicium impios damnat, qui frustra dei nituntur opprimere ueritatem. Qui enim nõ credit, iam est iudicatus. Quod tamen iudicium non nũc uidetur, reuelabitur autem in aduentu Christi, qui nunc ab impijs creditur non uenturus, ueniet autem cum angelis potentiæ suæ, cum uirtute multa exercitus sui & maiestate, cum incendio flammæ, quæ incendet inimicos eius in circuitu.

Qui pœnas dabunt in interitu æternas, à facie domini, & à gloria uir- 5
tutis eius, cum uenerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt, quia creditum est testimonium nostrum super uos in die illo.

Quandoquidem impij isti impietatis suæ finem nullum fecerũt, pœnas luent in æternum, ubi conspexerint diuinam illam domini faciem, ac maiestatem forti-

tudinis illius, quem hic ut imbecillem ac humilem contempserant. Primum enim uenerat ut seruaret omnes, tunc ueniet ut exhibeat se glorioſum: nõ in ſeipſo tantum, ſed in omnibus etiam membris ſuis, quæ ſunt homines pij, ut admirãdus appareat in omnibus. Exhibebuntur in uobis ea quæ nobis teſtimonium perhibentibus Chriſto credidiſtis, impijs aſpernantibus ac diffidẽtibus. Adueniet ergo punire malos, & glorificare bonos. Admirabilis & clarus uidebitur in eos qui credunt exemplo & fidei apoſtolorum, cum fuerint coronati, teſtimonium reddente illis euangelio in die domini. Seuerius autem incredulis apparebit, cum æternis pœnis cœperint coartari. Corona enim diſcipulorũ magiſtri eſt gloria, & ueritas eius incredulorum eſt pœna, quia quod prædicabatur, credere noluerunt.

6 In quo etiã oramus ſemper pro uobis, ut dignetur uos uocatione ſua deus noſter, & impleat omnem uoluntatem bonitatis ſuæ, & opus fidei in uirtute, ut clarificet nomen domini noſtri Ieſu Chriſti in uobis, & uos in illo, ſecundum gratiam dei noſtri, & domini Ieſu Chriſti.

Is autem impijs terribilis dies dominici aduentus, ut uobis ſit proſper ac lætus, non deſinimus dominum precari pro uobis, ut quãdoquidem placuit illi uocare uos ad ſpem huius gloriæ, idem dignetur adeſſe uobis eò connitentibus, ut uita ueſtra congruat profeſſioni, utq; quod pro ſua bonitate cœpit in uobis, conſummet ac perficiat, addatq; robur animis ueſtris, ut in fortiter tolerãdis afflictionibus impiorum, declaretis q̃ ualeat in uobis certa ſpes felicitatis æternæ, cuius gratia negligitis & uitam: ut quemadmodum Chriſtus illuſtrauit gloriam patris morte ſua, ac uiciſſim ab illo fuit illuſtratus reſurrectione: ita nomen domini Ieſu Chriſti glorificetur nunc ueſtra tolerantia, uosq; uiciſſim per illum glorificemini in die aduentus illius, non iuxta meritum ueſtrum, ſed iuxta beneficẽtiam dei noſtri, & dñi Ieſu Chriſti, ſine cuius ope ueſter conatus futurus erat inanis.

CAPVT II.

1 ROgamus autem uos fratres, per aduentum domini noſtri Ieſu Chriſti, & noſtræ congregationis in ipſum, ut non cito moueamini à ueſtro ſenſu, neq; terreamini, neq; per ſpiritum, neq; per ſermonem, neq; per epiſtolam tanquam per nos miſſam, quaſi inſtet dies domini.

Dixerat in ſuperiore epiſtola Paulus, de inſperato ſubitaneoq; domini aduentu, propterea multi tunc credebant uenturum dominum, adhuc uiuentibus quibus ſcripſerat, quos obteſtatur per eundem aduentum, et per communionẽ Chriſtianam, qua cum Chriſto unum iam ſumus, & qua Chriſto aggregabimur in illo die, ne hoc credant ſtulte perſuaſi, uel per ſpiritum, id eſt aliquem habentem de hoc reuelationem, quaſi prophetiam: uel per ſermonem, hoc eſt doctrinam uiua uoce depromptam & ornatam eloquentia: uel per epiſtolam, quaſi Pauli ſuppoſititiam, falſo eius nomine inſcriptã, ne turbarentur fideles, cogitantes, Si iam uenturus eſt dominus, quomodo implebuntur ſcripturæ de uocatione omnium gentium? Quomodo uera ſunt quæ dominus in Euãgelio prædixit futura ante diem iudicij? quæ apoſtoli prædixerunt, uere fidelibus magis deſideranda q̃ pertimeſcenda? Obſecrat ergo, ne facile opinionem reciperent de aduentu domini quaſi proximo imminentis.

2 Ne quis uos ſeducat ullo modo, quoniam niſi uenerit diſceſſio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduerſatur &

& extollitur supra oñe quod dicitur deus, aut quod colitur: ita ut in templo dei sedeat, ostendens se tanquam sit deus.

Paulus hic nobis aperit mysterium omnium antichristorum, qui contra Christi doctrinam docent, uiuunt, traditiones statuunt, quas & urgent obseruandas æque uel magis quàm diuinas. Quorum antichristorum tandem caput reuelabitur, sub quo omnes omnium errores & seductiones contineantur, qui seduxerũt orbem pernicioſissime, tamen sub nomine dei & Christi transfigurantes se in angelos lucis, satana magistro. Quid ergo est, quod reuelandum hoc caput dicitur, nisi quia aliquanto tempore specie sanctitatis sese occultauerit, alioqui quomodo electi ad errores solicitarẽtur? Regnum ergo antichristianum aliud intelligi non potest, ꝙ illud sub quo deficitur à doctrina Christi & apostolorum, à uerbo dei, surrogatur autem doctrina ex diametro contradicẽs euangelicæ syncerítati. Sub quo pietas uertitur in quæstum, & prohibentur quæ deus præcepit agenda, mandanturq; quæ Christus uoluit esse prohibita uel saltem libera. Sub quo diuorum cultus instituitur, spiritualia pro pecunia uenduntur. Sub quo cauteriatæ conscientiæ formantur, & timor hominum docetur diligẽtius ꝙ amor dei, uel timor extremi iudicij. Sub quo uerbũ dei negligitur, humanæ traditiones morte grauius uindicãtur. Sub quo uia aperitur criminibus magnis, & omnis generis libidini, dum matrimonium interdicitur uiris & mulieribus, continentiæ gratiam minime assecutis. Dum prohibentur cibi, & delectus instituitur contra libertatẽ Christianam. Et unus homo notorie malus, primatum sibi uendicat totius ecclesiæ, & sese uicarium Christi adorari uult, & apostolorum successor haberi, maxime & per omnia doctrina & moribus antichristianus. Tales autem multos esse iamdudum planxit ecclesia in multis nimium membris, sub uno capite damnato. Hanc indicauit discessionem Apostolus & defectionem, non tam à Romano imperio, quàm à priscæ Romanæ ecclesiæ fide & pietate, quam eidem prædicauit Paulus apostolus, & ab uniuersali regno Christi, quod est gaudium, pax, iustitia, fides & charitas. Ab hoc regno apostatarunt iamdudum Mahumetus cum suis, & impro bi episcopi magni & minores, cum uniuerso ferè clero, deserẽtes pariter uerbum dei, ac sese eiusdem dominos statuentes, & quæ displicent abrogãtes ipso usu, statuerunt contraria pietati, quæcunq; seruire & promouere possent suum fastum, luxum & quæstum, omnia contraria uitæ & doctrinæ Christi & apostolorum, interim tamen apostolicos dici se mandant. Hæc planè nimium est manifesta & pernicioſa discessio & apostasia, cum dæmoniorũ doctrina stabilitur, contra manifesta dei uerba & contra dogmata uere catholica. Reuelabitur autem homo peccati, postquam diu regnasse intelligetur cum maximo animarũ periculo: primum in hæreticis, deinde in Sarracenorum tyrannide, tandem in carnificina Romana conscientiarum, & humanarum traditionum, onere grauissimo, inq; malitia insigni pseudepiscoporum, qui se uerius lupos exhibuerunt ꝙ pastores uel patres. Et dicitur homo peccati, is qui alligat onera peccatorum super conscientias fidelium, regulas à uerbo dei exorbitãtes instituens, in quibus & peccata facit, decernitq; quæ peccata non sunt. Filius quoq; perditionis, perdens animas, quas Christus redemit & seruauit passione & morte sua atq; gratia. Pro leuibus causis, & pro stabilienda tyrãnide sua, excommunicat, aggrauat, redaggrauat, interdicit, & maledicit: quæ si nihil prodesse sibi uidet, brachiũ inuocat sæculare, ut perdat nedum animas, sed & corpora. Qui & aduersarius est oñi eo quod dicitur deus, aut pietas, aut religio. Suas eñ traditiones præponit diuinis, & uult eas adorari.

Euangelij claram prædicationem & simplicem sensum detestatur ut uenenum. Verum dei cultum, qui consistit in fide, spe & charitate, prorsus detestatur: pro quo ceremonias suas ambitiosas, prophanas, gentilitias, & sacrilegas ordinat, & mandat seruari, cum pompa paganica. In quibus non deus sed ipsi coluntur, uenerantur & adorãtur. Quomodo autem in templo dei sedeat Antichristus, ex his satis claret, dum se facit principem totius ecclesiasticæ potestatis, dispensatorem gratiarum, rectorem conscientiarum, primatem ordinis ecclesiastici, in cuius pectore leges resideant, cuius nutu omnia subdantur, qui corrigi & reprehẽdi non possit etiam à tota ecclesia, cuius uult caput haberi & coli. Quin & terrenus uult deus haberi, uenerari, credi, & dici. An non hoc est sedere in templo dei, & ostendere se tanquam deum?

3 Num retinetis, quod cum adhuc essem apud uos, hæc dicebã uobis? Et nunc quid detineat scitis, ut reueletur in suo tempore.

Hoc superesse dicit, ut reueletur malitia, impietas, error, & damnata scripturis audacia, & præsumptio eius Antichristi. Idq; per uerbum ueritatis, & spiritu oris diuini, qui illum interficiet, & cessare faciet potestatem & malitiam eius, ne fidelibus obsit amplius, agnoscentibus tam ueritatem dei, q; impietatem dogmatum & potestatis antichristianæ, illicoq; sperantibus aduentũ Christi gloriosum & admirabilem, salutiferum & beatificantem electos, ad iudicium uiuorũ & mortuorum. Cum enim Antichristus talis fuerit reuelatus, tunc aduentus domini imminere credatur. Hæc uobis dixi, & reuelaui diligenter ac sufficienter, cũ adhuc essem apud uos, quorũ & meminisse oportuit. Nunc quoq; scitis quid obstet, quo minus adueniat adhuc Christus, nimirum ut Antichristus suo tempore exerceat suam in sanctos tyrannidem, dum uidemus nomini Christi & doctrinæ eius contradici à potentissimis huius orbis principibus. Ad Antichristi autem corpus pertinent blasphemiæ, diræ persecutiones, hæreses contra uerbum dei, idq; genus alias impietatis, quę statim sub ipsis apostolorum temporibus germinare cœperũt, & adhuc durant. Dicente Ioanne, Etiam nunc Antichristi multi cœperunt esse.

4 Nam mysterium operatur iniquitatis, tantũ ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat. Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui eum.

Sicut nos urgemus diligẽter & fideliter, Christus quoq; suo spiritu docet, mysterium pietatis & ueræ fidei in Christum ad salutem animarum: sic Antichristus ille cum suis, operatur mysterium erroris & impietatis, aduersando modis omnibus euangelicæ prædicationi & saluti, seminando zizania hæresum multarum, concitando principum huius mundi sæuitiam contra Christianos passim & multifariam, statuendo dogmata contra puritatem fidei, & charitatis profectum. Id quod temporum historia docet usq; ad præsens à temporibus Pauli. Contra quæ omnia fideles muniuntur hac prophetica prædictione malorũ Antichristi, iuxta uerba etiam Christi & prophetarum: ut qui in fide Christi uera firmandus est, in ea consistat solide, certus non permansurum aliquod dogma, uel quorumcunq; principum imperium contra ueritatis claritatem erectum. Reuelabitur enim iniquus ille, & totius erroris author in ecclesia negotium suum agens longo tempore, & certo agnoscetur atq; prodetur: quin & eliminabitur per uerbũ dei, spiritu oris diuini, & claritate aduentus Christi suo tempore in hunc mundum ad iudicandum sæculum. Non est autem humanarum uirium, ut liberentur cõscientiæ ab Antichristo, sed Christus inuocandus est, qui non est brachium sæculare, sed

domini,

domini, qui conficiet aduersarium euangelij, & cõficiet spiritu oris sui, id est uerbo spiritus, quod ex ore eius prodijt, quod & ipse per sese docet fideles in cordibus sancto euangelio suo, quod Christi ore nobis datum est, & datur semper. Illo enim prædicato, protinus euanescunt humana figmenta, & dæmoniorum doctrinæ, quæ in hypocrisi loquuta sunt mendacium. Sicq; occiditur Christus in conscientijs fidelium, iuxta illud Isaiæ, Et spiritu labiorum suorũ interficiet impium. Et percutiet terram uirga oris sui. Euangelio igitur occiditur Antichristus, & perit ipsius improbũ regnum, non gladio. Verum oportet in mundo multos esse, in quibus nihil operabitur uerbũ spiritus, in quibus manebit antichristiana impietas, usq; ad iudicij Christi diem, quando claritate aduentus eius in totum abolebitur hæc satanæ operatio.

Cuius est aduentus secundum operationem satanæ, in omni uirtute, 9
& signis, & prodigijs mendacibus, & in omni seductione iniquitatis ijs
qui pereunt, eo quod charitatem ueritatis non receperũt, ut salui fierent.

Re uera autem aduenier impostor ille, satanæ spiritu instructus, hostis uerita
tis, & indefessus ecclesiæ Christi & regni persecutor, quo & uires exeret in pios
Christi & ueritatis catholicæ sectatores. Quoq; crudelius sæuiat, non solum ar-
matus erit ingenti potẽtia sæculari, exercituum & diuitiarum, atq; satellitum ua-
rij generis, qua potentia ac tyrannide terreat animos piorum, uerumetiam signo
rum atq; miraculorum mendacibus præstigijs, quibus sic imitabitur Christum,
ut olim apud Aegyptios magi sunt imitati Mosen. Breuiter, nullo nõ genere frau
dis ad impietatem armatus erit. Sed his nihil efficiet, nisi in malum eorum, qui &
alioqui suapte pereunt incredulitate.

Ideo mittet illis deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut iu 6
dicentur omnes qui non crediderunt ueritati, sed consenserũt iniquitati.

Meretur hoc illorum pertinax aduersus Christum rebellio, digniq; sunt hoc
præmio, ut qui Christum & pro sua charitate seruare cupientem omnes, & pro
sua ueritate patefacientem ea quæ pertinebant ad salutem, non receperunt, per
quem poterãt esse salui, nunc dei permissu ualeat apud illos falsitas pro ueritate,
ualeat tyrannis pro charitate, ualeat extinctor pro seruatore: iamq; credant men
dacijs hominis scelerati, qui filio dei uera prædicanti credere recusarunt: ita fiet,
ut qui & aliâs ob obstinatam incredulitatem suam erant perituri, tunc omnibus
palàm sit eos merito perire, qui Christum sint auersati, & mox approbauerint im
postorem ac sceleratum. Hæc tempestas, ut illos declarabit exitio dignos, ita ue-
stram constantiam magis etiam illustrabit.

Nos autem debemus gratias agere deo semper pro uobis fratres dile 7
cti à deo, quod elegerit nos deus primitias in salutem, in sanctificationem
spiritus, & in fide ueritatis.

Gratiæ deo agendæ, quia non passus est uos in errore persistere inueterato
gentili & pernicioso, sed elegerit uos ab initio seruandos, non per legem Mosai-
cam, sed per spiritum suum, largitorem sanctimoniæ, perq; obedientiã, qua sim-
pliciter credidistis ueritati. Electi sunt enim ab æterno qui credunt ueritati, qui
non sunt seducendi ad perniciem, utcunq; ad tempus aberrare possint ut oues.
Non enim eos deserit pastor bonus, sed reducit per doctrinam euangelicam, &
perire non sinit, sed per spiritum sanctum sanctificat interna sanctimonia fidei,
non per carnales operum iustitias, nec per hypocrisim sanctitatis. Id quod expo-

nit, addens, Ad fidem ueritatis.

8 Ad quod & uocauit uos per euangelium nostrum, in acquisitionem gloriæ domini nostri Iesu Christi.

Vt destinatæ nobis salutis ab æterno participes redderemur, euangeliũ suum dominus uobis transmisit, & spiritum fidei tradidit, ad credẽdum ueritati, ut credentes, iustificaremini coram deo per spiritũ Christi, ut uestra fides ac salus, qui Iudæis diffidentibus, credidistis, accederet ad gloriam domini nostri Iesu Christi. Quicunq; enim deserto diabolo & errore, confugiunt ad Christum, & euangelio credunt, augmentum faciunt deo in corpore Christi mystico, qui prius fecerant detrimentum.

9 Itaq; fratres state, & tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.

Verum ego uobis tradidi euangelium, non est quod aliud requiratis: itaq; in eo persistite fratres, ac tenete quæ uobis tradidimus, quæcq; à nobis didicistis per uerbum uel epistolam. Vestrum ergo fuerit omni uigilantia ad hæc conniti. Vt enim dei præordinatio & electio maneat ad ipsorũ salutem, ideo perseuerandum est in tradito euangelio, ut sint soliciti, ne desidia & otio torpentes, non impleant quod profitendo cœperunt. Sic enim dominus credere donat & prænouit, ut credentibus quoq; admonitione solicitet.

10 Ipse autem dominus noster Iesus Christus, & deus & pater noster, qui dilexit nos, & dedit consolationem æternam, & spem bonam in gratia, exhortetur corda uestra, & cõfirmet in oñi opere & sermone bono.

Dominus Iesus Christus ac deus paterq; noster, qui ultro electos nos quoq; dilexit uocatos ad salutem, ac per spiritum suum dedit nobis interim in his afflictionibus consolationem æternam, bona spe expectãtibus præmia uitæ cœlestis, non nostris meritis fretis, sed gratia ipsius & beneuolentia, magis ac magis consoletur corda uestra, uosq; confirmet ac stabiliat, ut perseueretis in omni tum sermone tum facto bono: id uero non nobis sperandum, nisi gratia Christi.

CAPVT III.

1 DE cætero fratres, orate pro nobis, ut sermo dei currat & clarificetur, sicut & apud uos: & ut liberemur ab importunis et malis hominibus, non enim omnium est fides.

Quod superest fratres, quando non nostris apud deum uotis adiuuamus salutis nostræ negotium, ita par est, ut uos uicissim meos conatus uestris apud deum precibus prouehatis: ut quemadmodum euãgelica doctrina celeriter ac feliciter apud uos increbuit, ita discurrat ac diuulgetur apud omnes. Id quo fiat expeditius, orate, ut illius ope liberemur ab absurdis ac peruersis hominibus, qui modis omnibus obstãt, quo minus liceat inoffense disseminare doctrinam Christi. Nec enim omnes credunt euangelio, qui audiunt euangelium. Orandus ergo dominus, non tantum ut operarios mittat, & euangelij præcones, sed & ut illi feliciter prædicent, & ut fideliter ac cum fructu fidei & salutis capiatur ab audientibus.

2 Fidelis autem dominus est, qui confirmabit uos, & custodiet à malo.

Confidimus autem de uobis fratres in domino, quod quæcũq; præcipimus & facitis & facietis.

Non est ut ob peruersorum hominum impios conatus contra euangelium diffidatis.

diffidatis. Oppugnāt quidem euangelium, sed non expugnabunt, nimirum fido propugnatore domino Iesu, qui cōfirmabit uos aduersus horum improbitatem, & custodiet uos à malo, perficietq; quod cœpit in uobis, quoniā uerax est. Non defuturum est uobis illius auxilium, modo ne uos illius bonitati defuerītis: adiuuabit ille, sed conantes & orantes. Atq; hæc dicimus, non quod dubitemus de uestra constantia, imò confidimus de uobis, opitulāte domino Iesu, quod quæ præcepimus uobis, ut facitis, ita sitis in posterum facturi.

Dominus autem dirigat corda uestra in charitate dei, & patientia 3
Christi.

Dominus Iesus suo fauore dirigat corda uestra, quo recto cursu semper pergant ac proficiāt in charitate dei, & expectatione Iesu Christi. Charitas dabit, ut indesinenter studeatis de omnibus bene mereri, quemadmodum deus beneficus est in omnes. Expectatio aduētus Christi præstabit, ut afflictiones omnes fortiter toleretis, ut contempto sæculo, eius desideretur aduentus, qui sæculum uicit.

Denūciamus autem uobis fratres in nomine domini nostri Iesu Chri 4
sti, ut subtrahatis uos ab omni fratre ambulāte inordinate, & non secundum traditionem quam acceperunt à nobis.

Si quis est inter uos, qui contempta ratione uiuendi, quam uobis iuxta regulam euangelicam præscripsimus, suo uiuat arbitratu, & otiosus ipse turbet publicum otium uestrum, atq; ille nihil agens, curiosus sit alienarum actionum, præcipimus uobis authoritate Christi, ut ab huius consuetudine, si Christianus fuerit, uos semoueatis. Inordinatos ergo uocat, qui præter ordinem aliorum uiuunt, qui cum alij uiuāt ex labore manuum, ipsi ex aliorum labore otiosi uiuere uelint, inuento prætextu, quo hoc eis iure deberi contendāt. Hos iubet uitari omnibus modis, nimirū præsentiens, quanta pestis Christianæ reipublicæ ex tali otio proditura erat, ex illis qui hodie sacri ordines & ordinati appellari uolunt, quos hic Paulus uocat inordinatos.

Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos, quoniam non 5
inquieti fuimus inter uos, neq; gratis panem manducauimus ab aliquo, sed in labore & fatigatione nocte & die operantes, ne quem uestrum grauaremus.

Non pigeat alios nostrum imitari exemplum: qui licet fungeremur apostolico & honore & onere, tamen non grauati sumus apud uos in ordinem cogi, neq; quicquam nobis ultra cæteros uindicauimus, adeo ut ne panem quidem accepe rimus à quoquam, sed obliti dignitatis nostrę, nocturnis diurnisq; laboribus, atq; operis manuarijs ipsi parauimus nobis, quæ postulabat uitæ necessitas, ne cui quam essemus oneri. Non quod existimaremus id nobis non licere, quod cæteri faciunt apostoli, sed noluimus uti iure nostro, quo nosmetipsos formam præberemus, quod cæteri non grauarentur imitari.

Non quasi non habuerimus potestatem, sed ut nosmetipsos formam 6
daremus, uobis ad imitandum nos. Nam & cum essemus apud uos, hoc denunciabamus uobis, Quoniam si quis non uult operari, nec māducet.

Non esset reprehensibile, si panem ab his reciperet ad corporis necessariam curam, qui animis illorum escam præbebat spiritualem, quæ etiā corpori immortalitatē, animarumq; salutem cum gloria procuraret. Tunc enim legitima potest

esse libertas in prædicatore euangelico, si semetipsum uentris causa aut pecuniæ nulli subijciat, suo pane contentus, maxime quod ad laudē magis proficit, si cum & liceat, & sit sumendi potestas, contineat, hic talis prodesse potest auditoribus suis. Reuerentiam enim habebunt rigoris huius, & ea quæ ab hoc tali mandātur atq; docentur, in authoritate erunt, ut prætermitti non possint: ideoq; non solum uerbis docebat, sed hortabatur & factis. Idonei enim magistri est, si ea quæ uerbis docet, operibus expleat. Tunc enim discentes uera esse intelligunt quæ audiunt, si negligi illa nō uiderint à doctore. Quamuis enim manifeste uera esse non ignorent quæ docentur, tamen si negligi cœperint à magistro, difficile persuadebunt audiētes uel proficient. Magis enim opera suadent quàm uerba. Merentur alimoniam, qui noctibus ac diebus uigilant pro salute uestra: cæterum otiosa curiositas, & inertia curiosa, non meretur subsidium. Et qui otiosus de aliena mensa reficitur, aduletur necesse est sē pascēti, cum religio Christiana & uera ad libertatem aduocet homines, ut ueritas libere dicatur ubiq;, & ad omēs. Ideoq; si quis mādūcare spernit, cesset à labore. Quia autem nullus sine cibo potest uiuere, det operam laborandi, ut arbitrio suo uiuens deum possit habere propitium, quem seruum habet non infidelem, sed sedulum.

7 Audiuimus enim inter uos quosdam ambulantes inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. Iis autem qui eiusmodi sunt denunciamus, & obsecramus in domino Iesu, ut cum silentio operantes, suum panem manducent.

Audiuimus esse inter uos quosdam, qui suo otio turbant ordinem uestrū, abhorrentes ab opere: & ita nihil habētes proprij negotij, ut interim curiose lustrēt aliena. Adhuc nominibus illorum parco, sed quicunq; huiusmodi sunt, illis præcipimus, atq;, si malunt, obtestamur per dominum nostrum Iesum Christum, ne per otium suum turbent publicam quietem, néue ipsi nihil agentes obstrepent, alijs occupatis, sed ipsi quoq; cum quiete operantes, suis ipsorum manibus sibi uictum parent, potius q̄ alijs molesti sint improbis flagitationibus, digni quidem illi, quibus negetur quod petunt. Sed tamen humanitatis est Christianæ, etiam parum dignis succurrere necessitatem habentibus.

8 Vos autem fratres, nolite deficere benefacientes. Quod si quis non obedit uerbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur: & nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem.

Si quis contemnit obedire monitis nostris, quæ & præsens uobis tradidi, & absens scribo, satis supplicij sit charitati Christianæ, ut alatur quidem qui talis est, sed tamen notetur, submotus à familiaritate uestra, tantum in hoc, ut pudore correctus, resipiscat. Neq; uelut inimicum prorsus alienetis, sed potius admonete, ueluti fratrem errantem, quem sanatum uelitis, non perditum. Ita uitantes familiaritatem, ut animo tamen diligatis: nam hoc est charitatis diuortium, non nisi ad tempus susceptum, quo resipiscat qui deliquit.

9 Ipse autem deus pacis det uobis pacem sempiternā in omni loco. Dominus sit cum omnibus uobis.

Dominus Iesus, pacis author, largiatur uobis perpetuam pacem in omnibus uestris negotijs. Dominus semper adsit uobis omnibus, qui perducat tandem ut electos suos in uitam æternam, qui & cum pacificis habitare promisit se.

Salutatio

Salutatio mea manu Pauli, quod est signum in omni epistola. Ita scri- 10
bo. Gratia domini nostri Iesu Christi cum omnibus uobis. Amen.

Hoc symbolum obseruabitis in omnibus meis epistolis, siue ad uos, siue ad alios scriptis. Sic enim scribo, ne per subdititias epistolas quisquã uobis imponat. Hæc autem ultima salutatio manu Apostoli conscripta est, qua gratiam domini nostri Iesu Christi optat esse cum eis. Amen.

FINIS.

COMMENTARIVM IN EPISTOLAM D. PAVLI APOSTOLI AD TIMOTHEVM PRIMAM.

ARGVMENTVM PER ERAS. ROTEROD.

TIMOTHEVM matre Iudæa, sed Christiana, patre Græco, Paulus in ministerium adoptarat, probæ indolis iuuenem, & sacris literis eruditum, quem tamen ob Iudæos coactus est circuncidere. Quoniam autem huic ecclesiarũ curam delegarat sicut & Tito, quas ipse non poterat adire, instituit eum in functione episcopali, & in disciplina ecclesiæ: non sic admonens ut discipulũ, sed ut filium & collegam. Id quo cum maiore faciat authoritate, subinde apostolicã authoritatem sibi uendicat. Admonet autem, ut reiectis qui Iudaicas fabulas inueherent, ea doceret quæ essent fidei & charitatis. Deinde principum, licet ethnicorum, authoritatem, quoniam hinc pendebat ordo ciuitatis, & tranquillitas reip. adeo non spernẽdam Christianis, ut pro his orari iubeat. Quid uiros deceat in cœtu ecclesiastico, quid mulieres, prescribit. Episcopum depingit cum sua familia. Atq; hæc fermè tribus primis capitibus. Deinde admonet ne recipiat Iudaicas fabulas, de ciborum delectu, de uitando coniugio. Mox docet qualem se præstare debeat erga grandes natu uiros, erga iuuenes, erga anus, erga puellas, erga uiduas diuites ac pauperes, & ecclesiæ stipe alendas, erga adolescentiores & suspectæ etiamnum ætatis. Ad hæc præscribit quid præcipere deheat dominis, quid seruis, quid diuitibus. Admonẽs modis omnibus reijciendas contentiosas quæstiones sophistarum, inani doctrinæ specie sese uenditantium. Scribit è Laodicea per Tychicum diaconum.

AD LECTOREM C. P.

COMMENTARIA in hanc epistolam primam, lucubrationum mearum primitiæ sunt, quas tentaui uerius olim q̃ scripsi, Anno D. M. XXII. Basileæ, postea autem impressæ ibidem sunt me ignorante. Nunc uero reuisæ & correctæ, suum quoq; in ordinem repositæ sunt. In quibus tempori tum seruiens, phrasi quoq; alia me usum Lector non miraberis. Sed saluo per omnia iudicio tuo, bonã consulas, quæ conformia scripturæ, uel paululum infirmiora, offenderis.

CAPVT PRIMVM.

1 PAVLVS apostolus Iesu Christi, secundum imperium dei salu uatoris nostri & Christi Iesu spei nostræ Timotheo dilecto filio in fide. Gratia & misericordia & pax à deo patre & Christo Iesu domino nostro.

Super mutatione nominis Pauli ex Saule, plures multa ac uaria tradiderunt. Simplicior ratio ea uidetur, quæ & sacris probatur testimonijs. Quia intra tribũ Beniamin, unde & natũ se Paulus fatetur, plausibile nomen erat Sauli, siquidem regale & celeberrimum, ob regem primum electum à domino ex filijs Israel, quo non fuit secundum sæculum dexterior, sed & sanctior, præter inuidiam, qua sancto Dauidi usq; ad mortem aduersatus est, & inobedientiam inde profectam, contra ordinationem diuinã, de regno Dauidis, cui totis uiribus reluctabatur. Cum itaq; penes Iudæos de Iudaismo conuersos ad Christũ, inuidiam annexam haberet hoc Saulis nomen, ob similia studia eiusdem uiri contra Christum & suos discipulos: sic ut Christus quoq; eundẽ insimulare uoluerit Saulini, ut ita dicatur, ingenij, dicẽs, Saule Saule, ad quid me, nempe Messiã Dauidis filiũ persequeris? Vnde & Lucas Saulũ tunc tantum nominat, cũ persecutiones Christo Dauidi illatas à Paulo cõmemorat. Ideo ne Christi persecutoris nomine, sicut re & opere, notorius habitus fuerat, perpetuò uocaretur, Sicut Dauidem regem sacrum & electum perpetuò persecutus est priscus Saulus, Saulus suum nomen mutauit, & humilius delegit gentile Romanũq; Pauli nomen. Si Latine interpreteris, uel operatorium & sedulum in sancto opere: si Hebraice, mirabilis. Qui certe non nisi de suis consueuit laboribus gloriari. Nostri pontifices & electi apostolici illi, humile nomen plærunq; ponunt, & arrogant sibi imperialia nomina, ut ex Ioanne Leo, ex Theodorico Alexander, ex Iuliano Iulius, uastor ex uastatore. Non spernenda tamen interim cura sit nominum & cognominum, ne uel ridicula uel obscœna infantibus obtrudantur, unde uiri aliquando erubescant, & posteri, maxime doctores: honesta & ad pietatem ac uirtutes commonitoria nomina habere, non fuerit inutile. Quod & ethnicis olim curæ fuisse comperimus, & sanctis patriarchis: imò priscis nostris Germanis, Græcis quoq; & Latinis in prisca religione. Apostolus,) A Christo iam nomen acceperat uas electionis: erat re uera doctor gentium in fide & ueritate, erat ecclesiarũ pastor, & plantator, sed se missum & officio delegatũ fatetur, ne quid altius uideri uelit uel nominari: ne honorem quærere, sed legationis officium agere se testetur, plenum laboribus, curis, periculis. Non otiosum, glorioſum, sæculare, quale nunc sectantur multi, qui apostolici uocari diligunt, re uera regibus mundaniores, & à Christo alieniſſima cõuersatione, apostatici potius iudicandi q; apostolici. Iesu Christi,) Cuius nunc gloriosum ac saluificum nomen subinde Paulus celebrat in omnibus suis epistolis, cuius nuper inuocatores, Saulus iam ante, ad mortem crudeliter fuerat persecutus. Nunc portat ac profert corã gentibus, regibus, & filijs Israel salutare nomen ipsum, in quo solo seruamur fideles, nomen nouum, quod os domini nominauit. Saluator est enim Iesus, omnium sibi credentium. Qui ut priscus ille Iosue, filius Nun, inducit ad promissionis terram, quod non poterat Moses. Qui & de Babylonica liberat captiuitate, ut Iesus filius Iosedech, summus pontifex semper orando pro populo dei. Qui & unctus est, rex regum, & dominus dominantium. Sacerdos quoq; magnus semper assistens pro nobis, qui plenus gratia & ueritate, filios habet omnes unctos, à quo nomen nostrum consequimur, ut Christiani nominemur

minemur & simus. Iuxta imperium dei saluatoris nostri, & Iesu Christi spei nostræ.) Contra stimulum recalcitrantem me, iubet incedere, & misit legatum, ac ordinauit subditum, nihil tale cogitantem omnipotens deus, iam mundum in tempore constituto saluare uolens, iam conciliatus per Christi completũ mysterium, qui nunc se exhibet pijssimum seruatorem, olim uero seuerus, sed iustus iudex, & impietatum uindex durus, etiam suo peculiari populo. Is, inquam, me misit, cuius imperio subtrahere me non possum, eidem seruio, tibi Timotheo & per te Christianis omnibus scribens, non meo nomine, sed eius præcepto & uerbis, qui in me loquitur & scribit, ne humanum putetur ac mendax, aut fabula inanis, sed uerbum dei uiuum. Per excellentiam is noster dominus agnoscẽdus est à nobis, qui nos de seruitute liberauit, & iugo satanæ, errorum atq; peccatorum. Eidem domino serui dati sumus à deo patre, & per eundẽ filij dei facti per adoptionem, cohæredes secum per suum sanguinem ac mortem. Non enim omnipotentis dei patris ac creatoris, sed & Christi dominium agnoscimus, qui cum in principio uerbum deus existens, perq; ipsum facta sunt omnia, uerbum consubstantiale. Ne uel Iudæis uel paganis scrupulum ingeramus, si uel deum cœli, uel Christum filium, non confiteamur unum esse omnipotentem deum. Qui est spes nostra.) Vnica Christus est fiduciæ nostræ anchora, fidelis in promissis, qui pro nobis satisfecit, ei cui omnia obligamur. Qui gratis nos saluos facit credẽtes, sine quo mera desperatio, sicut & error, mors & infernus omnes manet. Ipse enim solus & nemo alius est uia, ueritas & uita nostra, sicut & spes nostra. Maledictus omnis qui sperat in alium à Christo: ipse est spes nostra. Si quis spem suam iactat in Christi dignissimã matrem & dei genitricem Mariam, is uiderit quid intelligat, credat, uel confiteatur, ne Christi solius gloriã alteri tradens, matrem offendat, & rideat, titulum impingens, quem minime agnoscit, sed odit ex animo, quanto sanctior. Ne creatori hominem præponat, ne matrem ex gratia Christi, Christo præferat, qui natura est filius dei. Genuit quidem nobis Christum spem nostram, in quem & ipsa sperans & credens, saluari debuit. Cuius benignitati nihil addi potest, qui fons est bonitatis & misericordiæ, plenus gratia, à qua & mater quoq; saluata est, & omnes electi saluantur. Vel, quod bene intelligunt, bene quoq; eloquantur & uelint, aut certe taceant à blasphemia in Christum, quam unicã mater beatissima maxime odit & auersatur semper. Christus autẽ solus clamat, Venite ad me qui laboratis & onerati estis, ego reficiam uos. Non hoc matri detulit, sicut nec minorã. Quid, inquit, mihi & tibi est mulier? Ex quo tamen eidem sacratissimæ creaturæ nihil honoris derogatur uel felicitatis, cuius impensissimum semper uotum est, gloria filij sui, quæ est eadẽ cum patris & spiritus sancti gloria. Timotheo dilecto filio in fide.) Cum Græcus fuerit ex patre, licet Iudæa matre & Christiana, nomen habuit τιμόθεος, quod honorans deum, sua lingua interpretatur: ut uidere liceat honorifici uiri honorificum nomen. Habebat testimonium bonum à fratribus & familiaribus. Erat eruditus in lege, & disciplinis sæcularibus, adhuc iuuenis, Paulo gratus & sodalis, ideo circuncidi illum permisit, propter Iudæos superstitiosos, ut illis gratificaretur & scandalum in tempore amputaret. Factus est episcopus in Asia Ephesi. Tales autem decet esse episcopos, bono testimonio, continentes, doctos, fideles, fama & uita spectabiles, ne nomen domini blasphemetur. Dilecto dicit. Erat quippe uirtuosus & integer, amore tanti apostoli dignus. Minus autem exprimit dilectio q̃ amor. Tam amor enim q̃ charitas dilectionem superant. Filio.) Qui paternas dotes omnium charismatũ ac uirtutum, ut germanus Pauli filius probe referebat. Ideo elegãter Erasmus retulit, Germa-

no filio, cuius nimirum Paulū non solum non puderet, sed insignem sectatorem, sodalem & coapostolum habuit. Vt gaudent patres probi de filijs sensatis, sic doctores de studiosis discipulis sibi gratulātur. In fide.) Ne carne genitum æstimares, nobiliorem indicat filiationē, sicut fides naturæ præfertur, quo ad deum. Vt autem pater generando similem naturam cōmunicat, sic Paulus huic filio fidem in Christum ueluti per manum contradidit, eamq; nequaquam sterilem & inanem, sed fœcundissimam, qua plurimos Christo populos genuit, & nutriuit uerbo uitæ, doctrina euangelica. Fidem autem præ cæteris dotibus cōmendat ubiq; in discipulo Apostolus, non circuncisionem, non scientiam legis, nec parentes ac stirpem generis, uel fortunas. Fides enim facit Christianum, & Christianorum antistitem, deiq; filium adoptiuum & gratū. Gratia, misericordia & pax.) Optat episcopo Ephesiorum non diuitias, non sanitatem, non honores, quæ hodie magni habentur, & sectantur apostolici, sed dei optimi fauorem & gratiam, qua nobis beneficus est deus, intra nos bona operatur, amat ut filios dilectissimos, indignis & immeritis munera spiritualia largitur, & non destituit necessarijs temporalibus. Gratia hæc non est habitus aliquis qualitatis, in animam influxus, sterrandum, & ad meritorios actus, ut loquuntur scholastici, sed fauor dei est, & intens & otiosus, donec ætatis progressu suscitetur à libero arbitrio ad bonum operstinctus diuinus, desuper allatus à patre luminū, ad opera dei in nobis, quem ut summum bonum in hac uita nobis optare debemus. Quem & Paulus imprecatur & optat amico in primis. Si ēm pro nobis deus fuerit, fauoreq; prosequatur, quis contra nos? Misericordia.) Clementissimus deus & pius dominus, qui nostris quidē offenditur malis, tolerat tamen propitiaturq;, blasphemātibus etiam, ut Paulo, benefacit, ignorantibus parcit, errantes reducit, hanc nobis innotescere cupit semper, & hanc sperare nos docet. Pax.) quæ est conscientiæ confidentis tranquillitas. Gratiam & misericordiam dei, animum exhilarantem, similiter & externā pacem pro dei misericordia optat, ut libere à fidelibus deo uacari possit. Hæc primum impensissime optabatur à Christi discipulis, inter lupos periclitantibus continuo de uita, quæ pax est prædicationi ueritatis opportuna. Quæ & in fine synaxeos sancto semper osculo imprecabatur. A deo patre nostro, & domino Iesu Christo domino nostro.) A patre luminum desuper ueniunt nobis optima quæq;, gratia scilicet, pax & misericordia, à quo omne bonum, quæ precum instantia consequi Christus nos docuit, & communi fratrum studiosaq; precatione obtinere. Proinde in nouo iam testamento, deus Pater noster uult nominari, in ueteri autē Dominus exercituum, zelotes scribitur. Fratres enim sumus Iesu Christi filij sui. Est autem pater uniuersæ creaturæ: specialiter autem fidelium, recipientium filium suum ac audientium. Quis igitur filiorum cunctatur adire talem patrem misericordiarū, & totius consolationis, nisi degener & nothus, impie & maligne sentiens de indulgentissimo patre pientissimoq; ad suos filios? Et domino Iesu Christo.) Christus quoq; secundū humanitatem, in cruce oblatam per obedientiam, dominus factus est non solum fidelium, sed uniuersæ creaturæ. Cuius honorem agnoscunt cœlestia, terrestria & inferna. Data est ei omnis potestas in cœlo & in terra. Omnes angeli & dominationes seruiunt Christo domino dominantium. Subiugatos habet reges & principatus, regna & imperia, uelint nolint tribunali suo iudicandi ab illo, comparebunt. Dominus est uniuersorum, in cuius ueste scriptū, Rex regum, & dominus dominantium. Domino nostro.) Secundo adijcitur, quod fidelium & redemptorum proprie dominus sit, qui fide recognoscunt & deuotione illius dominium, mandatis acquiescunt, doctrinam capiunt,

capiunt, promissis credunt, uirtutum uestigijs imitantur. Dominum eum non agnoscunt, qui euangelium suum contemnunt, uerbo non credũt, prohibent autem, uel non pro uiribus promouent.

Sicut rogaui te ut remaneres Ephesi, cum irem in Macedoniam, ut denunciares quibusdam, ne aliter docerent, neq; intenderent fabulis & genealogijs interminatis, quæ quæstiones præstant magis quàm ædificationem dei quæ est in fide. 2

Vide modestiam tanti apostoli ad discipulum, non mandat, non urget, non compellit, sed syncere, mansuete, paterne, Christiano pectore, ut legitimus Christi discipulus, apostolico more rogat, quæ à Christo didicerunt. Amore duci uolunt Christiani, & spiritu filiorum affici, non minis, non fulminibus, non anathematis compelli ad ea quę non conueniũt. Vt remaneres, inquit, Ephesi.) Aegre diuelli poterat fidelis & docilis discipulus, à uerbis uitæ æternæ, quæ ex ore Pauli iugiter spiritus domini loquebatur. Vt Petrus quoq; testatur, & populus Christum sequens, imò & Herodiani impij milites. Quem & uix quandoq; naufragio poterat declinare Christus, et locis desertis. Sic nimirum Paulũ æmulabatur pius Timotheus, cupiens per labores, pericula & itinera, magistrum sequi, in patriam alienam, Macedoniam, sed rogatur à Paulo, ut Ephesi maneat. Ephesus autem Asiæ minoris urbs est, quæ tũc cultrix superstitiosissima erat simulachri Dianæ, ab Ioue delapsi de cœlo, quò currebatur nõ solũ ex Asia uniuersa, sed & ab omni orbe. Vt nunc stulti Christiani Loretum uisitant & Aquisgranum, cæteraq; superstitioni consecrata. Quæstum ciuitati multũ importabat, ubi & Paulus blenio prædicans, plurimum profecit in Christianis urbis illius, multa quoq; passus à gentilibus. Lege caput 19. Actuum. Cui doctorem urbi Paulus Timotheũ præfecit, quem antea ad Macedoniã miserat, & cum quo Ephesum redierat. Interim tamen obtestatur, ne sensu proprio nitatur discipulus, rogat ut faciat ac loquatur iuxta doctrinam & institutum Pauli, ne nouis doctrinis abducatur: nec sinat sub ingredi pseudapostolos. Vt denuncies quibusdam, ne diuersam sequantur doctrinam.) Hoc uolui, inquit, facere Ephesi, denunciares scilicet quibusdam Iudaizantibus, & aliam ab euangelica doctrina subintroducentibus. Officium prælati ecclesiastici primum sit & doctoris, ostendere & docere euangelio solo necessario credendum, & sacris literis, eidem soli insistendum, eo quod insertum sit ueteri testamento, ueluti figuratũ in figura, & ueritas per umbram declarata. Quorum testamentorum, quæ unum uere dicuntur euangelium, claritate tantum differentium fides abunde sufficit ad omnium fidelium salutem, & ad deo cõplacendum fide & opere. Quicquid uero propheticæ & apostolicæ doctrinæ aduersatur, anathema sine dubio iudicetur. Aduersatur autem philosophia gentilium in quibusdam, ideo cum delectu diligenti suscipienda, non nisi professoribus in fide, ne cui noceat mel felle uenenóue gustatum. Cui tamen philosophiæ, quia hactenus toti insistimus, ideo hodie euangelium prædicantibus nouitatem imperamus, cũ nihil antiquius sit uere Christiano. Aduersantur quoq; traditiones humanæ, quibus conscientiæ illaqueantur, cultus dei, præter uerbum dei, instituitur, quarum obseruantia mereantur homines uitam æternam, transgressores post hanc uitam purgatorium, expiandum pœnis uel donarijs. Hæc Apostolus denunciauerat minime prædicanda in Epheso apostolica ecclesia, à Ioanne apostolo & Paulo instituta. Subintrauerant autem Iudæi, curiosorũ dogmatum obscuri & superstitiosi doctores, quorum auditores fuisse uidentur Apelles, Ebion,

Valẽtinus, & ſimiles, qui de Eonum ſuarum propagationibus, quaſi noſtra æta
te theologi de Scotiſtarum ſubtiliſſimis formalitatibus plurima garriebant, & ſo-
lum ingeniorum ſuorum, & reuelationum gloriam & admirationem uenaban-
tur ob quæſtũ. De quibus Tertullianus & Irenæus, in primo contra Hæreticos.
Hij quoq; docebant genealogias infinitas, & nunquam finiendas, miras quoq; fa
bulas de deo & angelis, etiam apoſtolorũ temporibus, ueluti reliquias hæreſum
Iudaicarum. Continuo quoq; unus addebat ſuper alterum, multa quoq; diligen
tia per regiſtra ſua deſcribebant maiorum nomina, uolebatq; quilibet de nobilio
ri familia natus præ alijs uideri. Fabulas denicq; Paulus appellat, quicquid extra
dei uerbum & ſacras docetur literas. Vt eſt totum Iudaicum illud Talmud, & ob
ſcuriſſima dubia, inuolutaq; cabala. De quibus oĩbus ſubinde ſequitur. Quæ
quæſtiones præſtant magis q̃ ædificationem dei, quæ eſt in fide.) Cauendũ ſum-
mopere Paulus docet ab eis dogmatibus, quæ anſam præbent quæſtionum: non
autem dicit quarum & qualium quæſtionum. Certe uanas, curioſas, gentilitias,
philoſophicas, metaphiſicas quæſtiones, omnium noſtrorum temporum ſchola-
ſticorum & ſummariorum digne tractando damnaſſet & prohibuiſſet Paulus.
Quibus, ut experiẽtia infelici didicimus, nihil diſcitur, niſi de omnibus dubitare,
contradictoria propugnare, fallendo uincere, uincendo uideri, cathedras quoq;
& loca inter illos digniora ſortiri. Quis hodie numeret quæſtionũ libros, & quæ-
ſtionariorum illorum nomina, qui ſcripſerunt in magiſtrum illorũ Lombardum
Petrum? etiamſi quis Tritemij ſcriptores eccleſiaſticos, non omnes enumeratos,
recẽſeat. Interim tamen uix unus è centum habeatur, qui ſacram tractauerit ſcri-
pturam totam. Quin & qui tractauerunt ſacra, ut D. Carenſis, & alij quidam, eo
modo tractarunt, ut præſtet nõ tractaſſe. Quaſi uel Petrus uel Paulus Chriſti no
mine iuſſerint huiuſmodi quæſtiones moueri tractariq;, ſic ſtuduerunt iam à tre-
centis annis quæſtionibus. Ideo euanuerunt cogitationibus, & ſpiritui eccleſia-
ſtico utilia neglexerunt, imò contemptui habuerunt, ut protrita, & minime eru-
dita. Quæſtiones enim præſtãt, non ſoluunt. Semper enim uani iſti habent quod
quærãt, & ſtulti quærere malunt, q̃ doceri. Cum Chriſtus pietatem docuerit, ſim-
plicitatem, integritatem & fidem. Ædificatio autẽ dei ſcripturis fit ſacris, in qui-
bus fides, ſpes & charitas ueraq; docetur pietas, quam iſti philoſophaſtri & quæ-
ſtionarij ignorant, nunquamq; aſſequuntur. Quæ eſt per fidem.) Catholica do
cumenta non habentur niſi per fidem: nec ædificatur eccleſia, niſi ſacris literis &
fide, quæ ſola deus credi mandauit atq; doceri. Eſtq; ueri Chriſtiani hominis pro-
fectus tantum per fidem. Vt quo quis fide in deum & uerbum ſuum magis proſi
ciat, eo ſit ſanctior, & pie eruditior. Opera denicq; fide iuſtificant, & dño placent,
ſine fide nulla ædificatio, ſed ſubuerſio eſt.

3 Finis autem præcepti eſt charitas, de corde puro, & conſcientia bona,
& fide non ficta.

Præceptum deiq; uoluntas, charitate perficitur, ex fide in Chriſtum ſaluato-
rem noſtrum, & reconciliatorem, qui à deo patre miſſus eſt nobis ſaluator. Fides
autem per charitatẽ fructificat, cum opera charitatis ſint fidei ſequelæ & fructus,
ut ſine eis fides non ſit nec appareat. Charitas autem duplex, Dei, qua beneficia
dei agnoſcimus ex illius bonitate & gratia, qui fidem exigit & præſtat, fideq; pla-
catur & colitur, ea qua toti à ſua uoluntate pendemus, & noſmetipſos eius boni-
tati committimus, iugiter ſuſpenſi ad beneplacitum illius, in omnibus operibus
noſtris perficiendum: hoc non fit ſine fide uerborum dei, & ſacrarum literarum

præambulo.

præambulo. Deniq; charitas proximi neceſſaria fideli eſt, & ex fide operatur. Si non operatur, non eſt charitas, nec fidem oſtendit. Noli iactare fidem & Chriſtianiſmum, ſine operibus charitatis. Non ſatisfacies deo uerbo tantum & confeſſione fidei: uiuax eſt, actione augeſcit & proditur, ſine exercitio langueſcit, imò expirat & moritur, uel mortua manifeſtatur. Nec ficta charitatis opera iuuant, ſed e puro corde profecta, fide uera purificato, ut quæ bona fiunt pro dei tantummodo gloria fiant, ſine reſpectu mercedis uel præmij. Ne ſummo bono iuxta Auguſtinum, uti uideamur, & hypocritas agere, duploq; domino diſplicere, dum mali tia noſtra illius bonitatẽ & omniſcientiã fallere deſideramus & tentamus. Conſcientia bona, ait, & fide non ficta.) Explicandi gratia hæc adduntur, cum idem ſit puro corde, bona conſcientia, & germana fide agere domini uolũtatem, & benefacere proximo.

A quibus quidam aberrantes conuerſi ſunt in uaniloquium, uolen- 4
tes eſſe legis doctores, non intelligẽtes neq; quæ loquuntur, neq; de quibus affirmant.

Errare neceſſe eſt omnes, qui fabulis & quæſtionibus inſiſtentes, dei uerbum hominibus ſaluandis propoſitum negligunt, uiam uidelicet ueritatis, ſcripturam & Chriſtum, quem omis docet ſcriptura noua & uetus, cuius ſcopus eſt unicus, & finis totius legis, ipſa fraterna charitas. Otioſi enim à cura proximorũ, & Chriſti myſterium ignorantes, & minime iuxta Chriſtum uiuere cupiẽtes, quid aliud agerent, q̃ ſenſu humano curioſa, uana, ſuperflua, nihil ad pietatem facientia, cogitantes, inuoluerẽt ſeſe animi gratia talibus quæſtionibus, tantummodo ſeipſos quærentes. Doctores legis ſe uocant.) Soli autem ſunt qui uerba dei reuerẽtur, quod credentes humiliat, & ſenſu deprimit, nec ſinit intumeſcere. Solum enim Chriſtũ & ſpiritum Chriſti doctorem agnoſcunt uere pij: qui enim uere ſapiunt, humiliantur, & ignorantiam plurium fatentur; quanto magis proficiunt, tanto plura ſe ignorare deprehendunt, inſcitiam ſuam agnoſcunt ingenue. Nec doctio res uideri uolunt q̃ ſint, curtam ſuppelectilem ſuam intuentur, non ambiunt titulos, non iactant magnalia, ſed laudati erubeſcunt. Non intelligentes &c.) Liquet legentibus Valẽtinianorum & Apellis, aliorumq; illius temporis uanorum ſcripta doctorum, q̃ plura ſcire ſe uideri ambierint, uerbisq; inuſitatis ſua commenta inuoluerint, præter ſcripturam plurima ſomniantes. Sic autem loquebantur, ut nec ipſi intelligerent, nec hij quibus pro mercede & quæſtu uerba faciebant. Quanta autem ſit in Scholaſticis noſtris quæſtionum obſcuritas, uel inde liquet, quod perpetuo conſequenterq; & ſemper diſcipuli incertiores à magiſtris diſcedunt, quæſtionibus ſeſe fatigant, argumentis inuoluunt, quibus ſe nequeũt explicare. Nimirum regula ueritatis amiſſa, canonica ſcriptura, conſequi aliud non potuit, q̃ ut à Chriſtiana ſyncerítate defecerimus, gentilium & Iudæorum ſapientia et ſuperſtitione degenerauerimus, lumen uero animarum perdiderimus, interim intellectum diuinæ legis, fidem quoq; certam, & amorem dei ac proximi amiſerimus.

Scimus autem quia bona eſt lex, ſi quis ea legitime utatur. 5

Dubitare nemo poteſt, legem & quicquid à deo eſt, bonã eſſe. Cumq; lex doctrinam ſonet, uitæ honeſtæ inſtitutionem, à malo quocunq; dehortationem, ad finem utiq; bonum ordinatur, ad charitatem ſcilicet dei & proximi, ut neceſſario bona uideatur & ſit. Verum nihil tam bonum, quo non poſſumus abuti ad malum: quinimò nulla legis quoq; obſeruatio ad literam bona eſt, niſi ſeruiat chari-

tati;finis enim præcepti charitas est. Quam si quis negligat, nihil profuerit mo-
dicus obseruata litera legis: abusus est potius, si militet aduersus charitatem, quæ
uera sit charitas, quam solam scopum habere debet quicquid constituitur inter
homines. Quin & deus quoq; suam uult legem charitati seruire, ut patet de sab-
batho in Euangelijs, & de Dauide, panes lege prohibitos, cum suis in necessitate
fugiens, comedente.

6 Scientes hoc, quia lex iusto non est posita.

Non abutitur lege, qui nouit finem legis esse charitatem, quam qui cum fide
habet, sine qua haberi non potest, iustus est. Iustitia enim ex fide est, quæ per cha-
ritatem operatur. Eidem lex nō imponitur ut onus & iugum, sed ut regula actio-
num, directio sancta & utilis, & diuinæ uoluntatis insinuatio, quam pius non ob
seruat ut legem, & quasi ex necessitate, sed in spiritus libertate, ex amore recti, &
gaudio gratificādi deo summo bono, cui hæc certo placere non ambigit, lege dei
admonitus. Non minus facturus, etiā sine constrictione legis coactus. Non enim
in sic iusto spiritum libertatis impedit lex imposita, sed dirigit & certum facit, deo
placere quod agitur, à quo legem accepit, ut studiosius & alacrius operetur, do-
mino obtemperaturus pro uirili.

7 Sed iniustis & non subditis, impijs & peccatoribus sceleratis & con-
taminatis, patricidis, & matricidis, homicidis, & fornicarijs, masculorum
concubitoribus, plagiarijs, mendacibus, periuris.

Iniustis, inquit. Qui enim sine fide uiuentes iniusti sunt, dominū non timent,
iudicium non uerentur, uitam futuri sæculi non attendunt, uel non credunt, le-
gem dei non aduertunt. Hos necesse est à malis studijs suis, non tantum dei legi-
bus manutenendis, sed & ab hominibus statuendis, legitimis cancellis retineri,
coërceri & puniri: non tam in ipsorum bonum, q̄ eorum quibus cum conuersan
tur. Non subditis, inquit, uel inobsequentibus.) Vt qui sine lege quacunq; sua
potius sponte sanctis monitis à malis retrahi non uolunt, legis timore, & pœnarū
interminatione in suum bonum à uetitis arceantur & malis. Impijs.) addit. Qui
deum non credunt uel contemnunt, aut non curare nostra suspicantur, ideoq; si
ne fide quicquid libet agere non uerentur, horum malignitati lege obsistendum
est, ut si non dei iram, saltem hominum pœnas, legibus ferendas timeant, & iuxta
eas uiuere compellantur. Pij autem homines non expectant legum mandata, sed
suapte synceritate & probitate sancte conuersantur & agunt, dulciq; charitatis
tractu uinciuntur, potiusq; præcurrunt q̄ ducātur: tantum abest, ut cogi uelint
uel debeant. Peccatoribus.) Cum simus peccatores omnes, quantumlibet reli-
giosi & pij, ut nec deo amatissimus discipulus Ioannes & apostolus, se peccato-
rem audeat diffiteri, nec quisquam sanctorum, sequitur, omnibus quidem esse le-
gem positam hominibus, quia peccatores. Nihilominus tamen iusti sunt & pro
tanto exleges, quia in fide & charitate uiuentes, sine lege, hoc est legis coactione,
bona libere, sponte & alacriter agunt. Qui uero ad legis necessitatem coacti ui-
uunt, &, ut fit, legem ipsam ostendentem peccatum odiūt, hi uere peccatores &
iniusti dicuntur, pœnitentia & cōuersione indigent, donec tales fuerint, non sal-
uantur. Sceleratis.) Erasmus Irreuerētibus. Qui non sua sponte maioribus re-
uerentiam obediendo exhibent: hi, ne rerum ordo turbetur, legibus disciplinan-
di sunt, ut cui honorem, honorem: obedientiā, obedientiam, &c. Honorem enim
maioribus per contemptum negantes, pacem rumpunt & cōcordiam, lege ergo
coërcendi sunt, & per magistratū humiliandi. Contaminatis.) Impuris uel pro-
phanis.

phanis. Soli ergo puri, mundi & sacri, quorum mentem dei spiritus inhabitat, sine legis necessitate, non tamen sine lege uiuunt, omnia enim dei mandata studiose conseruare satagũt: & si id minus succedat, indolescere non tardant, nec emendare. Habent enim dei legem, & beneplacitum in uotis semper, cui sponte obediunt. Contaminati autem dicuntur, qui omnium spurcitiarum genere se fœdos ostentant. Patricidis, matricidis, homicidis.) Hij legibus opus habent, & ut formidine pœnæ malum oderint, qui carent amore uirtutis, qui naturam malitia superant, contumeliam quoque ingerunt creatori, & bestias superant crudelitate. Ideo tam graues contra hos leges etiam homines statuerũt, quibus tam inconcussa malignitas & atrocitas cõpescatur: interim tamen uidemus tam efferas quasdam gentes, apud quas crudelissima pœnarum genera uix proficiũt, quo minus grassentur homines in seipsos. Scortatoribus.) Hic uidemus fornicationem & scortationem inter crimina à Paulo computari, secũdum etiam dei leges, ne quis licitam mentiatur, hominum generationi & educationi publicoq; conuictui maxime contrariam. Masculorum concubitores.) Crimen infandum secundũ speries suas non paucas, deo, naturæ & hominibus abominabile, ac cœlesti ultione dignum, acerbis quoq; & duris legibus uindicandum. Infidelium hominum peculiare crimen, & dei contemptorũ, qui deum non credẽtes, uel omnino postponentes, delicias tantum suum deum statuunt, & humanam deniq; sapientiam diuinæ præferẽtium. Vtraq; uitia, legibus matrimonij dominus reprimere statuit, quibus contra, cœlibatus ex idololatrarum consuetudine maxime suffragatur. Plagiarijs.) Qui homines pro mancipijs furto subducunt, rapiunt, uendũt, abuntur ad crudelitatis obsequia, omnis humanitatis interim obliti, ut pyratæ, & tyranni infidelissimarum gentium. Tales autem plagiarij uel fures manciparij dicuntur. Quemadmodum qui sacra furant, sacrilegi: qui de publico aut principis fisco, depeculatores: qui iumenta aliena abducunt, abigei: ita qui liberos aut seruos alienos, plagiarij dicuntur apud Iureconsultos. Mendacibus.) Legibus certe coercendi sunt omnes, qui uerbis circumueniunt, decipiendo, nocendo, irridendo, mentiendo, ueritatem negando, impugnando, conculcando, inuoluendo mundum erroribus, falsis opinionibus imponendo simplicibus, & cauponando ueritatem, ut quæstui satisfiat. Periuris.) His qui in dei contumeliam, ac diuini nominis dedecus, blasphemiam, domino impingunt, aut falsitatem, mendacium, infidelitatem, iniustitiam uel ignorantiam, uel qui se uerbis huiusmodi testantur esse homines sine deo. Sed & hi qui quæ dedecori sunt maiestati diuinæ, quolibet modo impingere conantur, tentant uel imprecantur. Omnibus his leges dentur, & iuxta leges rigide sunt plectendi.

Et si quid aliud sanæ doctrinæ aduersatur, quæ est secundum euangelium gloriæ beati dei, quod creditum est mihi.

Seruantibus sanè euangelicam doctrinam, à Christo & apostolis & ab ipso denique Paulo prædicatam, quæ sola sana est, & credentibus electisq; necessaria, utilis & certa, non est in foro animæ & salutis necessaria lex quæcũq; humana, quandoquidẽ nec Mosaica, quæ dei lex est, Iusti enim sunt qui euangelio credunt, simpliciter uerbo dei acquiescunt, proximo faciunt quæ sibi fieri cupiunt, Christum amplectuntur ut suum saluatorem & fratrem. Quicquid autem huic aduersatur doctrinæ, hoc lege quoq; prohibitum est, & legis uirtute opus habet, quæ reuincat, deterreat puniatq; peccatores, trãsgressores & iniustos. Vt qui charitatis uinculo dulci deo connecti nolunt, legum laqueis innectantur, alioqui iustis non est

lex posita. Euangelium.) non tam præmium fausti nunciꝫ nobis est, ꝙ ipsa lætã denunciatio, maximorum ac spiritualium bonorum promissorum, ad lætificandas conscientias piorum hominum, quæ & in primis ac insigniter in usum suscepta est prædicari, de mysterio dei ad homines per Christi domini promissionem, incarnationem, prædicationẽ, beneficia, passionem, mortem, & resurrectionem. Quæ omnia nunc instant, & usui solatioꝙ sunt credẽtibus, quia scilicet deus perditum mundum in Christo sibi perfecte reconciliauerit, & omnium peccatorum satisfactionem per Christum, & in Christo iam receperit. Vt non tam de peccatorum nostrorum condigna satisfactione, & ad deum nostrum conciliatione ac remissione culpæ simus soliciti, ꝙ de pœnitentia & emendatione, ut posthac pientissimi patris beneplacitis toto affectu & desiderio insistamus, utꝙ grati filij in fide & charitate, toti illi summo bono nostro inhæreamus. Euangelium autem gloriæ nominauit. Quid enim deo glorioſius, ꝙ sua bonitas, per Christum & euangelium nobis reuelata? Docet enim nos, ut nõ tam gloriosum sit illi, quod in principio per suam omnipotentiã creatus est mundus, quàm quod in fine temporum pro nobis immolatus est Christus. Glorificatur euangelio filij sui deus toto terrarum orbe, deprimit sibi, & subijcit omnem gloriam huius mundi, omnem principatum, omnem uanam sapientiam, glorificat obseruatores, ac credentes facit uere sanctos & sapientes: cui quicquid contrariatur uel repugnat, imò non concordat, uanum est. Beati dei.) Deficiunt Apostolo uerba, dominum deum honoris digno epitheto adnominare cupienti. Quicquid enim de deo dicitur, minus est à dignitate dei. Beatũ simpliciter dicit, quia omnis beatitudinis fons, author & scopus est, quẽ scire, amare & tenere consummata felicitas, & absoluta est perfectio. Cui nihil bonorum abest, à quo solo omne bonum, qui deniqꝫ ad capessendã beatitudinẽ electos omnes creauit. Deniqꝫ omnes homines saluare cupiens, pro quibus omnibus omnia fecit sancta ac iusta uoluntate sua. Creditum.) sibi euangelium Paulus affirmat & prædicat, de quo & gloriatur, ut in eo deo suo seruiat, fideliterꝙ incumbat, quamlibet nõ fuerit de numero duodecim apostolorum, sed persecutor ecclesiæ. Ex gratia tamen uocatus, & missus ad gloriã euangelij disseminandam, & gratiam dei per Christum inter gentes, tanquam fidelis, non adulterator quæstuosus & uanus, frigidus uel deses. Creditum fideliter præcipuo legato, ut thesaurum inexhauribilem in orbem uniuersum spargendum: semen quoqꝫ fructum centesimum prolaturum.

9 Gratias ago ei qui me cõfortauit in Christo Iesu domino nostro, quia fidelem me existimauit, ponens in ministerio.

Quanquã fuerim magister legis, exercitatus quoqꝫ in uaniloquio scholæ Pharisæorum, magister noster, & humanis literis probe eruditus, uel non indoctus, gratias tamen ago deo meo, qui per infusam mihi fidem in dominum Iesum Christum, me licet indignum, sola sua gratia dignum fecit, quem ministerio suo subderet, ut prædicem dominum Iesum Christum, sine omni respectu priuati uel publici commodi mei. Sed in gloriam dei patris, & in laudem gratiæ bonitatis suæ, annunciandæ per me in uniuersum orbem. Eiusmodi autem uocatio ad spiritualia bona, ac uerbi dei prædicationem, soli deo accepta referatur: non enim talem mereri nostræ est facultatis uel arbitrij, præuenimur ad id dei bonitate, & gratia gratis data, ut nihil de nobis gloriemur. Sed dominũ honorificemus, qui uocat quos elegit in opus suum, & uocationi adaptat: et quicquid per nos promouetur boni, ipse agit, promouet ac absoluit, ut ipsum in suis beneficijs agnoscamus, & per fi-

dem

dem & gratiæ exercitium recipiamus maiora. Qui me confortauit.) Cum nihil proprijs posſem uiribus, fortiſſimum tamen euangelij ſui propugnatorem effecit ſuper coætaneos meos, dudum iuſtitia legali inflatum humiliauit, & exinaniuit, ut nihil tribuerem naturæ uiribus, perq; ſuam gratiam cõfortauit in omni bono. Nouo ſpiritus Chriſti feruore imbuit & inflãmauit, ut non ſolum arſerim in amore dei per Chriſtum, ſed etiam uehementer multos uerbi prædicatione alios paſſim inflammauerim. In Chriſto Ieſu domino noſtro.) Omnia autem hæc acta, accepta dictaq; ſunt in gloriam & laudem Ieſu Chriſti, quem pater omnipotens & dominus, mũdo lumen, recreatorem, redemptorem ac doctorem inſtituit, cuius uerbi euangelici me prædicatorem dedit, cuius quoq; gratia & meritis confortatus, deo gratias ago. Quia fidelem me iudicauit.) Non quidẽ re uera fidelem inuenit, qui faſtuoſus Phariſæus eram, ſed per meram ſuam gratiã ſum id quod ſum, qua & decreuit me facere fidelem ſibi, quem præſumptuoſe fidelem reperit propugnatorem traditionum paternarum, ſcilicet Iudaicarum. Vt tanto clarius eluceſceret eminentia bonitatis diuinæ, quãto indigniorem deligeret in tantum opus, ebuccinandi gloriam dei in omnes gentes per Chriſtum filium ſuum. Ponens in miniſterio.) Vt ſim nõ propriæ quidem doctrinæ inuentor, ſed uerbi ſui humilis miniſter: idoneus tamen & non piger, nec propriæ utilitatis uel gloriæ captator, ſed domini dei miniſter fidelis & ſedulus in opus ſanctum, nõ in gloriam prælationis, & regimen mundi in temporalibus quibuſcunq;, ſed in miniſterium ſubiectionis, ut eidem miniſtrare nunquã ceſſem, ſed indefeſſo conatu impleam curſum miniſterij quod ſuſcepi. Cuncta enim non ſolum apoſtolica, ſed Chriſtiana in genere uocatio, alia haberi non debet, q̃ miniſterium quoddam charitatis, à Chriſto nobis commendatæ, qua mutuum gratificando famulemur, propter quod & uoluit in eccleſia multos relinqui ſemper imbecilles, infirmos ac paruulos in Chriſto nutriendos, uerbo & exemplo, alterum indigere alterius opera, donaq; miniſteriorum ſingula ſingulis impertiri pro ſingulorum neceſſitatibus.

Qui prius eram blaſphemus, & perſecutor, & contumelioſus, ſed miſericordiam dei conſequutus, quia ignorans feci in incredulitate. 10

Vel hinc liquet immeritum me ſola gratia uocatum à domino, in tam ſacrum ſanctum miniſterium, quod iam ante Chriſtum eundem dominum meum, quem nunc prædico dei filium, Chriſtũ ſaluatorem mundi, blaſphemo ore criminatus ſum cœleſtem eius doctrinam, ac dei patris, mundo per eum exhibitam charitatem, ſtupenda quoq; eius audita non uiſa miracula credere nolui: dixi, ut cæteri phariſaicæ ſcholæ ſectatores, dæmoniacum fuiſſe eum, hæreticum, ſeductorem, plus q̃ peccatorem, & amicum fautoremq; peccantium, contemptorem rerũ diuinarum pariter & humanarum. Docui hæc eadem alios, ſeduxi quos potui à doctrina Chriſti: quos uerbis non potui, factis compuli. Perſecutor.) Non ſufficiebat oris blaſphemia, & clamor ſacrilegus, quin & ubiq; perſequebar diſcipulos euãgelij & doctores. Primum quidem Hieroſolymis diſcipulos, Stephanum, ſed & epiſtolas accepi ad omnes ſynagogas, ut ſi quos inueniſſem huius uiæ uiros & mulieres, uinctos perducerem in Hieroſolymam. Non nego impietatis meæ infelicitatem, ſed confiteor me peccaſſe ſupra modum in Chriſtum & Chriſti eccleſiam. Nec ſolum perſecutus ſum, ſed uſq; ad mortem inquiſiui, ubiq; protraxi, tradidi, accuſaui, incitaui crudeles, damnaui, lapidaui, occidi. Sed miſericordiam adeptus ſum.) Vbi ſuperabũdauit crimen, ibi & exuberauit gratia: præuenit me non ſolum ſine meritis, ſed peſſime incedentem ſuſcepit clementer. Impediuit in

malo, corripuit clamore è cœlis, indicauit errorem, suppeditauit doctorem, non solum de ecclesia Damascena, sed etiam de cœlo, & de tertio cœlo, & ad superef- fluentiam, ut plura quæ didici ibi, eloqui non expediat. Addidit animum, publi- ce confitendi Christi gloriam, & euangelicam ueritatem, utq; subinde toto pecto ris ausu defenderem, quos prius uastator acerrime fueram persequutus ubiq;. Quæ hæc mutatio fieri poterat, nisi à dextra excelsi? Quomodo conuerti potuis- sem ab inolitis doctrinis, nisi gratia dei benigne præuentus? Tanto celebriorem in me suam gloriam auxit, quanto blasphemias meas ac crudelitates patentiore grassatione euulgari constituit. Quod ignorans feci per incredulitatem.) Re- pletus eram scientia traditionum humanarum, quam à magistris nostris didice- ram: promissiones diuinas, de modo mittendi Messiam & Christum suum, nemo illorum docuerat. Legis iustitiam sufficere mihi abunde putabam, præter quam nullam sciebam. Leuitici sacerdotij ceremonias maximi ducebam, templum cre- bro, ut religiosior, uisitabam. Vides itaq; per Christi doctrinam & apostolorum, alienari fratres meos ab humanis ac Iudaicis illis traditionibus, quas paruifacie- bant, Christum dei filium afferebant uerbum dei, patri coæternũ, & coomnipo- tens, & coæquale, sabbathum infringentes, manus non lauantes, paucas uel nul las templo hostias offerentes, orationes publicas & solennes priuatis & clancula rijs ad deum desiderijs postponentes, sacerdotum & scribarum authoritatem ele uantes, & cætera plura. Existimaui, falsa scientia excæcatus & ignorans, omnes tales cum Christo illo suo iustissime eliminandos, occidendos, memoriam nomi- num ac personarum delendam, hoc ipso uoto arbitratus obsequium me præstare deo, zelosus sine uera scientia. Facile dei misericordiam cõsequimur, si ignoran- ter peccamus, nisi ignorãtiam maligne affectemus peccato in spiritum sanctum, qui inspirat, cuius inspirationem ad bonum detestari, ex certa scientia, est in spiri- tum sanctum peccare. Excusatio autem manet ac relinquitur ei, qui per incredu litatem peccat, studiosusq; uoluntatis diuinæ existens, & alioqui pius, non intelli git aliquid secundum scripturas esse necessario credẽdum, ut hic Paulus, idq; ob defectum doctorum. Non uiderat Saulus Christum, miracula ex auditu tantum didicerat, utriusq; rumoris authores audierat. Hinc pontifices & scribas ac pha risæos, Christianorum & Christi aduersarios iuratos & infestissimos, quos ipse suspiciebat tanquam primores, & ueritatis indagatores credebat. Haud aliter ac hodie tota ferè Gallia suos moratur doctissimos Parisieñ. theologos Sorbonicos, magistros nostros. Hinc simplices idiotas, humiles apostolos, & doctrinã crucis despiciebat ut scãdalosam, parum credebat miraculis, homo natura suspicax pro doctrina suorum magistrorum, & tenax traditionum paternarum. Ideo incredu litas ferè eidem inuincibilis uideri poterat, ut misericordiam dei assequeretur ob ignorantiam, alioqui zelosus scripturæ discipulus & æmulator existens. Non sic de pharisæis alijs ac pontificibus, qui Christum audierãt, miracula uiderant, scie- bant quia à deo uenisset magister, & q̃ nemo hæc signa facere poterat, nisi deus fuisset cum eo. Peccabat tamen interim Saulus, non curans audire apostolos, pro phetas, & Christi uerba ac opera non conferebat, nec scripturas scrutabatur, im- plicatus doctrinis pharisaicis & traditionibus, magnatorũ magis iudicio, quàm propriæ conscientiæ recollectioni intentus, synceritati simplicium ac bonorum minus credebat, tumidus corde, scientia animali, & consuetudine maiorum irre- titus. Quid hic fusius dici possit, satis norunt, qui spiritu sunt pietatis & sacræ eru ditionis imbuti. Impij suo malo pergunt detestari scripturas sacras & fidem, mor dicus autem & contumaciter defendere usum, quæstum, luxum & fastum.

Superа-

Superabundauit autem gratia domini nostri cum fide & dilectione, 11
quæ est per Christum Iesum.

Fauor & clementia dei, qua me præordinauit ad suum obsequium, eatenus copiose me prosequuta sunt, ut quia peccator eram semper, promereri illam non poteram, alioqui gratia dici minime potuisset. Sed hostem gratiæ in Christo, qui electos, licet ignorans persequutus sum, elegit me ad portãdum nomen suum coram gentibus, & sibi ipsi in seruum, conferendo fidem & agnitionem mysterij sui per Christum, dispẽsati ad omnes gentes, eamq; dilectionem saluatoris Iesu Christi, & ecclesiæ electæ ex gentibus, quam nullis meis studijs obtinere, sed per gratiam Christi Iesu suscipere potera clementer indultam. Eandem denicq; tanto gradu donauit, qui merito superabundans diceretur, quia multum peccaueram nimio & irrationabili zelo, cum ignorantia tamen excusabili penes Christũ, quam electo nollet imputare. Supra modum autem gratia collata dicitur, quia sine præ dicatione, spiranti minas & cædes in Christum, hoc est in Christi discipulos, reuelatio tertij cœli delata est, Christoq; doctore imbutus est de altissimis mysterijs dei. Idq; subito spiritu sancto replente & consummante, ut Christi domini magis appareret maiorq; benignitas. Fide insuper uera implebatur per gratiam, quæ sine dilectione suscipi non poterat, nec subsistere: ideoq; magna fides in Paulo, amplã quoq; charitatem ostendit, quę eum plus omnibus laborare faciebat, & solicitum reddebat de singularum ecclesiarum profectibus, ut prius omnes uoluerat profligasse. Gratia igitur Christi donata cum fide & dilectione, opera fidelium commendat, non legis Mosaicæ opera, nec alia quæcunq; non enim iustificant quenquam, sed sola fides per Christum mediatorem, qui est nostra iustitia, obseruãtia digna legis, & remissio peccatorum.

Fidelis sermo & omni acceptione dignus, Quia Christus Iesus uenit 12
in mundum, ut peccatores saluos faceret, quorum primus ego sum.

Certissima traditio fidei nostræ est, & indubitabilis promissio dei, articulusq; apostolicæ prædicationis, cuius fides Christianum facit, & fidelem. Sermo, quo nihil certius dici potest, & credi utilius, amplecti quoq; suauius & felicius conseruari. Omni acceptione dignus.) Nihil mundo optabilius potuit reuelari, plausibilius euangelium annunciari nequit. Cuius prædicatio omnium antiquissima, statim primis parẽtibus, & omnibus patriarchis promissa credita & sperata fuit. Cuius fide saluati sunt omnes, quam fidelissime crediderunt, & desiderantissime præstolabantur implendam, quam nunc nos dei misericordia gaudemus impletam, & gratias agimus. Argumentum est autem & scopus non solum totius huius epistolæ, sed euãgelicæ & apostolicæ prædicationis, & summa pietatis fideiq; Christianæ. Christus Iesus uenit in hunc mundũ peccatores saluos facere). Qui dudum in patriarchis & prophetis loquebatur, nunc dixit, Assum, de patris sinu sponte obediens & hunc mundum perditũ cernens, misericordia motus, redemptor aduenit. In hunc tam miserabilem mundum errore, ignorantia, infirmitate malitiaq; repletum per omnia. Fuit quidem semper omnia in omnibus, nulli unquam abfuit creaturæ. Gubernauit & impleuit mundũ diuinitate sua, sed in hominis forma ac ueritate nunquam in mundo prius hoc modo apparuerat. Nunc utero uirginis egressus in hunc mundum, uerus homo & deus, pro homine certauit cum dæmone, quem deus uicit per hominem. Omnes quidem peccatores reperit, ideo omnes saluare uenit, non iustos, qui uel sint uel esse se putent: nemo enim saluatur nisi humiliatus, & peccati sui conscius, ut humiliter redemptorem

deſideret, de ſeipſo deſperãs, iuſtitiam ſuam nihili faciens, miſericordiam petens, & indulgentiam promittenti credens. Saluos autem facere, eſt de peccato liberare: non quidem ne inſit donec uixerimus in hoc corpore, ſenſus deprimente, ſed per fidem & charitatem deo unire, amicum deo facere, peccata omnia non ad damnationem imputari, conſcientiæ certam conſolationem imprimere, deq; dei miſericordia & gratia certum reddere, pro totius mundi delictis deo patri ſatisfacere, infernum claudere credẽtibus, deo autem ſemper uiuere. Hæc breuiſſima eſt euangelij ſumma, alta mente reponẽda fidelibus, & in ſpiritus dulcedine ſemper ruminanda, ſimulq; magnitudo peccati, quod tanti redemptoris neceſſitatem induxit, ut dei gratiam magnificemus, & culpam noſtram grauiſſimam agnoſcamus, ut humiliemur. Quorum primus ego ſum.) Ego, inquit, ut Chriſtum dominum primus ſum perſecutus, & in eius membris occidi uoto & facto, eccleſiamq; acerrime afflixi, & primum martyrem coronaui. Sic primo omnium, tantus inimicus ego, ut alter Semei Beniamita, Chriſti domini Dauidis filij clementiam & gratiam ſum expertus. Ego Chriſtum blaſphemaui, ipſe me uas electionis gentibus prędicatorem tranſmiſit: ego ipſum è mundo profligare cupiebam, ipſe me ſectatorem fecit: occidere uolebam & mactare, ipſe me eorundem propugnatorem fideliũ inſtituit: nomen Chriſti exoſum habui, quod nunc prædico & magnifico: Iudæos tuebar, quos nunc impugno atq; confundo. Omnia ſecus atq; uolebam à domino miſerante ceſſerunt, ut miraculum conuerſionis meæ clarius in dei gloriam eluceſceret.

13 Sed ideo miſericordiam ſum conſequutus, ut in me primo oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui crediturí ſunt illi in uitam æternam.

Sanctos peccare nonnunquam ſinit enormiter, ut ſanctiores, feruẽtiores, humiliores, fideq; & fiducia firmiores reſurgant, de ſeipſis nihil boni uel non nimiũ præſumant. Omnia tribuant clementiæ dei, in quam ſolam ſperent, ardẽtius pro peccato orent, ſibiipſis ex animo diſpliceant. Petrum & Paulum apoſtolos ſummos, ac Chriſtianorum doctores, ob id peccare permiſit, ut clementiæ ſuæ ſpeculum & exemplar intuerentur omnes, non quidem ad peccandum, ad quod natura nimium prona ſuopte genio impellit, ſed ad non deſperandum, humiliter fidendum, ad informationem fidelium qui crediturí erant. Si enim tanto perſecutori tanta deus benignitate indulſit tanta crimina, quid nos non miſeri & humiles peccatores ſperemus? Interim quoq; diſcimus, neminem iudicare, de nullo criminoſo deſperare, neminem pro deplorato abijcere uel damnare, neq; in ſanctis quoq; perſonis perpetuam innocẽtiam exigere. Quandoquidem nonnunquam humilis peccator gratior deo ſit, q̃ ſanctulus ſuperbus de ſua ſanctimonia præſumens. Conſequimur autem miſericordiam, non noſtris uiribus, operibus, pœnitentijs, ſed gratuito dei dono ſua nos gratia præueniente. Omnem autem patientiam.) Hoc eſt abſolutam ac perfectam oſtendit dominus in ſancto ſuo apoſtolo Paulo, ut maiorẽ exigere nullus poſſit. Non graues iniungit pœnitentias, non dure uindicat admiſſa, ſed gratis abſoluit ab omnibus: prioris tantũ uitæ ueram conuerſionem emendationemq; iniungit, ut culpam agnoſcamus, pro ea humiliter ueniam inquiramus, firmiterq; obtinẽdam ſperemus. Ad informationẽm eorum, &c.) In Paulo ſiquidẽ deus uelut exemplar propoſuit mundo, ut diſcant quid ſibi ſperare debeant, quicunq; relictis moribus priſtinis, crediderũt in Chriſtum. In uitam æternam, ait: fortaſſis ad dei miſericordiam referendum eſt, qua credentes,

credentes, quantumlibet peccatores, per clementiam informat, & adducit in uitam æternam, quam nullis noſtris meritis promeremur, ſed dei miſericordia credentes aſſequimur per Chriſtum dominum.

Regi autem ſæculorum immortali, inuiſibili ſoli deo honor & gloria 14
in ſæcula ſæculorum. Amen.

Continuo & maxime Paulus memoriam facit gratiæ dei ad ſe perſecutorem ueritatis, quam gratiã Chriſtus dominus illi largitus eſt, qui poſt tam horrendam piſs omnibus perſecutionem, Chriſto in membris ſuis illatã, tantam rependit miſericordiam, longanimitatem, patiẽtiam, & affluentiam donorum ſpiritualium, ſibi Paulo cui inimicus eſſet delatam, & mirabilem uocationem ad apoſtolatum, ut exemplar fieret peccatoribus, fide in Chriſtum ſaluandis. Qua permotus memoria beneficij tanti, cum gratitudine & admiratione tantæ gratiæ ſuſceptæ exclamat, beneficium agnoſcens, & gratiam reddens, dicit, Regi ſæculorum &c. Rex autem ſæculorum, omnipotens deus dicitur, qui cœlum condidit, & omnia cœlo concluſa, ſapientia ſua gubernat omnia, & regit clariſſime agnita, qui in omnia ſæcula ſemper immutabilis perſeuerat. Ne Solem, ſtellas & cœlos reges noſtros credamus uel ſuſpicemur, ſed qui hæc omnia fecit in gloriam ſuam, quæ & ſuo nutui ſubduntur & obediunt: in cuius manu ſunt non ſolum corda, ſed & uoluntates, animæ, & uita regum omnium, qui ſine eo nec momentum uiuunt, nec uel minimum poſſunt. Eſt autem Sæculum in ſcripturis, ſpatiũ diuturnum, uel uitæ ut plurimum humanę, uel centum annorum, ſæpe etiam quinquaginta: item, anni reſtantes ad quinquageſimum iubilæi ſecundum legem, etiamſi pauci ſint. Hic autem ſæculorum nomen accipiendum longæuitas omniũ uiuentium. Rex enim eſt creator omnium, ſemper uiuens, quantumlibet ſequantur uiciſſim hominum generationes & centenarij, uel æræ quæcunq;. Nos autem ut aqua diſlabimur, ipſe uero fluuius eſt perennis, iugiter perſeuerans, uiuificãs creaturas, infinitus & immobilis exiſtens, dat cuncta moueri. Immortali) ait, Qui non ſolum immutabilis eſt, & nihil perdere potens, ſemper perfectus & felix, ſed omnibus quoq; uitã donans, in quo uiuimus, mouemur & ſumus. Non ut dij falſi, qui olim homines fuerunt mortales, ſed ſummum bonum, ideoq; ſine ſummo conſiſtit malo, quod habetur mors, & nihilũ uel corruptio. Neq; etiam in Chriſto mortua eſt, nec mori potuit diuinitas, ſed tantum caro deſtituta ab anima triduo, ambo diuinitati inſeparabiliter iuncta. Hic autem Paulus ipſiſſimam intendit diuinitatẽ, quæ aliud non eſt quàm pater, filius & ſpiritus ſanctus, unus deus, & una deitas, infinita perfectione & duratione. Inuiſibili.) Patrẽ enim & diuinitatem nemo uidit unquam mortalium, nedum oculis, ſed nec perfecte intellectu quocunq; creato, etiam angelico. Filius autem qui eſt in ſinu patris, ipſe perfectiſſime naturaliter nouit, comprehendit, ac eandem reuelat, cui & quantum uult. Eſt enim deitatis natura ſpeculum, non naturale, ſed uoluntarium, ſi uult uidetur, & quantum uult, à nemine tamen poteſt perfecte uideri, quod finita capacitas, infinitum bonum perfecte complecti non poſſit uel capere. Sed nec unquam alicui uiſus eſt pater. Omnia autem agit per filium, per quem fecit & ſæcula, quo uerbo ſuo omnia adminiſtrat. Et poteſtas omniũ in cœlo & in terra data eſt Chriſto dei filio. Soli deo honor & gloria.) A quo omne bonum, ideo ei debetur honor, qui eſt bonitatis teſtimoniũ. Sicut itaq; regi mortali honor dependẽdus, non regi, ſed deo referendus eſt, cuius rex eſt miniſter, à quo & regia dona ſuſcepit, & quem præcipit honorari. Sic pro ſanctitate, uirtute, ſapiẽtia in hominibus quibuſcunq;

honor omnis deo debetur, qui solus largitur hæc omnia, ut non tam illi uel illa, q̃ deus ipse optimus & maximus in illis honoretur. Alioqui creaturæ tribuentes, quod solius est dei, idololatriam committimus, & utendis fruimur. Vt hodie uidemus honorari sanctos, à quibus petimus quæ solus deus donare potest, & qui à se talia docuit postulare. Et sic deo propria, illis contra illorũ uota & studia communicamus. Soli deo omnis sit honor, à quo solo omne bonũ. Dum uero dicitur, Soli deo, nõ excluditur filius & spiritus sanctus, quin & illi sunt unus cum patre, immortalis & inuisibilis dominus atq; deus. Pater autem omnium perfectionum diuinarum fons est & abyssus, emanationumq; diuinarum origo. Quæ licet deitas eadem sit in tribus, non tamen eodẽ modo habendi: omnia enim à patre sunt, & ipse à nullo, filius à patre, spiritus sanctus à patre & filio, pater autem à nullo. Est autem gloria dei, recognitio & attributio omnis boni, quia dominus uniuersorum sit ipse, cuius bonitas relucet in rebus omnibus, qui ab omni creatura colendus cognoscitur, & omnia sapientissime moderatur, cui omnia seruiunt. Hæc omnia gloria dei sunt, & clara infinitę & immensæ bonitatis agnitio ac professio. Quod additur, In sæcula sæculorum, infinitatem durationis ac æternitatem significat carentis principio & fine, cuius omnes temporis differẽtiæ simul sunt, apud quem non est uicissitudinis cuiuscunq; obumbratio. Amen.) Attestationis nota est, & fidei omnium quæ dicta sunt proxime de diuinitatis excellẽtia & gloria.

15 Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee iuxta prophetias quæ de te præcesserunt, ut milites in eis bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam.

Vt intelligas fili Timothee, quid maxime te agere uelim, quidq; te deceat, & exigat à te dominus, qui & prophetijs quibusdam de te reuelatis, præmonstrauit te dignum futurum episcopum, & sancti spiritus admonitione, id officij tibi iniunctum est, quod non ego impono tibi, sed quod à spiritu Christi & uerbo dei tibi iniungitur, hoc tibi commendo, commonefacioq; istius præcepti, ut memineris solicite, militare bonam militiam contra infideles pseudapostolos, criminosos Christianos & falsos fratres, eos ut magnifice superes & uincas uera fide Christi, bonaq; conscientia. Ex quibus intelligimus fuisse Timotheum optimæ famæ, & sanctæ conuersationis uirũ, eruditũ in sacris literis, de quo iam ante prædixerant quidã prophetæ, quorum in primitiua ecclesia multi erant, futurum aliquãdo Timotheum idoneum episcopum, & orthodoxæ fidei catholicæq; doctrinæ propugnatorem egregium. Quod & ipsum fortassis Paulus cognouerat in spiritu, dei reuelatione commonitus, ob idq; syncerius dilectum episcopum ordinauerit in urbe celeberrima. Ephesi autem tunc erant aduersarij multi euãgelicæ doctrinæ, uariæ conditionis, gentiles in primis, qui pro Diana sua, ob quæstum zelabãt pro sua idololatria defensanda. Iudæi quoq; Paulo eiusq; socijs & dogmatibus exitiũ iugiter meditabantur. Pseudapostoli legem Mosis cum euangelio seruandum docentes. Falsi denicq; fratres, qui infirma fidelium traducebant, persecutiones suscitabant, inordinateq; uiuentes, scandalo erant sanctæ ecclesiæ. Hos omnes nõ poterat Timotheus alijs armis debellare q̃ fide & conscientia, fortiter & constanter adhærendo sacris literis, & uerbis sacræ doctrinæ, ex lege, prophetis & hagiographis (quæ tunc ferè solæ extabant) quibus contra aduersarios omnes illos, uerbo scilicet ueritatis, & animi fortitudine, firma quoq; fide, constanter defenduntur, & sine trepidatione docentur, catholica & apostolica primitiuæ ecclesiæ dogmata. Interim sibi testimonium præbente & audaciam cõscientia sua, cum immaculata

lata ac religiosa conuersatione, coram omni ecclesia, quæ eum audacem reddere poterat, ad animose uiriliterq; occurrendum, etiam apostolatus sui authoritate, & spiritus sancti uirtute, qua perfusus erat, omnibus illis aduersarijs potestatibus, doctrina & moribus, uolentibus corrumpere commissam sibi ab Apostolo ecclesiam Ephesiorum, exemplum futurus episcopis successoribus.

Quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt, ex quibus est 16
Hymenæus & Alexãder, quos tradidi satanæ, ut discãt nõ blasphemare.

Erant Ephesi, qui contra conscientiam & agnitam ueritatem Apostolum traducebant, confingebant in eum mendacia, & obloquebantur: qui & semel susceptam euangelij fidem abijciebant, Hymenæus & Alexander. Hij uerbis Apostoli pertinaciter restiterant, seditiones mouerant contra Paulum, Iudæi ex genere, & à fide apostatæ, Pauli persecutores subdoli, & non semper in manifesto aduersantes. Vnde & Paulus Timotheum admonet de Hymeneo, ut caueat, nihil illi fidat, in secunda epistola. Satanæ tradere, est excommunicare, & eijcere à cœtu fidelium, ut à morbidis agnis sibi sani & boni Christiani caueant & non inficiantur. Prodidit ergo illorum malitias, & ecclesiæ patefecit, ut & illi resipiscerent, & reliqui sibi de periculo prospicerent. Talis olim in ecclesia excommunicatio agebatur, sic publicorũ criminum propalatio, & exomologesis in ædificationem ecclesiæ fiebat. Quas utinã consuetudines probatissimas, iusta forma, secundum apostolicas traditiones ecclesia recuperet, ut reformẽtur mores, & disciplina non cesset, ut discant non blasphemare. Blasphemia nimirum est, peruersa docere, secreta diuina temeraria curiositate disquirere. Nihil enim commune habet humana ratio collata diuinis. Compescendi diligẽter in ecclesia sunt, qui dominum blasphemant, uerbi illius authoritati detrahũt, qui gentilium errores postlimínio reducunt, qui Iudaicis fabulis & hæreticorum uenenis inficiunt ecclesiam, qui religionis prætextu gentilium ritus cõmutant in speciem religionis, quos satius fuisset in totum reijci, ne gentilium ceremonijs ecclesia plus quàm Iudaica grauetur, puritasq; doctrinæ & operum commaculetur, & tandem opprimat ueritatem.

CAPVT II.

Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarumactiones pro omnibus hominibus.

Cum igitur necesse habeas militare periculosam militiam, cumq; fide tibi & conscientia opus sit, ut imminẽtibus undiq; & semper malis occurrere possis, & officio satisfacere tuo, spiritu sancto te uocante commisso, quæ sine dei gratia ac uirtute, nec à te prælato haberi possunt, necq; ab alio. Ideo adhortor, non impero, non importunus urgeo, ut dominus, sed ut fidelis tibi pater filium obsecro, quem pro syncero affectu & filiali amore, scio non minus complecti hortamentum, quàm seruus imperium. Non enim patris præceptum filius expectare debet & exigere, sed solo nutu insinuasse filio beneplacitum patris, abunde sufficerit, ut protinus perficiat sedulo, quod patrem optare crediderit. Sic non mandatis, imperijs & coactionibus in dei negotijs est agẽdum. Nec Christus nec apostoli id tentarunt, sed usi sunt admonitionibus, consilijs, orationibus, & adhortationibus, quibus in ecclesia proficere studuerunt. Vt nihil mandauerint, ni si quæ pro charitate seruanda seriosius proponebant. Vt ante omnia fiant orationes.) Cum sanctum ac deo acceptum, uel probandũ, nihil prorsus ualeamus, nostris tantum freti uiribus, sine dei auxilio, nec uerba, nec opera, nec exempla, nec aliqua solicitudo nostra aliquid prosit uel promoueat, necesse est ante omnia

noſtra conamina, dominum implorare, auxilium illius petere ac aſſiſtentiam, ut ipſe bonum inſpiret, deſiderari faciat ac perfici: nihil enim aliunde obtinebimus.

Deprecationes.) Dicuntur heæ orationes ad deum, quibus aduerſa quæ merui mus peccatis noſtris, per dei miſericordiam amoueri precamur, iram ſcilicet dei, & pœnam condignam, conſcientiæ anguſtias, incommoda corporis & ſpiritus, tentationes pernicioſas, & proximas periculo, ac caſus peccatorum. Obſecra tiones.) Sunt, quibus per omnia ſacra & deo grata, conſequi deſideramus dona dei nobis neceſſaria, ſpiritualia in primis, deinde & corporalia. Vt quod noſtris meritis obtinere non poſſumus, eius gratia, & Chriſti domini meritis & inter ceſſione â domino poſtulemus nobis cõcedi in gloriam dei. Interpellationes.) Sunt cũ unus pro alterius neceſſitate ex charitate ſolicitus intercedit, & pro fra tre orat, ut uel aduerſa amoliantur, uel optabilia conſequantur, cum ſcilicet pro inuicem oramus, ut pariter ſaluemur. Gratiarumactiones.) Sunt, cum pro acce ptis beneficijs dominũ laudamus, & omnia eidem accepta reddimus, & à nobis ipſis nihil nos habuiſſe uel potuiſſe fatemur. Viciſſim nos offerẽtes uoluntati ſuę, cuius beneplacito per omnia ſubijci deſideramus. Hoc eſt enim euchariſtiæ uerũ ac Chriſtianiſſimum ſacrificium, laudis ſcilicet & cõfeſſionis, ac gratiarumactio nis. Pro omnibus hominibus.) Non ſolum orãdum pro amicis, fidelibus, iuſtis, ac familiaribus, ac benefactoribus, uerum omnium maxime pro eis qui magis in digent, dei maiori opus habent miſericordia. Vt ſunt inimici noſtri, ut charitate imbuantur Chriſtiana, infideles, Iudæi, hæretici, ut reſpectu gratiæ diuinæ, lumi ne ueræ fidei & ueritatis illuſtrentur, & domino credant, iniuſti ac impij ut reſipi ſcant: ignoti nobis, ut domino miſerante à peccatis liberentur. Nihil unquam in ter orãdum occurrat diſcriminis, quo minus affectuoſe pro uno hominum gene re oremus, q̃ pro alio, uel excludere quoſcunq; præſumamus, uel intendamus fri gidius. Nec tantum oremus ob beneficia, ut hypocritæ ſolent, & incommodum noſtrum, ſed ſola fraterna charitate ad orandum permoueamur pro egentibus: & quia id domino placere credimus, ſimilia ab alijs orationum ſuffragia deſide rantes. Non iubet Apoſtolus orari pro defunctis, ſed pro hominibus, nõ pro ani mabus fidelium mortuorum, quæ non iam nobis proximæ ſunt, ſed deo. Viui no bis ubiq; commendantur, mortui deo: nos contra egimus, totam ferè noſtram ſo licitudinem impendentes in eos, demortuos ſcilicet, de quibus nobis dominus ni hil præcepit. Pro his non piget nimium multa dare, agere, pati, interim tamen tra tres indigentes, maximopere à deo nobis commiſſos, diſſimulamus, & nihil iuua mus. Sed hæc excogitauit auaritia cleri, ut morituri multa legarent pro ſe mor tuis de diuitijs ſuis, quas poſthac, ut non ſuas, relinquere cogebãtur. Hæredibus debita iure naturæ ea interceſſoribus pro animabus facile largiri poterant, maxi me quia purgatorij pœnas his medijs euadere poſſe inſtruebãtur præter uerbum dei, & ſine ſanctorum exemplo.

2 Pro regibus, & omnibus qui in ſublimitate cõſtituti ſunt, ut quietam & tranquillam uitam agamus, in omni pietate & caſtitate.

Apoſtoli temporibus reges mundi infideles erant & ethnici, aduerſarij fideli bus, ſed tamen pro eis orari uoluit, imò tanto ſolicitius inſtetit, quanto magis cle mentiæ diuinæ influxus illis pro illorum regimine neceſſarius erat, ut boni fie rent, ut tractabiles, manſuete præſint, benigne dominentur, quo ualeant ſuſtine ri, ut cor illorum regatur à domino, quo ſubditi tranquillius regantur: ut illis de ſuper præſtetur ſapientia & timor dei, ut ament iuſtitiam, & tueantur innocen tiam.

tiam. Et omnibus in sublimitate constitutis.) Addita coniunctio expositiue accipitur. Regibus, id est sublimibus. Sunt em̃ reges qui in magistratu aliquo constituti, regũt, moderantur & prẽsunt. Constituti uero non ab alio q̃ à deo. Omnis enim potestas à deo est, etiam mala, propter peccata populi, & imminens subditis dei iudicium. Per eos enim deus non raro sua exequitur iudicia. Dabo, inquit, tibi regem in furore meo. Effœminati erunt principes eorum, &c. Maximam itaq; nobis pœnam deprecabimur, si bonum & religiosum principem orationibus à deo promerebimur. Propter peccata enim populi dominus regnare facit hypocritam, id est impium. Sublimitas autem est, regere subiectos, iuxta stilum spiritus sancti, & à deo ordinata: non tantum ut honorentur præfecti, sed multo magis ut onerentur, solicitudine maiori prodesse cupientes eis, quibus ut per charitatem & sapientiam seruiant, à deo dati sunt. Reges gentium dominantur, & benefici dicuntur, non sic reges fidelium. Hi enim sciunt sese tanto modestiores gerere debere, quãto sunt plurium commodis & profectibus destinati, & obsequio charitatis ac fidei deuincti. Debetur ipsis honor, reuerentia, timor, obedientia, ac sustentatio à subditis: ipsi uicissim obligantur amorem, fidem, curam, tutelam, solicitudinem, instructionẽ, consolationem, regimen, coërcionem à malis, & discolis pœnam. Nec obmittendum negligentius, quod non prece, pretio & instantia, sublimitas sit ambienda, uel regimen aliorum, sed constitui oportet ab alijs, nihil nisi subditorum bonum respicientibus, neq; sine consensu eorum, si tamen ratio nabiliter sibi consultũ cupiant, & non omnem malint subterfugere disciplinam, ut non tam seruitus habeatur, q̃ administratio disciplinæ. Vt placidam & quietam uitam agamus.) Annitendum omni studio regibus, ut populus beneuolenter & cum gaudio, non ex tristitia obediat, sed placide, syncero affectu, sine murmure & displicentia, si fieri possit, & sine uiolentia: ut sint omnia sine tumultu, odio, seditione & rebellione. Sed Christiana pace, tranquille conuersentur, ut fratres ac domestici discipuli Christi, pacifici, modesti, mansueti & humiles. Hæc est enim uita felicissima, planeq; beata, & Christiana charitate iucũda. Cum omni pietate & honestate.) Faciũt hæc duo perfectã quietem, si scilicet deum nostrum colamus fide, spe & charitate, ut totos nos committamus ei ut patri: & oĩa quæ occurrunt, patris prouidentia & pietate nobis euenire certo credamus. Tunc enim murmurabimus nunquam, temere non iudicabimus illius iudicia & dispensationem, sed ut sunt oĩa optima cordis pace, ut patris pientissimi beneficia amplectemur. Castitas hic pro omni morũ grauitate accipienda, ut honestas. In conuersatione enim ad proximum, morum honestas & comitas admodum nos commendat fratribus. Cauebit quisquis huiusmodi est, offensam & odia, perpetuam autem trãquillitatem fouebit & amicitiam, quæ inter inhonestos ac morosos aut leues personas diu constare non potest.

Hoc enim bonum est, & acceptum coram saluatore nostro deo, qui 3
omnes homines uult saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire.

Quieta conuersatio nostra, & tranquillitas huius uitæ in simplici obedientia, etiam ethnicis regibus exhibenda docetur, ut ecclesia careat dominantium molestia, neq; grassentur, ut magis opprimãt, ne irritentur contra nos & euangelicam doctrinam, non scandalizentur nostris moribus, non ansam arripiant mouendi persequutiones, & blasphemandi nomen Christi. Cedit enim in gloriã religionis Christianæ, imò domini dei nostri, qui per filium suum saluauit nos, si pacifice, mansuete ac sedulo dominis obsequamur, subiecti omnibus in timore dei, osten-

dentes facto, optimi dei optimas leges scriptas esse in cordibus nostris. Vt ex bonis operibus nos considerantes, glorificent deum, si quando respectu misericordiæ à deo fuerint uisitati, & corde pio religioso q; donati, dominum q; deum nostrum ex fidelium religione cognouerint, nobiscum q; uenerari inceperint, orationibus nostris interim domino cõmendati, & exemplo acquisiti. Omnes, inquit, homines uult saluos fieri.) Est enim dominus deus summe bonus, nihil eorum odiens quæ condidit, neminem uult perire. Adest sua gratia omnibus, ut ueniant ad agnitionem ueritatis, quam per prophetícas euangelícas & apostolicas líteras, communem fecit omnibus. Vbi denuo coniunctio. Et expositiue sumenda uidetur, ut nihil aliud sit uelle saluos fieri, q; ad agnitionem diuinæ uoluntatis perducere, ut agnoscere ueritatem sit fieri saluum. Ipsa enim ueritas liberat à peccato, si illi credatur. Denique uocauit omnes, annunciatur omnibus, Christus pro omnibus mortuus est, omnes ad se trahit beneficijs, pro omnibus tradidit semetipsum. Contemptores autem dei & negatores non computandi ueniunt inter omnes, sed redigentur in nihilum coram deo. Si itaque sermo incidat, Quare non omnes beatitudinem assequãtur, cum omnes homines uelit saluos fieri? Responderi potest, Quare non omnes capiãt gratiam, quam sibi porrigi nemo ambigit? Quare non credant uerbo dei omnes? Quare nemo etiam cogi uelit ad bonum suum, nec debeat? Nec se quispiam excusare potest de ignorantia, de q; tractu instinctuum bonorũ in conscientia, qui nõ cessant. Quod si gratiam sequendi quis abesse causetur, nõ tamen eam optare ac petere se non posse uere dicet. Domino autem dicente, Petite & accipietis. Is re uera nonnihil recipiet, qui sedulo dominum fuerit deprecatus. Vltima tamen responsionis anchora tandem erit, uoluntas dei, quæ regula est iustitiæ, cuius non sit inquirẽda ratio, qui & nobis nihil obligatur, & bonorum nostrorum non eget. Voluntate signi & antecedente, uult omnes saluari, dicunt Theologi post Augustinum, & distributione accommodata euadunt. Denique agnitio ueritatis, sensus est Christi, qui ueritas est, qui euangelium prædicauit mundo, qui ueram fidem ac uiuam, portum salutis statuit, & iustitiæ summam. Lux mundi est, qui illuminat omnem hominem. Humanæ scientiæ, & ueritas intellectus naturalis, ad salutem inutiles sunt, & mendacium dici possunt. Christum autem scire, sanctorum est, ideo stultus in hoc mundo fiat, qui uoluerit fieri sapiens in deo & saluus.

4 Vnus enim deus, unus & mediator dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.

Breuis hic expressa est summa fidei Christianæ, & ueritatis irrefragabilis, cuius solius cognitio firmiter persuasa, salutem operatur hominibus. Si, inquã, non simplici id notitia sciant, sed potius uera sapientia: qui scilicet sic norunt, ut sapiant q̃ suauis sit dominus. Hunc ergo tenorem fidei, & breuissimam regulam, simpliciter & breuibus discutiamus. Vnum esse deum religiose cognoscitur, quum præter eum qui omnia condidit, nihil aliud, ut alicubi summum bonum desideratur, colitur, amatur, antefertur, uel confertur nihil. Non scilicet uenter, non caro & sanguis, aurum, honor, laus, & totus hic mundus. Omnia hæc postponuntur, non tantũ uerbo & lingua, ut facile possunt hypocritæ, sed corde & sensu. Dum illud unum semper intendimus & attendimus, propter illud omnia agimus, non circa plurima occupamur & distrahimur. Hoc est uere agnoscere unum deum, præter eum nihil desiderare, quod nõ propter illum uelimus. Vnus mediator.) uel conciliator. Secundus fidei huius breuissimæ articulus est, credere & scire Christum

Christum esse unicum mediatorem, quem pater cœlestis statuit inter se & nos, ut cum essemus peccatores, & à deo proiecti & inimici, per Christũ reconciliemur. Hic omnes homines peccatores esse, & reconciliatione egere ad deum, manifeste docetur, qui ut aduersarij & hostes, deum offensum sibi patiũtur, & abiectos esse damnatosq; ex primi hominis transgressione significãtur, sola Christi gratia conciliandos: & non id solum, sed & filiationis & hæreditatis ius accepisse per Christi mysterium, & in Christo omnia bona, ut nostra sint, quæ sunt fratris nostri. Vnus autem, non multi mediatores uel conciliatores docentur: unus enim Christus, unus saluator. Non ergo præter eum interponendi sunt alij, quantumlibet sancti & pij homines, omnes enim peccatores sunt, & gratia dei indigent. Solus Christus suapte innocentia, dignitate & meritis proprie dictis, non ex gratia, nos peccatores conciliat patri, pro officio suo quod à patre accepit. Omnia deniq; pater dedit in manus filio unigenito, ad illum nobis currendum, quoties quomodo cunq; urgemur, qui fons est pietatis, & fidelissimus frater, qui sese pro nobis totũ obtulit, in acerbissimam simul & probrosissimam mortem crucis, non nisi ex maxima charitate & fide ad genus humanum. Non est ergo ut eum ueluti morosum nobis promereamur, sanctorum aliorum quorumcunq; intercessionibus, benignior nobis est, q̃ omnes sancti esse possint, quantũlibet charitate fulgentes. Solus pro nobis mortuus est, & nos toties inuitat, pulsat, expectat, hortatur, allicit, rogat, & cogit aliquando. Venite, ait, ad me omnes &c. Venite edite absq; argento &c. Audit nos semper per suam sibi soli propriam omniscientiam, adest per immensitatem, qua patri consubstantialis est: intendit singulis perfectissima charitate, quandoquidem sui sunt omnes: non distrahitur multitudine curandorum uel saluandorum, omnia nostra nouit melius q̃ nosipsi, quibus egeamus considerat, nobis dormientibus. Præcepit serioso, ut in solo suo nomine precaremur patrem. Honorem hunc gloriossimum suum alteri prorsus nulli cedere potest: nec patitur communem ab alijs usurpari unigenitus filius. Homo, inquit, Christus Iesus.) Mirum quomodo dubitauerũt hominem non fuisse quidam hæreticorum, qui sacras literas non negãt, & hanc epistolam, qui hic simpliciter homo dicitur. Caro enim & frater noster est, tentatus per omnia, absq; peccato, & pro nobis hominum nouissimus sese exhibuit, ac uermem nominauit, ut hominem perditum redimeret. Et primogenitus quoq; dicitur ex multis fratribus, ut chirographum peccati deleret per crucem, uere pro nobis mortuus est, utq; homo esset, qui pro humano satisfaceret genere. Christus Iesus, unctione sua consecrans omnes gentes, & Christianos faciens sua gratia, & spiritus sui unctione: passione quoq; sua saluans gentiles & Iudæos, faciens utraq; unum. Qui dedit semetipsum redemptionem.) Obtulit seipsum in remissionem omnium peccatorum, sacrificium seipsum perfectum & maximum, omnium quoq; præcedentium sacrificiorum finem & scopum, proq; nobis captiuis commutationem sufficientissimam. Non raptus est ad iudiciũ mortis inuitus, sed sua sponte obediuit, & seipsum obtulit pretium deo patri, pro salute humani generis, & reconciliatione perfecta. Cum essemus inimici, & tales inimici, ut etiã eum nos ipsum crucifixerimus, homines scilicet, pro quibus se pretiũ & satisfactionem mediator obtulit. Nec dicamus, non esse nos posteros Iudæorum, qui hodie quoq; in glorificatum dominum nostrum & regem simile facinus non refugeremus, simili occasione permoti, qua Iudæorum primores, quibus meliores inter nos non ita multos inuenire licebit, quin & acerbius ipsum iterum nostris uitijs crucifigimus. Pro omnibus.) Exposuit ac tradidit se in mortẽ pro oĩbus, nemo nisi nolens saluari, relinquitur. Sufficiens

fuit, & satisfecit deo patri pro oĩbus, nihil obmisit de suo, quo minus omnes redimi potuerint, & hodie possint. Excusatio nulla nobis relinquitur, qui plane scimus quid uel facere, uel desiderare, uel quæ obmissa dolere, uel non indolentiam deprecari, & humiliter agnoscere debeamus, proq; fide huiusmodi & charitate deum orare. Quis hæc non se posse nisi contumax uere fatebitur? Ad hanc ueritatis agnitionem, si quis illuminante deo peruenerit, ut agnoscat ac credat certa fide, unum suum deum, & conciliatorem unicum, & sibi deuotissimum dominum Iesum Christũ, quodq; seipsum dederit ex maxima gratia redemptionis pretium pro omnibus credentibus, sine dubio saluus erit, perfectus fidelis habebitur, & Christianus corã deo & Christo suo. Quæ illi fides reputabitur ad iustitiam, sicut Abrahæ. Hanc breuissimam summam totius noui testamenti & euangelicæ doctrinæ, dum olim apostoli prædicarent facile orbis attrahi ad credẽdum poterat, idolisq; abiectis, Christiana religione imbui. Cum nondum tam incredibilia obtruderentur multa, qualia interim præter sacram scripturam fidelibus, de plus q̃ bis duodecim articulis neotericæ fidei imponuntur necessario credenda, de Papatu multa, de indulgentijs, purgatorio, diuis, & diuorum intercessionibus, miraculis, delectu ciborum, excommunicationibus, confessionibus, casibus episcopalibus, uotis, peregrinationibus, Concilijs, sacramentis, impedimentis, Missis, horis canonicis, ceremonijs, festis, ordinibus, imaginibus, monasticis regulis, dispensationibus, fraternitatibus, cõsecrationibus. Et quis ea numerare possit, quibus hodie grauantur conscientiæ piorum, & impiorum conuersio non iuuatur? Quorum nihil cõtinetur in Symbolo apostolorum uel canonicis scripturis, imo nec priscis sacrosanctis sanctorum patrum concilijs: de quibus multa scribi possent, sed sufficiunt quæ nunc passim leguntur. Nobis abunde iamdudum sufficit ueriſſimum diui Hieronymi dictum, Quicquid (credendorum & necessario agendorum) de sacris scripturis non producitur, eadem facilitate contemnitur qua probatur.

5 Cuius testimonium temporibus suis confirmatum est, in quo positus sum ego prædicator & apostolus, Veritatem dico, non mentior, doctor gentium in fide & ueritate.

Ad hoc Christus ueniens sese patri pro nobis obtulit, ut suo illo tempore toti mundo testaretur diuinæ charitatis erga genus humanum beneficium, dudum promissum patriarchis ac prophetis, in redemptionem omnium hominũ, ut credentes per eum saluẽtur. Noluit enim occultum esse, quod sacrificiorum figuris & propheticis promissionibus in ueteri testamento uoluit esse tam multis testatũ. Quin & ego Paulus ad hoc nostræ redẽptionis euangeliũ prædicandum assumptus sum ab eodem Christo dño, segregatus ac electus post alios, ut toto orbe gentibus hoc prædicem, & hanc dei tantam gratiam adnunciem. Nuncius missus à Christo & apostolus, quanquã cum Christo non uixerim, ex misericordia tamen sua me conuertit, ex persecutore & blasphemo in apostolũ ac ueritatis doctorem ad omnes gentes. Veritatem dico, non mentior.) Modestissime iurat, quod notorium esset, & negari non poterat. Celebris, inquit, fama iactatur insaniæ meæ, cum spirans minarum & cædis in discipulos, subito in multorum comitatu è cœlo uocatus sum, & à Christo conuersus. Deinde cum Barnaba à spiritu sancto segregatus in gentes, attestatione non modica miraculorum, profectu prædicationis maximo, à Iudæa incipiens per Asiam, usq; ad Illyricum omnia repleui euangelio Christi. Nõ potest esse dubia apostolatus mei uocatio, & quod me Christus

gentium

gentium doctorem dederit, teſtantur ſigna apoſtolatus mei: qualem denique me geſſerim in gloriam Chriſti, non in meum compendium aliquod temporale, nihil miſcendo doctrinæ, quam in me Chriſtus non fuerit loquutus. Omnia ſine hypocriſi & figmẽto, dextre ac plane ueraciter tradidi, ut accepi à domino. Doctorem ſe nominat, non in Vniuerſitate, ut loquuntur, promotũ: non enim Ariſtotelem audierat antea, & parua logicalia, ſed ſpiritu ſancto promotus, docebat ſine intermiſſione uerbo, exemplo & ſcripturis, nõ tam nomine doctor q̃ officio, aſſiduoq; docendi ſtudio. Tales etiam non ſic promoti, doctores erant Origenes, Auguſtinus, Hieronymus, & ſimiles. Quanquam eruditionis & fidei teſtimonium habere, & factis cõſequi non fuerit inutile, ſed ſine quæſtu, faſtu & hypocriſi: utq; profeſſionis ſuæ ſpecimen oſtendant ſtudio, fide & exemplis, uerbo & facto, non ſerico uel annulis, ne inter comeſſationes & pocula pro gratia nummorum, & perſonarum reſpectu, officium & authoritas docendi in eccleſia commendetur indignis, cum fide & ueritate doctores agant, ut ſcripturis canonicis edocti, fidem fideliter doceant, ſine permixtione falſorum dogmatum, quæ reſipiant ſenſus carnis, ambitionem honoris, & quæſtum.

Volo ergo uiros orare in omni loco, leuantes puras manus, ſine ira 6
& diſceptatione.

Docuerat orandum pro conſequenda uitæ trãquillitate in hoc mundo, & ut ad agnitionem ueritatis omnes peruenirent ſaluandi. Nunc uiros docet ac mulieres inſtruit, quomodo orandum, & de alijs neceſſarijs, incidenter & obiter, fœminarum mores inſtituendo: primũ autem uiros, Quos, inquit, uolo orare in omni loco. Nondum apoſtolorũ temporibus Chriſtianis erant ampliſſima templa, ſuffi ciebat locus pro familia quacunq;, longo tempore in criptis prædicatũ: ubicunq; eccleſia erat, duo ſcilicet aut tres uel plures, ibi locus orationis & prædicationis, in cubiculis, in agro, in naui, in montibus ac ſyluis: ubiq; orationis locus, ubi ſpiritus ſancti templum conſecratum habetur, quod ſunt fidelium animi. Idipſum docuit ueritas Chriſtus, Cum, inquit, oraueris, ingredere cubiculum, & ora patrem in abſcondito. Multi hodie aſueuerunt, ut non niſi in eccleſia orare ualeant, & exaudiri credant: ſi tamen uere orant, & non potius multa ſenſuum & mentis diſtractione adnumerent potius uerba, q̃ ut corde, affectu feruoreq; ſpiritus ſub leuentur in deum, in conſiderationem fragilitatum, defectuum ac miſeriarũ, quarum conſideratione legitima oratio ſit promouenda. In omni, inquit, loco.) Conſecratus eſt à deo mundus totus, & homo orationi. Vt non in templo Hieroſolymis, nec Romæ, ſed in ſpiritu & ueritate ſciamus orandum. Id quod Chriſtus docuit dominus, quiq; ſe ſic orantes exauditurum promiſit. Cætera diuinæ potius prouidentiæ committantur. Leuantes puras manus.) Non lotas, Phariſæorum more, ſed puras ab omni uiolentia, à ſanguine innocẽtum, à munerum acceptione, uſura, furto, à fœdis libidinoſisq; cõtactibus, & ab oĩ malo opere. Nec uult Paulus extendi manus phariſaico more, ſed deſiderantium ex petitionis ardore. Non obſtant, ſed proſunt quædam ceremoniæ orantibus, ſed non nimiæ, & quæ mentis diſtractionem uel hypocriſim mouere poſſint. Sine ira & diſceptatione.) Vbi docet nihil à deo poſtulandum, niſi prius orans proximo conciliatus ſit charitate Chriſtiana. Solet uirorum animos occupare furor & ira, ut ſuperbia mulieres, incõtinentia ac liuor. Ira autem charitati contraria, orationi locum omnino præcludit. Non ignoſcit deus nobis, nec dona pietatis largitur, niſi peccantibus in nos antea indulſerimus, niſi fratri offenſam remiſerimus, & ex animo dilexe-

rimus propter deum.

7 Similiter & mulieres in habitu ornato, cum uerecundia & sobrietate ornãtes se, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, uel uestę pretiosa, sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona.

Mulieres Apostolus docet post uiros, de idoneis earundẽ moribus, ne de forma superbiant amictu uel ornatu, quod agnatum mulieres patiuntur & gaudẽt, alioqui non pessimæ, imò & bonæ, castæ ac prudẽtes, quæ de speciei ornatuumq; cura uix sibi præcipere possunt. Admittit quidem Paulus, ut habitu ornato sint pro ingenio muliebri, non denique sordido amictu, uel nimium neglecto, quo abominatio sint maritis, & occasio forsitan exteras adamãdi, sed modum præscribit, ut decet castas, uerecundas, & minime irritatrices libidinis. Munde quidem, elegãter ac honeste uestiãtur, hoc est, ne nuditate & ornatu superfluo, pretioso uel curioso meretricibus assimilentur, appareantq; affectu placẽdi in publico, maxime uero in cœtu uel ecclesia, quod Christianis maritis nec placere potest neq; debet. Ornentur autem legitimis monilibus, uerecũdia scilicet & sobrietate, extutu, oculis, incessu, uerbis, subindicãdo moribus ipsis, inuitas sese offerri uirorum aspectibus, nolle ab aliquo desiderari ad malum, malle semper contegi, & ægre uidere uiros, multo molestius uideri. Quin & propter maritum uerecũdia non nudentur: gratiosissimum enim ornamentum uerecundiam habet, quisquis est maritus sapiens & probus. Sobrietate.) Nulla uinolentia aut crapula aliquatenus notetur mulier, quæ lubricitatis & libidinis certi sunt testes, teste Hieronymo. Quæ & impedimenta præbent fœtibus optatissimis, insipientię & garrulitatis uitia secum adferunt, mendaciorum & litium matres, nihilq; secretum seruaturæ, seminaria malorum. Nascitur è sobrietate castitas, ut sunt sorores, continent inhonesta desideria, & libidines impediunt. Ornantes se, non in tortis crinibus.) Non compositione capillorum, & implicatura argenti & auri, non adulterino colore, uel cerussa fucoq; peregrino, quibus iniuriam inurunt formæ naturali, magis autem uirtutum exercitijs ornentur. Non auro aut margaritis.) Non onerent impensis maritos, colligant potius, & in thesauros reponant pro hæredibus, uel certe sanctius subueniant indigentibus, in opera pietatis ueræ conferuent. Non addant superbiæ naturali fomenta luxuriæ, non certare fœminæ uicissim optent de sumptibus, sed de modestia, sapientia & maturitate: pretium margaritarum & auri felicius expendetur in pauperes. Veste (inquit) non uestibus: quandoquidem superfluæ uestes Christianos dedecẽt, & excusari non possunt, etiam in diuitibus. Non ad luxum amiciantur, sed ad honestatem & necessitatem. Vnica quidem non sufficit, sed superflua non decet, pretiositas intolerabilis. Scandalizat, irritat, zelum suscitat & exemplum, extenuat rem familiarem, difficile defenditur à tineis, & non sine negotio curatur àc solicitudine. Sed quod decet mulieres profitentes pietatem, æmulentur diligentius. Propensiores ipsas fœminas natura constituit ad cultum dei, ad multas ceremonias ac superstitiosas. Has discant non esse pietatem, frequentare ecclesias, gestare oratoria uel corollas, preculas mussitare, admirari cantus, & organis delectari, aspicere picturas idolorũ, inclinari, incendere cereos, aqua conspergere sepulchra & seipsas. Hæc quidem pietatis signa habita sunt iamdudum etiam apud ethnicos, sed minime sunt pietas, prorsus autem uersa sunt in impios usus. Pietatem magis profiteantur fideles fœminæ & uiri, recordatione suorum peccatorum, suspirijs pro gratia & indulgentia, emendatione morum, & sancto proposito, attentius auscultari uerbis diuinis,

uinis, audita meditari & ruminare, ut deinde liberis ea domi recenseant ac inculcent, ne quid aduersi uerbo dei admitti sinant in pueris, nec exemplis propriis incitent ad irreligiosa uerba uel opera, idq; à tenera ætate & primis annis, nondum deprauatis animis. Orationes breues, sed feruidas dicant ex consideratione necessitatum profusas, & ex animo humiliato: non multas, nec toties repetitas pro more & præfixo numero. Non enim quantitatem precum iuxta numerũ & tempus, sed qualitatem deus exigit & deuotionem. Offerãt monetam probatam charitate, non loquacitate: domi orent, familiæ prospiciant, marito obsequantur, & auxilientur in cura familiæ. Caueãt ab aspectu inuerecũdo & uago. Lumen non lapidibus uel mortuis accendant, sed operi necessario, utili ac tenebris. Fides sine aquarum aspersione suffecerit. Pro omnibus istiusmodi exercitijs arripiant bona opera. Hæc autem sunt, ut ministrẽt liberis, marito, familiæ, uicinis, pauperibus, prægnantibus, parientibus, puerperis, infirmis, domui incumbant ornandæ, lauandæ, purgandæ, prospiciendæ die noctuq;, iuxta Salomonis canticum. Omnia autem hæc in fide peragant, persuasæ certo talia deo placere, essecq; ipsissimæ pietatis officia, & opera à deo imposita, obediẽtiæq; sanctę merita, & fructus optimi. Si quando uacat, maxime aũt ferijs, lectioni incumbãt, pueros ididẽ doceãt, moneant, corrigant, & à malo exẽplo in uerbis & operibus solicite sibi tẽperent.

8 Mulier in silentio discat cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto, neq; dominari in uirum, sed esse in silentio.

Viris quidem permittitur, imò iniungitur ut in cœtu, quæ de auditis non intelligunt, inquirant à senioribus & presbyteris in ecclesia docentibus: & si quid eis sedentibus spiritus reuelat, loquantur cum modestia & sine disceptatione, ad profectũ ecclesiæ. Non prohibetur à uerbo ueritatis proponendo uir qualiscunq; scripturas quacunq; in lingua, sanè intelligens. Voluit em̃ Paulus, ut passim quini aut seni pariter prophetarent, etiam intra ecclesiam. Cantica autem & organa psallentiumq; clamores, ac tumultus inconditos, & studium assiduum canendi non docuit. In cordibus psallere, & spiritualibus hymnis domino laudes dicere, & canere mente, non tantum spiritu, hoc est sono, Christianos omnes docet. Mulieres uero in ecclesia sileant, domi uiros interrogent, si quid discendum fuerit, & in silentio: ne sensu suo abundare contingat, & litigare incipiant, uerbis & sensu proprio sibi cõplacentes. Docere mulieres non permitto, Paulus inquit: non ego ausim huic sententiæ uerboq; adijcere, in cœtu uirorum, eatenus ut liceat fœminis docere in ecclesia fœminarum: sensu enim infirmæ sunt, & non satis stabiles. Sed uiros presbyteros senes annis & moribus habeant agmina fœminarũ, à quibus publice huiusmodi congregatio instruatur. Nemo uero negauerit, aliquot nonnunquam fœminas conferre posse laudabiliter & debere quoq; de auditis ac prælectis. Et legere sacra scripta piorum doctorum etiam poterunt in cœtu fœminarum, sic tamen ut intelligant, & non ignota in lingua. Verum sine intellectu orare, legere, canere, psallere, opus est sine omni fructu ac laude, maxima & pernicioſa temporis perditio, & operum uel piorum uel aliâs utilium grauis iactura, qualia introduxit in ecclesiam sola pigritia ignorantiaq; & superstitio monachorũ. Olim & in Italia & in Germania quoq;, uel teste Hieronymo, doctæ erant sanctimoniales, quibus lectiones & cantica Latina lingua seruire poterant, & deuotioni conferre. Hodie in Germania & Gallia nihil intelligunt eorum quæ iactant, uel sine iudicio aliquantulum suspicantur: quas non tam obedientia, quam hominibus & stultis monachis promittũt, excusat, q; demẽtia culpat. Quid enim

inutilius institui poterat? quid stultius excogitari, quàm ut tantundem temporis die noctuq; expendant infelicissimæ mulierculæ in recitationibus, imò laboriosis cantibus uerborum, nihil prorsus illis significantium? Reliquum autem temporis ab huiusmodi tam molesta operis fatigatione, otio & remissione resolui & deperdi, ut omne earum tempus longe sit illis infructuosius, q; somnium iners: interim tamen sibi de cultu diuino uehementer complacent, iactant merita gloriosa, quæ & datis literis & sigillis uenditant benefactoribus: nec se patiuntur aliquatenus ab huiusmodi institutis diuelli. Loquimur nunc de eis monialibus, quę optimæ habentur & religiosiores, miserè deceptis à stultis monachis. Qui curæ suæ demandatas mulierculas, fidelius regere, & secundum canonicas scripturas docere, de domini dei sui certissima uolũtate, & de mandatorum illius obseruantia, qua domino seruuli seruire deberent ac possent. Quis enim domini sui seruium seruus iactare potest, dum obmissis eis negotijs quæ dominus prosequenda serio iniunxit, illis potius incumbit quæ minime iussit, & suapte natura charitati non prosunt, quæ est finis legis. De eis monialibus, quæ sine disciplina uiuunt gentio, miror, quid mundus cogitet quantumlibet malus, & quid cogitent parentes, dum filias sic prostituunt miserrime, idq; titulo diuini cultus, ubi tantũ carni seruitur, & stolidis monachis confessoribus. Hæc & similia maiore querela opus habent, quàm ego ualeam cõsequi uerbis quibuscunq;. Nec dominari in uirum.) Id enim fœdum marito est & ridiculum, ac fomentum superbiæ uxoribus, uiriq; contemptus. Monere quidem maritũ potest & debet, rogare, blandiri, & uincere malũ in bono: interim tamen esse in silentio, parce loqui & breuiter, cũ reuerẽtia ac timore: illico à uiro monita tacere, taceat: irato marito non respondeat, tempus captet opportunius: semel non crebro repetat quæ dicenda uiderit. Lingua mulieribus tanto diligentius moderanda est, quanto natura propensiores sunt ad ca uilla & multiloquium. Nec circũcursari eas delectet per alienas ædes, non commorari in plateis, non foris plurimos ac in triuijs miscere sermones, domi agant potius cum silentio.

9 Adam enim primus formatus est, deinde Eua: & Adam non est seductus, mulier autem seducta in præuaricatione fuit.

Ne quo pacto superbiendi ansam mulier sibi uendicet dominandi uiro, admonet Apostolus ut meminerint suæ originis, quam à uiro sumpta accepit: qui primo conditus à deo, natura quoq; perfectior, absolutior, sapientia clarior, & ad seductiones intentatas cautior atq; fortior erat. Quo sopore merso, ex costa illius Eua diuina uirtute formata est: ut unum corpus de uno corpore, & os ex ossibus prodiens, amoris uinculo arctius astringerentur. Adam quidem prior uirtute & tempore, Eua posterior utroq;: idcoq; duci ea, instrui, parere & sequi debet, agnoscereq; se dei ordinatione subiectam. Adam non fuit deceptus, non eum serpens aggredi primum audebat, qui eum fortassis minime decepisset sapientiorem fœmina: non fefellisset tam impudenti mendacio, non ambiuisset excellentiam, non colloquium tam friuolum tulisset, nisi in gratiam mulieris consortis, amicæ. Cui cum hæc placere uideret Adam, delicias suas contristare non poterat, sed acquiuit, roganti mulieri attendens, oblitus præcepti uel negligens. Mulier autem seducta mendacijs, inuidia, dolo, blasphemia diaboli, permissione ac dispensatione diuina, nedum iusta, sed iustitiæ originem nacta, qua proficere homo debuisset & progredi gratia dei præsente, acceptoq; præcepto, retrocessit ipsa Eua, transgressa mandatum, & uerbis dei non credens, sed infidelitatis primum peccato su-

perata,

perata, superbiaq; & auaritia, gula & luxuria decepta est, & uiro insuper insidiata, blanditijs & instantia uicit, & in pręuaricationem traxit, ut pariter cum ea cœperit dubitare, si uere hæc prædixerit uxor, scilicet imminere mortem, quam post gustum uideret superstitem ac uiuentem, ut & ipse peccaret. Cui semel seductrix facta, posthac directricis & doctoris munus ac officiū pręsumere & pręstare nunquam par fuerit. Semel tam pernicioſæ suasioni consentiens Adam & seductus, merito suspectam habuit omnem mulieris informationem & ingenium: ex ipsa experimento sumpto fragilitatis & insipientiæ, cum perfecta esset, nunc bis misera & sui admonita, præsumere doctrinam non audeat solidę ueritatis & sapiētiæ.

Saluabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide, 10
& dilectione, & sanctificatione, cum sobrietate.

Subdita quidem mulier sit uiro, & se humiliter gerere studeat inter uiros ac pudice, in ecclesia quoq; nihil præsumat, agnoscens mentis imbecillitatem & inconstantiam, ut sibi docendi munus in ecclesia non arroget. Verum neutiquam ob id contemnenda est uiro, quam per filiorum & liberorum generationem beatam fecit dei munificētia, & insigni munere illustrauit. Quid enim admirabilius generatur in rerum natura, ubi omnia tam sunt miraculosa, q̄ in utero fœminæ: non tantum humanum corpus, sed & anima immortalis & rationalis creando infunditur, & infundendo creatur? Cuius generationis, nutritionis, educationis pariter & institutionis officium dominus in matrem contulit & mulierem, incunabulaq; tradendæ pietatis & profectus matribus commisit circa prolem: ut sicut lacte pascunt corpusculum, sic solido cibo nutriātur à uiris: in fide ac sacris dogmatibus uiros fœminæ perfectos audiant ac sequantur. Curet igitur liberorum mater, ut in ea quam à teneris unguiculis à se fidem & dilectionem dei imbiberunt filij, in eis permaneant, iugiter inculcando fidem & timorem dei, ut sancti sint moribus, ab omni criminum contagione perpetuo sibi caueant. Carni & sanguini non indulgeant, dei mandata quibus eos mater edocuit, semper memoriter cogitantes, ut sancti sint & permaneant corpore & spiritu. Sobrietatem in primis solicite curent, ut cibo, potu, somno, otio, lusibus, indulgentia, sodalitate, non nimis nec periculose incūbant. Potius autem matres studeant liberis persuadere, quos domino genuerunt & proximis, fidem, dilectionem, sanctimoniam, pudicitiam, sobrietatē in uerbis et moribus. Ad hoc necessarius est fœminis matribus rerum illarum usus & studium, ut puellæ didicerint quod matres docere possint: pernicioſissima itaq; negligētia est, si uirgines insolentius educentur, si sine timore dei, uerecundia, modestia, pudicitia, sobrietate & religione succrescānt. Quomodo enim docebūt, quod nunquam didicerunt? Quid sperandum de uxoribus, quæ insolentia puellari deprauatæ sunt, ut nesciant quid sit uerecundia uel honestas?

CAPVT III.

Fidelis sermo. 1

Quæ tibi dilecto filio meo ad populum in ecclesia docendum scribo, ut Christi apostolus, & tibi in eodē pater filio meo scribo, certissima habeas: & ea quæ tam nunc tibi dixi de uiris & mulieribus, q̄ nūc scribenda cogito, scias à domino reuelata atq; fidelia. Christi domini doctrinam esse, qui in me loquitur, non hominum uerba, id est mendacia. Nihil ex me loqui in ecclesia audeo, non opiniones ac fabulas comminiscor, fidelis est omnis dei sermo & efficax, quem mihi disseminandum credidit in orbem fidelibus.

Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. 3

Græce ἐπίσκοπος, superintendens, obseruator, speculator & custos dicitur, cuius officium episcopale est, pascere gregem Christi uerbo salutis, & pascuis doctrinæ apostolicæ atq; canonicæ. Scire utrunq; testamentum, uetus ac nouum, gestare solicitam curam animabus Christo lucrificandis, procurare totius ecclesiæ bona in spiritualibus, & à malis obseruare, inuigilare contra errores doctrinæ & morum, hæreses uerbo dei extirpare, plantare pietatis doctrinam, uisitare episcopatum suum, ut pastor gregum caulas: infirmos consolidare, agnos ægrotos sanare, confractos alligare, errantes reducere, pereuntes quærere: curare ut pascantur in herbis uirentibus, pascuis pinguibus, super montes Israel: iudicare inter pecus & pecus, opponere se bestijs pro ouibus, inuigilare ut secure dormiant in saltibus, quibus Christus pastor summus circumposuit benedictionem. Qui ergo episcopatum desiderat, huiusmodi exercitia præstare posse se sciens, uult quoq; conferre in ecclesiam, is certe opus bonum desiderat, ex charitate, propter deum, & ut benefaciat multis à domino sibi commendatis. Desiderare autem honorem, eminentiã, census, pompam, dominia, luxum, otium, castra, oppida, prouincias, regna, uenationes, & id rerum multa, non est hoc desiderare opus, multo minus bonum opus. Tales hodie sunt, qui ambiunt ac desiderãt episcopatus, uenantur, emunt, rapiunt, &c. Tempore Pauli & apostolorum non sic. Nihil hij minus sunt q̃ episcopi, principes sunt & dicuntur, ac haberi uolũt: & huius mundi principes sunt, satrapæ Imperij, quibus priscus adhuc placet status, cum essent flamines, archiflamines, primates, ac prouinciarum Romanarum præsides, & sacrorum pontifices apud ethnicos. Qui si animarũ saluti, & doctrinæ pietatis per occupationes sæculares incũbere uel non possent uel nollent: &, ut nunc fit, non tam episcopi nominari eligerent, q̃ esse administratores ecclesiarum, saltem contenti essent emolumentis prouincialibus, & turpem illum quæstum, honoribus suis iniquum, abhorrerent, qualem accipiunt de scortationibus sacerdotum, spuriorum redemptionibus, & casibus reseruatis: de quibus lucris nemo honestus notari pateretur. Operam autem sedulam nauarẽt, ut sub administratione & tutela sua essent, sub præfectura sua uel sua diocœsi priuatarũ ecclesiarum ueri episcopi, quales hoc loco describit Apostolus, quales habuit primitiua ecclesia multos, quorum catholicam doctrinam, & uitæ innocentiam, & apostolicos mores illi ecclesiarum principes moderarẽtur atq; defenderent: & honesta prouisione rerum temporalium, non ad ullam superfluitatem prospicerent, in maioribus ecclesijs & minoribus iuxta exigentiam honestatis. Id certe quod facile fieri posset, & sine tumultu uel confusione prouinciarum & imperij, uel quorumcunq; regnorum. Exonerarentur uel pro tanto, si non pro toto, illi nostri episcopi, grauissima sarcina conscientiarum suarum, quibus nunquam satisfacere possunt uel uolũt, & interim principes consulerent rebuspublicis, & principibus maioribus imperioq;, ut hactenus. Et tamen fides, ac morum innocentia, & ecclesiarũ pietas minime periclitaretur, ut nunc factum tanto tempore uidemus & dolemus. Quin & omnes nos Christiani homines nostro quoq; modo episcopi simus necesse est, uel hac parte, ut officiũ nostrũ sit uisitare, curare, iuuare, cõsolari proximos: unicuiq; enim de proximo suo mandauit dñs. Qui communitatem curat, custodit, nutrit, docet, fouet, fideliter regit, hic uere est episcopus: nomen est enim functionis & operis, officij & sedulitatis, ac fidei, non honoris & eminentiæ: sicut sunt antistes, præpositus, prior, abbas aut præceptor.

3 Oportet enim episcopum irreprehensibilem esse. Dicit

Dicit non ſine cauſa, Oportet igitur: eſt enim quod ſequitur, totum de neceſſitate officij, & apoſtolici præcepti, imò diuini. Quid hodie facerent, qui corruptelarum ſuarum patrocinium quærunt, tueriq; uolunt præſcriptione diuturni temporis, idq; etiam ex uerbis dei & ſcripturis canonicis? ſi hic uel alibi inuenirent hoc uerbum, Oportet epiſcopum eſſe cœlibem, etiamſi cõtinere non poſſit: oportet eum habere omnes diœceſis ſui decimas, oportet primos fructus illos de qualibet eccleſia percipere, &c. Profecto ob uerbũ illud Oportet, dicerent eſſe mandatum diuinũ, ſub pœna peccati mortalis & æternæ damnationis oſeruandum. Nunc autem quid dicunt ad hoc, Oportet epiſcopum eſſe irreprehẽſibilem: non quidem ſine peccato, pro quo nemo ab alio reprehenſibilis ſit, qui omnes peccatores ſumus, & in multis offendimus omnes: ſed ut nihil criminis impingi poſſit epiſcopo, nulla ſæcularis macula, non aliqua nota infamiæ, quo minus aptus ſit docere, obſecrare, increpare, arguere libera fronte criminoſos quoſcunq;. Quis igitur neſciat, optimos quoſq; hactenus habitos, multosq; paſſim parochos et paræcianos uiros doctos, benignos, ſolicitos, deum timentes, nullo crimine notabiles, ſed hoc ſolo reprehenſibiles uitio, quia continentiæ gratiam non acceperant: quorum qui meliores erant, concubinas aſſequebantur, ne deteriora contingerent: reliqui uero continentiam, quam minime habebant, fingebãt, interim inardeſcentes ad aliorum coniuges & filias, propter quas & in foro confeſſionis abominabilia parabantur. Quomodo talis, non dico hoc crimen adulterij, uel ſcortationis ſuccreſcẽs in eccleſia, acriter arguere & punire potuiſſet? ſed nec alia quæcunq; crimina, uel ſemel in eccleſia ſic criminoſus libere taxaſſet. Sunt autem epiſcopi, & uere dicuntur, omnes eccleſiarum prælati, non ſolum magnarum, ſed etiam minimarum. Habeantur ergo irreprehẽſibiles paſtores eccleſiarum, innoxij, integræ famæ: hoc autem fiet, ſi qui nunc continuo ſequuntur obſeruata fuerint. Subinde enim multis docebũ, quomodo poſſit eſſe epiſcopus irreprehenſibilis, quæ & conſequenter erunt diligentius annotanda.

Vnius uxoris uirum, ſobrium, ornatum, prudentem, pudicum, hoſpitalem, doctorem, non uinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum, non litigioſum, non cupidum, ſed ſuæ domui bene præpoſitum, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate. 4

Sancti patres & patriarchæ Hebræorum plures ſimul habebant uxores, & à domino ueluti etiam amiciſſimi ferebãtur, propter ingens deſiderium multorum bonorum filiorum, quæ ut habebatur, ſic erat, & promiſſa fuerat ſanctis benedictio domini feliciſſima, ſecũdum hoc ſæculum. Chriſtus idipſum nuſquã legitur prohibuiſſe, uel etiam improbaſſe. Diuinæ literæ pluralitatem uxorum nusq; damnant, nec tamen conſulũt, neq; laudant. Hoc autem loco epiſcopis & diaconis prohibetur huiuſmodi uxorũ pluralitas. Et cum iam ſtatim præmiſſum legamus uerbum Oportet, non ſine cauſa Chryſoſtomus periclitatur, ne Paulus exigere uideatur matrimonium ab omni epiſcopo. Nec idipſum ab re & leuibus rationibus. Certe primum ut non tententur à ſatana. Secundo, ne infamiam & ſuſpicionem incontinentiæ facile incidant. Tertio, ut habita occaſione, diſcant familiam regere, ſicq; etiam apti reddantur ad gubernandas eccleſias. Quarto, ut hoſpitales eſſe poſſint, & parati ad ſuſceptionem pauperum & peregrinorum, patriarcharum more. Quinto, ut à ſtudio ſcripturæ ſacræ diſcendæ, meditãdæ & docendæ domeſtica cura minimũ diſtrahantur. Sexto, ut aliæ cuiuſcunq; mulieris non ſit neceſſaria ſuſpecta quæcunq; familiaritas. Septimo, quod ſunt in domo, nego

tia non pauca, quæ sine fœmina expediri nequeant. Octauo, cohabitatio uiri & mulieris extra matrimonium, non potest carere incõmodis plærisq; animæ, conscientiæ, famæ, & rei familiaris. Vt interim taceam sacrilegum illud & scandalosissimum scandalum concubinatus illorum episcoporum, hoc est plebanorum: quod ipsum liquet probe consideranti, fontem esse omnis Christianæ iacturæ, damnationis, infelicitatis & omnium criminum colluuionis in orbe Christiano, in omnibus statibus. Quibus abunde consultum fieret, si tamen ecclesiæ reformationem prælati ferre uolent uel possunt, si maritorum lege uiuerẽt sacerdotes. Iuenirent enim facile (cessantibus impijs legibus humanis, & contra uerbum dei sancientibus) boni illi paroeciani honestam proborum uel etiam diuitum (si uellẽt & expedire uiderent) puellam uirginem, in disciplina nutritam à primis annis, castam, fidelem marito, filijs, domui, familiæ. Præesset huiusmodi utiliter, & cum patrimonia domui sacerdotis, reponeret pro hæredibus filijs, quæ de uictu, amictu & eleemosyna superessent: disceret à marito uerba dei, doceret paruulos, honoris aliquando consequendi intuitu, & spe uerisimili, præ filijs aliorum promouendorum ad honesta. Esset amabilis omnibus ac honorabilis in ecclesia. Sacerdos eam pudice diligeret, & prudenter aleret prolem ex ea, dei beneficio susceptum. Vacaret quoq; cum tranquillitate sacris & bonis literis, sine trepidatione doceret & cum fiducia omnẽ ueritatem. Subditos diligeret, diligeretur à pijs, defenderetur à fidelibus, corrigeret sine rubore & iusto necessarioq; zelo de omnibus, haberet sibi fauorabiles, benefícos, promptos, & doctrinæ obediẽtes primores in magistratu, unde mores facile restitui possent nimium corrupti. Quid multis? Infinita bona consequerentur. Nunc autem, proh dolor & pudor, sacerdos parochus quotidie uel frequenter celebrans sacra sua, & sacramenta ministrãs, publicum autem, ut fit, scortum nutriens de decimis, oblationibus, eleemosynis, & pauperum sudoribus, cum uel sine uerecundia, & cum grauissimo scandalo, nónne se damnationis mancipium nouit? & certissime secundum legem domini, & humanas constitutiones sese cogitur impium & sacrilegum iudicare? Crimine graui & publico scandalosus, & transgressor legum diuinarum & humanarum. Non uult nec potest dimittere concubinam, nisi alia surroganda infelici miseria, dum statim succedunt ex noua noui filij, & perpetua calamitas, & scandalũ intolerabile. Orationes suas, quas uocant Canonicas horas, (quia canonicis scripturis ediscendis ac intelligendis instare, multis horis indies noctuq; deberent, iuxta antiquissimas probatasq; sanctiones ecclesiasticas) has, inquam, si dicit, ibi continuo oĩa offendit contra suam conscientiã, infernũ sibi interminãtia: cum horrore ergo & nausea omnia legit. Odit potius sacrarum studia literarum, otio solo sese ac uitijs accommodat, ut fallat tempus, & tædium superet, infeliciterq; consolatur alea, perpotationibus, & reliquis id rerum. Vritur importunius, gratuatur libidine insatiabili ex otio: & quia prohibita magis placent, & illicita, tentatur ardentius. Id quoq; temporibus facit etiam religioni suæ consecratis. Sequitur continuo, & nunquam cessat conscientiæ uermis, uel desperatio infernalis. Fit ex hoc procliuior ad omnia uitia. Coram deo confunditur, coram conscientia, populo & familia. Sacramenta tractat ut impurissimus porcus, sine fide, reuerentia & honore, sed potius cum horrore & perfidia, ad commodum temporale tantum respiciens: tandẽq; fit totus sine deo, qui apud deum pro populo intercessor habetur, et ob cultũ dei nutritur in blasphemiam dei. Quid autem interim huiusmodi sacrificuli tam sordidi agit uel cogitat infelicissima meretrix & cõcubina? Filios fortassis generat, si tamen abortum non procurat, ne uel episcopo pretium sanguinis

sanguinis obligetur, uel à libidine arceatur continuanda. Deserere filios & scortatorem non potest, otio allecta, ac libidine uictus & amictus. Non fert redire ad parentes uel consanguineos: non facile procum inueniet, non maritum assequetur: nouit se despectam omnibus, etiam à filijs propríjs: non ignorat facili occasione se eijciẽdam à sacerdote tali, si libidinosior superuenerit meretrix: miserrimam post obitum sacerdotis, siquidem otio asueta, seruire nolit, & delicijs resoluta non possit: ideo interim sua maxime curat, furatur, exigit à scortatore quicquid ualet, præparat uestes & multas, & meretriceas, ut post illum uel cum illo alijs placeat, quos & facile admittit, sciens se non propterea adulterarum lege abijciẽdam, uel non esse adulteram, quæ non est ligata marito. Filios non amat, negligit, non docet, sed ut non suos abijcit & propellit. De animæ suæ salute desperat, quam & ludis publicis à rusticis dæmonibus persequi, & uenationibus nocturnis patitur & audit iniurioßissime tractari, ueluti ab infernalibus spiritibus. Desperans ergo, relabitur ad turpitudines, & ad uitia fit nimium exposita ac procliuis. Vicinis uiris & mulieribus fit odibilis, rixosa, onerosa & intractabilis, dum se cõtemni non patitur, dum speciosior & ornatior incedit, & honestæ matronę, dum irritat sacerdotem contra uicinos, sese quoquo modo dehonestantes, uel etiam negligentes. Filios & filias indulgentius nutrit & fouet: non cohibet insolentes, non uitia redarguit in eis, quibus se sentit refertam ac scatentem. Ingerere se temerarie annititur & effrons primam cœtui fœminarum, iactat conditionem uictus sui, otij & libidinum: quæ omnia probæ matronæ & puellæ indignissime ferunt. Deinde filij sacerdotum talium inter tot scandala educantur, ut non sint illis amplius scandala, sed consuetudo prouinciæ & gentium, imò ecclesiarum. A parentibus ut illegitimi negliguntur, sine spe consequendi honoris, prorsus extorres ab omni honesta & graui conuersatione. Fiunt sic manumissi rebelles, indisciplinati, blasphemi, rixosi, procaces, lusores, & parentum cõtemptores: non ferunt disciplinam etiam apud exteros, non uerbo, non facto dictis honestorum præceptorum obtemperant: ab omnibus despiciũtur ut spurij: nihil facile eis boni & honesti alicubi confidítur, peiores ut plurimum deprehenduntur omnibus coætaneis: audaces ad omne flagitium, diuinorum omniũ aduersatores: expellũtur ante tempus in exteros, libertatẽ captant ad omne nefas, cuius semina susceperũt ex educatione domóq; paterna. Hæc ætas & nobis posterior uix credet, quæ hactenus infelici temporum deprauatione uisa communiter sunt & perpessa in Germania nostra & alibi. Quanquam non defuerint semper, qui animo coniugali cohabitauerint, honestatis iacturam & ipsi deplorauerint, & prolem, quanquã raro, ad honores instituerint capescendos, maxime per Curtisanos & Romanas merces, tanquã ecclesiæ filios, sic enim sunt appellati. Et quid interim populo accidit? Intuetur miser dei populus & ecclesiarum uulgus, sacerdotem & pastorem suum speculum abominationis: uerbum dei, si audit ex illius ore, non credit, contemnit magis, detrahit, blasphemat, sectatur pastorem per abrupta gradientem in præcipitiũ grex infelix: correctiones non audit, uel nõ suscipit, ridet potius, cum culpa redarguit doctorem, incalescit magis & feruet ad proprias libidines, exemplo impij scortatoris. Dolũ suspicatur in doctrina & uerbo dei, subuersionisq; impostura: sancta dogmata nõ internoscit, sed abijcit omnia: euitat ac declinat ecclesiam, iussis non obtemperat, fidem ueram ignorat, uitia sectatur, ut iam asueta: non fert monitorem quempiam de fide uel moribus. Conscientia nulla fit criminum, uel si adsit, cauteriatur: sicq; totus Christianismus perditur & euanescit. Peccatorũ confessio quid mirum si obmittitur, tam notorie criminoso facienda? Decimę negantur ec-

cleſijs. Ceremoniæ ut ſordidæ propter ſordidum miniſtrum irridentur. Interim male audit ipſum totum ſacerdotiũ, & omnis denicꝫ Chriſtiana religio. Verbum & fides cõtemnunt, non prędicat ſacra ſcriptura, non diſcit, adulterinæ doctrinę ſurrogantur, uitia publica palàm defenduntur, excuſatur error, ſcandalum iuſti ficatur, piorum ora obturantur, exquiruntur anſæ & rationes defenſionum. Decanorum quocꝫ fauores ambiuntur, redimuntur muneribus, excogitantur gra-uamina laicorum, exiguntur oblationes, aggrauatur ſtola, quã nominant, quæ ſtus ſcilicet officiorum ſacramentalium, mortuorũ exequiæ & peractiones commendantur & exiguntur: & pro ſacrificiorum multiplicatione & anniuerſarijs ſtatuendis, purgatorium Vergilianum incaleſcit. Quandoquidem modicis reditibus & accidentalibus quæſtibus hæc ſacerdotis famula uel familia non ualeat enutriri. Turpe lucrum cupidus epiſcopus imperat, Diocœſanus uel eius uicarius, cenſumꝫ auget quotannis. Cogitur talis ſacrificulus maiorum de plebe fauores promereri per fas & nefas, quo ſubſiſtere in officio ualeat, uel inuitis ſubditis. Officio ſuo diuino & Miſſationi in publica eccleſia & circa aram, aſſiſtunt nouellæ turpitudinis plantationes, ſpurij ſui filij. Breuiter, exemplũ ſunt huiuſmodi concubinarij ſacerdotes flagitiorum omnium, & uelamen malitiæ magiſtratibus & populi rectoribus. Hæc, inquam, omnia & his longe plura abominabilia & ſcãdaloſa, ſubintroduxit nobis infeliciſſima neceſſitas cœlibatus, & ſtulta prætenſa religio, contra ſtimulum calcitrandi, & angelicam puritatem imponendi eis, qui carne & ſanguine uelint nolint opprimũtur & ardent: pauciſſimorumꝫ priuilegium perpetuę caſtitatis, imò uirginitatis, quæ iactatur, tot millibus hominum utriuſꝫ ſexus commune faciunt, reclamantibus conſcientia, experientia, & dei uerborum obedientia. Quibus omnibus tot malis abunde conſuleretur, ſi uerbo dei & ſacræ ſcripturæ inſtitutis ac præceptis obediretur. Honeſtiſſimum matrimonium fuit ſacerdotibus Moſaicæ legis, ſicut & primitiuæ eccleſiæ Chriſtianæ epiſcopis, ut patet ex Eccleſiaſtica hiſtoria Euſebij & aliorum. Conditor quocꝫ legis dominus omnipotens, & amator hominum, prolem & matrimonium ubicꝫ & plurimum commendauit. Patriarcharum nota ex ſcripturis ſunt ſancta coniugia, & prophetarum, ſicut & apoſtolorum. Chriſtus toto ſuo euangelio, inter tot ſacerdotum ac ſcribarum ſcelera uel uitia, ne ſemel quidem uxorum uel plurium uel unius habuit mentionem, præſciuit omnia, & matrimonium cõmune uoluit omnibus, interdictum aũt meretricium & fornicationem. Primitiua eccleſia apoſtolica hunc cœlibatum ſub uoto omnino neſciuit. Orientalis ſacroſancta eccleſia hactenus ignorauit & ignorat hodie. Pontificorum indoctorum, ſuperſtitioſorũ ac impiorum nuper orta tyrannis, hæc animarum naufragia ſubornauit, quibus & ipſimet pereant, ſatis perſpicue alicubi oſtendentes fructus ſuæ turpiſſimæ puritatis, quo confundantur cum uniuerſis ſuis impijs conſtitutionibus, quas ſpiritus ſancti & uerbi dei flatu propediem exufflandas ueluti aranearum tela, & cõſcientiæ laqueos minime poſſumus dubitare, niſi uerbum dei nullum mundus ſuſceperit uel habeat. Cum puſillis clericis hactenus interdicta fuerint ob quæſtum, quod pinguibus pontificibus perpetuum fuit ad luxum. Potuit quidem, in ſumma, uideri priſcis quibuſdam epiſcopis commodus admodum cœlibatus clericorum. Primo, ut purius uiuerent. Secundo, dignius ſacroſancta tractarent myſteria. Tertio, expeditius ſcripturæ operam nauarent. Quarto, terrenis actibus minus inquietarentur. Quinto, ut minus grauaretur populus uel eccleſia ſuſtentatione uxorum & prolis. Cum uero omnia iamdudum in diuerſa ceſſiſſe uideantur, eoꝫ deuentum eſſe ſciatur, ut ſacrificuli iſti paſſim impuriſſime

puriſſime uiuant ſecundū prædicta, ſcientibus ac permittētibus plebe & primoribus. Secūdo, ludibrio quoq; et pro nauſea habeāt ſacroſancta oīnia homines ir religioſiſſimi. Tertio, ludo potius ac poculis incūbant iugiter q̄ ſcripturis canonicis. Quarto, otio inertiſſimo reſoluti prolabantur in publica crimina, quæ etiam epiſcopi, ſi uelint, emendare nequeant, Romana authoritate præpediti uel exemptionibus nonnunquam. Quinto, ſpuriſs quoq; & meretricibus non ſolum grauetur, ſed & publice diffametur eccleſia. Verbū quoq; domini ueniat in contemptum, & clerus non indigne in odium, ac in ſcandalum toti Chriſtianæ religioni, maxime apud infideles quoſcunq;. Ideo nulli ſit dubium, obligari arctiſſime archiepiſcopos & epiſcopos in ſolidum, ſub æternæ maledictionis iuſtiſſima certiſſimaq; uindicta, ſi grauiſſimā dei iram euadere uelint, ut ocyus ac ſine dilatione hoc ſcandalum cœlibatus, & uotorum perpetuæ caſtitatis, ut ipſi intelligunt, & perniciem inexplebilem de medio tollant. Si non concilio generali, quod legitimum ſuſtinere nolunt, qui lucem odiunt & ueritatem, ſaltem prouinciali Germanico, ubi concubinatus ſcandaloſius relucet. Sin minus & hoc ceſſerit, quilibet epiſcopus, ut nunc ſunt, in ſua diœceſi huic peſtilentiſſimo ſuccurrat morbo, communi conſenſu & ſynodo. Quod ſi neglexerint epiſcopi, debent ac poſſunt authoritate dei omnipotentis & id præcipientis per ſpiritum ſanctum per ſeipſos qui continere non poſſunt, experientia teſte, & naturali conditione uel complexione admoniti, propria authoritate ſibi uxorem legitimā ducere, præmiſſa ſufficiente inſtructione plebis, ut ſciant præceptū dei non eſſe clericalem cœlibatum. Interim commode magiſtratuum fauore redempto, & uerbo dei inſtitutis, ſi uelint conſentire, alioqui uel officio reſignandum magis, uel inuitis omnibus, domino acquieſcant, neceſſario & ineuitabili mandato omnipotētis dei. Sine quo matrimonio ſaluari neutiquam poſſint, nec præeſſe populo dei, nec ſatisfacere uerbo dei, nec apoſtolicæ traditioni obedire, quam ſummus ille, ut uocant, pontifex ſua authoritate in integrum reſtituere collapſam religionem obligaretur, ſicut & diſpenſationem in cibis & uotis reliquis, quæ minime obſeruari contra conſcientiam omnium palàm intuetur, non ignorans ædificare ad gehennam, quicquid committitur contra conſcientiam. Quæ ſit autem apoſtolica uera traditio, hoc loco & alibi legitur. Epiſcopum, id eſt paſtorem in ſpiritualibus populi Chriſtiani, oportere habere unam uxorem, niſi poſſit capere donū dei, quod à ſolo deo paucis & ex rara gratia donatur, munus inclytū uirginitatis, & magno periculo ſeruatur. Cuius denicq; continentiæ difficultatem, imò impoſſibilitatem, publice teſtatur abominabilis ſpurcitia totius fermè cleri: non ſolum plebanorū, de quibus dictum eſt, canonicorum & epiſcoporum, ſed etiam monachorū & fratrum, monialium quoq; & nonnarū patens impudicitia, nimium generalis ad irriſionem ſtatus clericalis iuſtiſſimam. Nihil contra hanc caſtitatem, ut nunc ſeruatur, ſatis dure ſeueriterq; dici uel ſcribi poteſt, ab aliquo earum rerū non inexperto. Sunt enim omnia quæ dicuntur, longe quoq; atrociora, q̄ pro rei indignitate à nobis proponi & plangi poſſint. Exceſſum hunc noſtrum pro temporis huius occaſione & ſtudiorū, alius quiſpiam fuſius & ordinatius tractabit, ad ea me magis idoneus. Sobrium) addit. Non idcirco uxor adiūcta eſt ab Apoſtolo, ut epiſcopus uacet libidini cuicūq;, ſed ut illi medeatur. Minus enim à carne & ſatana infeſtatur infra cācellos benedicti à deo matrimonij, q̄ promiſcua illa ac libera libidine palantes, ut animalia, quibus non eſt diſciplina uel intellectus. Quin & hic ſtatim Apoſtolus aliud continentiæ remedium adijcit epiſcopo coniugi, ut ſobrius ſit: cibo & potu utatur, ad corporis non uoluptatem, ſed neceſſitatem: parſimoniam

seruet, ne & ecclesia grauetur expensis, uel corpus ac ingeniũ ineptum sit ad exercitia spiritualia, digna sacerdoti ac doctori ecclesiastico, scilicet ad studia sacræ scripturæ, prædicationes, consultationes, consolationes, orationes, prælectiones, scriptitationes, &c. Exemplum sobrietatis præbeat, non pretiosa nec plurima uel delicata fercula, sed utatur semper cibo potuq; pro corporis ratione, & officiorũ executione opportunis. Non sic se die uno exinanire studeat irrationabili abstinentia, ut sequenti die denuo oneretur, ne utriusq; diei sacrũ opus intermitti contingat. Vt nunc consueuerũt stulte ieiunãtes superstitiosuli in uigilijs festorum, & ad honorem sanctorum abstinere, ut festis ipsis sequentibus diebus repleri, & neglecta resarcire possint, auidiusq; pasci ac delicatius, quando toti sese spiritualibus dedere debere ratio dictat, & ecclesiastica mandat traditio. Tunc enim carnalissimi inueniuntur, & ad succumbendum tentationibus procliues magis, q̃ dum laborando cibum absumunt sobrie captum. Ornatum) dicit. Non sericis & aurophrygiatis uestibus, argento uel gemmis, siue in capite siue sandalijs, aut pedo, uel incuruo pastorali baculo. Hæc enim omnino dedecori potius sunt sacerdoti, margaritis ornata, sed pudicis mansuetissimisq; moribus redimitus sit, factis ac habitu uenerandum se exhibeat, & legitima maturitate gratiosum fidelibus, perfidis uero horrendum & formidolosum: talia sunt enim episcoporum ornamenta legitima. Prudentem quoq;.) Vt plebi commissæ prospiciat, cui speculator proponitur circumspectus, ut prȩuenire malum, & sancta promouere quoquo pacto possit intelligat. Sophrona pudicum dicunt, & quadrat prædictis, ut sit eatenus sobrius, ut & pudicus esse ualeat uisu, uerbo, signo, opere, & in omni conuersatione sua præferat pudicitiæ ac prudentiæ spiritualis exemplar. Hospitalem.) Non sit publicus tabernarius, sed indigentium peregrinorum benignus susceptor, & tractator beneficus, quales in ueteri testamento multos legimus prophetas & patriarchas: ne honesti uiri ad peregrinandum coacti, communi diuersorio sub turba & clamoribus præpediantur à studio orationis, & meditationis sacræ, & quiete opportuna. Non solum hospitem se præbeat sacerdotũ, sed piorum omnium indigentium. Ad quod sanè conueniens est, habere non pellicem, sed uxorem fidelem, & matremfamiliâs, filiosq; disciplinatos, in disciplina ecclesiastica eruditos, & exercitatos in operibus pietatis: ne toti ecclesiæ cui sacerdos præfertur, passim inuratur diffamia, dum peregrini præter Christianam charitatem tractantur. Ea ratione decimæ illis debentur, non tam pro se, familia, & hospitalibus, q̃ pro orphanis, pupillis, infirmis, egenis, & senibus, quorum omnium sacerdoti episcopo studiosa incumbit diligensq; cura: non solũ uerbis, sed & factis consolandis & beneficijs iuuandis, nomine totius ecclesiæ, ad talia exercitia obligatæ: quamobrẽ & maioribus ecclesiæ præfectis diaconi coniungebantur, ne quid in officio ecclesiastico negligeretur: non in cantu & processionibus, &c. Doctorem.) Qui aptus sit ad docendum ecclesiam, non aliam doctrinam q̃ canonicam & catholicam ex sacris scripturis, sapientiam utilem ad dei cultum, non promotum à facultate theologica in gymnasio, non empta facultate, non pecunijs prodigendis in comessatores, ut interim sit, sed spiritu sancto edoctũ ex sacris literis, qui instruat plebem, cui ex officio suo superintendere debet. Non uenator, non eques, non lusor, nõ auceps, uel piscator, sed uerbi dei doctor doctus. Hoc autem proprium & peculiare præ oĩbus officium est episcopale, Pascere Christi oues, quas amet plurimum, docere non philosophiam, non grammaticam, non poëticam, non constitutiones humanas, sed quæ pertinent ad cultum uerum dei, ad pietatem, ad fidem & probatissimos mores, quorum exempla à Christo sumãtur.

Non

Non uinolentum.) Qui nimium indulgeat uino potãdo, quo impediatur à modestia & doctrina in facto ac uerbo, utq; dum opus est, cum opportunitate corrigiat, ac sine conuitijs, ebriosorum more. Non combibonem, qui huiusmodi abusus uehemẽter in alijs arguat ac corrigat. Obtundit enim uinum immodice sumptum ingenium, inepte lætificat, reddit consilij inopem, iracundũ ac fœdum pariter reddit, pudicitiæ aduersatur ac castitati. Non percussorem.) Non promptum & propensum ad uindicandum se ad ulciscendum impræmeditato, sed animo tranquillum, longanimem, sustinentiam fortem conseruãtem ac modestiam, etiam in medio iniuriarum. Non paratum ad arma inferenda, sed qui in bono malum uincere gaudeat: percutiat neminem, sed euangelica patientia sese commonstret euangelicum præconem, & doctorem mansuetudinis Christianæ, exemplo & doctrina uere apostolica. Non enim resipit euangelicum & apostolicum spiritum tumultuari, non solum factis, sed & uerbis: exemplo magis utatur Christi & apostolorum, qui omnia matura grauitate egerunt, non maledicentia affectata, cum irrisione, quam ut apostoli & prophetæ non obmiserint semper, tamen non sine magna modestia, & uirtute spiritus, fortissimæq; ueritatis: unde hoc non solum ad uiolentiã manuum pertinet, sed & ad acerbitatem linguæ, ne sæuus & improbus sit obiurgator. Non auarum.) Vel turpiter lucri cupidum. Hoc quoq; audiant nostri episcopi, qui lucrum congerunt ex casibus reseruatis, ex sacerdotum concubinatu, ex sacramentorum & ordinum administrationibus, ex spuriorum redemptionibus: si non per se talia capiunt, subornant tamen Officiales, qui bus id negotij fœde committunt, uel ob lucrum consentiunt: communius tamen est, turpiter lucri cupidum, q̃ turpis lucri cupidum esse. Omne lucrum cupere, indignum est episcopo, cuius est officium expendere potius q̃ lucrari uel thesaurizare. Bona enim episcoporum, ecclesiarum sunt, hoc est indigentium de ecclesia, uiduarum, pupillorum & egenorũ. Reponere thesauros non debẽt, ut seruentur, nec ut multiplicentur in census asseruandi, & eisdem bonis per usuram quancunq; lucrum turpe uenari & congerere. Sed modestum.) Aequum esse & fidum omnibus, æquanimiter ferre potens infirmitates & imperfectiones fragilium, donec roborentur in fide, & agnitione ueritatis & iustitiæ. Non acutum, iracundum, uel ad uindicandum proprias iniurias & personales animum propensum gerens, sed modestia Christiana præ alijs ornatum. Non litigiosum uel contentiosum.) Vt boni consulat uerba ac facta aliorum, etiam contentiosorum: sed pacificum, non suscitet bella ac lites, sed tota diligentia componat. Quomodo autem carebunt discordijs & disceptationibus, qui diuitijs augendis inhiant, & possessionibus multiplicandis? Dirimat potius cõtentiones, & pacificus sit, ut & beatus à domino iudicetur, si pacis quę sunt ut Christi discipulus studiose promoueat. Non cupidum.) Quæstum nullo modo sectetur, ut Simoniaci, sed gratis accepta, gratis concedat. Liberalis in pauperes: non lanæ potius abstractor q̃ uerbi dei administrator. Ab omni specie cupiditatis abstineat. Sed domui suæ bene præpositum.) Quomodo sine uxore bene præerit, & cum spurijs, uel externo famulitio? Vult Apostolus, ut familiã suam, uxorem, filios, famulos bene moderetur, ne scandalosa ac inordinata domus, toti ecclesiæ fidelium obsit ac præiudicet. Si non huiusmodi episcopus familiam habeat, saltem canonicis suis religiose præsit antistes. Quos hodie nouimus irreligiosissimo iure exemptos authoritate Romana à iurisdictione episcoporum, & omnium scandalorum antesignanos in clero toto totius episcopatus uel diœcesis, & exemplaria insolentiarum in clero & populo. Filios habentem subditos cum omni castitate.) Disciplinatos, &

religiose cum reuerẽtia subiectos habeat filios suos, qui moribus & honestate re-
liquorum filios instituant, & exemplum honestatis exhibeant toti ecclesiæ, patri
obedientes, reuerentiam exhibentes. Quid hodie de filijs presbyterorum mũdus
iudicet, notius est q̃ ut multis recitetur. Debet episcopus in propria sua domo di-
scere exercitio filiorum, quod doceat in ecclesia subditorum. Vnde & sequitur.

5 Quod si quis domui suæ bene præesse nescit, quomodo ecclesiæ dei diligentiam habebit?

Quomodo multos & quasi alienos curabit, qui proprijs ac paucis prodesse non potest, & tamen ad id positus est ut prosit. Qui in paruo infidelis deprehendi-
tur, quomodo super plurima constituetur? Qui familiaribus non prospicit & ne-
cessarijs, quomodo alienos dispẽsabit? Qui tam tenui sensu est, ut pauca cogitare
nequeat, quomodo sapiẽter totam ecclesiam gubernabit? Exercitari igitur in do-
mo propria oportet, & in liberorum sancta educatione, ut regimen diœcesis to-
tius ualeat sustinere.

6 Non nouitium uel neophitum, ne in superbiam elatus, in iudicium in-
cidat diaboli.

Nouus in fide conuersus nuper à quacunq; mala uel inhonesta conuersatio-
ne, nondum exercitium spiritus Christi in se expertus, non est idoneus doctor ec-
clesiæ. Cum enim alios docere & moderari instituerit, in his quæ ad deum sunt,
expedit exercitatũ habere sensum in spiritualibus. Nemo autem repente fit sum-
mus, studium quoq; sacrarum literarum non subito proficit. Verum nouitiatum
illum non uult à baptismatis tempore computandum, quod multi olim tardius
baptizabantur, sed à conuersionis tempore ad fidem. Ambrosius enim catechu-
menus diu Christianus fuerat, antequam baptizaretur, & episcopus nondum ba-
ptizatus eligebatur spiritu dei promotus. Verũ non expedit religione nouitium
subito gubernacula religionis moderari, ne uel religio uituperetur, quasi destitu-
ta idoneis pro huiusmodi functione personis, quam probi & sapientes omnes de-
clinant, & cogatur aliunde pellicere promouẽdos. Vel ipse nouitius honoris sui
sortem humiliter ferre non potens, insolentius se efferre incipiat, & statim sibi li-
cere putet quicquid libuerit, unde externi calumniandi occasionem arripiant,
quasi ea tantum ratione ecclesiæ se immiscuerit, ut ab ecclesia honoretur. De-
nicq; facile honor obnoxius fit inuidiæ, unde prodit temerarium iudicium & calu-
mnia. Cum quicquid à neophitis agitur, quãlibet religiose, insimulatores tamen
patitur, etiam sancta inuertẽtes. Et cum aliud nihil obtendere possunt, saltem no-
uitiatum causantur. Sed & huiusmodi neophiti facile præsumunt maiora & in-
sueta, audent iugum imponere, eleuanturq; existimatione propria, sicq; in iudi-
cium incidunt calumniatorum, imò & sapientum nonnunquam.

7 Oportet autem & illum testimonium habere bonum ab his qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli.

Ad quemlibet hoc episcopum referẽdum uidetur, ut scilicet etiam ab his qui
foris sunt, & ab omnibus bonum habeat testimonium, ne religionem ob minis-
tri improbitatem calumniam sustinere contingat. Verum specialiter, si à Iudæis uel
gentilibus conuersus sit ad fidem, omnino necesse est, ut ab illis nihil inhonestum
& turpe impingi possit: ne dicant, Ecce quales sibi Christiani episcopos præficiũt:
quos nos improbos nouimus, hos ipsi tantis dignãtur honoribus: nobiscum con-
temptibilis ob flagitia, nunc honoratur à Christianis. Talis religio, quales haben-
tur

tur ministri. Sicq; in laqueum & in opprobrium calumniatorum incidit ecclesia ipsa, & non solum minister.

Diacones similiter pudicos, non bilingues, non multo uino deditos, 8
non turpe lucrum sectantes.

Episcoporum ministri Diaconi sunt uocati, ut ex Actis discimus, non ut prædicarent uel legerent aut canerent euangelium: sed quia oblationes fidelium distribuebant ad ordinationem episcopi, toti seruiebant ecclesiæ & ipso episcopo: deq; & ipsi oblationibus uiuebant, sicut & episcopi, ut nunc sunt coadiutores paroecianorum, ut liberius episcopi orationi, lectioni & prædicationi instarent, & ministerio uerbi diuini. Talis erat Laurentius olim, in primis autem Stephanus, cum suis collegis, qui tamen opportunitate monente non tacebãt & ipsi à uerbo dei prædicando. Quia autem & ab ecclesia nutriebantur ob ministerium publicum, ut essent ecclesiastice, hoc est publicæ personæ, ideo pudicos uult eos esse Apostolus, honestate conspicuos, uenerandæ conuersationis in uerbo, facto & exemplo. Ne sinistra quæcunq; opinio illorum dehonestaret officiũ, ne diuidendo collectas eleemosynas, suspicionem cuiuscunq; incontinentiæ incurrerent, si pauperioribus fœminis dona necessaria præ alijs largirentur. Non bilingues.) Ne quæstus gratia uarie loquantur de Christianis dogmatibus, ne aliud affirmarent coram episcopo, aliud coram simplicibus de ecclesia. Neq; uerbum dei adulterent, ad gratiam nil loquantur, ob eleemosynas corradendas, ne uerbis fucatis duplicibusq; mercari studeant à uulgo gratiam altioris status. Non multo uino deditos.) Ne luxu quocunq; soluantur à debita grauitate, ne dedecori sint episcopo ecclesiæ officio suo, ne ab operibus pietatis fideles retrahantur, sicut ob filios Heli, ob dispensatorum improbitatem. Non turpe lucrum sectantes.) Non lucrum turpe in eleemosynam expendendum est, sed iuste acquisitæ diuitiæ, honeste acquisita. Præuidebat enim in spiritu, bonorum affluentiã irrepturam in pernicies ministrorum ecclesiæ, quam interim uidemus & sensimus creuisse in abusus intolerabiles.

Habentes mysterium fidei in conscientia pura. 9

Cum passim in domibus, & quasi in angulis instruere obligarentur eos, quos eleemosynis reficiebant diaconi, omnino scire probe debebant mysterium fidei Christianæ, & rationem reddere eorum quæ ab episcopis docebantur, respondere de articulis fidei, sicut Stephanus, assistere episcopo, defensare, ac ueritatis testimonium præstare pariter ac conuersationis, ubi id utile cernebant, & Christo honorificum, euangelio & ecclesiæ. Certi coram deo, se gloriam propriam non quærere, sed profectũ fidelium de ecclesia, implere quoq; factis quod profitebantur uerbis. Quod si deinde minus promoueretur fidei negotium, ipsi tamen candide egissent functionem suam, & fideles in ministerio ecclesiæ inuenirentur.

Et hi autem probentur primum, & sic ministrent, nullum crimen 10
habentes.

Proximum in ecclesia post episcopum honorem habebant diaconi, tanquam fideles ecclesiæ, & episcopi procuratores. Vt hodie fortassis dicerent Decanorũ camerarios, sed longe miserabiliore cõparatione. Oportebat ergo probari fidem eorum, & probitatem, ac sanctam industriam, si illis committi possent tuto distribuendæ collectæ, si denique idonei uerbi ministri essent, episcopo concordes, fide, doctrina & moribus. Non ideo passim cuiuis hæc functio commendari poterat, erant ergo probandi. Derogasset autem quodcunq; crimen & inhonestatis diffa-

mia episcopo & ecclesiæ, fideles absterruisset à fide, & à misericordiæ operibus, ia
cturam accepissent ecclesiæ pauperes, facileq; fraudem suspicari contingeret de
oblatis in dispẽsatore & procuratore quondam notato de crimine: familiã quoq;
& statum cum authoritate episcopi dehonestasset.

11 Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in o-
mnibus.

De uxoribus nimirum diaconorum loquitur Apostolus, eadem ratione, qua
& prius de episcopis eorumq; familia præcipiens. Quia enim de ecclesiæ bonis
uiuebant & de oblationibus, maxime decebat collegas & consortes diacono-
rum pudicas esse moribus, uerbis & sensuum omnium honestate, conuersatione
maturas, quietas, pacificas, modestas, sine quacunq; arrogantia, & dissolutione
quacunq; in moribus, ne ob easdem ecclesiam turbari & scandalizari quocunq;
modo contingat. Non calumniosas, rixosas aut discordiam seminãtes, delatrices,
susurrones uel mendosas, quo minus ecclesia conturbetur. Cum à talibus episco
pi & diaconi summa semper diligentia publice dehortari debeant: sobrias quoq;,
ut dictum est de diaconis & episcopis. Fœdissimum est siquidem in muliere uino
lentia, & abusus in uictu & uestitu: uinum illis in primis mater est turpitudinis
& libidinis. Non debebat uitiorum huiusmodi exemplar relinqui subditorũ uxo
ribus à fœminis ecclesiasticis. Fideles in omnibus, ut cum ministrorum ecclesiæ
adiutrices sint, instituto diuino, non secus ac diaconi ipsi, fidelissime dispensent
omnia, nihil pro se per fraudem subtrahant, in fide omnia dispensent, ne ponant
offendiculum fidelibus in ecclesia unde uiuunt, sed eidem fidelissime ministrent,
quantum attinet ad suum officium.

12 Diacones sint unius uxoris uiri, qui filijs suis bene præsint, & suis do
mibus.

Non notentur diaconi de quacunq; incontinentia, ideo uxores plures quàm
unã minime illis permittit spiritus apostolicus. Vt enim licuerit eo tempore Chri
stianis conuersis de Iudaismo uel gentilitate, uel per legem communem pluralita-
tas uxorum, uel ad minus toleraretur, tanquam reliquiæ cõuersationis pristinæ.
Quanquã Romanis id legibus uetaretur, unde & cum tempore abrogata est me-
rito huiusmodi uxorum pluralitas humanis legibus. Non tamen tunc quoq; spi-
ritus Christi in apostolis patiebatur in episcopo uel diacono hunc morem, maxi-
me quod in grauamen non modicum ecclesiæ cessisset tot personarum educatio,
præter notoriam incontinentiam in ministris dei & ecclesiæ. Nihil autem hic de
digamia uel trigamia præscribitur ab Apostolo: adolescens enim diaconus uel e-
tiam integræ ætatis episcopus, nusquam præcipitur prima mortua uxore, secun-
dam non ducere, ut perpetuò irremediabili molestia ureretur. Sicut nec iuuen-
culas uiduas uetabat à matrimonio, sed magis nubere illas præcipiebat Christus,
qui in Apostolo loquebatur. Et hic est eadẽ ratio, ne satanas tentet & uincat. Be-
ne autem præsint filijs, scientia, moribus, disciplina pietatis, erudiant suos filios
diaconi, ut sint speculum honestatis cæteris adolescẽtibus de ecclesia, ad morum
reformationem in toto populo. Suis quoq; domibus.) Omnem uult familiam,
ministrorum ecclesiæ quorumcunq; honestissime gubernari, eadem ratione qua
& episcopos. Id quoq; intelligendum de omnibus, qui quomodocunq; præsunt
ecclesiæ, etiam in temporalibus. Quandoquidem laicorum & clericorum distin-
ctio non legitur in apostolicis literis, sed Christianorum & gentilium. Maxime
uero hic discimus, quales in moribus sint fide & exercitio, quotquot ecclesiæ cen
sibus

sibus nutriuntur, qui scilicet in ministerium ecclesiæ necessarij sunt. Nemo enim præter ecclesiæ ministrantes, ab eadem sustentari debet, & omnino nemo otiosus, qui possit sufficere laboribus idoneis. Ex quibus enim prorsus nulla redit ecclesiæ utilitas, qui nullo sunt usui in opere sancto, à Christo & apostolis instituto, nec usui futuri sperantur, hi non sustententur ecclesiæ stipendio. Sunt autem ecclesiæ necessarij episcopi, qui scilicet uerbum dei tractant & docent. Diaconi, qui discunt & cooperãtur episcopis. Et hij scholastici, qui olim Lectores dicti, iuuentuti instituendæ præsunt. Cantus horarum canonicarum, ut nunc fit, est prorsus inutilis: possent tamen pro eo commodius institui exercitia circa canonicas scripturas utiliter tractandas. Monachi omnes laborent manibus, olim magna illorũ pars libris scribendis sese nutriebant. Hodie apta essent monasteria ad libros optimos imprimẽdos: & si insuper succisiuis horis uerbo dei utiliter insistere uellent, ut deberent, uel unum & alterum psallere Psalmum, id laudabile foret. Tantum autem temporis die noctuq; usq; ad ingens fastidium murmurare Psalmos, & nescio quæ responsoria canere, miror quis instituerit, nisi ob redimendum tempus & tædiũ orandi uel legendi. Et ne toti otiosi & inutiles ecclesijs, ecclesiasticorum bonorum uoratores iudicarentur, tandemq; illis fraudarentur: temporales quidem possessiones in hoc sæculo pauperibus dispensasse, conforme fuerit euangelio, otium autem sectari, & omnẽ cuiuslibet rei uel minimã etiam egestatem mendicitatibus assiduis studiosius resarcire, quis probet? uel non dignissime rideat, imò damnet ex scripturis canonicis & uerbo dei. Laborandũ est potius illis, eleemosynasq; dare & facere studeãt hi religiosi homines, q; requirere & mẽdicare. Crucem Christus sectatoribus suis imponit, non iners otium illud, & sine omni propria sed non aliorum solicitudine, omnium rerum necessariarum suppetentiam admirabilem, ex laboribus pauperum, & usura diuitum sectari. Hæc certe sanctus Franciscus non docuit, sed laborem manuum, pro quo reciperent uitæ sustentationem, sine affluentia, pretiositate uel curiositate, sed ut in omnibus non tam reluceret, q̃ re uera esset summa rerũ paupertas & humilitas, subiectio Christiana, & apostolica charitas ministrandi infirmis, etiã leprosis. Longe autem aliter cessit institutum boni uiri, q̃ præ se tulerat, sancto quodam spiritu instigatus, ad prædicationem suos hortabatur sancti euangelij, non solum uerbis, sed multo magis exemplis. Non tam denarios abhorruit q; auaritiam habendi, & luxum sectandi ac fastum. Inculcauit usque ad mortem suam laboritium, & humilitatem, fidem sanctæ Romanæ ecclesiæ, & euangelij prædicationem, sine omnibus exemptionibus Papisticis & philosophicis studijs, quorum sectatores iusto zelo maledixit non semel. Quid autẽ profecerit, orbis indicat, etiam si sui fratres nondum uidere uelint, qui tamen aliorũ cõparatione minus fortassis aduersant uerũ tati, & resipiunt, ni fallar, copiosius. Si quis alius ecclesiæ etiã in temporalibus necessarius minister decernendus sit, ille de ecclesia uiuat, nemo inficiabitur. Otiosorum autem prorsus nemo dignus habeatur, nec feratur. Qui non laborat, nec manducet, cæteris paribus, si scilicet laborare possit: quin & qui nesciunt, discant laborare, non pro pretio laboris reponendo, sed ad obediendum euangelio, non solum ad repellendam otiositatem, ut habet regula Minorum. Egens necessarijs nemo sinatur in ecclesia, sed æque non otiosi & ualidi mendicantes ferantur.

Qui enim bene ministrauerint, gradum bonum sibi acquirẽt, & mul- 13
tam fiduciam in fide, quæ est in Christo Iesu.

Diaconi alicuius ecclesiæ si ministerij sui functionem laudabiliter cum probi

tate, ac fideliter absoluunt, nõ solum laudem, sed & gradum sibi meliorem acquirent. Erunt proculdubio idonei ad succedendum episcopo, si non ei cuius diaconi sunt, transferentur saltem, eligendi in aliam ecclesiam. Vel ex cooperatoribus fient fortassis coepiscopi, uel in una ciuitate pro multitudine populi episcopi, id est parochi plures constituentur. Assequetur apud uniuersam Christi fidelium congregationem authoritatem magnam, multamq; fiduciam fideles collocabunt in eum, pro insigni fide, dexteritate, diligentia & uigilantia, qua in sua familia uidebitur sedulus. Libertatem ex hoc sibi permittendam ab episcopo acquiret, ut omnia uel saltem multa pro suo arbitratu sinatur agere, toties repertus integer & fidelis in Christi obsequio, ut nemo sibi fidem agendorum abrogare possit.

14 Hæc tibi scribo fili Timothee, sperans me uenire ad te cito.

Ex Laodicia scribebat Ephesum, nuper institutum ibidem eum episcopum consolando & confortando, ut sciret ad id tẽporis magis necessaria scitu, suo tempore personaliter de omnibus coram edocturus, quæ circa episcopi & diaconorum officia essent ordinanda in ecclesia.

15 Si autem tardauero ut scias quomodo oporteat te in domo dei conuersari.

Domus dei non templum intelligatur marmoreum, in quo cum thuribulo & cereis circumcursare debeat de ara ad aram, & pontificalia exercere muta uel canora: non est enim pontificale illud ceremoniarum ex traditione apostolica, sed ut patet collatione uetustorum pontificalium, secũdum tempus semper auctum, quasi timuerint pontifices redargui, si non multa in domo dei agenda curarent, quo minus unum illud necessarium, uerbi dei prædicatio, & canonicarum scripturarum enarratio et inculcatio, ab illis indoctis hominibus exigeretur. Hæc enim, ut probe Moria Erasmi admonuit, reijcienda erant in monachos otiosos, donec & ipsi Suffraganei crearentur. Domus dei est quælibet fidelium cõgregatio, Christo synceriter credentium, & uerbum dei toto pectore complectentium, & per opera fidei proficientium semper. Inter quos, non super quos, conuersatur episcopus apostolicus, eos docendo & instituendo in fide Christi, in doctrina sana & catholica.

16 Quæ est ecclesia dei uiui, columna & firmamentum ueritatis.

Domus illa dei in qua te ceu ministrum & superintendentem dominus constituit, omnis uidelicet fidelium congregatio: non tantum Ephesina, sed ubiq; eodem spiritu congregata sanctorum multitudo. Ipsa est ecclesia, quam deus condidit, gubernat, conseruat, ac docet spiritu oris sui, uerbo dei. Non enim per se, sed in Christo subsistit ac durat. Basisq; est & sedes ueritatis, colitur em̃ in ea & agnoscitur unus uerus solus & uiuus deus. Cum omnes aliæ ecclesiæ & hominũ congregationes, deos falsos & nihili colant sua idola. Iudæi quoq; à ueritate dei, quæ est per Christũ Iesum, aberrauerunt, & excæcati sunt, ac ceciderũt. Nostræ aũt ecclesiæ doctrina & fides fundamentum est, basis & columna immobilis & semper mansuræ ueritatis. Ipsi enim errauerunt & ceciderunt, nos autem surreximus & erecti sumus, credẽtes in Christum dominum, & deum uiuum ac uerum, qui est uia, ueritas & uita: illam quoq; ueritatem firmissime credimus, prædicamus, tenemus, & usq; ad mortem defendimus.

17 Et manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, & iustificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus,

gentibus, creditum est mundo, assumptum est in gloria.

Quanquam priora intelligi possint, ut diximus, de ecclesia & columna. Simplicior tamen, et æque indubius sensus uidetur esse, et plane insignis, si sic literam ordinemus, ut quod præscriptum est, de columna & firmamento ueritatis, referatur ad ea quæ illico sequuntur: ut sit is sensus, sic literam cõstruendo: Vt scias, inquam, quomodo te oporteat conuersari in ecclesia illa tibi commissa. Columna autem & firmamentum ueritatis, & manifeste magnum, quod scilicet citra omnem controuersiam magnum est pietatis sacramentum, hoc est, quod nunc tibi paucis prodam. Quasi dicat: Totius Christianæ doctrinæ & catholicæ ueritatis columna, cui innititur, & firmamentum cui insistit, & mysterium summum pietatis & fidei: hoc unicum est, quod & in ecclesia prædices, fidei esse summam ac basim. Deus manifestatus est in carne: uel si in neutro genere interpreteris, mysterium pietatis diuinæ in Christo nobis exhibitum est, hoc pacto. Cum olim multiphariam multisq; modis apparuisset dominus deus, uel uerbum dei, illi consubstantiale & coæternum, in forma angelica, specie humana, rubo igneo, spiritu, facibus et nube, &c. nouissime diebus istis nouissimis uel proximis loquutus est nobis in carne humana, assumpta in unitatem personæ, sine commixtione naturarum, uel mutatiõe, in qua assumpta humana natura à uerbo, manifestauit se deus uerbum mundo, incarnationem suam miraculose perficiens, & habitu inuentus ut homo sermo dei, in Christo domino, ut inuisibilis deus, hominibus uisibilis apparens, cum hominibus conuersaretur in terra, carne protoplastis indutus, & habitu inuentus ut homo. Iustificatus in spiritu.) Per spiritum sanctum datum homínibus, iustus deus apparuit, fide & gratia, per uerbum suum iustificãs electos, qui in spiritu sancto uoluit omnes peccatores iustificari, quos omnes reos in primo parente damnauerat, hos in Christo per spiritum sanctum iustificat, & ipse iustus innotescit ac pius, qui seuerus prius iudicabatur & durus, ut scilicet iustificetur in sermonibus, & uincat, cum nostro carnali sensu iudicatur iniustus. Apparuit angelis.) Dei gratia, mysterium pietatis, ipsum euangelium gratiæ diuinæ ad homines, à sæculis magna ex parte ignotum angelis, per Christum hoc tempore innotuit principatibus ac potestatibus in cœlestibus, qui hactenus ignorauerunt tantam dei ad humanum genus pietatem, & in Christi mysterio didicerunt, quæ prius abscondita illis erant & incognita. Quæ nunc per euangelij prædicationem, & per ecclesiã, angelis quoq; clarior innotuit, Ephes. 3. Prædicatum est gentibus.) Omnibus populis, gentibus ac linguis hoc pietatis mysteriũ, & euangelium regni prædicatum est, delata est hæc stupenda dei gratia omnibus hominibus, nemine excluso. Christus saluator datus est benedictio omnibus gentibus, pignus & arra salutis, non solũ Iudæis, sed & gentibus cœpit per apostolos prædicari hoc euangelium salutis: & prædicatum est nec solum per apostolos & apostolicos uiros, sed & Creditum est mundo.) Non solum Iudæis, sed uniuerso ornabi, contra carnem contranitentem & sanguinem, cui hoc mysterium non reuelatur, nisi à patre cœlesti, qui trahit ad se per Christum quos elegit, & donat fide, quos iustificare decreuit per fidem in Christo. Assumptum est in gloria.) Glorificatum est, & collaudatum ubiq;, & diffusum in omnem terram: & post agnitum mysterium etiam glorificatum est, Christo ascendente in cœlum, & ad dexteram sedente, & euangelium mundo illucescente cum gloria, qua omnis mundana potentia, sapientia & iustitia oppressa iacet, ut illud solum & unicum glorioſum sit in cœlo & in terra. Hoc fidei tantum mysteriũ, & pietatis diuinæ sacramentum, sedes & basis est omnis ueritatis, columna & fundamentum, cui innititur omne

quod scimus, credimus, operamur, & speramus. Hoc si quis credat, ueneretur, & amplectat, iustus est & perfectus Christi seruus & Christianus. Hanc, inquam, summam doctrinæ euangelicæ, scias, teneas, doceas, & studeas inculcare, Christianæ scilicet fidei breuissimos articulos, Deum scilicet incarnatum, uel in carne humana manifestatū, per spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba pater, in fide omnia iustificata, non lege carnalis literæ uel scripturæ. Angelis etiam admirabilem, quos non apprehendit, sed semen Abrahæ, collatam scilicet hominibus tantam dei gratiā, quæ post factū illis innotuit, uel dum fieri primū cœpit. Quod euangeliū Christi, & reconciliatio tam perfecta, prędicata est gentibus omnibus. Mundo quoq; creditum est, domino miserāte, & hac credulitate ac fide iustitiam omnibus largiente. Assumptum quoq; est hoc pietatis euangeliū uel beneficium in gloriam dei, & patriarcharum sanctorum, qua nemo fraudetur fidelis in cœlo, & toto orbe terrarum. Tale aliquid & prius æque breuibus descripsit Apostolus, cum diceret, Vnus deus, unus etiam cōciliator dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum pro nobis pretium redemptionis pro omnibus. Hæc, inquam, est columna fidei, & euangeliū regni: præter hæc alia non sunt quærenda, non docenda, non imponēda fidelibus, ut necessario credātur. Si quis his conuenientiora uel consequentiora potest, abundet is suo in spiritu.

CAPVT IIII.

1 SPiritus autem manifeste dicit, Quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide.

Spiritus Christi, qui in discipulis adhuc manet acceptus, uel in die pentecostes, uel in impositione apostolicarum manuum, per quem & futura præ nouerunt, ac prophetāt de Antichristis, qui à Christo abstrahunt, & à fiducia in redemptore nostro nobis donata, is spiritus dei reuelauit prophetiam de futuris temporibus, post hæc nostra tempora esse futurum, ut parum curaturi sint homines solo nomine Christiani, de fide in Christum, non agnoscent mysteriū diuinæ pietatis illius, putabūt se non tantum in Christi spiritu iustificatos per fidem. Nec erit gloriosum apud eos, quod deus euangelium gratiæ suæ uniuersalis transmiserit illis, omnibus scilicet electis: sed in operibus potius legis iustificari uolent, si non legem Mosis solam, sed & plus q̄ Mosaicæ legis præcepta seruanda proponant, imò & contraria. Cum Christus fidem in deum & perfectam fiduciam docuerit esse medium & instrumentum ueræ iustificationis, non ex operibus, quæ nihil ualeant ad ueram pietatem. Docturi sunt enim obseruantiam in delectu ciborum, temporum, uestium, locorum, uotorum, meritorum, cœlibatus, inuocationes quoq; sanctorum mortuorum, opera etiam ieiuniorum, peregrinationum laborumq; multorū & Missarum, quibus in rebus iustitiam collocantes, gratiam dei per Christum minus attendent, uel appretiabuntur. Posteriora tempora melius dicerentur q̄ nouissima, ne quis putet in fine mundi hæc olim futura, quum etiam apostolorum tempore, & deinde semper pseudapostoli & sophistæ superstitiosiq; ac hæretici hæc crediderint, seruauerint & docuerint. Desciscere autem à fide intelligitur, non à fide unius dei, sed à Christianismo, à uerbo dei, ab agnitione salutis, per Christum nobis paratæ, & à libertate spiritus filiorum dei, à cultu dei, quo uere dñs uult coli, in spiritu, fide, spe & charitate, uereq; sanctis operib.

2 Attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium conscientiam.

Cum ecclesiastici tam doctores q̄ auditores ipsissimo dei uerbo, & Christi doctrinæ,

ctrinæ, quæ ueritas est, adhærere deberẽt, ipsi erroris spiritui & humanæ præsum
ptionis superstitiosis traditionibus attendunt. Quicquid enim à uia exorbitat, er-
roneum est. Spiritus autem Christi uia est, cuius uitam, mores & uerba æmulan-
tes, nõ errabimus unquam. Si quid præter illius doctrinam & exempla unquam
uel à quocũq; tentabitur, sine dubio abducet à uera pietate ad morem gentilium
impiorum, uel Iudæorum nimiam superstitionem. Doctrinis dæmoniorum) ait.
Dæmones legimus docuisse primum quidem, ut uerbo dei Eua non crederet, sed
inuerteret sensum, augeret ac minueret, suo proprio sensu abundaret, præter dei
præscriptum sciret & ageret. Docuit idololatrarum morem, sacrificia, cultum &
cœlibatum, uestales uirgines, eunuchos suos, & gallos parauit, consultationes di
uinorum, & cætera huiusmodi. Christo quoq; suadere tentabat de cibo, de arro-
gantia, de superstitione, & idololatria. Mendacium in ore falsorum propheta-
rum, obstrepere ueris prophetis, ad uere sancta opera prouocãtibus. Excelsorum
& ararum multitudinem, perpetua uota deuotorũ uarijs idolis, út is Marti, alius
Veneri, Mercurio & Dianæ, proprijs quibusuis ceremonijs, & legitimis deseruí
tent, secũdum loca, tempora, ac personas. Tales omnes doctrinæ sunt dæmonia-
cæ & pernicioſæ, deoq; odibiles, & cõtrariæ fidei in deum per Christum. Diuinæ
autem & sacrosanctæ sunt, discere mititatem, humilitatem, fidem, spem, charita-
tem, modestiam, tolerantiam, beneficentiam in amicos & hostes, uincere in bono
malum, &c. Quicquid his obuiat, dæmoniacum sit necesse est & spirituum men
dacium. Loquentium mendacium per simulationem.) Qui religiosiores uideri
uolunt, excogitantes de proprio doctrinas, & regulas uiuendi speciales, quasi
Christus insufficienter docuerit, & cum apostolis non satis religiose & sancte uí-
xerit, ut præter euangelicam traditionem, alia quædã illis ordinanda & instituen
da commiserit, cum ea tales superstitiosi de suo corde cõfinxerint, foris uolentes
uideri sanctiores, cum fuerint intra conscietiam repleti spurcitijs, hypocritarum
more, qui plura ostentare uolunt sanctitatis indicia, q̃ iusserit Christus: interim
necessaria obmittentes quæ mandauit Christus, docẽtes, non litigare uerbis, nec
alios iudicare, esse mites, pacificos, modestos, mãsuetos, & humiles, & similia con
silia esse euangelica, non necessario obseruanda, sed nudis pedibus uel scissis in-
cedere calceis, sextis feriis ieiunare suo modo, pecuniam non tangere, pro defun
ctis orare, & similia, docẽt esse necessaria ad salutem suis professoribus. Sic enim
summi põtifices Romani, Gregorius nonus, Nicolaus tertius, & Martinus quin
tus declarant ac docent. Ad consilia euangelica obseruãda Franciscanos non ob
ligari, nisi in ipsorum regula præceptorie uel inhibitorie, seu sub uerbis æquipol-
lentibus sint expressa, ut patet in Decretali, Exijt qui seminat, libro sexto. Simili-
ter Clemens in Decretali, Exiui de paradiso. Consentientibus in his & similibus
quatuor magistris Parisiensibus, &c. Similia & maiora confinxerunt sibi alij su-
perstitiosi circa esum carniũ. Sed de potu uini nihil uspiam legitur modificatum
uel inhibitum. Cum itaq; obmittant quæ Christus docuit & præcepit, superero-
gationis tamen consilia sibi præfigunt, quæ tamen nec ipsa complent. Vnice ha-
ctenus studuerunt perpetuò constitutiones figere & refigere, de euangelica au-
tem perfectione nihil prorsus dignum sentire, uel etiam perficere. Et cauteria-
tam habentes conscientiam.) Conscij sibi sunt huiusmodi doctores, quod quæ a-
lios docent facere, ipsi non possunt uel nolunt, uel necessaria esse non iudicant,
quantumlibet alijs perficienda iniungant quæ Christus non docuit. Ea tantũ ra-
tione introducentes plurima, supra præter uel contra Christi doctrinã, ut aliquid
emungatur, ut territi uel angustiati in conscientijs, promptius ad uota obediant,

magis prælatos honorent, & ut ſanctuli uideantur, fingentes ſe agere quod alios docent uel præcipiunt. Omnibus his modis conſcientia talium cauteriata deprehenditur, iudicio autem percutientis ſeruí, & mactantis in abſentia domini conſeruos ſuos, duriſſime iudicabũtur, ut portio eorũ futura ſit cum infidelibus, &c.

3 Prohibentium nubere, abſtinere à cibis, quos deus creauit ad percipiendum cum gratiarumactione fidelibus, & his qui cognouerunt ueritatem, quia omnis creatura dei bona eſt, & nihil reijciendũ, quod cum gratiarumactione percipitur, ſanctificatur enim per uerbũ dei & orationem.

Quid illi dæmoniaci prædicatores, & cauteriata conſcientia doceant per ordinem deſignat. Primo enim docuerunt non quidem ut nemo matrimonium ſuſcipiat, hoc enim fieri non potuiſſet, & contra totam ſacram ſcripturam. Nec docent peccatum eſſe, omnibus coniugem habere, ſed tantum religioſioribus Chriſtianis, quibus eatenus cœlibatum perſuaſerunt, ut perpetuò ſeruandum uouerent, quaſi rem turpem matrimonium habentes, & indignam tractantibus cætera ſacramenta, quaſi ſanctum ſanctiori couti non poſſit, quaſi ſacerdos ſine peccato magno coniugem habere non poſſit. Huius doctrinæ fundamentum cum nullum ſit in ſacra ſcriptura, cumq; multorum malorũ cauſa ſit, ut miſera docuit experiẽtia, & contra Chriſti & apoſtolorum doctrinas, merito dicitur diabolica. Cum nubere in domino, deus, natura, ſcriptura, uſus, neceſſitas, & honeſtas omnia approbent, tanquam ſanctum, & deo placitum, nullis prohibitũ: neq; aliquibus non neceſſariũ, niſi ſpecialiſſima & rara gratia ſpiritus præuenientis, ut nonnullis pater & patrator cauſaq; eſſe potuit. Quod & apoſtolus Paulus manifeſte ſcituit, docuit, ſcripſit, ut anathema ſit, qui cõtrarium docet. Abſtinere à cibis &c.) A crapula abſtinere & ebrietate, non onerare corpus & ſpiritũ, non reddere imbecillum ad neceſſarias ac utiles functiones deus præcepit. Iudæis denicq; genera ciborum quædam prohibuit pro tempore legis Moſaicæ, cum reliquis obſeruandæ, ad pacificam cohabitationẽ, ad abominationes cauendas, ad præueniendum aduerſam corporum ualetudinem, quę alioquí non proficiunt omnibus complexionibus: nec enim omnia ideo uiuunt, ut homini ſint in cibum, ſed etiam quædam data ſunt in remedium. Quædam cibus ordinata ſunt eorum animaliũ, quæ homini data ſunt in eſcam: quædam nauſeam naturalem adferunt de genere carnium: Quædam ob idololatrarum ſuperſtitionem, quàm remotiſſime abeſſe ſuis uoluit deus cultoribus, & ſerioſe prohibuit. Nunc autem in nouo teſtamento ſpiritus ſanctus reuelauit, & Chriſtus docuit, omnia munda mundis: nihil quod intrat in os, coinquinat hominem. Cibi itaq; non inſani, & nauſeam non annexam, de ſe immundi non ſunt, ſi cum gratiarumactione accipiuntur, deoq; donante in eſcas hominibus, omnes comedi poſſunt, nemine prohibente. Sitamen ad corporis caſtigationem, & ad tuendam ualetudinem, ſectandamq; parſimoniam quiſquam ſine ſuperſtitione libere abſtineat, tanquam ob nauſeam uel medicinam, non quidem peccabit. Tantum ne immundum reputet & illicitum, uel coronæ alicuius meritum arroget ſibi, uel ſperet huiuſmodi abſtinentia. Non enim refert quid uel quando comederis, ſed quantum. Poſſumus abſtinentiam ſectari non ſolum in piſcibus uel leguminibus, ſed etiam in carnibus: poteſt leguminum eſca peccari, poteſt omnis generis caro licite manducari ſi libeat, cum ſobrietate & temperãtia. Quicquid comedimus, cum gratiarumactione manducemus.

Agnoſcentes

Agnoscentes largitorem omnium bonorum, qui omnia nobis in usum bonũ contulit, si non ad libidinem & superfluitatem utamur, & contra mandatum suum. A principio enim herbas concessit, post diluuium carnes addidit, sanguinem negauit, postea animalia quædam immunda prohibuit, per Christum autem omnia mundauit, comessationem quancunq; prohibuit, ac regnum dei dixit non escam & potum, sed fidem & charitatem. Quod addit, Fidelibus, & his qui cognouerunt ueritatem, contra Iudæos & Iudaizantes non solum loquitur, quorum iam hæresis ut nota damnabatur, sed contra futuros prædicatores, qui docturi essent aliquos cibos esse malos, religiosiusq; esse uno cibo uesci q̃ alio: deum placari esu huius cibi, non alterius: offendi illum mortaliter, hoc tempore comedenti hunc cibum, alio tempore non sic. Introducturi quoq; uota contra huiusmodi escas, tanquam cultum dei, & deo grata, ueluti domino placeret magis huius cibi esus q̃ alterius. Quanquã uero unum cibi genus magis impediat ingeniũ, & sacras mediationes uel eruditas q̃ aliud, nullus tamen cibus id facit, nisi immodice sumptus, id quod iure diuino uetat̃ de omnibus cibis. Sunt igitur omnes tales doctrinæ falsæ, contra deum, adinuentiones humanæ, & dæmoniorum. Omnis autem cibus & semper & omnibus bonus est, si cum gratiarumactione ad naturæ sustentationem, habita ratione ualetudinis, sumatur. Omnis autem cibus semper malus decernitur, si nimius & ad libidinem capiatur, ut uotum de hoc uel alio cibo perpetuum, uel ad regulare tempus, assumi non debeat. Non est ut abstinentia uoueatur, quæ semper est necessaria, ut semper illicita est superfluitas. Nec deo placere potest, ut necessarijs naturæ detrahatur, ad legitimas functiones impediẽdas: obligamur semper & omnes ad moderatum usum cibi, & omnium bonorum temporalium. Non oportet uouere uel abnegare, quod per uerbum dei nobis prohibitum alioqui scimus, quodq; dei uoluntati resistit. Nunquã autem cibus sumendus est sine gratiarumactione. Christus cum discipulis hymnum dixit & laudes post cibum sumptum, & exactam cœnam. Si quid immundum uel insanum in cibo sobrie sumpto fuisset, oratione & uerbo dei audito & credito, sanctificat̃, fitq; remediabile ac innoxium: scienter tamen & temere cibum sumens pernicioſum, & aduersum bonæ ualetudini, peccato non caret. Non est deus tentandus. Non omnia omnibus conueniunt. Sed eo modo sacræ literæ non loquuntur. Denicq; non omnibus est omnis creatura bona, nec omnibus sanctificatur cibus per uerbum dei & orationem, sed tantum fidelibus, his scilicet qui cognouerunt ueritatem: ignorans enim omnem creaturam esse bonam, & in conscientia sua iudicãs malam, & non abstinens tamen ab ea, peccat, agens contra fidem. Nemo igitur contra conscientiam instigãdus ad cibum, sed prius instruendus est, ut fidelis ueritatem agnoscat. Imò & cauendum est à talium scãdalo, si ex infirmitate, & non ex contemptu aut temeritate credere nondum possint, ut non est in libero hominum arbitrio credere quicquid uelit. Si enim esca scandalizat fratrem, non manducabo carnes &c.

Hæc proponens fratribus, bonus eris minister Christi Iesu, enutritus 4
uerbis fidei & bonæ doctrinæ, quam assequutus es.

Bonus minister Christi est & ecclesiæ, qui bona & bene prædicat, nutritus in uerbis fidei, bonæq; doctrinæ. Verbum autem fidei euangelium est, & quicquid in tota sacra scriptura & canonica continetur. Quæ nos docet fidere, sperare & amare deum, Christum prædicat, uel futurum uel exhibitum, in quem credere iustitia fidei sit. Bona itaq; doctrina est, quicquid ex sacris scripturis credendũ, spe-

randum ac operandum docetur, & in ipsius sanam ac claram intelligentiam diti
git. Non illę gentilium tantum literæ, quæ abusiuo nomine bonæ literæ æstiman
tur, quæ nec bonum reddunt, nec ad bonitatem instituunt. Hæc autem doctrina
de cibis non dijudicandis, & generaliter bonis, fratribus proponenda iubetur, fi
delibus scilicet, ut primo fratres sint, fideles sint, credãt Christũ legis perfectionẽ,
tunc eñ & non prius erudiri poterunt de cessatione legaliũ per euangeliũ. Non
enim Iudæis cessant legalia seruanda, nisi credant in Christum: alioqui stante in
fidelitate, magis peccabunt legem negligendo contra suam conscientiam, quam
exuere non possunt uel uolunt. Sunt ergo primum de Christo docendi, postea de
gratia & fide, sic tandem de libertate Christiana. Hoc ordine omnes superstitioſi
docendi sunt, ut non ficte sese credere iactent. Bonus igitur minister est, qui bona
& uera, iusto & apto ordine prædicat, ad capacitatem & fructum fidei plantan
dæ. Malus autem minister erit, qui nondum assequutus est doctrinam fidei & pi
etatis, qui nõ est nutritus in uerbo dei, quantũlibet totam philosophiam & om
nes linguas, ac alioqui plurima edoctus. Qui non Christi Iesu, sed suam gloriam
& utilitatem sectatur, qui quærit quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi. Qui docet
non nubẽdum, qui suadet fouendam perpetuam castitatem, quod in uerbis fidei
nusquam continetur: qui delectum ciborum magnifacit, cæterasq; ceremonias
necessario implendas iniungit, à Christo non institutas: qui fidei simplicis uerba
non docet: qui proijcit margaritas ante porcos sciẽter. Hi tales mali ministri non
sunt audiendi. Quam, ait, assequutus es.) Quam à me didicisti, non nouum ali
quid comminiscens, non nouas quæstiones inquirens, non noua mandata pro
ponens, sed quæ à me didicisti, uerba fidei, hæc diligenter fratribus, hoc est pijs
hominibus inculca. Non enim uel ipse Paulus audebat docere quicquam, quod
non in se docuisset uel reuelasset Christi spiritus. Nostri autem non sic agunt. Bre
uiter, euangelij particula recitata uel prælecta, statim sua commenta ad longum
ingerunt, nisi quod nunc dei gratia tales cum tædio audiri incipiunt à fratribus,
qui semel gustare inceperunt doctrinam fidei.

5 Ineptas autem & aniles fabulas deuita. Exerce autem teipsum ad pie
tatem, nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad
omnia utilis est, promissionem habens uitæ quæ nunc est, & futuræ.

Didicerat à Iudæa matre sua Timotheus multas fabulas, quæ & adhuc extãt
apud Iudæos, quas & modo narrant filijs, præter ea quæ nunc quoq; cabala alia
qui dici uolunt, & pueris ac puellis legenda permittunt. Sicut & nos sanctorum
legendas quasdam & apocrypha. Vult autem Paulus nihil horum in ecclesia pu
blice prædicari, sed tantũ uerba fidei, & sacras canonicas scripturas, populumq;
dei certissima ueritate, non dubijs fabulis imbui. Non sunt pueris nudæ & nõ ex
plicatæ poetarum fabulæ proponendæ, etiam Latinitatis discendæ prætextu, sed
fidei & honestatis fomenta ac disciplinæ. Multo minus in ecclesia prædicandum
aliquid est, nisi canonicũ, probatum ac certũ. Exercitiũ pietatis est in uero dei cul
tu. Is aũt uere deũ colit, qui fide & charitate ferẽ totus in deũ, & ex ea fide ferẽ in
omnia charitatis officia proximo impendenda. Is deum colit, qui dei mãdatis ob
sequitur, uerbum dei reueretur in conscientia, & cõprobat cõuersatione religio
sa. Non qui sæpe & multum uersatur in humanis quibuscunq; traditionibus, sed
qui deum & proximũ diligit. Hæc uera est pietas, hic uerus ac legitimus dei cul
tus, hæc religio Christiana. In his se exerceat episcopus suamq; ecclesiam, disce
do sacra, atq; docendo uerbo & exemplis. Non in cantibus assiduis, spiritu scili
cet

cet & ſono uel organis: non ceremonijs, ueſtibus, ornatibus, deo ſe placere arbi-
tretur, ſed in pietate. Si ſcilicet plenus fide, & ſacrarum literarum peritia ſpiritua
li, inſtruat populum. Si ſolicite incũbat, ne quis eccleſiaſticus erret in fide & mo-
ribus, ne quis inuidiam ſeruãs, charitatem lædat in eccleſia, nemo proximum in
aliquo circumueniat, uel incommodet uerbo uel facto, nemo egeat neceſſario ui
ctu & amictu. Hæc ſunt pietatis officia uere apoſtolica, ad oñia ualidæ, iſtæ obla
tiones domino placentes, his ſacrificijs promeretur deus. Hic cultus dei uere reli
gioſus, & uita Chriſtiana, digna eccleſiæ, & neceſſaria in primis epiſcopo. Corpo
ralem autem exercitationem ad modicum utilem, uult apoſtolus, caſtitatem tan-
tum carnis, & uirginitatem corporis, ieiunium à cibo ſtatis temporibus, & Iudai
co more ſuperſtitioſas uigilias, peregrinationes, & cantus, precularũ numerum
& ordinem: quæ tamen in caſu prodeſſe, nonnunquam poſſunt obeſſe, ut & alia
multa. Pietas autem, de qua diximus, grata deo eſt & hominibus ſacra, prodeſt
nobis ac proximo, non eſt inanis & infructuoſa. Quicquid autem in gloriam dei
& proximi utilitatem referri non poteſt, uanum eſt, & exercitatio corporalis di-
citur, non ſpiritualis. Promiſſionem huius uitæ habet, Quia eadem menſura qua
menſi fuerimus, remetietur nobis. De operibus miſericordiæ in extremo iudicio
laudabimur, & præmia reportabimus. Fides in Chriſto hic nos beatos reddit, &
in futuro. Charitas proximi impletio eſt totius legis, quæ omnino non præiudica
re debet charitati. Nec exercitatio corporis ceremonialis quæcunq;, nec uotum
nec promiſſum uero diuino cultui præferri debet nec præiudicare.

Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus. In hoc enim laboramus, 6
& maledicimur, quia ſperamus in deum uiuum, qui eſt ſaluator omnium
hominum, maxime fidelium.

Attentum uult Paulus Timotheum ſuum, & omnem epiſcopum, ut certo ſi-
bi credat, utq; doctrinam ueriſſimam amplectatur, non cunctetur ſi uideat alios
aduerſa docentes & agentes, uerosq; apoſtolos & uerum euangelium hoſtiliter
perſequentes factis ac uerbis. Quanquam uero ad horam periclitari & laborare
uideantur propter ueritatem, quia tamen ſperant in dominũ tota fiducia, omnia
moderantem, & omnes ſibi credẽtes ſaluantem, qui deus uiuus eſt, non idolum,
non ignarus, non inuidus, non tyrannus: ideo & nos qui fideles ſumus, ſine du-
bio, ſuo non deſtituemur auxilio, nec ueritas per nos prædicata ſuccũbet aliquan
do, ſed triumphabit, & nos cum illa in gloriam dei, qui omnium ſaluator eſt, ma-
xime fidelium. Eſt autem peculiare uerbum Apoſtolo, aliquid aſſeuerare uolen-
ti, ut dicat, Fidelis ſermo, ne ab aliquo uel hæſitetur uel negligatur, ut inutile uel
caſu dictum. Vult autem intelligi euangelium quod prædicauerat Epheſijs, &
edocuerat Timotheũ, propter quod ſine intermiſſione multa patiebatur incom-
moda. In hoc, ait, & laboramus & maledicimur. Propter hoc euangelium multa
paſſi ſumus, & adhuc patimur continuo, tanquam falſi doctores, ſubuerſores ue
ritatis, pſeudapoſtoli & apoſtatæ à lege paternarum traditionum, multa quoque
mala de nobis loquuntur, & imprecantur, in tantum ut etiam nobis id uitio de-
tur & crimini, quod auſi ſimus tales deceptores & falſi doctores & ſubuerſores
uerborum dei, ſecundum ipſorum iudicium, adhuc tamen ſperare in deum ui-
uum, cuius ipſi nos blaſphematores uideamur. Ipſe autem dominus deus noſter,
cui ſeruimus, cui obedimus in prædicatione euangelij, in quem confidimus, cui
nos totos credidimus: ipſe ſaluator eſt omnium hominum. Pro omnibus quidem
ſolicitus eſt, omnes ſuas creaturas diligit, filiũ ſuum ex amore maximo pro omni

bus tradidit, Solem suum super omnes diffundit, salutis consilia & remedia nemi ni negat, citra cõdignum punit, omnes uult saluari, uocauit omnes, sese omnibus tradidit, uiam salutis aperuit omnibus: maxime autem fidelitũ toto corde sibi credentium, in se fiduciam omnem collocantium, qui uerbis suis credunt, qui dominicis præceptis acquiescunt, uoluntatẽ illius faciunt. Si quando deficiant ac peccent, statim fideliter pœnitent. Non pœnitentes ex animo, dolent se non pœnitere quantum uellent ac deberent. Orant pro peccatis suis dominum in nomine Christi, cuius iustitia & meritis saluari confidunt, de propriis meritis & iustitijs desperant. Hij tales fideles proculdubio sunt, & domino habentur: horum certissimus saluator deus est, qui per Christum saluat fideles, tanquam filios & intimos amicos, quos dissimulare non possit.

7 Præcipe hæc, & doce. Nemo adolescentiam tuam contemnat, sed exemplum esto fidelium in omni uerbo & conuersatione, in charitate, in fide, in castitate.

Hæc, inquit, præcipe, Confidentiam scilicet in deum, in omni labore & persecutione; pietatem ueram seruandam præ omnibus, nihil præter scripturã docendum, fabulis non attendendum, matrimonium non interdicendum, cibos nõ respuendos, ut animæ damnosos, &c. Similiter quæ de Christo docenda præscripsi breuibus. Hæc, inquam, præcipe ac doce, non traditiones humanas ac doctrinas externas. Nemo adolescentiam tuam contemnat.) Aetas senectutis uita immaculata. Deus mentes magis comprobat q̃ ætates, non tanquam inexpertus spiritualium loquaris, non adolescẽtium more agas & doceas, licet adolescens sis. Factis ostende doctrina & moribus, ut adolescentia tua promereatur senectutis honores. Quodq̃ adolescentia detrahere uidetur authoritati, hoc morum & doctrinæ maturitati accedat; ideo per authoritatẽ officij tui præcipias & doceas, ut non humana, sed ex spiritu proueniens doctrina credatur, ut non ob adolescentiam spernatur doctrina, sed ob maturitatem & soliditatem doctrinæ adolescentia ueneretur, ut à nemine sperni possit. Sed esto exemplum fidelium, &c. Hoc tandem est utiliter præcipere & docere, si prior feceris, si exemplar honestatis in uerbo & conuersatione præstiteris, si uerba factis comprobaueris, si uita non doctrinam condemnet, sed persuadeat; non enim uerba sufficient, cum cœperit Christus facere & docere. Exemplar autem sit primo in sermone, ut nihil præter scripturas sacras doceat, & solidam doctrinam, semper de honestis loquatur, obloquaturq̃ nemini, omnia mitius interpretetur ambigua, increpet detractores, sit apud eum, Est est, Non non. Deinde in conuersatione, ut humiliter, mãsuete, pudice, sobrie, & amanter ad omnes sese sine hypocrisi exhibeat, paratus omnium cõmodis promouendis, solicitus de necessitate proximi, magis q̃ propria corporali ac spirituali. Præterea in dilectione, charitate scilicet dei & proximi propter deũ, ut nedum uerbo & opere, sed corde quoq̃ & animo faueat synceriter, non ob commodum priuatum, etiam inimicis, externis, immeritis, ingratis, ut emendentur & proficiant. In fide) quoq̃ addit. Vt totus ex deo pendeat, sese totum deo committat; omnia quæ eueniunt, deo accepta referat, non dubitet de gratia & clementia dei, Christi beneficia credat, ac iugiter meditetur. Dei gloriam quærat in omnibus, uerbis dei assistat, credat, discat, doceat. Defendat ueritatem fidei catholicæ & sacræ scripturæ, non ferat infideles. Tandem castitatem uel puritatem addit. Fides enim Christiana cor mundum creat, uerba spurca non patitur, opera turpia ex animo exhorrescit, nihil mixtum, uarium, impurum, duplex & insyncerum admittit;

mittit: omnia autem sint simplicia, dextra, certa & pura quæ agit & loquitur. Castitatis uirtute libido regatur, & minime regat corpus uel animum.

Dum uenio attende lectioni, exhortationi & doctrinæ. 8

Non otiosus semper expectes aduentum meum, noli mihi perficienda absenti & uenturo reseruare, quæ tu præstare poteris: interim lectioni institues scripturarum sacrarum, unde possis & subditis proficere. Non manibus uerses nisi sacros codices, non mundanarum uanitatum dogmata, non philosophos doceas, sed legem & prophetas ac Psalmos, id est canonem scripturæ ueteris. Euangelia enim eo tempore apostolorum prædicationibus discebantur, donec describerentur & euulgarentur per discipulos. Hæc, inquam, tunc legebãtur ab apostolorum discipulis, non fabulæ gentilium uel Iudæorum. Non autem simplicem lectionem indicit, sed ad intellectum, sensum, profectum & fidem, ne tempus perdatur. Non ut hactenus horæ canonicæ lectæ sunt pro more & præcepto, sed ut primi illi patres ad minus in anno, totas sibi scripturas prælegebãt. Quibus successores commentaria adscripserunt & annotationes: quæ si extarent, superflua haberentur quæ hodie conscribuntur. Vnde & Romanæ ecclesiæ cõsuetudo inoleuit, ut clerici & episcopi certis temporibus libros legere debeant, ueteris & noui testamenti, iuxta dispositionem Gelasij Papæ, ut habetur in Decretis, distinct. 15. Canone, qui incipit, Sancta Romana ecclesia. Idq; nominant Ecclesiasticum officium, sic per anni ciculum digestum, ut Pentateuchum legant à Septuagesima, per septem scilicet hebdomadas septem libros, quinq; Mosis, cum Iosue & Iudicum. Deinde per quindenam Ieremiam usq; ad Pascha, cuius diebus Homeliæ sanctorum leguntur, & euangelia festi. Deinde usq; ad Pentecosten Apocalypsim, Acta canonicæq; epistolæ. Deinde usq; ad calendas Augusti, libros Regum & Paralipomenon. Per Augustum Salomonis libros. In Septembri Iob, Tobiam, Hester & Esdram legi ordinãtur. In Octobri autem Machabæorum libri. In Nouembri, Ezechiel, Daniel, & minores prophetæ legendi. Tandem in Decembri, Isaias. Post natalem domini, epistolæ Paulinæ omnes usq; ad Septuagesimam. Hæc habet Romanum ordinarium, & prisca ecclesiastica traditio: quæ utinam seruata fuisset, intermissis Legendis dubijs sanctorum, & id non transisset in cõsuetudinem tantum legendi, non etiam intelligendi sacrosanctas scripturas, melius certe interim ecclesia profecisset. Quod utinam uel posthac felicius agendum tentetur à ministris ecclesiæ, ut præmissa oratione ex Psalmis uel alia, intendant lectioni sacræ scripturæ, canonicas scripturas horis canõicis ruminãdo, magis q̃ uocaliter murmurando & cum tædio. Nec tamen interim oportet obmittere etiam salsamentorum uice, sæcularium authorum utiles libros, & liberalium disciplinarũ studia. Semper tamen & ubiq; curato, ne quid nimis, & ut sapiatur ad sobrietatem. Nec ualet exemplũ Christi, qui orasse frequentius legitur q̃ legisse. Discere enim Christus sacra non potuit, sapientia dei patris. Nos scripturas scrutari iubemur, & incumbere lectioni. Paulus eruditissimum Timotheum admonet, ac præcipit seriose, ut sana doctrina imbuatur, quam & doceat in ecclesia, ut & contradicentes redarguere. Exhortationi quoq; iubetur attendere: non enim lectio sufficit, sed exhortanda est ecclesia ad fidem in Christũ & apostolicos mores, non cogendo sed exhortando, ut imperfecti instituantur. Vitia, infirmitates, & imperfectiones carnis dulcibus uerbis disuade, si locum inueniant: non terribiliter ac imperiose manda, non mineris, non dure increpes, sed exhorteris suauiter, sed instanter & sine intermissione, non leui capta occasione remittendo studium, uel desperando de dei gratia. Doctrinæ quoq; instare iubet Paulus, ut ex-

ſcripturis diuinis oſtẽdat, euincat, doceat, ſic ſe habere omnia iuxta dei legem & ſacras literas, ut in eccleſia prædicatur à ueris apoſtolorum diſcipulis, ne quæ dicantur ſint incerta & opiniones, ſed ſcripturarum fide & authoritate ſolidata.

9 Noli negligere gratiã quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum presbyterij.

Donum prophetiæ, hoc eſt gratia interpretandi ſacras literas, affluẽtius eidatum erat q̃ cæteris, ideo epiſcopus ordinatus eſt, cuius officium eſt docere legem dei. Nihilominus tamen lectioni inſtare iubetur, ne obmittatur locorum collatio ut certior interpretatio haberetur. Non enim quælibet paſſim concinnata enarratio ſufficit, ſed quæ deſumitur ex ſcripturis, niſi manifeſta ſit lectio. Hanc in te prophetiæ gratiam uide ne negligas, ne talentum creditum abſcondas, ſed uſu & exercitio quotidiano uſuras referas domino tuo debitas & exigendas. Cum tibi presbyteri & ſeniores imponerent manus, ut eſſes epiſcopus, prophetiam quoq; habebant, te futurum idoneum huic officio, quia donum ſpiritus & gratiam ſuſcepiſſes docendi eccleſiam. Eo igitur prophetiæ dono utere ſolicite, & ne negligas, ſed doce, exhortare & inſiſte pro uiribus, iuxta acceptam gratiam, per manuum impoſitionem in profectum eccleſiæ tuæ.

10 Hæc meditare, in his eſto, ut profectus tuus manifeſtus ſit omnibus: attende enim tibi & doctrinæ, inſta in illis. Hoc enim faciens, & teipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt.

Admonui te legis diuinæ prædicãdæ, & Chriſtianæ fidei articulorum, inſta re lectioni, exhortationi, ad fidem, ſpiritum, dilectionem, puritatem, conuerſationem & ſermonem. Hæc, inquam, meditare, ut appoſite, ſufficienter & fructuoſe loquaris de eis, non impræmeditate & temere, deq; fabulis. Nondum commendaui tibi quicquam de Miſſis, conſecrationibus, confeſſionibus, exorciſmis, defunctorum animabus, & officio ceremoniarum. Quæ, quia nõ accepi à domino, ideo eorum nihil tradidi tibi, quamlibet inſignis apoſtolicæ eccleſiæ epiſcopo, fidelis apoſtolus. In his itaq; quæ tibi propoſui totus eſto, ſtudium omne confer, & cura ſolicite ut fiant: & ita fiant, ut per hæc proficias patenter in ſubditis, & in eccleſia tua tanta, ut profit ouibus paſtoralis cura tua, ut ſciant ex ſpirituali commodo ſuo ſe habere epiſcopum, doctorem et paſtorem idoneum. Vnde & proficiant ſemper in melius, & creſcat indies fides & cõuerſatio Chriſtiana. Attende quoque tibi & doctrinæ.) Ne culpa doctorem redarguat, ne actio orationi repugnet, ſed ſana & irrefragabilis ſit doctrina tua. Contra & præter quam nulla introducatur in eccleſiam, ſed ea ut certa ac firma ſtatuatur & propugnetur. Inſta in illis docendo & agendo, ut proficiat populus. Illa, inquam, non alia propone, inculca, defende. Quæ ſi pro uocatione & gratia dei feceris, officioq; tuo incubueris, teipſum ſaluum facies, euades iudiciũ nequam & infidelis ſeruí, & negligentium paſtorum, ſua quoq; tantum quærentium, gregem deſerentium uel perdentium. Non audies comminationem & grauem damnationem paſtorũ ſeſe paſcentium, eorum te periculo eximes, etiamſi non acquieuerint, contemnant autem & reiiciant, non credant, & damnentur. Tu tamen liberabis animam & conſcientiam tuam, principi paſtorũ gratam referes rationem. Si uero audierint & fuerint obſequuti, ſi monitis iuſtitiæ & ſanæ doctrinæ tuæ dociles animum appoſuerint, ut ea perficiant, tu quoq; illis cauſa ſalutis eris, & unà tecum ſaluẽtur, & ſalutis ſuæ fidum te fuiſſe miniſtrum teſtabuntur fideles.

CAPVT

CAPVT V.

SEniorem ne increpaueris, sed obsecra ut patrem, iuuenes ut fra- 1
tres, anus ut matres, iuuenculas ut sorores, in omni castitate.

Modestia iuncta authoritati, necessaria est episcopo, neminem non obseruet, nullum negligendo prætereat, omnes curet, proficiat omnibus, & mereatur. Etiamsi grandioris ætatis sint, si quid contra ea quæ docuerit episcopus, ab illis fieri & committi uideat, hoc est, contra legem dei comiter, amice, pia admonitione, sine supercilio & fastu, & sine seueritate corrigat. Non facile seniores ferunt à iuniore moneri, multo minus increpari seuerius, uel sæuius obiurgari. Et tamen insolentia senum neutiquam dissimulãda est, ne ob senium & annos ipsorum delicta & mores in authoritatem & exemplum trahantur à iunioribus, procliuioribus ad mala sectanda. Corrigi ergo senes debent, sed non sæuitia, non uerborum duritia, sed blanditijs, lenitate grata & matura, ac quasi reuerẽtiali insinuatione admonendo, non contumelijs irrogandis, quæ ferri non possunt à senibus, quin magis exasperantur. Seruanda igitur reuerentia est, & ratio ætatis, sed tamen non intermittenda admonitio transgressionis, uerum non uelut imperiose, sed cum modestia. Si uero senes omnino stulti sint, & inueterati dierum malorum, & publico scandalo patrocinantes, senectutis suæ authoritate iuniorum insolentijs exemplo uel uerbo, iam Danielis exemplo utendum est, & pro rei indignitate rigide tractandi. Semper tamen decet iuuenem prælatum modestia in uerbis, de quibus hic agitur, ad senes, quatenus magis condolentia & dolor mali tiæ & rigoris necessitas urgere uideatur episcopum, q̃ cõtemptus senectutis, uel præsumptio prælationis, quam iuuenes declinẽt. Iuuenes ut fratres.) Solemus uarijs modis alloqui & corrigere fratres insolentes, iuxta cuiusq; indolem, ut unum durius alloquamur, alterum familiarius affectuq; suauiori: aliquando & de industria irritamus, etiã intẽdentes turbari aliquem, sed ut citius resipiscat. Nunquam tamen infamia publica afficiendi sunt iuuenes, nec contemptu uili afficiendi coram multis: præuenienda est iactura famæ & honoris, dum salua omnia adhuc sunt, & honestatis spes in adolescentibus, ne semel confusi, animum desponderant, & desperatione reddantur peiores. Ideo contra externos accusatores studiose potius excusandi sunt iuuenes, defendendi & uindicandi: uerum familiariter & amice conueniendi sunt cum digna duritia, ut intelligant fidem & amicitiam: si publice propugnentur, priuatim obiurgentur cum modestia. Sic fratrum animi conciliandi sunt, sic emendandi iuuenes: sic proficitur, si omnia ex syncera naturaliq; fraternitate tententur & aptentur: cæteris tamen paribus, ut non sint procaces & filij Belial. De Christianis em̃ fit sermo & coætaneis, ad quos pro charitate afficiamur, ut consulere cupiamus, dum scilicet agnouerint se amoris tantum causa admoneri & corripi, non odio. Anus ut matres.) Honorifice alloquendo, commonendo, dedecus ostendendo, quod illas maneat, erubescentiam incutiendo, ex proposita rei indignitate, non contemptu, odio, maleuolentia, sed uerbis modestis, ne magis irritentur q̃ emendentur, & ad desperationem adigantur, & tristitia obruantur, bis contemptæ, ex uitio scilicet & ætate uel fama. Iuuenculas &c.) Amanter ac syncere sorores alloqui consueuimus, ac sinæ formæ uel libidinis quacunq; habita ratione, tantũ ut consulamus honori & rebus agendis. Sic dum episcopus uel parochus necessitate adigitur ad alloquendum iuuenculas, breuiter id faciat, syncere, grauiter & caute, omnia obmittens leuitatis signa, uerecunde, composite, & ordinate ad disciplinam, ne quo pacto siniſtræ su-

ſpicionis indicium proferatur, & caſtitatis fama periclitetur, etiam ſi nihil mali intercedat. Ab omni enim mala ſpecie abſtinendum, cum & lubrica ſit fama pudoris, maxime epiſcopo inter iuuenculas & adoleſcenti, quantumlibet grauis ſit moribus: nemo enim ſatis & omnibus horis ſapit, hac potiſſimum in cauſa.

2 Viduas honora, quæ ueræ uiduæ ſunt. Si qua autem uidua filios habet aut nepotes, diſcat primum domum ſuam regere, & mutuam uicem reddere parentibus, hoc enim acceptum eſt coram deo.

Ex conſequentibus contextuq; literæ uel ſermonis ſatis intelligitur, is honor de quo hic dicitur, deferendus uere uiduis, hoc eſt omni auxilio uiduitatis & ſolatio, quæ ſcilicet marito, filijs, nepotibus, & diuitijs deſtitutæ, deſpiciũtur, & miſere animam trahere permittuntur. Non patiatur epiſcopus huiuſmodi male audire, indigere, odiri, maleq; tractari, ſed eam, ſi uere ſit uidua, eccleſiæ nomine defendat, iuuet, conſoletur, de ſumptibus eccleſiæ, & collectis in ſynaxi fideliũ, prouideat talibus uiduis in communi de neceſſarijs. Idem autem intelligendum de omnibus eccleſiaſticis perſonis, eadem miſeria laborantibus, pupillis, orphanis, infirmis, peregrinis, & qui ſua pauperibus erogarunt, ut poſtea neceſſarijs egere cogantur. In ſumma, curet ſummopere epiſcopus, ut nemo inter Chriſtianos ſibi commiſſos indigeat, uel mendicare cogatur. Si qua autem &c.) Si aliqua non ſit uere uidua, ſed marito tantum uiduata, non autem filijs, nepotibus & diuitijs, iſtam non tuebitur epiſcopus ſua ſolicitudine, ſed qui id poſſunt filij & nepotes, uictum illi adminiſtrantes & amictum: ipſa uiciſſim eos moderetur, inſtruat, moneat, &, ſi poteſt, nutriat, foueat ac doceat: perinde ac ſe quoq; ſimili humanitatis officio nouit à parentibus educatam. Debent enim patres theſaurizare filijs, non contra. Nec huiuſmodi uidua ſuſcipiatur ad collegium uerarum uiduarum, ſed domui & familiæ ſuæ potius præſit & incũbat. Hoc enim domino placet, ut prouectiores ætate & prudentia præſint iunioribus: & qui alijs benefacere poſſunt, non patiãtur otioſi ſibi benefieri cum iactura egentium, & officium exigere, qui debent præſtare & poſſunt. Diſcant primum &c.) Non ſe talis uidua intromittat miniſterio eccleſiæ, dimiſſa familia filiorum nepotumq; ſuorum, iſtis ſuis potius præſit & inuigilet, benefaciat, & regat propriam domum: quam ubi bene rexerit, regendoq; exercitatior euaſerit, poſtea eccleſiæ deſeruire legitime poterit, ſi ad hoc per epiſcopum ſexagenaria deligatur.

3 Quæ autem uere uidua eſt & deſolata, ſperet in deum, & inſtet obſecrationibus & orationibus noctu dieq; : nam quæ in delicijs eſt, uiuens mortua eſt.

Deſcribitur hic uere uidua ea dici, quæ ſolatio huius mundi caret, marito, filijs, nepotibus, poſſeſſione: ſperat autem in domino, & omnem ſpei ſuæ fiduciam collocat in deum, qui pupillum & uiduam ſuſcipiet. Non utitur hoc mundo, non ſectatur gaudia huius mundi, & carnis libidines, ſed uacat orationibus & audientiæ uerbi dei, ſeruitio indigentium, conſolatione afflictorum, ſine intermiſſione cogitat quæ domini ſunt, exonerata moleſtijs huius uitæ, & domeſticæ ſolicitudinis, quomodoq; placeat marito, ſed deo uacat ſoli. Talis eſt uere uidua, mundo neglecta, deo autem coniunctiſſima & commendatiſſima. Die noctuq;, ait. Sicut de Anna legimus filia Phanuelis, quæ Chriſtum ſuſcepit oblatum in templo. Vidua uero quæ in delicijs uerſatur, non ſeruiens deo, nec uacans orationibus, ſed libertate abutens, delicias ſectatur, otio uacat & multiloquio, uinolentiæ, tra-

dita

dita libertate in occasionē carnis. Talis, ut maxime suauiter iuxta carnem uiuat, mortua tamen est spiritu, gratia dei priuata, Christo non uiuit, quia non pietati studet. Tales ab ecclesia nutriri minime debent, cum sint opprobrium & diffamia ecclesiæ, sed corrigi potius ac puniri oportet, si quo modo reuiuiscant in Christo per pœnitentiam.

Et hoc præcipe, ut irreprehensibiles sint. 4

Officij quoq; tui est, circa uiduas curandas, ut eas doceas maturitatem, & circumspectionem tantam, ut nihil sinistri de eis suspicari uel dici possit, ne laxius uiuant ob libertatem suā in uiduitate, ne scandalo sint ecclesiæ: uideanturq; non ob religionem & castitatis amorem abstinere à secūdis nuptijs, sed ad satisfaciendum libidini exoneratæ maritis.

Si quis autem suorum, & maxime domesticorum, curam non habet, 5 fidem negauit, & est infideli deterior.

Quanquam hæc sententia uel regula de uidua dici uideatur quæ non est uere uidua, quæ curare iubetur familiam, potius q̄ ut uel ecclesiæ commendetur a-lenda, uel eidem ministratura, sed potius docetur præesse suæ domui. De quibus uiduis re uera Paulus hæc quoq; retulit. Veruntamen generalis gnome uidetur, pronunciata ab Apostolo uniuersaliter de uiris & mulieribus, uiduis & maritis. Volens neminem sic curare aliena, ut propria familiæ suæ necessaria & domesticorum suorum, quibus dei prouidentia rector ac prouisor constituitur, curā negligat uel reijciat, ut ea tantum ratione orationi uacare eligat, ne cogatur proximorum necessitati inseruire. Quin hac sententia Pauli iubetur paterfamiliâs quicunq; & materfamiliâs, domesticorum administrationem diligenter gerere, non secus q̄ si à domino specialiter eorum curam demādatam suscepisset. Quod si abijciat instituendæ prolis curā, regendæ domus, sustinendi molestias proximorū, de quibus deus mandauit cuiq; eligatq; obmissis istis, uacare propriæ deuotioni, ecclesiæ ministrare, religiosus ad speciem fieri, deoq; secundum proprium suum sensum seruire, hic tantum abest quo deo placeat, ut magis infideli deterior desiniatur à spiritu dei. Qui uero legitime curat suam familiam, ut Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, & cæteri, id sanè agit quod natura iussit, & dominus præcepit. Qui uero pro arbitrio suo agenda eligit, & quæ deus mandauit obmittit, dominū mendacem & mutabilem facit, aliudq; uelle, aliudq; iubere credit: id quod fidei aduersatur. Maxime autem quod infideles quoq; naturæ ductu optimo & minime improbo, proli prospiciūt & proximis. Idipsum deus præcepit, natura bestijs quam libet ferocibus indidit, et ratio naturalis æquissimū iudicat. Illud hij suo sensu abūdantes despiciunt, propterq; traditiones proprias & humanas statuendas domini dei mandatum transgrediūtur. De his ex Plinio & Petrarcha alijsq;, ut ubicq;, & ex scripturis sacris multa adduci possent, nisi clarior esset hæc Pauli sententia Sole, & uerior statutis humanis.

Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius uiri 6 uxor, in bonis operibus testimonium habens: si filios educauit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lauit, si tribulationem patientibus submi-nistrauit, si omne opus bonum subsecuta est.

Ecclesiæ apostolicæ primitiuæ ecclesiastici, tunc & deinde dicebantur non tantū clerici, sed & omnes pauperes, orphani, pupilli, & in primis uiduę, hoc est, orbatæ uel desolatæ uiris filijs & possessione, nonnunquam ob fidei cōfessionem

spoliatæ. Bona autem ecclesiæ erant, quæ sabbathis uel dominicis diebus, post au-
ditam fidei doctrinam colligebantur, nemine uacuo comparēte. Collecta autem,
siue ad esum pertinerent, siue pecuniæ, benedicebantur ab episcopo, & per dia-
cones, id est ministros ecclesiæ, ad episcopi fidelis dispositionem ecclesiasticis tali-
bus diuidebantur, prout cuiq; opus erat: de quibus quoq; episcopus & diaconi
cum sua familia, uxore & filijs sustentabantur ad uictum & amictum, quibus &
contenti erant: non ad abundantiam uel luxum. Peregrini etiam fratres, boni te-
stimonij, reficiebātur, uirgines pauperes, & infirmi. Nemo egere uel mendicare
permittebatur. Temporis autem successu testamentis fidelium, & munifica diui-
tum largitione huic usui prouisum est, & indigentium cōsolationi. Alicubi etiam
ex decimis & possessionibus agrorum ac domuum fortassis. Tandē deuotio prin-
cipum, & simplex religionis amor, Christianaq; religio regum, cum non possent
ipsi prospicere pauperum necessitati, occupati rebus suis & officijs, huiusmodi
onus & studium inseruiendi & distribuendi necessaria egentibus commendauit
religiosioribus personis, & probatæ sanctimoniæ uiris, abbatibus & monachis,
qui ut tunc præter arctum uictum & amictum, in summa parsimonia uicita-
bant aliquandiu: nec suspicio aliqua fraudis locum haberet, ne non dispensarent
illi serui dei necessaria indigentibus illis sibi commissis. Eis quoq; personis eccle-
siasticis sacris literis incumbentibus, inq; spiritualibus populo seruientibus, or-
phanis quoq; & uiduis, hospitibus & infirmis. Vnde & usq; hodie in uetustissi-
mis monasterijs & collegijs bene ordinatis, ordinationes de lectionibus quotidia
nis sacræ scripturæ, infirmorum curandorum officiales, hospitum susceptores,
scholastici, qui pueris præsunt instituendis, sacerdotes sacramentorum dispensa
tores. Episcoporū uero uel abbatum proprium munus erat proponere uerbum
dei ad ecclesiam. Semper tamen durauit festis diebus oblationum collecta pro ec
clesiasticis. Temporis autem lapsu, proq; morū mutatione, deprauatis oīnibus,
charitate frigescente, quæstu autem luxuq; irrepente paulatim in ecclesiasticos,
bona ecclesiastica & diuitiæ in usum pietatis datæ cesserunt in maximum abu-
sum, continuoq; magis inualuit in dedecus cleri & monachorum. Episcopi enim
principes facti sunt, imò ex principibus facti sunt episcopi. Monachi & abbates
satrapas se gerere cœperunt, suisq; priuatim usibus applicare bona ecclesiastica,
& pauperes negligere, quos in sua mensa habere iussi erant, uel alijs rationibus
aliquantisper prouidere, extructis hospitalibus. Religiosi cæteri plus q̄ mundani
facti sunt, quos suis coloribus & dignis depinxit ante quadringentos annos D.
Bernhardus, & ipse monachus, qui dum reformationem monachorū meditatur
& incipit, longe ditiores, & ceremonijs addictiores, orbiq; Christiano inutiliores
post se reliquit, & diuitiarum corrasores, sub pietatis specie auariores, q̄ ante eos
fuissent Benedictinēses, quos Bernhardus ob otium & diuitias digne traduxerat
in Epistola uel Apologia sua ad Gulielmum abbatem, digna quæ legatur à pijs &
impijs monachis, speculum sanè nouissimi monachatus. Omnino autem qui spi-
rituales nunc dicūtur & religiosi, toti facti sunt animalia uentris, præter cantum
& murmur suum, otio tantum incumbūt: quod quas sequelas relinquat, scriptu-
ra & tota philosophia docet, & rerum usus cum experientia. Hodie non sexage-
nariæ uiduæ eliguntur uel uirgines domino educādæ, ad ecclesiæ obsequium &
honorem, sed filias quas odiunt, & per quas posteros non dignātur, quas sub pal
lio religionis malūt meretrices in irreformatis cœnobijs, quales maximo passim
numero habentur, uel anxie ac turpiter in conscientijs urendas & desiderijs, q̄
matres familiâs fieri. Filios quoq; suos in monasterijs nebulones & lenones agere
sinunt,

sinunt, & nutriunt oblationibus adulteros, ubi & impinguantur & luxuriantur de bonis ecclesiæ. Non est hic locus excusationis multorum pessimorum hominum, ob paucos bonos, sub arcta disciplina ad honestatem coactos. Siquidē cancellis tantum regularibus, & timoribus pœnarum continent sese apud homines, quicquid secreto in corpore & conscientia, naturali necessitate & usu eueniat, cum dominus pectus, conscientiam, animum & cor exigat pacatum & pium, tutáq; fiducia sibi sana conscientia inhærentem. Non quidem sine omnibus peccatis, sed sine diffidentia emendādi errata, quæ uotis tantum impediri non possunt, nec quacunq; abstinentia & rigorosa corporis castigatione. Quæ naturæ peccatricis propensio nititur tantum in uetita, & à uoluntate hominum quamlibet sancta non pendet, gratiæ dei promissionem non habet ex uerbo dei. De quibus multa dici possent, iamq; dici inceperunt à multis bonis uiris, qui ecclesiasticum statum cuperent non abolitum, sed uerbo dei reparādum in melius, quod huiusmodi perpetua uota ignorat & improbat. Interim dum uentris hæc animalia nutriuntur in collegijs quibuscunq;, pauperes cæteri pupilli & uiduæ negliguntur à clericis: quicquid corradere possunt, reponunt in census, unde augeatur numerus hoc pacto deum uentrem colentium, cantorum & otiosorum hominum, ut in immensum uideamus succreuisse multitudinem, solo nomine spiritualium, re uera autem carnalissimorum scortatorum cum suis spurijs & meretricibus. Omnia sub prætextu nominis cultusq; diuini. Susceptores autem hospitum, infirmorum seruitores, plagarum horribilium & grauium infirmitatum curatores, pupillorum & uiduarum patroni, cum re uera ecclesiastici sint, hodie sæculares uocantur, nisi ubi pro diuitiarum collecta, religiosorum domus nominantur Hospitalia, ut nihil sit integrum. Heæ autem uiduæ, de quibus hic Apostolus, non omnes assumebantur ad stipem uel annonam ecclesiæ, uel etiam ad tutelam, sed elegebantur ad præceptum apostolorum & apostolicorum uirorū: tales autem quales hic describuntur. Non minoris ætatis q; sexagenariæ, ne semel susceptæ in curam ecclesiæ, redeuntes ex carnalitate ad coniugium: uel per ætatis lubricitatem peccantes, probro magno afficerent ecclesiam, néue impudicitiæ suspicio locum haberet, quia ad istam ætatem prouectæ, & uiribus destitutæ manuum labore se nutrire amplius non possent: essent autem ueræ uiduæ, hoc est solatio & patrimonio destitutæ, integræ autē famæ. Additur autem, Quæ fuerit unius uiri uxor, de qua scilicet non sit suspicio intemperantiæ per ætatem & pristinam conuersationem, qualis autem notaretur, si sæpius nupsisset, decq; maritorum possessionibus ditior euadere potuisset. Laudi enim dabatur nō solum in ecclesia prima, sed & apud gentiles, si nuptijs secundis casta abstinuisset mulier, & non parua nota censebatur uel dedecus denuo nupsisse, uel sæpius. Hoc quidem quanquam apostolus non omnino probet, placuit tamen ut continenter uiuant quæ possunt, & non iterent matrimonium, si sint prouectioris ætatis, cęteris paribus. Mandat autem & uult uiduas iuniores nubere, quod tutius sit, & continentiæ necessarium remedium, quæ nuspiā purior, sanctior & tutior inuenitur & facilior, q; in sacro matrimonio, quod & suam continet claritatem casta generatio, exemplo sanctissimorum hominum. Interim ingens cauetur periculum & scandalum exitiale & intolerabile. Quod autem hic ab Apostolo ueluti peccatum notari uidetur bigamia uel secundæ nuptiæ, siquidem secundo nuptam indignam iudicat stipe ecclesiastica, hoc agit, cōsulere uolēs honestati, adactus spiritu apostolico, & fidelium famæ apud tunc temporis infideles, nolens id honoris deferri fœminis, quę ob impudicitiæ notam à gentilibus reprobarētur, cum hic tantum ageretur de subsidio

corporali, quod talibus poterat ab alijs, & modis alijs compensari. Interim uero consulebatur paci & tranquillitati reliquarum uiduarum ecclesiasticarum, quæ non sine murmure huiusmodi admississent suo contubernio, uel sibi æquari sustinuissent. Nihil tamen synceritati conscientiæ adimebatur, q̃p ut liberam seruaret, uel inuitis uel damnantibus gentilibus, qui secũdum mundum sapiebant, secundas nuptias improbantes in mulieribus, non in uiris; ipse fidelis existens Apostolus non solum permittit, sed præcepit secundas nuptias iunioribus uiduis, ne deterius contra deum peccetur, quod hoc indulto prẽueniri possit. Arcet autem huiusmodi à stipe ecclesiastica, cõsulens famæ, paci & castimoniæ: non ut apud deũ ream, sed infirmorum infamationi obnoxiam apud gentes. Sicut & sterilitas uxoris apud Iudæos probro non carens, eadem ratione arcetur, quæ tamen noxa carere constat apud deum & homines, sed non apud Iudæos, quibus sicut benedictio erat filios generasse, & promissionis donum: sic caruisse maledictio putabatur, & ut infausta & misera plangebatur. Sterilis autem aliquandiu mulier, si perisset tardius, ingens gaudium protulisset cæteris uicinis mulieribus. Dicitur consequenter. In bonis operibus testimonium habens.) Exigebatur charitatis & misericordiæ exercitium omnibus notum, ut eius honor & fama religiosa nota fieret toti ecclesiæ, à qua sustentanda erat uidua, ne fortè fauore & falsa laude promotam dicerent, sed conspicua essent multis testibus, pietatis suæ digna opera & studia sancta. Si filios educauit.) Non dicitur, Si filios peperit, licet id uideri possit significasse, liberos scilicet generasse & educasse, fortassis fuerat supplendum religiose, honeste & laudabiliter: uel ut sterilis arceatur ab ecclesiastica stipe in gratiam Iudæorum. Quanquam probabilius uideatur de non sterilibus intendisse, quandoquidem quæ sterilis tanta ætate perstitisset, molestijs liberorum carens, sibi prouidere laborando poterat, de sustentamẽto senectutis suæ. Similiter si generans filios statim amisisset nondum educatos. Quin & si improborum filiorum uel filiarum mater, potuit detestabilior uideri contubernio sanctarũ uiduarum, Negari denicq; non potest, infelicissimum apud Iudæos habitum, si uxor sterilis cuiquam contigisset, quæ & ut infausta, admittẽda non uideretur ad stipem.

Si hospitio recepit.) Hospitalitas in ueteri & noua lege impẽse laudatur, & stolorũ tẽpore suscepisse prædicatores euangelij, & pro ueritate extorres patria, egentes, uagos & peregrinos, magnũ pietatis officiũ non indigne habebatur: nec fidelis æstimari poterat, qui huiusmodi aliquãdo excluisset hospitio, uel indigne tractasset. Nec digna erat ecclesiastico nutrimento, qui euangelistas Christi & ecclesiæ doctores ac plantatores opulenta domo repulisset, uel negasset hospitium.

Si sanctorum pedes lauit.) Sine calceamentis ambulantium primum & facile beneficium est, lauari pedes. Hoc Abraham exemplo docuit & Lot, ut fatigati suauius quiescant. Christus quoq; in ultima cœna idem officium discipulis commendauit, charitatis monimentum, & præcepit mutuum exhibere ob humilitatis exercitium, quæ charitatis fomentum esse consueuit. Sanctorũ dicit, pro prædicatione euangelij discurrentium, & fidelium in causa fidei & salutis laborantium, uel sustinentium exilia & expulsiones pro uerbo dei, & uera fide prædicanda in mundo. Subdit quoq; Si tribulationem patientibus subministrauit.) Sicnim ex doctrina euangelica omnibus petentibus tribuendum est, si prædicatoribus nihil possidendum, si pro euangelio asserendo omnia dimittenda sunt, si multa patienda, si de ciuitate in ciuitatem fugiendum, si non claudẽda uiscera abegeno, si in opera misericordiæ profundenda sunt omnia, si nihil propriũ habendum quod non sit paratus impartiri egenti Christianus, certe ecclesiastica disciplina

spiritu

spiritu sancto ab apostolis edocta est, ut huiusmodi pauperes uel sic depauperati necessarijs non fraudentur, sed Christi præceptis obedientes, Christi quoq; prouidentia necessarijs non indigeant. Non enim fieri potest, si iuxta euangelium uiuatur, ut desit cuiquam uitæ necessarius prouentus & suppetentia, quibus centuplum etiam in hac uita promittitur. Dicitur autem tribulationem patientibus, non oblectamenti, curiositatis, instabilitatis, fastidiosi otij, auaritiæ, superbiæ uel consolationis gratia discurrentibus subministranda hospitalitas huiusmodi, sed pro ueritate & euangelio patientibus gratia impertiẽda laudatur & muneratur. Fuerunt enim tunc quoq; ut nunc pseudapostoli, qui domos uiduarum deglubebant, seducebant uarijs doctrinis, ueros apostolos persequebãtur, commoda, gloriam & solatia propria sectabantur. Non uult Paulus talibus, sed tribulationem pro iustitia patientibus ministranda esse uitæ necessaria. Si omne opus bonum subsecuta est.) Si studiosa fuit æmulatrix operum bonorum, quæ per eam fieri potuerunt: si dedita officijs pietatis, si assidua in omni bono opere. Non sufficit quædam egisse bona, nullum potius obmisisse laudabile est, ubi adfuisset facultas. Huiusmodi uiduas pauperes ecclesia nutrire debet: quin & uiros his dignos laudibus recitatis, de bonis ecclesiæ debetur diuino iure sustẽtatio. Non sunt enim bona ecclesiastica templorum & ædificiorum, pinguiumq; ac otiosorũ clericorum, sed ministrorum ecclesiæ, & honestorum pauperum necessitatem habentium. Illorum maxime, qui profuderunt sua propter euangelium in usus pauperũ, quiq; toti propensi in opera pietatis, neglectui habuerunt temporalia bona sua.

Adolescentiores autem uiduas deuita. 7

Viduas intelligit omnes iuniores fœminas, extra matrimonium uiuẽtes, uel absentibus maritis habitantes solitarie, ut sunt etiam sanctimoniales, & de quibuscunq; scandalum uel uiolenta suspicio nasci posset. Non enim tutum est, nec suspicione uacat, si episcopus frequentet uiduas iuniores, à qua suspicione omnibus modis antistiti & doctori abstinendũ. Nõ hic Apostolus meminit negotij cõfessionis, ut uel excipiat, uel in manifesto fieri, & breuiter expediri cũ multa maturitate ea colloquia ordinet: proq; conscientiarum scrupulis secretis explicandis leges non decernit cum mulierculis agendi. Quod ut maxime necessarium, à monachis & plebanis diligentissime prædicatum est, quod tamen uidemus in omnibus apostolorum epistolis & ordinationibus neglectum, hauddubie ut minime necessarium, alioquí si tam necessaria ad salutem fuisset hæc omnium peccatorũ confessio auricularis, ex qua nostris temporibus & antea tot personæ periclitatæ sunt, in suis conscientijs audiendo & confitendo occultissimas tentationes & crimina, certe apostoli tale aliquid scripsissent. Et quod infelicissimus Antoninus in suo cõfessionali docuit, id dudum sancti episcopi & doctores, Cyprianus, Augustinus, Ambrosius, Chrysostomus, & Hilarius minime obmisissent, qui nec unicum tractatum ea de re scripsisse inueniuntur. De qua Summistarum authores mendicantes illi fratres maxima uolumina ædiderunt, & scandala conscientijs inextricabilia posuerunt animabus pijs.

Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere uolunt habentes da- 8
mnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.

Iuniores uiduæ adepta per mortem mariti libertate, discussoq; timoris iugo & uerecundiæ, expertaq; carnis uoluptate, dum licentius uiuere incipiunt, occasionesq; impudicitiæ cibo, potu & otio non uitant, periclitari incipiunt, & libidine tẽtari ac uinci incauta familiaritate & cohabitatione. Sicq; sensim prolabũtur

ad petulantiam, luxum & carnis lapsum, scandalizantq; & infamant Christi sa-
crosanctam ecclesiam, & nomen Christianum, quod subinde male audit propter
eas. Tandemq;, quod secretius perperam egerunt, publica diffamia detegitur, &
earum luxuria propalatur. Quam suam ignominiam, dum euadere, cõtegere &
excusare cupiunt, nubere deliberant, matrimonium prætexunt, uel de nouo con
trahunt. Habentes damnationem, primum quidem in conscientia, & penes se-
metipsas, conscias sibi turpitudinis, confusæ apud semetipsas, deinde publice re-
iecisse fidem comprobantur uiuenti marito præstitam, sed tantum per hypocri-
sim seruatam innotescit signis certioribus, dum fictam fuisse suam castitatem te-
stantur, & non ueram. Nunquam ex animi sententia maritum amasse solũ ostен-
dunt facto, uel non ex fidei synceritate continuisse uidentur, sed ex necessitate,
dudũ aliud facturæ uel tentaturæ, si per timorem zelumq; mariti, & timorem op-
probrij licuisset. Si tamen nõ secreto simile tentasse maritata credetur, facile enim
deteriora hominibus de talibus arridentac persuadentur credenda temere, tan-
quam quæ fieri potuerint & facta sint.

8 Simul autem & otiosæ discũt circuire domos: non solum otiosæ, sed
& uerbosæ & curiosæ, loquentes quæ non oportet.

Duplo delectat has uiduas, & placet licentia, post coactam continẽtiam. Gau-
dent enim se à nemine impediri, quo minus exeant domos: solitudo domi displi-
cet, lectioni eñ & orationi non instant. Inuitatio passim grata fit, dum non est eis
domi curanda familia, otiosæ desident, parta dilapidant donec quicquam extat,
uel stipe ecclesiastica contentantur. Otiosæ circumcursant per alienas ædes, cir-
cumferunt rumores, comportant nugas, augentq; suo more mendacijs: insigni-
ter uerbosæ, loquaces, & nugaces, uanæ & leues, neminem formidantes, liber tã-
tem suam in carnis delicias conuertentes. Curiosè perquirentes quicquid passim
dicitur uel agitur, tempus otiosè fallunt uerbis, uanæ, leues & dissolutæ domum
redeunt, in confusionem reliquarum uiduarum, demortuiq; mariti & propriam.
Tandem autem abnegata fide, infidelium fœminarum more uiuentes, aduersus
Christum instituunt blasphemiam. Confundunt ac diffamant ecclesiam, insolen-
tiam suam hactenus palliatam produnt tandẽ, timore tantũ pœnæ dissimulatam.

9 Volo autẽ iuniores nubere, filios procreare, matres familiâs esse, nul
lam occasionem dare aduersario, maledicti gratia.

Ad præcauendum tot malis muliercularum istarum, uolo magis ut uiduæ iu-
niores non tam libere uiuant, sed denuo marito nubant, ut quæ sese regere nesci-
unt, in officio & honestate per uiros seruentur, amputentur ipsis lasciuiæ causæ,
lenones procosq; euadant. Habeant quod domi curent, mariti copia & austeri-
tas libidinis medeatur ardori, & ut petulantia cõpescatur, opprobriumq; ac diffa-
miam effugiant. Filios & filias gignendo carne humiliẽtur, & solicitudine regen-
di familiam. Habeant occupationes dignas iuuenculis, filios educãdo, curando,
instituendo. Præillis honestissimis uoluptatibus, alij prurítus ac libidines cessa-
bunt. Occupatæ erunt circa domus curam & necessitates. Familiam regant mul-
ta solicitudine. Matrisfamiliâs officium negotiosum obeant, die nocteq;. Exem-
plo præsint, iubeantq; ancillis & filiabus. Vni uiro decenter inseruiant, cui casti-
tate & uerecundia sanctoq; timore placere meditẽtur. Hæc apostoli Pauli uolun-
tas, non dubium est præceptum esse, si periculum timeatur incontinentiæ, otij,
suarumq; sequelarum, diffamiæ & indisciplinatæ conuersationis. Cui concordat
ratio, natura, æquitas, & uerbum dei, quod non omnes capiũt. Sic autem nubentes

res euadent, nedum incontinentiæ periculum, luxuriæ diffamiam, feruoremq; urentis libidinis: sed etiam declinabũt oblocutiones, ne occasio præstetur aduersarijs & detractoribus, male uel suspicandi uel loquendi de eis, interimq; ecclesia nihil confundetur. Amputanda enim quantum fieri possit causa est omnis iustæ suspicionis, maxime mulieribus, quibus ob sexus fragilitatem facile imponitur; sunt enim propensioribus affectibus communiter & leues, difficile reluctantes cupiditatibus. Vix illibata fama defenditur & euadit periculum diffamiæ, etiam dum studiose omnia dispiciuntur, multo minus dum libertati nimium indulgetur.

Iam enim quædam conuersæ sunt retro post satanam. 10

Admonet oĩbus nota necessitas, dum uidemus ex huiusmodi uiduis iunioribus quasdam turpiter uiuere, & scandalosam diffamiam incurrisse, uiduarum ecclesiasticarum sancte institutum collegium fœdasse, quod licentiosa conuersatione sua propositum castitatis abiecerint, ecclesiam confuderint, postq; manifestatam libidinem, & proditam fidem, nuptijs sese excusare, uel in totum post fata næ tentamenta abijsse, experientia docuit. Christo enim cui sese in castitate seruituras instituerant, orationibus & bonis operibus incumbendo seruire proposuerant, turpiter & cum probro ecclesiæ desciuerũt. Quod autem à uoto emisso cuiquam, & rescisso desciuerint, & uoti transgressores fuerint, non scribitur: quod coactę fuerint redire ad pristinã professionem suam, iussæ perpetuò seruare quod uouerant uel instituerant, minime habetur in apostolicis scriptis. Non sunt excommunicatæ, non incarceratæ, nec uiolenter compulsæ ad reditum: id enim tacetur ubiq;. Suo periculo domino suo stabant uel cadebant. Non erant obseratæ cancellis, nec, ut nunc, muris clausæ, alioqui discurrere & nugari, ut prædicitur, non potuissent, uel abire post satanam. Omnia libere seruabãtur. Apostolica tempora & doctrinæ uota omnia ignorabãt. Sine uotis etiam primi monachi religiosius uixerunt, præter uotum obedientiæ, quod semper temporale erat, donec alio in loco, uel sub aliquo abbate uiuere religiose, & sine animarum periculo uoluissent uel potuissent. Post mille annos ab exordio monachatus, qui tamen etiã apud gentiles fuisse inuenitur, quando pro stabiliendis examinibus monachorũ & monasterijs, pro ceremonijs continuandis, & augendis censibus ac ampliãdis uinculum uotorũ excogitatum est, quo constringerentur ad perpetuam mansionem. Sicq; definierunt primores ordinum, & obtinuerunt per tyrannidem, laqueos huiusmodi conscientiarum, sine uerbo dei, in impedimentum euangelicæ conuersationis & uitæ. Comminiscentes sibi friuolas rationes, & detorquentes scripturas, ad probãdum longe diuinius & sanctius esse, ex uoti necessitate bene agere, q̃ ex spiritus libertate. In uotis substantialibus, quę uocant, nullam cadere dispẽsationem. Subsequuta est crudelitas perpetuorum carcerum, pro asseruandis traditionibus humanis, & excommunicatio Papalis, & infinita huiusmodi friuola commenta, omnia sine uerbo dei, & in detrimentum ueræ pietatis ac religionis, quæ consistit in obseruantia mandatorum dei & uerbi dei. De quibus nunc passim, gratia deo, multa leguntur, ut posthac non tam late pateat nassa capiendi simplices in claustra, & illaqueandi conscientias traditionibus mere humanis & diabolicis.

Si quis fidelis habet uiduas, subministret illis, ut non grauetur eccle- 11
sia, ut his quæ uere uiduæ sunt, sufficiat.

Si quis uir fidelis uel mulier cognatam habeat uiduam, quam de suis faculta-

tibus commode nutrire possit, & uitæ necessaria ministrare, non eam patiatur ob trudi ecclesiæ, quæ solet uere uiduas, id est destitutas omni subsidio alere de communibus prouentibus ecclesiasticis: ne fortè dum alendæ fuerint omnes ecclesiasticæ personæ, tam uiduæ q̄ aliæ, donationes uel collectæ non sufficiant. Iterum uidemus ad quem finem ecclesiasticæ diuitiæ, decimæ & oblationes ordinandæ sint, & quæ olim fuerit cōsuetudo fidelium, & quid nostris temporibus emendandum sit, & uere ecclesiastici qui dicantur.

12 Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in uerbo & doctrina.

Sunt qui male præsunt presbyteri, episcopi scilicet & diaconi, nulla cura occupati pauperum uiduarum, uel de uerbo dei prædicādo, sibi solis uiuunt, otiantur, libidinantur, fastum gerunt, ambiunt honores & quæstum, bona tantum absumunt ecclesiastica. Quid talibus debetur aliud, q̄ ut cum sint sal infatuatum, & ad nihil ualens ultra, eijciantur foras de sedibus suis, excommunicentur, confundantur, publice iudicentur, qui suis insolentijs sese iamdudum publice accusarunt scandalosa actione, & otio, uita & moribus. Conculcentur autē pedibus, id est, honore destituantur, commodis, diuitijs, officio & publico dedecore afficiantur quod merentur: ne si permittantur in scandalosa uita sua, negligatur populus, obtendatur peccantium authoritas, & patrocinium iniquitatis, fiatq̄ sicut sacerdos, sic & populus, irruatq̄ lupus in oues, & dispergat, cum ex pastore factus fuerit lupus uorax, mercenarij quoq̄ inierint fœdus cum lupis, in gregis perniciem. Qui uero bene p̄sunt episcopi, qui hic dicunt̄ & ferè ubiq̄ à Paulo presbyteri, nisi ubi manifeste ætatem solam indicat nomen presbyteri. Tales, inquit, duplici honore digni habeant̄. Episcopi uero ut bene præsint, necesse est esse presbyteros, id est seniores, non tam ætate, q̄ morum grauitate, sapientia, & multarum rerum experiētia, non iuuenilibus affectibus obnoxij. Quales erant Timotheus atq̄ Titus, tales episcopi sensu cani & sacris eruditi sermonibus, duplici honore digni habeantur. Honor dupliciter sumitur, pro uulgari reuerentia, ut est uia cedere aut loco, nudare caput, flectere genu, quæ gratitudinem indicant & appretiationem, agnitionemq̄ donorum dei in honorato: estq̄ magis honorantis q̄ honorati. Aliter, ut hoc loco, honor est munus, eleemosyna, sustentatio, necessariorumq̄ prouisio sufficiens & honesta, quæ debetur doctori: non ut profundat in usus mundanos, sed ut honeste uiuat & modeste, ut sit exemplar omnis parsimoniæ, maturitatis, & contemptus rerum mundanarum, & speculum uitæ Christianæ, hoc est euangelicæ, imò apostolicæ. Hoc duplici potius honore, q̄ duplici prouisione & annona honorentur, cum nihil superflui illos deceat, sed eatenus uictus & quibus tegantur habentes, exercitia pietatis præstare possint, & familiam necessariam educare, minime etiam otiosam, sed ad sacra officia instituendam pro uirili. Si qui uero fuerint presbyteri & antistites præfectiue ecclesiæ, qui non solum præsunt integritate uitæ, consilio prudentiaq̄ administrandi ecclesiastica bona, sed etiam doctores se exhibent, ut laborent legendo, docendo, exhortando, inculcando, & dispensando doctrinam ecclesiasticam, euāgelicam & apostolicam, uerbo & doctrina prosint insigniter uti præsunt. Istis duplex hic honor omnium maxime referatur, tantoq̄ diligentius, quanto sibi suisq̄ sacris illis addicti exercitijs spiritualibus, minus familiæ suæ educādæ prospicere possunt, & de uitæ necessarijs prouidere. Duplici q̄q̄ honore dignus accipi potest, quia eo magis quæ sufficiant simplicem ac honestā suppetentiā assequant̄. Quasi dicere uelit, Hij tales

les diligentius excolãtur, & fidei laborumq; suorũ fructũ uberiorem assequant. Non enim duplum pretiosarum uestium, uel ferculorum sibi comparare docentur, qui frugalitatis specimen esse debent. Hospitalitatis enim & eleemosynarum materia aliunde sumenda foret, de bonis scilicet ecclesiasticis, cuius insuper dispensator sit idoneus.

Dicit enim scriptura, Non infrenabis os boui trituranti. 13

Mos est prouincijs multis, bobus uel equis circumactis triturам facere, quibus sic magnopere laborantibus, crudele fuerit negare cibum, quem alijs parant tanto studio ac sudore. Omnino enim qui ecclesiæ opus exequitur, qui docet, instruit, hortatur, sacramenta ministrat, priuatim seruit uel publice, is dignus est ut ab ecclesia nutriatur & foueatur. Quid autem de illis sentiendum, qui nihil laboranthuiusmodi, nunquam sacra legunt ut doceant, non prędicant, non monent, non consolantur conscientias? Quorum potius omne opus est, in ligandis inuoluendis conscientijs, præceptis & excõmunicationibus: ad populum non loquuntur, nisi suas leges: toti sunt in colligendis, recensendis, augendis & absumendis sumptibus, & pecunijs numerandis. Non solum non prædicant euangelium, sed nec prædicari sinunt, si impedire possunt, nisi coacti timore amittendi luxũ, quæ stum & fastum. Paulus hic tractat & hæc citat de dispensatoribus uerbi dei, non de cantoribus, organistis, monachis, uel nonnis. Quod si in tanto numero hodie ecclesiarũ presbyteri sacras in collegiatis ecclesijs scripturas, ut olim institutum erat, legerent, ad aliquem legitimum fructum, uel audirent ad eruditionem capessendã, ut aliquando idonei surrogari possent ad officium pastorale, digni censerentur suo uictu. Nunc autem boues triturantes, id est agricolæ ipsi, toto anno laborantes, fraudantur durissimo labore suo, uinitores aquam bibere coguntur, cum uxoribus, filijs & famulis dura inedia macerantur, ut uix uiuere & spiritum trahere possint. An non est hoc boum ora constringi & alligari? Interim clericos otiosos & scãdalosissimos fouere, in perniciosissimũ scelus mundi. Quin & inter clericos hi maxime egent qui doctiores sunt, & magis in ecclesia laborãt, quorum fructus propagatos deuorant maiores Canonici, prælati, aut Curtisani, qui uix digni sunt ut à terra sustineantur, animalia uentris, gloriæ, & otio turpissimo scandalum inferentes ecclesiæ, de quibus multo plura dicenda, sed uerbum domini omnia huiusmodi declarabit & iudicabit.

Dignus est enim operarius mercede sua. 14

Indignum graueq; piaculum est, laborantem fraudare sua mercede, uel usq; etiam ad noctem. Operarium autem dicit, non otiosum, non stertentem præ pigritia, non aliorum laboribus, partis inhiantem, & solis uoluptatibus operam dantem. Non sunt operarij, qui tota die in foro stant otiosi, sed qui pondus ferunt laborando diei & æstus. Non qui ludunt alea, & colludunt mulierculis, ac illudunt uino, & lautitijs dissoluuntur: qui otiosi, ad nihil utiles, laborantium sudores exigunt, & necessarijs fraudant. Operarios dicit, qui laborant in uerbo & doctrina, qui bene præsunt, qui gregi aduigilant, qui in ecclesiæ utilitatem profitiunt. Hodiernus autem cantus & soni, uigiliæ & Missæ emptitiæ, nec deo placẽt nec prosunt hominibus. Impediunt magis à melioribus, ab oratione, à uerbo dei ediscendo, audiendo, docẽdo, nec populo nec clero quacunq; in re utilia, in eum usum à patribus nunquam institutum fuisset hoc officium. Merces autem respondet obsequio & operi. Fraus itaq; dicetur & dolus, rapina quoq;, mercedis nomine exigere, cum nihil egeris utile uel gratum cuiquam. A plebe catholica susten-

tari uelle, cui non seruias, nihil prosis, sed obsis maxime & impedias profuturos, aliorum potius tibi rapias mercedes laborum, de sanguine quoq; & sudoribus alio rum sagineris. Vt hodie cernere est in prælatis ecclesiarum & beneficiosis, qui cum sint sceleratissimi, cleri & populi oppressores, & Christi opprobrium, uiolen ter deglutiunt & præripiunt mercedes pauperculis pastoribus ecclesiarum, & ad ructum uorant. A quibus, si quando uicarij populo & ecclesijs, pauperes & ido nei præficiuntur sacerdotes & prædicatores, hij non diutius feruntur in officio, quàm ab euangelio pure, libere ac fideliter prædicando destiterint, statim abijci endi, dum Christum & Christianam disciplinam ac doctrinam, ipsum scilicet uer bum dei, simul ac fidem pietatemq; cœperint asserere, uolentes impedire, ne po pulus sapiat aliquando, & mercedem deneget otiosis indignum, tantumq; de fa cto nullo iure debitũ. Digniores planè, ut alligati asinariæ molæ, abijciantur iussu Christi domini, in profundũ maris, & ut fatuum sal conculcentur ab hominibus. Ligatis quoq; manibus & pedibus, mittãtur in tenebras, ut partem habeant cum infidelibus in sæculo futuro.

15 Aduersus presbyterum accusationem noli accipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.

Non omnino certum, an de episcopo loquatur, an de seniore. Videtur autem de utrisq; accipiendum. Episcopi enim sunt seniores de ecclesia. Seniores prospi cere debent, ut prudentiores toti ecclesiæ pro authoritate senij. Vnde & Senato res uel Senatus dicuntur spectabiliores de ecclesia, etiamsi non uncti sint & rasi. Deniq; tot populi tam magnæ ciuitatis, unius prudentiæ & spiritui niti non de bent, sed de seniorum consilio, quasi senatum habeat, cum quibus iuxta dei uer bum & regulam omnia tractet. Sintq; unius ciuitatis hoc modo plures episcopi, imò presbyteri non tam ætate q̃ sensu & moribus, qui omnes in authoritate ha beantur, & sint in congregatione fideliũ: etiamsi non omnes doceant ac præsint uerbo & doctrina, assistunt tamen episcopo, & presbyteri sunt plebis honorabi les & seniores ecclesiæ. Non enim legimus discrimen fuisse apostolorum tempo ribus intra ecclesiam, ut pars una religiosa, clericalis, spiritualis, consecrata, & ec clesiastica fuerit: alia autem ecclesiæ Christianæ pars maior, prophana, sæcularis, mundana, carnalis & laicalis habita & dicta fuerit. Fuerũt enim omnes Christia ni religiosi, spirituales, utentes hoc mundo, tanquam non utentes, uacantes pijs operibus, & in sua lingua quiq; sacras scripturas legentes uel audientes cõgruis temporibus, & insuper labore manuum uictitantes. Id enim docuit Paulus apo stolus, uas electionis, & insignis apostolus uerbo & exemplo, Vt qui non laborat in ecclesia, non manducet. Quod si qui sæculariter, mundane, carnaliter, & sine timore dei, & sine ecclesiastica disciplina uiuere præsumpsissent, Christiani non habebantur, sed post satanam ire iudicabantur, & euitabantur tanquam hæreti ci, & ad sacrosancta mysteria fidelium non admittebãtur. Seniores itaq; Christia norum bonorum presbyteri dicebantur, inter quos qui uerbo dei & doctrina ua lebat, & donis sancti spiritus nobilior & conspectior, is alijs prospiciebat, præfe rebatur, & episcopus dicebatur & erat: magis officio docendi præcellens, q̃ pote state & imperio, fastu uel pompa: honorifico ut senes decet uestitu, secũdum loca & regiones, ornati procedentes, sine curiositate, pretio uel superfluitate notabi les. De istis presbyteris ecclesiæ honoratioribus, ex authoritate, probitate & sapi entia præstantioribus dicitur, Aduersus presbyterum & grandæuum, maturum uirum & spectatę uirtutis personam, accusationem non recipias, nisi sub duobus aut

aut tribus testibus. Poterant insolentes, à talibus presbyteris correpti & admoniti, facile malignari, & comminisci mendacia, redundaret autem hoc in probrum ecclesiæ, eleuaretur authoritas uirorum grauium. Ideo non facile admittendi calumniatores uel audiendi, ne ansa præbeatur leuibus personis, temere lacescendi seniores ecclesiæ. Omnes Christiani pie religioseq; uiuentes, ecclesia nominabantur. Licet nõ abessent hypocritæ & pseudochristiani, sed de secretis cordium deo non ecclesiæ iudicium defertur. Non uno uel duobus testibus, sed pluribus tam spectabiles uiri, à facie & conuersatione accusari debebant. Ne facile concinnetur mendacium contra honestos ab indignis & leuibus, uindicare se uolẽtibus de castigatione digna. Sicut de Quadrato legimus in historia Alexãdri Papæ sancti: ideo probabiliore testimonio opus est contra prælatos & magistros aliorum, conuincendos de inhonestate.

Peccantes coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant. 16

Hoc eadem ratione ad presbyteros referendum, ut si quis senex impius publice insolenter peccet, ut fide dignis testibus & multis crimen testari possit, cum id cedat in scandalum plurimorum, & totius ecclesiæ & Christianitatis. Hij sic convicti, publice & coram omnibus argui debent, ut timorem habeant cæteri, & personarum acceptio nullum locum prorsus inueniat in ecclesia dei. Necq; omnia hypocritice in ecclesia agi uideri possint ab infidelibus, utq; criminũ castigatio scandalũ tollat ecclesiæ innocentis: quæ non tam ex innocentia uitæ, q̃ ex zelo quoq; diuinæ gloriæ, & Christianæ honestatis dinoscitur. Non sunt quidem omnes in ecclesia innocẽtes, crimínum autem osores, uindices & zelatores, omnes esse debent uere ecclesiastici. Cumq; uiderint extranei, etiam presbyteris & maioribus non parci uel conniueri, sibi quoq; minores non parcendum nouerint, si fuerint deprehensi in ecclesia criminosi. Nihil hic præscribit diuus Paulus de correctione episcopi in specie, tum quia Timotheus probatæ erat & habebatur sanctimoniæ, tum quia in primitiua ecclesia episcopi assumebãtur ex pluribus sanctis sanctiores. Verum presbyteri nomine satis indicatur, coram pluribus & omnibus arguendos etiam episcopos, si scandalosi fuerint. Quantoq; lues contagiosior, si episcopus obnoxius sit criminibus, tanto adhibitis sufficiẽtibus attestationibus, durius ac seuerius de eo iudicandum erit. Hic iterum & semper episcopi & presbyteri nomine, ecclesiæ præfectus & parochus quilibet intelligi debet, nõ magna rum tantum urbium, & præfecturarum antistites. Ex horum enim doctrina & moribus pendet profectus detrimentumq; ecclesiæ: longeq; maturiore cõsilio deligendi sunt testimonio plebis piæ, & non tumultuose suffragio, q̃ magistratus ciuitatum. Vbi non modica adhibẽda diligentia est, ut q̃ integer fama ac moribus, rerumq; experientia, & spectata probitate probatus & conspicuus deligatur: nisi maioris æstimare uelint rectorem ciuium, q̃ doctorem animarũ. Verum sicut superius Paulus de Viduis, quę uere uiduæ essent, tractãs, eas specialiter docuit, & tamen generalem regulam scripsit de domesticis omnium maxime fouendis: sic hoc loco uidetur, loquens de presbyterorum arguitione & contestatione, sub inferre scilicet regulam generalem, de omnibus publicis & scãdalosis in ecclesia peccatoribus, ut tales coram omnibus ab episcopo arguantur, quo cæteri timorem habeant similia committendi. Sicut & gnome est, crimen non facile imò nunquam recipiendum, nisi appareant & conuincant illud clare testes idonei. Sicut & in lege Mosis, & passim in sacris literis, generales regulæ notantur, cum de negotijs & personis spiritualibus sermo incidit, à quibus nemo episcoporum exclu-

ditur, omnium autem maxime is qui uult haberi & dici maximus: tantum abest ut feratur ab ecclesia, qui ecclesiam tam grauiter scandalizat.

17 Testificor coram deo & Christo Iesu, & electis angelis eius, ut hæc custodias sine præiudicio, nihil faciens in alteram partem declinando.

Sub contestatione generali immensæ prouidentiæ dei, omnia cernẽtis & gubernantis: & domini Iesu Christi, qui ut uerbum dei patris, æque immensus, nobiscum semper est, & ubiq; præsens usq; ad consummationem sæculi, ut sit caput ecclesiæ & rector, omni præditus potestate in cœlo & in terra, patri consubstantialis: & quasi in prospectu angelorum, & spiritualium ministrorum dei, qui fidelium sanctis negotijs iugiter intersunt, Ego te, ô Timothee, adiuro & obtestor, ut præceptor discipulum, ut non patiaris aliquod fieri præiudicium uerbo dei, quod me referente & docente audis ac suscipis, quin præcise insistas illi, tanquam regulæ ueritatis, & Christianæ doctrinæ, ne quomodolibet detrimentum patiatur pura ueritas, labefactetur & adulteretur, sicut fit à pseudodiscipulis. Nihilq; cõmittas declinando in alteram partem, hoc est, præter fidei regulam & scripturæ: nihilq; doceas unquam iuxta humanum sensum, & iudicium carnis. Vel secũdum alios, ut nihil iudices, etiam sub testibus paucis uel pluribus, cum præcipitatione iudicij, inconsiderate, friuole uel inconsulte, utpote ætate iunior, & feruentiore ingenio, & præuolatili. Ne iudicando indulgeas affectionibus, & inclinationi naturæ, ac propensiore animo in ea quę libent & placent, sed circumspecte iudices, mature, præhabita matura deliberatione, non iuxta naturæ sensum, & personarum acceptionem, sed iuste, æqualiter & fideliter pronuncies. Sicut constitutus in oculis domini dei & Iesu Christi, & angelorũ, ut similiter nos quoq; à domino & Christo Iesu iudicandos cogitemus. Discimus hoc loco primum, & inuitus ueniat Apostolus ad mandandum ac præcipiendum, obtestatur potius, & precibus contestatur: deinde semper deum habere præ oculis, ut iudicaturum nostros cogitatus & opera. Nihil præcipitanter, nihil præter regulam uerbi dei, nihil ad gratiam uel displicentiam personæ, sed iuste iudicet episcopus. Angelos quoq; dei discimus mitti in ministerium & testimonium actuum nostrorum, quos & reuereri semper debemus, & cauere à peccatis, non solum deo & Christo domino aspicientibus, sed etiam angelicis exercitibus, qui assistunt semper nobis, & contemplantur actus & uerba, interim tamen in cœlis patrem aspiciunt, & beati fruuntur. Id uero episcopo faciendũ non solum in iudicijs, sed in omnibus administrationibus, ut prouide, fideliter, syncere & candide agat omnia, is qui præest ecclesiæ episcopus.

18 Manus cito nemini imposueris, neq; cõmunicaueris peccatis alienis.

Apostoli mittentes ad fidem prædicandum ac euangelium aliquos, uel officium uerbi imponentes, utebantur manuum impositione, in signum approbationis acceptũ à Christo, dabaturq; talibus spiritus sancti donum, ad hoc idoneum, ac sufficiens in ecclesia. Quia uero tunc subintrabant multi pseudapostoli, & mali Christiani sese admiscebant, obq; quæstum & gloriam, opus apostolicum tentabant, ideo Apostolus præmonet Timotheum, ut prospiciat sibi, ne his officium prædicationis mandet ac delegat, nisi prius fidem, mores studiaq; digna probe cognouerit, ne malę & erroneæ doctrinę illius & seductionis, ipse causa uideri possit, qui tales ad id ordinauerit: neq; error humanus et falsitas spiritus sancti doctrina æstimetur, qui manuum impositione uel dabatur, uel dari significabatur. Erat enim attestatio quædam sanctitatis in doctrina ac uita, quæ non cito exhiberi debebat.

bebat. Qui enim impium doctorem instituerit, errorum illius & seductionis in populo causa erit, taliumq; peccatis & erroribus communicabit semper. Summopere igitur discutienda fuerit prædicatorum doctrina, studium, mores & uita, hoc est prælatorum ecclesiæ, quorum primarium officium est, docere uerbum ueritatis.

Teipsum castum custodi. 19

Caste hactenus & pure uixisti, ô Timothee, iuuentutemq; tuam disciplinis seuerioribus instituisti, ad facilius castitatem conseruandam, eam posthac quoq; diligentius serues: non ut tuapte uoluntate castus sis, cum dei solius donum sit castitas uera, sed in seruitutem redigere, ac abstinentijs crucifigere, & comprimere fomitem studeas ut hactenus, ut ea ualde conducunt castitati seruandæ, in integra potissimum ætate, dum sanguis feruet & caro. Verum sic serua abstinentiam, ut ne quid nimis, ne per corporis imbecillitatem, & nimiam attenuationem periclietur corporis ualetudo, & impediantur opera necessariæ charitatis. Ideo subdit consequenter.

Noli adhuc aquã bibere, sed modico uino utere, propter stomachum 20
tuum, & frequentes tuas infirmitates.

Ne posthac, ut hactenus consueuisti, solam aquam bibas: quæ licet non omnibus, tui tamen corporis obest ualetudini, ne dum forte nimiũ castigas corpusculum, sub onere magnopere portando succumbat. Non propter se bona & eligibilis est maceratio corporis, sed propter uirtutum exercitia. Aqua quidem, nõ asuetis multis rationibus incommodare potest. Et insuper tui corporis conditio non fert nimiam. Vino tibi opus est, non omnibus: nec id ad libidinem gustus, sed ob stomachũ debilem. Eo igitur posthac utere ad necessitatem, sed modico: nisi enim debilitas id exigeret corporis, uini abs te potum neutiquã exigerem. Nos, etiam religiosi professione & habitu, puelli etiam uinum bibimus, adolescentes facti potamus, uiri inebriamur. Monachi & clerici nefas & miseriam putant aquæ potũ, & pœnam intolerabiliorem. Episcopi non nisi exquisita uina ac electa potant. Sic præstamus apostolicos. Nimius quicunq; potus, etiam aquæ, in uitio est, multo magis uinum. Non quid bibas uel comedas, sed quantum curandum prudentibus & religiosis, imò & medicis. Modus est potationi ponendus, ut quantũ seruiat incolumitati bibatur. Non mittit Apostolus ad medicas purgationes & confortationes, sed dietam indicit & parsimoniam, optimam studiosorũ medicinam.

Quorundam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudi- 21
cium: quorundam autem & subsequuntur. Similiter & facta bona manifesta sunt: & quæ aliter se habent, abscondi non possunt.

Præuenire dicuntur iudicium, & non indigere cõtestationibus, ea hominum multorum peccata, quæ manifeste, inuerecunde & audacter committuntur, in prospectu hominum, & totius ecclesiæ. Huiusmodi peccata ad publicum etiam iudicium delata puniantur: nec ibi multis opus fuerit testimonijs, & inquisitionibus scrupulosis. Illa quoq; tu solus punire potes, & ecclesia debet. Quæ uero peccata sequuntur iudicium, id est nesciuntur nisi idoneis & paucis testibus coram iudicibus comprobentur: hæc possunt abscondi, & secreta admonitione uel correctione corrigi ab episcopo & alijs, quę alioqui deo iudici et extremo iudicio seruabuntur. Non omnia hic puniri & emendari possunt. Non sunt de foro episcopi uel ecclesiæ nisi manifesta. Similiter & bona opera.) Quædam manifeste

fiunt, non egentia multa discussione: nec siniſtre criminari possunt, ob suspicionem occultæ imperfectionis, quasi scilicet, licet bona sint, tamen quia mala conscientia fiant, ideo ueniunt improbanda uel abscondenda. Licet enim omnia nostra opera re uera sint defectuosa, & si diuino sistantur iudicio expendenda, mala deprehendantur. Quia tamen speciem mali non habent, non sunt obmittēda uel occultanda. Quæ uero aliter se habent, bona uidelicet sunt in apparentia, peniti⁹ autem omnino mala: illa suo tempori & iudici abscondi non poterunt. Nisi quis sic intelligere hunc locum uelit, ut dicatur, Homines quidam nunc sic uiuunt, ut ex eorum operibus, manifeste improbis, antequam moriantur, uel à deo iudicentur damnandi, à nobis peccatores agnoscantur. Quorundam peccata mala quidem sunt, sed in hac uita sic fiunt, ut uel dubia uel occulta cum sint, non iudicari possint ab hominibus, deo autem soli post hanc uitam iudicanda reseruantur: de quibus nihil ad nos, suo domino stant uel cadunt. Vicissim hominum quorundam opera clare bona uidentur, à nemine nisi improbo criminanda, ea à nobis laudanda sunt, de eis nemo ob uerecundiam præpediri, uel propter siniſtrum oculum obmitti: quandoquidem sunt qui omnia bona opera infamare gaudent & student. Sunt tamen & opera in speciem tantum bona & hypocritica, quæ ut deo manifesta sunt & ignota hominibus, suo tamen tempore apparebunt qualia fuerint. Nihil enim opertum, quod non reueletur. Abstinentia autem à uino, & similia, nec manifeste bona sunt, nec mala, sed pro iudicio dei & rationibus secretis, necessaria uel indigna, grata uel ingrata, suo tempore apparebunt, & discutientur à iudicio diuino.

CAPVT VI.

1 QVicūq; sunt sub iugo serui, dominos suos oīmi honore dignos arbitrentur, ne nomen domini & doctrina blaſphemetur.

Emptiq; seruuli infidelium dominorum ab idololatria conuersi, ad unius ueri dei fidem, patienter subinde ferant obedientiæ iugum ac laborem, & sortem conditionis suę, & statum miserum. Nec quia ad Christum conuersi sunt, fraudare tentent dominos suo seruitio, ut trāsfugæ fiant & profugi ob fidem dei, quasi contemnentes dominos ob infidelitatem, quibus se Christianos seruire secundum corpus indignum putent, sed magis obsequijs humilibus seruituti satisfaciant, ab omni offensa temperantes sibi, honore debito colentes dominos suos, & dignos arbitrantes, à deo sibi præpositos cogitantes, non casu obtigisse uel fortuna. Sed sic esse domini uoluntatem, ut boni exerceantur à malis, ut mali, cum deo placuerit, conuertantur à bonis. Vt inclarescat uirtus seruorum dei, & Christi gloria à suis sectatoribus illustretur, ut seminarium seditionis non detur ethnicis, & occasio malignandi infidelibus contra pios. Ne nomen dei optimi maximi & solius, per idololatras blaſphemetur, quasi non æquus sit, qui iubeat dominos suis destitui seruis, & passim gentiles irritari à Christianis seruis profugis, sicq; pacem infringi, obedientiam cassari, maiores sperni, promissa negari, commercia rumpi, debita non reddi, deumq; uerum insolentia seruorum illius apud impios blaſphemari. Similiter & doctrina euangelica infamabit, si eius professores mundi ordinem, & magistratuum dominorumq; in temporalibus obedientiam detrectauerint, & oīmis religio Christiana propter eos male audiet, & in Christi doctrina scandalizabuntur idololatræ. Qui potius ad mentem meliorem, exemplo fidelium ædificandi fuerant, alliciendi & conuertendi, unaq; nobiscum aliquando dominum deum nostrum glorificaturi in seruis suis. Voluit & Iudæos dominus

obedire

obedire regibus infidelibus, pro eis rogare, tributa pendere, pacẽ fouere. Et Christus Cæsari iussit reddi, quæ debita sunt Cæsari. Petrus quoq; in sua epistola multa huiusmodi. Aufert quidem baptismus, id est professio Christiana, peccati dominium, sed ab heri dominatu & sæcularibus obligationibus nõ eximit, siue id graue seruitium sit & tyrannis, siue leue, & secũdum sæculum licitum, non est tunc disputandum, sed potius humiliter obsequendum. Si uero seruus commode possit & honesto modo liber fieri, non obmittat. Si dominus seruum manumiserit, ut & ipse à seruitute peccati liberetur à deo, optime fecerit, & ad id est inducendus opportune, non contemptu, uiolentia, temeritate & diffamia euangelij, iugum erit excutiendum.

Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres 2
sunt, sed magis seruiant, quia fideles sunt & dilecti, quia beneficij participes sunt.

Si qui conditione mũdana, & diuino iudicio imperscrutabili serui facti sunt, & seruili sorte oppressi, si dominos sortientur uel habuerint Christianos, nõ ideo eosdem minus reuerenter tractent, non segnius obediant uel seruiant, quasi indigne ferẽdo parem, Christianũ uidelicet Christiano obsequi. Pares equidem sunt in Christo, & fratres in fide, sed nõ in huius uitæ & sæculi fortunis, sicut & in dei beneficijs non omnes sunt æquales. Sic enim unicuiq; homini deus prospexit, & præordinauit uitæ ordinem, statum & exercitium, in quo creatori suo seruiat, commensurauitq; grauamina, ut incertum habeatur, seruorũ ne an dominorum conditio generaliter tolerabilior fuerit, pro dotibus naturæ tam differẽter passim impertitis. Quin potius tanto promptius & alacrius eisdem seruiant, quanto ob Christi religionem mitius & mansuetius tractantur à Christianis dominis serui Christiani, & ad prophana & sacrilega seruitia minus compelluntur, sed pacifice quæ Christianæ religionis sunt exercitia sancta permittunt. A quibus & diliguntur in Christo ut fratres, instruuntur ut discipuli, & tanquam filij beneficijs afficiuntur, & sunt insuper omnium bonorum participes in Christo. Duplici nomine promptius Christianis dominis seruiant q̃ ethnicis, tum quia domini eorum sunt, tum quia socij religionis seruulos suos non contemnũt. Si enim fideles sunt domini, seruos suos tractabunt ut fratres potius q̃ ut seruos: diligent magis, contemnent minime: beneficijs afficient, & immoderatis grauaminibus minus oppriment: bonorum suorum eos participes æstimabunt & facient. Quod si crudeliter & absq; humanitate tales seruos tractauerint domini, ostendent facto non se tam Christianos esse, q̃ Domitianos & perfidos. Tolerandi tamen nihilominus sunt domini etiam discoli, quandiu contra deum & Christianã iustitiam, & Christum uniuersorum dominum nihil imperauerint. Alioqui deo oportebit magis obedire quàm hominibus, quamlibet mundana potestate contra deum turgidis.

Hæc doce & exhortare. 3

Talia episcopum docere decet, non solum maiores & dominos, sed etiam infimæ conditionis & sortis homines. Seruos hominũ non negligere. Docere autem ea quæ pertinent ad pietatem, ad trãquillitatem, publicam pacem, ac ad iustitiam etiam humanam, ne suscitetur dissidium in ecclesia, ne per inobedientiam subditorum, ordo ciuilis & humanus confundatur. Exhortari quoq; debet episcopus eos quos uiderit cessantes & cunctabundos, quo crebrius admoniti & consolati subditi atq; serui, leuius portent onus à deo impositum, pro quo dei fauorem ac beatitudinem consequi possint. Non docet eos libertatem carnis & mundi, quæ

sæpe præcipitat, sed quæ in Christo est, patientiam & longanimitatem.

4 Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, is inflatus est, nihil sciens, sed insaniens circa quæstiones & uerborum pugnas.

Aduerbium Aliter refertur ad apostolicam doctrinam, quæ tam in superioribus q̃ subsequentibus describitur. Si quis, inquit, iuxta proprium sensum, & leges nationum, iuxta erroneam hominum rationem ac philosophorum opiniones docuerit, & non credit uel appretiatur aut acquiescit ex conscientia doctrinæ salutari & ueritatis, sanis, immaculatis æquissimisq̃ sermonibus domini nostri Iesu Christi, sed introduxerit alios &c. Tantum enim istis sermonibus adhærẽdum est, Christi scilicet domini, hæc tantum docenda, hæc sola doctrina est pietatis, secundum quam domino seruire & placere poterimus fideles, de qua sola certi sumus, quia Christi est, qui ueritas est, qui in apostolis & sanctis loquitur, à quo accepi quod & trado. Eam scire ac sapere, pietas est; eam negare, impietas. Is (ait) inflatus est.) Superbia siquidẽ est, sensum proprium præferre dei uerbis. Omnis enim eruditio alia à fide Christi inflat, & tumorem mentis excitat; in se confidere, de proprio iudicio & sensu præsumere facit, contemptui habet omnem simplicitatem spiritus, scripturæ & stili. Cumq̃ crasso carnis intuitu eam attingere non potuerit, despicit, & stultam pronunciat. Non enim quæ spiritus sunt carnales capiunt, sed dum credunt se sapientes esse, stulti nimirũ fiunt. Nihil sciens.) Hoc unum sciet, si quicquã scit, quod nihil sciat. Qui deum ignorat, qui in Christum scopum sacræ scripturæ ueteris & noui testamenti finem non credit, qui nititur humanæ rationi erroneæ, cum sit omnis homo mendax, & comparatus iumentis insipientibus, quid scire poterit? Scientia non est nisi certæ ueritatis agnitio. Christus autem ueritas est, & lux mundi, præter quem omnia tenebræ sunt, & ignorantia atq̃ stultitia. Sed insaniens circa quæstiones & pugnas uerborum.) Longo quidem tempore post apostolorũ excessum, quæstiones & pugnas uerborum paucas fuisse, licet nunquam defuerint, satis clarum est; sed & hæreticorum demde discordias & pugnas nemo nescit. Verum perinde ac nunquam fuerint per Vniuersitates nostras, hæc disceptandi stultitia disseminata est, ab illarum infelicissima hactenus matre Parisiensi. Quæ & insanire fecit omnia illustria ingenia, & languere iamdudum & turpiter circa quæstiones futiles, & insanas uerborum pugnas, ex quibus tot miseri quæstionarij & sophistæ prodierunt, nihil certum uel integrum relinquentes, sed dubijs quęstionibus, ac tot suis sectis omnia inuoluentes, Iusto itaq̃ iudicio dei palpabiles istas tenebras inciderunt, quia sanos sermones domini neglexerunt, sacras literas pro minimis duxerunt, subsannauerũt, & philosophicis suis stultitijs postposuerũt. Si quis ex ea scriptura sacra quidam in Sorbonicis suis sordibus allegare uoluisset, contra suum Aristotelem uel Lombardum, prophetalem uel apostolicam sententiam, contra sua decreta & articulos, statim scrupulos innectere studuerunt suis distinctionibus, & sophisticis diuerticulis, ad inuoluẽdum claram ueritatem, uere Scoticis tenebris; insuperq̃ ridere consueuerunt, uelut indoctum theologũ, qui sacras scripturas diligentius tractare uoluisset. Non est ut id inficias ire possint iamdudum sic actum, cum solenne illis disputatoribus sit, cauere ne authoritate scripturæ utantur in suis Sorbonicis disceptationibus: quandoquidem in dubium sensum trahi consueuerint in istis scholis. Quæ si theologicæ dici mereãtur, & non potius diabolicæ, prudentis esto iudicium. Et tamen sic esse & fuisse ante hæc nostra tempora hominis testabuntur

stabuntur & illorum scripta, longe diuersa ratione & fide à bonis istis & sanctis patribus, qui in monasterijs Regularium & monachorum olim ecclesiasticā doctrinam promouere conati sunt, ut fuerunt Beda, Alcuinus, Rabanus, Haymo, & similes multi. Indicium sanè horribilis iræ diuinæ in huiusmodi Scholasticos, ob perfidiam illam suam, qua uerbum dei neglectui habere non timuerunt, & humanis traditionibus pro omni uirili oppugnauerūt simplicem ueritatem, cui prætulerunt suum sensum, fastum & quæstum.

Ex quibus oriuntur inuidiæ, cōtentiones & blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum.

Vt de tot hæresibus taceamus, ante tempore Augustini ecclesiam molestantibus, & inuidiam episcoporum tempore Arrianorum, de contentionibus & blasphemijs synodorum quarundam. Quid nostris uidimus temporibus? tot simultates inter Vniuersitates, quas uocant, in eadem Vniuersitate, inter uias Antiquorum, Modernorum, Realium, Nominalium, Prædicatorum, Minorum, ob quæstiones & pugnas uerborum, quot & quāta scandala publica, quot imposturas & insanias, usq; ad sacrilegia. Tot scriptores in sententias Magistri, quorum nullus non impetit alios omnes, uellicat & improbat. Quin & consentiūt omnes falsos articulos sui Magistri Parisiensis, solenniter improbātes, ut in illis Magister non teneatur. Hodie autē ferè omnes concordant mirabili & execrabili consensu aduersus tractantes diligentius sacras literas & Euangelium Christi, proq; uiribus conantur scripturam uel trahere ad suos sensus & abusus propugnādos, uel ad labefactandam sacrosanctam authoritatem eius, quam non maiorem conātur asserere, q̄ suos articulos uel patrum sententias. Sed ut omnes conspirent contra canonicam scripturam, nihil tamen efficient, frustra conabuntur contra fortissimam ueritatem & uerbum domini. Infatuauit hodie sapientia dei magistros illos nostros, & in agnitionē suę uoluntatis transtulit, ut uidemus, paruulos, plebeios, piscatores & agricolas, mulierculas quoq; & uirgines, & quotquot non sunt inflati spiritu Aristotelico, & superbia mentis suæ, ut honorem & iudicium suum præponant clarissimæ ueritati & fidei. Suspiciones malæ) dicuntur, dum alterum alter hæreticum iudicat, ac proclamat excommunicatum, de hæresi suspectum, in ira dei, in potestate diaboli, in excommunicatione Papali, ob solas negatas traditiones humanas, & Scholasticos articulos, quę tamen ex sacris literis probari non possunt, & quæ nunquam certam apud omnes obtinuerant authoritatem, sed quibus semper fuit reclamatum sacris literis. Superuacaneæ conflictationes hominum (ait) mente corruptorum.) Fortassis dicet quispiam, hodie conflictationes huiusmodi augeri, eo quod receditur à placitis magistrorum nostrorum, & ab Vniuersitatum articulis, dum mare & Alpes non sinuntur transcendere determinationes Parisiēsium. Sed quis probabit superuacaneas eas esse uel habendas conflictationis causas? cum sint de lege dei discenda & docenda, de euangelio, de fide, peccato, sacramentis, libero arbitrio, deq; solis asserendis diuinis scripturis, non de opinionibus philosophorum, & logicis uel metaphisicis. Omnia quoq; tantum cōtra theologastros geri & quæstionarios opinatores, magis q̄ contra doctores catholicos. Quis dicet superuacaneas conflictationes, si de linguarum proprietate & dialectis disputemus, circa literam interpretandā simpliciter ueteris & noui testamēti, ad inquirendum germanum sensum sacræ scripturæ? Cui soli inniti debent dogmata ecclesiastica, & fidei Christianæ articuli. Num dicētur esse humanæ quæstiones, quæ solæ uersantur circa literas diuinas,

& organa ſancti ſpiritus, in quibus eſt uita & ueritas? Quis mente corruptos di-
cet eos, qui ex uerbo dei, cui diligenter & cum fide toti incumbunt, digladiantur
tanto zelo contra luxum, quæſtum ac faſtum eccleſiæ ſatraparum, contra tot pu-
blicos, notiſſimos peſtilentiſſimoſq; abuſus, eorum qui ſibi arrogant regimen ec-
cleſiæ, quam potius conculcãt uerbo & exemplo? Quomodo corrupti ſunt men-
te, qui ante omnia fidem inculcant in deum, ſpem erigunt, charitatem ſuadent,
opera uere bona, quia à domino mandata & approbata commendant, urgentq;
fortiſſime?

6 Et qui ueritate priuati ſunt, exiſtimantium quæſtum eſſe pietatem.

Quid illis iuſtius obtingere potuit, q̃ quod ab eis ablata eſt ueritas, tam indi-
gne tractata, tot ſtudioſe dubijs inuoluta, tot opinionibus conſpurcata, & omni
ſua ſpecie & gratia deſtituta, ut ludibrio haberi cœperit Chriſtus ipſe, & ueritas
ſacra ſcriptura? Quis em̃ eam aliquot iam ſæculis digne tractauit, quibus lingua
rum ſtudium nullum curæ fuit, ſine quibus nihil agitur in ſacris libris? Sed defue-
runt iudicio dei libri, præceptores, imò potius deerant ſacrarum rerum admira-
tores & ſtudioſi, dum interim omnes humana ac uana admirarentur, dum ho-
nores, titulos inanes, & diuitias ambiunt, dum fides uera non inuenitur in mun-
do, iuxta prædictionem Chriſti, dum nemo audet contradicere magiſtris noſtris,
dum ueritatis Apoſtoli concremantur, dum homo peccati ſedem occupat Chri-
ſti, & humilitatem Chriſti opprimit maieſtas Antichriſti, hominumq; traditiones
præferuntur diuinis legibus. Et ex tot magiſtris noſtris Pariſienſibus uix unus &
alter inuenit̃, qui ſacras literas totas tractarint ſuo more, pius Nicolaus Liranus,
Albertus magnus doctus, & Carreñ. Hugo laborioſus. In Magiſtrum autem Pa-
riſienſem commentatores ac quæſtionarios ſupra ducentos nominare poſſimus,
quos extare comperimus nobiles & famatos. Exiſtimantium, inquit, quæſtum
eſſe pietatem.) Dei uerus cultus, id eſt pietas, eſt, fide, ſpe, charitate deum colere,
nihil antiquius ducere q̃ deo placere, uerbo dei meditando & perficiendo inſiſte
re, die noctuq; legem domini meditari, ſcrutari teſtimonia dei, promiſſionesq; di
uinas, & toto corde confidere, proximo bene uelle, benefacere, & ut ſeipſum diſ
gere, de ſeipſo diffidere, peccata propria plangere & odire, dei miſericordiam im
plorare ac ſperare, inq; Chriſti mediatoris & ſaluatoris noſtri ſolis meritis præſu-
mere, &c. Hanc ueram pietatem alij exiſtimauerunt implorare ſanctos, colere pa
tronos, ornare reliquias eorum, peregrinationes inſtituere, canere uerba dei, &
cantica hominũ, in honorem ſanctorum, Horas canonicas irregulariter legere,
dicere uel orare. Quis autem unquã orauit Geneſim? Quis intellexit ex eis pro-
phetas? Deniq; ſacerdotiorum cenſus augere, Miſſas multiplicare, emere, uende
re, lumina incendere mortuis, imagines colere rebus pretioſis, offerre argentum,
aurum, animalia, homines, uinum, frumẽta, fructus, extruere baſilicas grandes,
dedicare altaria, uotaq; & ordines inſtituere infinitos. Quis negabit hæc nunc &
hactenus à multis & magnis exiſtimata eſſe ipſiſſimam religionem & pietatem?
Quis neſciat hæc eſſe quæſtum? Nónne his modis deus, imò ſancti dei homines,
contra uoluntates ſuas coluntur à Chriſtianis nomine? Quis hunc cultum ferat
ſubuerti? Nondum diximus de quæſtu confeſſionum, confeſſionalium, diſpenſa
tione uotorum, redemptione purgatorij, ſacramentorũ omnium Simoniacis con
tractibus, ieiuniorum indictorum redemptionibus, indulgẽtijs plenarijs, epiſco-
porum caſibus. Et quis hæc omnia commemoret, quibus adauctus eſt queſtus in
immenſum? Nónne religioſiſſimus dei cultus eſt, mendicantibus quatuor ordi-
num in primis, maxime autem ſacerdotibus eleemoſynas largiri, cum illis ſepe-
liri,

liri, & in eorum habitibus, eo ipso quoq; tertiam partem pœnarum in purgatorio expiari, confraternitates illorum emere, uel eleemosynis promereri? Certe hæc homines existimauerunt, sic edocti ab auaris, acceptissimum dei cultum haberi, peccatorum propitiationem, ampla merita, arram felicitatis æternę, uiam salutis. Et si quis omnibus istis contradixerit, excommunicatus & hæreticus habebitur, dignus morte corporis & animæ. Hic appello omnes nostri sæculi homines, pios & impios, clerum & laicos, si non hæc sic dicta, credita & facta fuerint generaliter toto orbe Christiano, ut posterius sæculum uix, nisi extarent libri, talia crediturí sint. Et quid in uniuerso clericorum statu non resipit quæstum? Nihil de hoc idolo abominationum, stante in loco sacro, de hoc infernali quæstu, & satanæ cultu satis atrociter dici potest, pro tanto abusu nostrorũ temporum. Sed uerbo dei interficietur propediem hoc idolum auaritiæ & mendacij, domino propitiando ecclesiæ suæ.

Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia. 7

Si quis omnino quæstuosus esse uelit, & ueras consequi diuitias, is discat sua sorte esse contentus, præsentis uitæ necessarijs tantum rebus fruatur, dominum deum suũ colat in spiritu & ueritate, dives in fide & charitate, ac uerbo dei. Mundum cum sua concupiscentia contemnere, congerendis diuitijs studeat non instare. Multa conquisiuit, & abundãter thesaurizauit sibi, qui pietatem obtinuit.

Nihil enim intulimus in hunc mundum, hauddubium quia nec aufer 8
re quid possumus.

Diuitiæ huius mundi, ut aurũ, argentum, agri, possessiones in hoc mũdo, nostre tempore præcesserunt, nondum nobis natis erant, nihil harum rerum intulimus. Animam nostram creauit dominus, corpus nobis aptauit, fauor dei præcessit generationem nostram, à nobis nihil uel nobiscum huic mundo intulimus, omnia quoq; post nos relinquemus. Corpus terra mater suscipiet, Spiritus ibit ad deum qui dedit illum. Nihil ergo soliciti simus de terrenis, nec etiam in crastinum, multo minus & aues cœli. Qui autem hodie insatiabiliores colligunt diuitias huius mũdi, quæstumq; sectantur & turpe lucrum, & illi ad quos loquitur hoc loco dei uerbum, Christus in Apostolo, regula pietatis, ad episcopos & presbyteros ecclesiæ Christianæ? Nihil quidem inferunt, nec exportant, sed interim comportant semper diuitias iniquioribus usibus profuturas. Mundum nunc illi possident, & à mundo possidentur, alieni à Christo. Efferent autem secum ex hoc mundo conscientiam criminum, dei terribile iudicium, diffamiam ad posteros, exemplũ pessimæ, animæ damnationem, successorisq; subuersionem & scandalum, & certum periculum damnosi luxus & fastus.

Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. 9

Quanquam hoc pertineat dictum ad Christianos omnes, & Christi discipulos, omnium tamen id maxime episcopos attinet, ut usum omniũ rerum suarum naturæ & necessitatis finibus metiantur, ut corpus alatur, non oneretur, pingue fiat, luxurietur, non tractetur tenerius, sed ad cõmoditatem & parsimoniam alimenta suscipiat. Tegatur necessario amictu, minime pretioso siue superfluo aut curioso. Hic locus necessario tractandus semper nostris prædicatoribus, ante omnia ad hoc nostrum sæculum, cum uidemus tantum luxum in uictu & amictu, ut ditissimus hic nobis mundus minime sufficiat. Quomodo nunc adaucta sunt omnia, augenturq; indies, sine discrimine opum uel personarum, ad intolerabilem iacturam patriæ, euacuationem totius terræ fomentum omnium uitiorum,

oppreſſionem pauperum, perfidiam populariũ, tyrannidem diuitũ, fidei Chriſtianæ ludibrium, ſcandalũ infidelium, Chriſti domini noſtri blaſphemiam. Hęc, inquam, iugiter ſunt & ſtrenue inculcanda, nemo hanc ſedulitatem non probabit, negabit nemo, ueriſſima atq; damnoſiſſima eſſe & peſſima omnes norunt, deteſtantur ut malum quiſq; in alio, nemo autem emendat in ſeipſo, præcones eccleſiæ tacent, arrident, æmulantur, canes muti, quorum animæ requirentur, de ſcandalo iudicabuntur, quin & domini ſacerdotes & pontifices maximã ſibi gloriam ducunt contrarie uiuentes huic apoſtolico præcepto, quum haberi uelint maximе apoſtolici.

10 Nam qui uolunt diuites fieri in hoc ſæculo, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociua, quæ mergũt homines in interitum & perditionem. Radix enim omniũ malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes, errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.

Qui diteſcere deſiderant uel ſtudent, aut impenſius cupiunt diuitias, tentantur grauius. Non loquitur autem hic Apoſtolus de his qui non magnopere opes uolunt, ſed ſi affluant diuitię, non cor apponunt, ututuntur tanquam non utantur, grati deo de donata affluentia, magis q̃ parta multa ſolicitudine & cura. Sunt eñ quibus parum etiam & frigide annitentibus occurrunt diuitiæ: ſunt qui multis laboribus nihil aſſequuntur, uane moliuntur, quos fugit mammona. Diuites fieri, cum pauperes fuerint, qui euincere conantur ſua fata, qui perſequuntur diutias fugientes, præſtaret tales æquanimiter ferre ſuam ſortem, ex neceſſitate foremare uirtutem. Non enim omnibus diuitiæ proſunt. In hoc ſæculo.) Si in futurum reponere conarentur theſauros, ubi nec erugo nec tinea corrumpit, ſanctе agerent, tutoq; uiuerent ac ſine periculis. Si diuitijs ſpiritualibus, fide, patientia, pace, charitate & ſapientia uera diteſcerent, Chriſtiani eſſent. Incidunt, inquit, in tentationes.) Volentes nolẽtes permiſſione dei, & diaboli machinatione, contra ſuam conſcientiam, famam, uitam, ſalutem, contra deum & ſcripturã aliquando tales moliri quædam contingit, ex affectu & deſiderio lucri turpis. Cum prius quam diteſcere conarentur uel inciperent, ea ut mala, pernicioſiſſima abhorruiſſent. Sic autem fit plura beneficia uel ſacerdotia poſſidentibus, & theologis magiſtris, ſi Curtiſanorum praxim inciderint, & bonis uiris, ſi multa proles accidat, quam ad gloriam ampliorem prouehi cogitent huius mundi, uel ad ſtatum ſuo ſimilem. Hij enim ſtatim incipiunt uehementer tentari per auaritiam. Et quis neſciat in huiuſmodi ſtudijs tentationum moleſtias & maxima pericula maris, uiarum, latronum, prædonum, infidelium ac mendoſorum, principũ quoq; & coæqualiũ, ut nuſpiam illis tuta fides occurrat? Quãto magis enim diuitiæ affluunt, tanto maior illis conflatur inuidia plurimorum. Figulus enim odit figulum, & mercator comparem. Deficiunt quoq; paulatim in timore dei, laxa conſcientia. Spernunt primo uerbum domini, deinde odiunt, tandem perſequuntur. Nemo enim ſimul deo ſeruire poteſt, & mammonæ. Sequitur autem tentationem trepidatio & caſus. Qui enim diligit periclitari, facile perit. Qui incaute ambulat, impingit. Mundus plenus eſt laqueis. A mundi amatoribus facile incautus & auarus ineſcaẽ & capitur. Cum iuſtus uix ſaluatur, & oculatiſſimus uix euadit, quid patitur deſiderijs languens, ubi unum peccatum trahit aliud, & inuoluit inexplicabiliter? Semper autem adeſt tentator diabolus, ſemper quærens quem deuoret rugiens leo: magis tamen unuſquiſq; à ſua concupiſcentia trahitur ac illicitur, ſuaq;

ſuaq; uoluntate & deſideriis proprijs ac terrenis inuoluitur & damnatur. Et de ſideria, ait, multa inutilia ac nociua.) Quanto magis auari ditantur, tanto magis deſiderant. Facilius eſt totum deſerere, q̃ deſideriis habendi nimium imperare. Subſequitur autem habita, inutilis cura ac ſolitudo, dum omnia timent, ſemper attoniti, nunquam læti, nihil enim illis ſufficit, nihil ſatis fortunatum. Optauerãt enim homines illi longe plura, iam fata accuſantur, ſomnijs inquietãtur, nihil cogitant niſi mammonam deum ſuum, ut uero deo ſeruire non poſſint, uel libeat. Nociua autem deſideria ſunt, quæcunq; contra legem dei & charitatem proximi cogitantur in communem iacturam, dum priuatim nobis cõſulimus, proximum grauamus. Quæ mergunt homines in interitum & perditionem.) Deſideria nociua dum augentur, impellunt ad nimis propenſe uolendum, etiam contra dei legem, ad ſatisfaciendum auaritiæ, ad ſæculares pertrahuntur tumultus, inuoluuntur litibus, iudicijs ac ſolicitudinibus, diuitiarum ſcopulis allidũtur. Quid autem reſtat aliud, q̃ ut mergantur in profundum auaritiæ, & intereant diuitiarum mole obruti, hydropiſi deſideriorum mundanorum perditi, deum negligãt, odiant, uendant et tradant ut Iudas, quem auaritia infelix reddidit inuidum, ſacrilegum, impium, traditorem, & parricidam? Quot hodie uiri religioſo ſtatu clari, deumq; alioqui timentes, ſed ſic mammonæ auaritia demerguntur, ut proximi amorem ac neceſſitatem nihili ducant, tantum ut ſui cenſus augeantur & poſſeſſiones, quantumlibet certi ſint q̃ nihil ualeat omnis uita & cõuerſatio ſua, etiam in ſuis conſcientijs redarguti atq; conuicti, omnia ſua geri fucata religione, deũq; offendi talibus certo ſciãt, ſed auaritia irretiti ſopiuntur? Ideo Chriſtus animarum medicus & ſaluator, paupertatis amorem docuit, pecuniarum diuitiarumq; cõtemptum: non tantum ſpiritu, quæ neceſſaria eſt in primis, uera paupertas omnibus Chriſtianis. Rebus itaq; & poſſeſſionibus immunes eſſe uoluit apoſtolos & apoſtolicos uiros, ne in diuitiarum admirationem incidentes, ut facile fit, à fide aberrent in uerbo dei præſtãda ſemper. Vnde enim tot abuſus, tot luxus, tot errores, & ſcandala in moribus, q̃ ex auaritia clericorum? Qui ubi ſcripturam ſacram ſibi ubiq; aduerſari ſentiebant, deprauauerunt eandem fucatis interpretationibus, ad ſuum quæſtum, & diſtinctionibus friuolis ſuccurrerunt ſuæ auaritiæ & impietati. Inde tot regulæ, tot diſpenſationes, tot priuilegia: de quibus iam alij ſatis clamãt, ut audiri iam cœperint. Patet em̃ late, quomodo cupiditas & amor ſuijpſius fidem ſynceram & catholicam ac apoſtolicam, è terra exterminauerint. Veriſimile eſt & tempore apoſtolorum ſtatim ſubintraſſe pſeudapoſtolos, qui quæſtũ magis q̃ pietatem inquiſierint, quãdoquidem de his ſæpe & multum quæritur Apoſtolus. Radix omnium malorum cupiditas eſt, dum quæ ſenſui applaudent, affectamur, & amorem proprium non moderamur, ſed quicquid libet inquiritamus, ſi uacat, etiamſi minus liceat. Vnde & incidunt mancipia cupidinis in multas anguſtias, ſolicitudines, dolores ac ſimulationes, fictamq; uitæ auſteritatem præ ſe ferunt, & hypocriticam iuſtitiam coguntur amplecti, qui pecuniam cupiunt, ac ditari uolunt. Sicut autem ſuauiſſime uiuunt, qui ſua norũt eſſe ſorte contenti, rerum mundanarum parum ſolliciti, quibus pauca deſiderãtibus, pauca abſunt, modicis cõtenti: ſic qui ſuccũbunt affectibus colligendi pecunias, omnium fiunt miſerrimi, pleniq; perpetuis angoribus, quibus ſemetipſos inſerunt, nemine compellente, ut ſine doloribus aſſiduis mundo huic uiuere non poſſint, qui Chriſto placere & acquieſcere, meliora ſuadenti, ac præcipienti non eligunt. Sua culpa bis miſeri, cum fide & obedientia Chriſti poſſent eſſe beati.

Tu autem, ô homo dei, hæc fuge, ſectare uero iuſtitiam, pietatem, fi-

dem, charitatem, patientiam, manſuetudinem.

Quæ prædicta iam ſunt, agunt pro more ſuo mancipia huius mũdi, ſuiſpſius ac ſæculi amatores, diteſcere cupiunt, quæſtum ſectantur, ueritati reſiſtunt, falſitatem & errores prædicant, ſuperbiunt ſenſu, & habitu. Tu uero homo dei, à deo electus, donatus multiplici gratia dei, ſpiritu dei ornatus, per prophetiam ordinatus, totus deo dicatus, & eccleſiæ miniſter datus, tu hæc omnia fuge, quæ deo aduerſantur, tibi & eccleſiæ tuæ obſunt, ſectare uero iuſtitiam, tota uita tua iuſta ſit & uirtuoſa, ut ſis ſine quærela coram hominibus, nemini iniuriam aliquatenus irrogando. Soli deo placere cupias, omnem improbitatem caueas in opere & opinione, ut ſit tibi ſaluus honor & authoritas integra in doctrina. Hic, ut uidetur, generaliter intelligenda eſt iuſtitia, omnes uirtutes complectens, quarum ſubinde inſigniores recenſet. Pietatem) inquit. Virtutem equidem, qua deo placere poſſis & hominibus, habet enim remunerationẽ inſignem & certam in uita quæ nunc agitur, & futura. Hæc hic dicitur tractabilitas ad homines, & inſignis modeſtia, cum timore filiali ad deum ut ad patrem. Fidem) dicit totam fiduciã, qua ex deo totus pendeas, ut cætera omnia paruifacias proſpera uel aduerſa. Quicquid egeris in dei gloriam, certus ſis deo placere, deq; eius bonitate & gratia ſine cunctatione ſemper bonum ſperare. Charitatem.) Ad inſeruiendum proximo dum poſſis, affectu in primis, & per exhibitionem operis in ſignis, accepta opportunitate. Omnibus ut ſis dulci, pio ſynceroq; corde coniunctus, paratusq; benefacere aliis, ut tibi fieri iuſte rationabiliterq; uelis. Patientiam) addit, quæ piis in hac uita neceſſaria eſt, quos manent perſecutiones in hoc mũdo, qua & animam poſſidemus, & Chriſti exemplo maxime commendatam, uiam ad regnum cœlorum regiam, omnibus quoq; ſanctis familiariſſimam. Manſuetudinem) quoq; ut peccantibus facile indulgeamus, omnia quæ bene fieri poſſunt, in bonam partem interpretando: non reclamando, ſi contra q̃ placeat quidpiam in nos uel dicatur uel fiat. Benefacere etiam nobis malefacientibus, & in bono malum uincere, oppreſſis pro uiribus condolere & ſuccurrere. Hæc epiſcopo diligenter cogitanda ſunt ſemper, ſed longe diligentius exercenda in hoc mundo.

12 Certa bonum certamen fidei, apprehende uitam æternam, in qua uocatus es, & confeſſus bonam confeſſionem coram multis teſtibus.

Docui te in primis ueram in Chriſtum fidem, ut tu quoq; eandem doceas omnes, utq; in & per eam apprehendatur uita æterna. Hanc doctrinã ac fidem ſemper confitere. Quandoquidem autem fidei illius hoſtes multos ſuſtinebis, aduerſarios ueritatis, qui per obſeruantiam Moſaicæ legis religionemq; dierum ac ciborum, ueſtium cæterarumq; obſeruantiarum carnalium deo placere uolunt, & idipſum docent, ignorantes fidem in Chriſtum. Ideo fortiter & ſtrenue certamen ineas cum illis, atq; ſuſtineas. Hic enim uincẽdi ſunt, ad hanc pugnam conficiendam uocatus es. Hanc coram meipſo & multis teſtibus profeſſus es, eſſe eam apprehenſionem & conſecutionem uitæ æternæ, & conſummatæ iuſtitiæ, ut in ea ſola ſaluandi ſint omnes qui ſaluãtur. In iſto certamine ſi fidem perdideris, ſimul quoq; æternam uitam amiſeris. Certa itaq; pro hac fide, apprehende uitam æternam, ad hanc enim uocatus es. Quæſtum proculdubio magnum aſſequeris, ſi fidem illius pietatem obtinueris & ſeruaueris. Foris & intra eccleſiam dæmonum inſultus experieris, ut tuam fidem labefactent, terreant, anxiumq; à fiducia in deum deiiciant. Sed reſiſte in fide hac unica, apprehende promiſſam tibi & fidelibus uitam æternam, ad quam uocatus es, & per fidem obtinebis, ſi pro ea perſeueranter

uerãter dimicaueris. Confessus es fidem illam, & me docente credidisti, & docendam suscepisti, dum episcopatum, id est munus prædicãdi, & ecclesiam instituenda, nuda fide credendo deum esse & ueros articulos fidei, posset apprehẽdi, cum id etiam diabolus possit & impij? Sed tota mente deo fidere, fiduciamq; bonitatis in deum comprobare per obedientiam præceptorum, uel de fragilitate admissa humiliter ueniam orare & sperare, quis neget esse uitæ æternæ uiam, arram, ianuamq; ex qua nemo excluditur? De qua aliâs.

Præcipio tibi coram deo, qui uiuificat omnia, & Christo Iesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam cõfessionem, ut serues præceptum sine macula, irreprehensibile, usq; in aduentum domini nostri Iesu Christi.

Deus creator omnipotens & immensus omnia uiuificat, in quo uiuimus, mouemur & sumus: non modo autẽ nos homines, sed & omnes creaturæ à deo creatore accipiũt perpetuum suum esse, uiuere, moueri, operari, et quicquid possunt. Cui subiecta sunt omnia, cui obedire debent oẽia, inq; gloriã & honorem suum ordinantur. Eidem obedies, seruies, placebis: si quæ de fide in eum prædicanda committo, compleueris. Iesus autem Christus dominus, cum ante Pontium Pilatum iudicandus astaret, testimonium reddidit ueritati, nec mortis timore cunctabundus, contestatus est ueritatem se oportere testari: quam & tu, si, ut obligaris, prædicaueris, attestatusq; fueris præceptum illud meum de fide & uita æterna prædicanda, diligenter custodies, & fidelibus, ut omnium maxime necessariam inculcabis, per quam & iustificentur, & uitam sine dubio assequantur æternam. Sine macula, ait, uolens ut fidei prædicationem, & cæterorum quæ imposuit & commisit discipulo, sine macula seruet, dum quæstum nõ admiscet, dum sua non quærere auditur, dum non tam laudari q; proficere cupit. Maculam autem inuerunt non solum prædicatori, sed etiam doctrinæ, quæstus, ambitio & insynceritas, dum proditur uel notatur. Refertur etiam ad ipsum uerbi ministrum, ut non scandalizet opere, quos instruit doctrina. Irreprehensibile) quoq; uerbum fidei dicitur, cum sacratum scripturarum authoritate declaratur, ostenditur, roboratur, ne sensu proprio docere uideatur, quod reprehensionem non euaderet, cum omnis cogitatio & sensus humanus mendacium operentur. Traditiones quoq; humanas uidemus sine reprehensione doceri non posse, sunt enim mutabilitati obnoxiæ. Lex autem domini irreprehensibilis est, si bene percipiatur, & mutari non potest. Secundum quam tu quoq; & omnis episcopus prædicãs ac docens, irreprehensibilis eris. Vsq; in aduentum, &c.) Quousq; Christi fides gratia & gloria toto orbe clarescat, & agnoscat totus mundus eum esse dominũ & redemptorem, cui deus pater omnia dedit in manus, subiecit omnia, ut saluator sit omnium, per Christum in deum credentium & sperantium. Qui solus colendus est cum filio & spiritu sancto, & inuocandus, per quem deus omnia restituit, & recreat orbem. Per eum & in eo necesse est cõciliari deo omnem hominem in hunc mundum uenientem. Hæc, inquam, agnoscere, & de Christo cõfiteri, utq; redemptorem glorificare & colere, ut regi regum & domino dominantium seruire, uerbo suo credere, in eum sperare, omne bonum de eo consequi, longe nobilior est suscepto Christi aduentũ cum maiestate, felicior q; cultus, q; si rex ac princeps Christus corporaliter aduenirет in mundum, denuo gloriosus, & conspicuus omnibus, sicut uenerat in carne passurus ac moriturus. Donec aliquãdo in gloria

maiestatis suæ orbem uniuersum, uiuos & mortuos, manifeste ac iustissime iudicaturus adueniat in fine mundi.

14 Quem suis temporibus ostẽdet beatus & solus princeps, rex regnantium, & dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem.

Ostendet dominus Christi domini apparitionem & gloriam toti orbi, quum euangelium suum ubiq; prædicabitur, acceptabitur, intelligetur, credetur & seruabitur. Hæc erit nobilis Christi apparitio, cum nõ iam in carne corruptibili, sed in uirtute & gloria spiritus sui subijciet sibi omnia. Id autem fiet gratia & dono dei patris, tẽpore destinato & præfinito, omnibus ignorato modo ineffabili, dum subito sicut fulgur ab Oriente emicat & apparet in Occidentem, qua illustratione uultus sui orbem iudicabit. Beatus.) Vnico hoc uerbo ineffabilem maiestatem ueluti balbutiendo exprimit. Beatus est enim, qui possidet omne bonum, is solus deus est. Sicut & supra dixerat, Beati dei, quo scilicet maior & felicior sanctiorq; cogitari non potest, nec nominari. Et solus potens.) Annititur humano loquendi modo uel paululũ aliquid clarius & specialius de deo eloqui. Dicitq; Solum potentem: quod plus est q̃ omnipotens, & magis incomparabiliter, quo tamen re uera maius explicari nihil potest. Vt non possit tantum omnia, sed & quicquid uspiam est potestatis, uel potentiæ, id sit dei solius. Nulla enim creatura aliquid potest, nisi in & per deum. Omnia enim operatur in omnibus, nihil hic distinguitur de potentia dei ordinata uel inordinata, absoluta uel conditionata, non de malo uel bono. Omnia enim ipse solus potest, solus ipse operatur, nihil malum quod facit. Vidit enim deus omnia quæ fecit, non solum ea quæ creauit, & erant ualde bona. Ipse itaq; solus omnia potest, nos possumus nihil, nisi in eo. Sic angeli quoq; & cœli, sic omnia quæ sunt, uiuunt, mouentur, & operantur in deo, ut nihil potentiæ nobis adscribamus. Peccare uero potentia non est, sed defectus in opere bono, & impotentiæ indicium, quæ de deo sicut omne quod imperfectionem connotat, dici uere nõ possunt. Solus enim beatus est, solus potens, solus dominus uniuersorum, à quo omnis creaturarum uirtus & actio proficiscitur. Rex regum.) Ipse rex solus est, omnia gubernans, disponens & prouidens. Nihil enim in mundo quicunq; domini possunt, nisi per deum, nec uelle bonum nec facere. Non solum cor regis, sed quicquid uiuit & habet, potestq; & agit, in manu domini est, & quò uoluerit, illud uertet. Vnicus iste rex regũ, deus solus potens & faciens omnia, nobis orandus est, ut propitius, clemens & misericors dirigat actus nostros in beneplacito suo, dispensationemq; dei in hoc mundo, humiliter & patienter modestissimeq; amplectamur, quicquid tandem illud fuerit. Interim tamen uoluntatẽ illius ex suo uerbo discẽtes, omni studio & uiribus annitamur, ut quæ præcepit dominus, hæc fiant, tam à nobis q̃ ab alijs. Hoc enim nos conari debere, scimus deum ipsum uelle & præcepisse, ut quicquid in manus dederit agendum nobis, hoc instanter & fideliter operemur, scientes uoluntatem domini dei nostri. Quod si prouidentia sua moderante, secus cesserit ac uolebamus, minusq; successerit bonum, quod etiam domino inspirante instituimus, certi tamen simus, quod hæc nos deus facere uelle uoluerit & tentare, etiamsi non perficiendum concesserit. Si peccatum est quod accidit, pro culpa admissa oremus, eiusq; iudicium deprecemur. Si melius processit, domino acceptũ referamus. Sic igitur rex regum, & dominus dominantium agnoscetur à pijs, digneq; coletur. Si nos & nostros actus iuxta suam uoluntatem pro uiribus instituerimus, quas uires, & quod uelle ac perficere suæ tantum gratiæ adscribamus, nihil nobis, qui sine eo nihil

nihil possumus neq; sumus. Solus habet immortalitatem.) Solus est fons uitæ, & ipsa uita, qui non potest non esse, à semetipso habet esse, & alia omnia suũ esse accipiũt ab eo, & participatione sui subsistũt. Nunquam desinet, ut nec incepit. Aeternus est, deficere non potens nec destrui, contrarium enim non habet: nec est compositus, sed simplicissimum bonum, sine principio & fine existens. Immortalitatem solus habet, quã donare possit cui uoluerit, à quo solo eam sperare, consequi & habere possumus, & à nullo alio. Cuius regnum & ministri angeli, animæ & spiritus immortales sunt per dei gratiam.

Qui lucem habitat inaccessibilem. 15

Lux est deus, & in eo non sunt ullæ tenebræ, nihil enim ignorat, omnia nouit quæ sunt, fuerunt, erũt, & esse possunt, omnia præsciuit & præordinauit. Cumq; re uera sit maxime cognoscibilis, quia perfectissimum uerum, imò ipsissima ueritas, tamen à se solo cognoscitur perfecte, & ab unigenito suo. A nulla autem creatura cognosci potest, nisi quando & quantum sese dignatur ostendere. Voluntarium est enim speculum, si uult uidetur: si non uult, non uidetur. Incomprehensibilis est omni creaturæ, etiam angelicæ. Accedere eum nemo potest, sed dignatur admittere uel attrahere amicos & filios, quos dignos habuerit. Lucem habitat, quia sibi soli sufficit, suapte luce & bonitate beatus, nullius indiget, accipere & consequi nihil potest, in omnia se diffundit, & bonitate sua omnia replet, quam omnes participant creaturæ. Sicut lux splendorem diffundit, & à remotis uidetur, ac per reflectiones: sic deus in creaturis cognoscitur quãtum uult, quandiu, & quibus.

Quem nullus hominum uidit, sed nec uidere potest. 16

Angelos uiderũt patriarchæ & prophetæ, figurasq; à deo formatas, per quas dei mandato, angeli uoluntatem summi imperatoris ad homines multiformiter retulerunt. Ipse autem in sua essentia à nemine uisus est unquam, nec uideri potest, incorporeus & purissimus spiritus, imò spiritualior omni spiritui. Verbum quidem patris & filius in diuinis, in fine temporum humanandus, carnemq; ex impolluto uirginis utero & sanctificato assumpturus, mũdum liberaturus, deiq; amorẽ maxime cõmẽdaturus humano generi. Is in ueteri testamẽto patribus sanctis loquutus est, apparuit, promisit, terruit, docuit, monuit, omniaq; peregit quę deus cum patribus egisse describitur. Creasse scilicet mundum, & loqutum fuisse ad Adam, Cain, Noë, Abrahã, Isaac, Iacob, Mosen, Iephthe, Gedeonem, Samuelem, Dauid, & prophetas. His siquidem omnibus quæcunq; deus locutus scribitur, & à sanctis patribus, non sine scripturarum authoritate egisse dicitur, dei filium, sapientiam, sermonem, & uerbum dei egisse intelligatur, sicut & scripturis certissimis comprobatur. Sed nec, inquit, uidere potest.) Non uidere potest homo nisi lucidum & coloratum, & obnoxium accidentibus, sui speciem à se diffundere ualens, imò sola ipsa accidentia, nullam autem substantiã, quæ nullo humano sensu cognosci potest à nobis, sed tantum per accidentia. Deus autem pura & spiritualissima ac supersubstantialis substantia est: ad cuius intuitum oculus noster instar nocturæ, ad manifestissima naturæ occæcatur. Spiritu autem & amore deus percipitur ab homine, dum eum attraxerit, seseq; dignabitur inclinare, & fa uore suo complecti.

Cui est honor & imperium sempiternum. Amen. 17

Honor inter homines professio est dignitatis & bonitatis in honorato. Cum itaq; solus deus bonus sit, à quo omnia bona, ideo soli deo honor debetur & glo-

ria: peccatq; uehementer, qui uel honorari cupit de donis non suis, sed dei, quę à deo susceperit, cui ea non refert accepta, quasi non receperit: uel, qui honorē ei defert cui nō debetur, fraudando eum à quo bonū omne est quod honorat. Talis est apud multos sanctorū honor, qui à se nihil nisi peccata habent, sola aūt dei gratia sunt id quod sunt, quem & solū honorari uoluissent, quia sancti sunt. Imperiū) quoq; omnium, dei solius est, qui imperat uniuersis, qui facit & potest quicquid uult in cœlo, terra, & in omnibus abyssis. Cuius nutui subiecta sunt omnia, ad cuius maiestatē Cæsaris Augusti imperiū uix est ceu eleuatio capitis minimi uermiculi, nisi quantū suo imperatori deo subiectum se Cæsar agnoscit, & obsequitur studiose, ad domini dei uoluntatem de hominibus promouendo. Nemo quamlibet in hoc mundo potens sibi contra deum quicquam uendicet, cogitet potius deum omnibus præsidentem & imperantem, cuius minister sit, ut sit fidelis familiæ sibi cōmissæ à domino, quem in horas expectet iustissimū iudicem. Amen.) Veritas est, ut credenda discamus quæ sunt prædicta, & infallibilis ueritatis uerba ac sententiæ. Quæ & cum reuerentia ac timore dei omnia audienda sint, ut uere profiteamur nos credere de deo summū honorem summumq; imperium. Nos uero digne subiectos & obsequentes exhibeamus summo bono.

18 Diuitibus huius sæculi præcipe, non sublime sapere, neq; sperare in incertum diuitiarum.

Collecta pro pauperibus, qui semper nobiscum sunt, nunquam intermittenda docetur his uerbis. Vult autem præcipue diuitibus præcipi eleemosynæ largitionem, quæ tamen parum ualet, nisi ab humili profecta, & non à iactabundo uel superbo. Ideo primū hortatur diuites ad humilitatem, ut meminerint nihil se habere à semetipsis, dona dei esse quæ assequuti sunt, ideo non contemnant pauperes, non moribus, uestitu & sensu superbiant. Agnoscāt plura se debere deo, qui plurima acceperunt, dum honorantur, quiete uiuunt, nullius indigent, domini recordētur, in cuius manu sunt omnia, alioqui fastus solet diuites occupare: cum tamen quæ difficile plærunq; obtinētur, facile etiam amittunt: caduca sunt enim bona diuitum, & incertæ diuitiæ, ideo nulla in eas spes est reponenda. Imminent fures & fata, nihil fixum & certum in illis. Spes uero certa est expectatio futurorum, non incerta sit caducorum. Exempla habent historiæ sacræ atq; prophanæ fugatium diuitiarum. Gentes sperant temporalia, fideles spiritualia & æterna.

19 Sed in deo uiuo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum.

Semper nostra curat uiuens deus, & semper uigilans, nihil ignorans, cuius filij sumus, negligi à tanto patre non possumus, si eidem confidamus. Obtinetur illius bonitas & beneficium fide, conseruatur spe, perficitur charitate. Nemo confidat in mortuos. Sanctos non nobis deus præfecit in hac uita constitutis, de eis nobis deus nihil commisit. Solus deus anchora sit nostræ spei per Christum. Non in opera bona quæcunq; nobis confidendum, sed de eis magis timendum, si adiuncta iustitiæ diuinæ lancem appendi contigerit. Deus autem pater est gratiarum & consolationis, qui clemētiam & gloriam pollicitus est, & potest uultq; præstare, si firmam illi patri nostro filij habuerimus fiduciā. Præstat autem sua dona deus abunde, diuitias, honorem & sanitatem, ut frui quidem eis liceat aliquādiu, cum timore & gratiarum actione: nec id diutius dabitur, q̄ domino concedente. Ideo semper ambiendus dei fauor & gratia operibus misericordię, quæ exigit à diuitibus. Quales enim proximis suis fuerint, talem sibi dominum experientur. Omnia autem præstat, quod nihil nostra prudētia, cura laboreq; obtinemus: nihil enim proficimus,

ficimus, nisi eo largiente. Timeant semper diuites, ne domino irato diuitias suas possideant, ne non iuste obtinuerint, ut q̃ iuste utantur, iuste dispenſent, solicite semper cogitent de graui ab illis ratione exigenda. Difficile est uere Christianum esse diuitem, nisi affatim erogando, quæ deus abunde illis suppeditat, ut non nisi donorum dei sibi dispensator uideatur. Dum uero ad fruendũ dicitur, impropríe frui sumitur pro uti. Non enim nisi propter nostram necessitatem & proximi, deriuandæ uel possidendæ sunt diuitiæ, non propter se. Solo enim deo fruendum, quia solus est summum bonum, propter seipsum diligendum. Non ergo necessario obsequendum semper regulis sophistarum, qui hic hæresim Paulo impingerent dicenti, diuitijs fruendum esse. Libere & clare eloquamur quę uera sunt, magisq; quid, quàm quibus exacte uerbis explicemus curandum erit. Non uult ut abunde fruamur, sed abunde præstat ea quibus modeste fruamur, hoc est parce, non ad luxum uel fastum.

Bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facile communicare. 20

Docuit diuites primo humilitatem, secundo abrenunciationem, tertio spem, quarto fruitionem. Nunc quinto docet bene agere, nõ magnopere ea sectari quæ deus non præcepit, ecclesias scilicet, monasteria, anniuersaria, præbendas, aras, imagines erigere: sed quæ deus præcepit, Omni petenti tribuere, pauperes pascere, potare, redimere, iuuare, consolari, mutuum præstare, nihil inde sperare. Non audire Missas, minime intelligendas & cantiones, sed mendicos clamantes. Non preculas adnumerare, sed precantes exaudire. Non testamentum ordinare dum moreris, sed sano sensu & corpore erogare superflua indigentibus, cum adhuc tuis & tua possides, de eis domino redditurus rationem, ut dispensator bonorum domini dei tui fidelis & sedulus in commissis. Addit autem, Diuites fieri in bonis operibus.) Sexto monet, ut diteſcant, non bonis corporalibus, sed spiritualibus. Non quidem ut de bonis suis præsumere incipiant, & sibi placeant, uel sensu abundent, sed ut bona opera à deo mãdata, cum dei adiutorio, obediendo, perficiant, sęq; ut inutiles seruos credant, ac profiteantur ingenue. Quod facere debent, hoc faciant, non spe mercedis, sed instinctu charitatis, & fiduciæ in deum. Nominat autem diuites eos, qui dediti sunt operibus misericordiæ, qui soli diuitias habere censentur coram deo, cum scilicet legitime ac religiose administrant iuxta commissionem dei, cuius procuratores constituuntur. Vnde ad mentem & modum loquendi apostoli Pauli, Diuites fieri in operibus bonis, aliud non est, quàm opera pietatis de diuitiarum abundãtia affatim exercere, opera uere bona ac religiosa multiplicare, iuxta facultatem domini illis donatam abũde præ alijs. Ne cõtingat eos egere maxime, cum minime uelint, cum diuite epulone, cui gutta aquæ negata fuit, diuiti rebus olim, sed egeno gratia dei & bonis operibus. Bona opera quæ uere dicantur & sint, hactenus ignoratum fuit à multis: nũc disuaderi incipiunt non uere bona opera, sed quæ falso putabantur bona: suadentur autem à doctis & pijs hoc nostro tempore & docentur ea bona opera, quæ uere bona sunt, quia à deo præcepta, laudata & muneranda. Diuites autem erimus non in hoc sæculo, sed in cœlo. Illuc enim thesaurizandum, quia hic semper pauperes erimus, plura debentes, q̃ præstare possimus, semper peccatores, semper orantes pro peccatis remittendis, de operibus bonis nihil præsumentes. De misericordia dei & fide nostra tantum gloriemur, non in nobis, qui nec fidem præstamus ex nobis nec opera, sed domino largiente utraq; suscipimus. In eo autẽ quod sequitur, Facile communicare.) Adhuc hortari docentur diuites ab episcopo, ut non difficile adigantur ad dandum precantibus, non expectare precantem,

sed inquirere egentem, non tam suscipere q̃ cogere hospitem pauperem. Omnia communia putare, dei dona esse non propria, ad dei beneplacitum nõ grauatim dispensanda, cum sua non sint, sed eius qui magis indiget.

21 Thesaurizare sibi fundamentũ bonum in futurum, ut apprehendant uitam æternam.

Docet in cœlũ reponere diuitias tuto loco, & in æternũ usui nostro ꝓfuturas, alioqui & hic eas perdemus & alibi, perinde ac contigit diuiti in Euangelio, reponenti bona multa in multos annos. Quicquid enim nõ in deum retulerimus, propterq; eundẽ egerimus, totũ perdemus. Sic fiet omnibus bonis operibus nostris, nostri causa, non dei exactis. Sic quoq; datæ eleemosynæ, non propter deũ pure, perfecte, mercede carebunt optata. Thesaurus uero noster cumulabitur, si nullum ad cumulandum nobis oculum applicemus, sed deo potius reponamus omnia q̃ nobis: de suo præmiabimur, non de nostro: suis fruemur bonis, nõ nostris. Patitur nos deus impropriè loqui, dum pie intelligamus & uelimus: alioqui quid omĩa debet alteri, sibiipsi propriè thesaurizare nil potest. Et apud deum nostrum omnes peccatores sumus, gratia quoq; sola, non ex propriè dictis meritis, saluabimur. Sua in nobis opera deus coronat. Fundamentũ bonum nominat.) Qui enim thesaurum temporariũ & incertum bene collocant, & in sinum pauperum reponunt, imò Christo commendant cui donant, habebunt in futuro stabiles diuitias, iucundas, æternas. Dant enim temporalia, & capiunt æterna, uitã beatam impari compensione. Cum nihil homo dederit homini de suo, quicquid dederit: denicq; uoluntatem dandi non nisi à deo habuit, multo minus dona & opera. Verumtamen patitur se deus suis propriis bonis absolui, & reddi quæ sibi debentur, donatq; unde soluamus: unum quoq; accipit pro mille, gratum à nobis suscipit, quod gratis cõcesserat & commodauerat. His uerbis, quasi adiectitijs, apostolus Paulus causam pauperum egit, utq; admonerentur diuites beneficentiæ, & pauperes insuper uerecundia liberentur, qui ut uellent non possunt erogare eleemosynas. Non omnibus præcipit de diuitijs expendendis, sed tantum diuitibus, qui citra dispendium proprij uictus & suorũ, donare possunt de proprio. Huiusmodi collectarum consuetudo & oblationum in synaxibus reformanda est omnino, & non auferenda, cum sit omnium maxime necessaria pro egentibus. Sic tamen ut collecta hoc modo, ac reposita pro pauperibus, nõ aliter q̃ pro pauperibus pro fundantur, non coaugmententur in census, ut fit nostro sæculo in hospitalibus, quorum curatores continuo diuitias augere studeant: non tam pro pauperũ usu & sustentatione, q̃ diuitum desperãtium de uictu, uel otio inerti sese dedentium, non sine perfidia annonam huiusmodi ementium pariter atq; uendentium.

22 O Timothee, depositum custodi.

Deposuerat penes eum Paulus, imò spiritus sanctus, gratiam prophetiæ, sanæq; doctrinæ: nam ab adolescentia sacris literis operam impenderat, & donum uerbi uberius acceperat, pro ecclesiæ profectu depositum. Hoc unum nunc iubetur sic custodire, ut non perdatur, non deficiat. Id autem est liberaliter distribuere, sine intermissione docere, creditum talentum non in terram defodere, sed ad usuram domino augmentandam exponere. Tunc autem auarissime custoditur, dum liberalissime profunditur. Depositum autem dicit, quia mera dei gratia, & sine meritis accepit, erogandũ in tempore, familiæ suæ, illapsu & munere diuini spiritus, quasi aliunde donatum. Ostendit autem affectum dicens, O Timothee, excitat, hortatur & admonet, ceu omnino magnum aliquid necessario & iugiter cogitandum

cogitandum propositurus. Maxime necessariũ officium episcopi est docere, orare, prospicere animabus saluãdis. Non quidem episcoporum nostrorum temporum, sed uerorum, quorum nunc sunt paucissimi: deposita enim alia habent, pecunias nempe, & equos, & cætera.

Deuitans prophanas uocum nouitates. 23

Vult discipulum suum Paulus non alia docere ecclesiam, q̃ quæ didicerat à magistro: non inducere uel confingere inconsueta uerba. Præsensit enim iam Appellis & Valentinianorum aliorumq̃ figmenta, de Eonibus quatuor, octo, & triginta, singulas singulis nominibus nominando, quæ iam apostolorum tempore à Iudæis & Græcis superstitiosioribus fingebantur. Ex Cabalistarũ, ut nunc uocant, & philosophorum maxime Pythagoricorum dictis se recepisse & edoctos iactabant. De quibus Irenæus. Quibus nuper successerunt Parisienses theologastri, portentosis nominibus, quæ nec Latini nec Græci intelligunt, nisi de eis diu edoceantur, ad quæstum uberiorem. Præmonuit Apostolus, uitandas huiusmodi uocum nouitates, quas in dei uerbis sanctisq̃ scripturis non recepimus. Id si seruatum fuisset, nõ tot differentiæ doctrinarum & schismata audissemus, De homusion, transubstantiatione, circumincessione, respectibus diuinis interioribus & exterioribus, essentialium & notionalium perfectionum, & reliqua huius generis loquutionibus, præter scripturæ authoritatem introductis. De quibus sicut & de dependẽtijs formalitatibus & quidditatibus, obmissis utilibus & necessarijs tantopere digladiati sunt doctores illi neotericæ ecclesiæ, ut magis disputando Scholastice ueritatẽ perdiderint q̃ repererint, quin fidem & spiritum cum Christiana uera sanctimonia amiserint.

Et oppositiones falsi nominis scientiæ. 24

Appellatur quidem ab illis superstitiosis doctoribus istarum rerum cognitio Scientia, sed indigno prorsus & falso uocabulo, cum sit re uera stultitia, error, opinio, hæresis, superbiã docens & quæstum, minime uero pietatem. Oppositiones enim sunt apud illos, non doctrinæ: subuersiones discentium, non ueritates. Videmus siquidem tales non aliud scripsisse q̃ oppositiones, argumenta, pro & contra, pro opposito uel contra oppositum, ut loquuntur. Vide primum inter mendicantes Albertum, quem Magnum uocant, in Magistrum Sentẽtiarum, uel Summaeius, inuenies meras oppositiones, & præter argumenta pro & contra, nihil. Quem cæteri Parisienses omnes sequuti sunt, ueluti in re eximie illis pulchra uisa. Eos nimirum nominasse hic Paulus uidebitur, oppositionum falsi nominis scientiæ authores. Qui & semetipsos & scientiam suam caligine oppositionũ inuoluunt, & sic improbant uicissim, ut syncera apud eosdem ueritas nulla relicta sit. fides quoq̃ & uera pietas abolita fuerit, quam eorũ nullus pro rei dignitate tractauerit, sed in profundum silentium sepulta per eosdem est uera fides, unde fide les nos nominari conueniebat, ut ferè in totum expirarint & sancta opera ueraq̃ religio Christiana, donec exposa eorum schola, & falsi nominis scientia per dei gratiam, sacræ literæ, Christi spiritus, apostolica fides & doctrina denuo nunc emergunt, ad lectionem antiquissimorum doctorum sanctorum, quos illi quoque Originales uocant. Quorum nobis deus doctrinas & libros Impressoriæ artis beneficio communiores reddidit, & passim exposuit ruminandos. Interim Scholastici illi male feriati theologastri, cum suo sacrilego Aristotele stulti deprehendun tur, & ueræ fidei pernicioſi pharmacopolæ. Vniuersitatum quoq̃ studia, ut nũc sunt, inania deprehenduntur, & ecclesiasticæ iuuentutis prostibula, necessario

in melius reformanda.

25 Quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.

Promittentes dicit, non exhibentes, eam quam promittunt scientiam, non enim præstare possunt quod spondent. Contradictiones euadere non docent, semper autem discipulus magistro reclamat, diuersum sentit, docet & scribit. Disceptare tantum norunt, omnia quæstionibus inuoluere, & super lana caprina digladiari. In uno tantum conuenientes, quod se ueram fidem nescisse, & operæ uerę pietatis non curasse fateri cogantur: sacra Biblia nunquam uidisse, legisse, didicisse, intellexisse, nec docere potuisse, cum tamen eandem canonicam scripturam, & ueræ fidei fundamentum negare non ausint, sed, ut ipsi loquuntur, adæquatum obiectum fidei Christianæ scripserint omnes. Digna itaq; sunt animaduersione puniti, ut dum sibi cisternas ueteres fodiunt, non ualentes continere aquas, salutarium & uiuarum aquarum fontem perdiderũt: dum humana sectantur, diuina amittunt: dum ratione animali suas doctrinas ut idolum colũt, fidem uerbi dei deseruerunt: dumq; se doctores profitentur Aristotelis, amplissimis titulis delectati, Christi domini & apostolorum discipuli esse desierũt, ac utriusq; fructum & eruditionem perdiderunt. Omnem fidei iacturam & morum, cum incrementis uanitatum ac superstitionum istis theologistis debemus. Exciderunt, inquit Apostolus, circa fidem, aberrarunt à scopo totius scripturę, quæ docet fidem in deum, prouidentiam eius circa omnia, promissionesq; diuinas in Christo. Ipsi uero errantes in foribus, ad opera dilapsi sunt: non quidem illa quæ sacris literis commendantur, sed quæ præter uerbum dei & contra, auaris placuerunt: unde & traditionum humanarũ ingluuies, abusuum abyssus, & mare superstitionum ac errorum in fide & moribus prodierunt.

Gratia tecum. Amen.

Hæc manu Pauli adscripta dicuntur, cum alia per dictatum describi fecerit, iuxta eius morem. Optima autem est imprecatio. Quid enim molestiarum non tolerabimus, si dei assit gratia, in quam speramus? Si deus pro nobis, quis contra nos? Faceſſat omnis humana gratia & potestas, dum nobis adest diuina.

FINIS.

COMMENTARIVM IN EPISTOLAM D. PAVLI APOSTOLI AD TIMOTHEVM SECVNDAM.

ARGVMENTVM PER ERAS. ROTEROD.

QVONIAM in superiori epistola spem sui reditus fecerat Timotheo, apud Ephesios agenti, nec fuit eius præstandi facultas, quod Romæ in uinculis haberetur, literis eum confirmat, ne persecutionum procellis deiiciatur, sed suo exemplo animum ad martyrium præparet. Instare enim tempora periculosa, ob quosdam, pietatis prætextu ueram pietatem subuertentes. Itaq; sese iactantes, quasi in uerbis sit Christiana religio, ac non potius in animi puritate. Deinde testatus imminere diem obitus sui, seq; iam à plærisq; destitutum, iubet ut Timotheus unà cum Marco propere ad se Romam ueniat. Scripsit Romæ cum iterum ad Neronis tribunal sisteretur.

CAPVT PRIMVM.

PAVLVS apostolus Iesu Christi, per uoluntatem dei secũdum 1
promissionem uitæ quæ est in Christo Iesu, Timotheo dilecto filio.

Olim quidem Dauidis ueri, de tribu Iuda promissi, fidelium Israelitarum regis, ut alter Saul acerrimus hostis erã, de tribu Beniamin, & fastuosus pharisæus, nunc uero Paulus ex Saulo, humilis ex superbo, Christianus ex Iudæo, martyr & confessor Christi ex persecutore. Apostolus iam ex annis multis, donec Romę coniectus in uincula, uerbo tamen minime alligato, legatus domini nostri Iesu Christi, non uicarius: doctor gentium in fide & ueritate, etiam in conspectũ principis huius mũdi, in aulam Neronis, in totius Romani imperij theatrum missus sum nuncius salutis, ab uniuersorum rege Iesu Christo, ut electis persuadeam fidem iustificantem, & uiam salutis assequendæ per merita Christi, ut nequeam dubitare de domini dei uoluntate, quam agnitam per miracula promptissime prosequi desiderio, ut prędicem domini nostri Iesu Christi mysterium, ut olim & ab initio mundi promissum Adæ, Enoch, Noĕ, Abrahæ, Iacobo, Mosi, Dauidi, ut olim perdita à primis parentibus uita in plenitudine temporis, iuxta prophetarũ prædictiones, istis nostris temporibus restituta credatur & prædicetur uita uera animarum in præsenti, & corporum quoq; futura, in eo qui resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium. Sine quo Christo domino nulla speranda uita, etiam electis, quod mortui sint in primo homine omnes homines quamlibet sancti, in solo Christo restituẽdi in uitam æternam, qui est unica uia, ueritas & uita. Apostolici itaq; uiri sit, totum se Christo dedere, ad omnia proficisci ad quæ se per domini uoluntatem mitti intelligit, nunquam immemor pręstitorum bonorum in Christo, quorum antiqui patres promissionem habentes & fidem, eadem saluati sunt, gaudentes uidere diem domini, & uiderunt, quæ nos quoq; oculata cognitione apostolicis scriptis instructi uidimus & testamur in toto mundo fideles & electi. Dicitur autem Timotheus episcopus fuisse Ephesiorũ, nimirum primus ab Apostolo institutus. Quanquã ipsum Saluianus episcopus Massiliensis apostolum nominet, certe Pauli charissimus discipulus, ad ecclesiarũ in Asia institutionem & doctrinam institutus. Sub huius Timothei nomine libros quatuor scripsit Saluianus,

ad ecclesiam catholicam toto orbe diffusam. Post quorum nuper lectionem desij admirari causas, quibus monachis tantæ diuitiæ obuenerunt: quandoquidem do cet is neminem diuitem saluari posse, nisi etiam filijs hæreditate abdicatis, ipsam Christo donet, hoc est, religiose & in specie pœnitentium uiuentibus in commu ni. Sed de illis libris iudicent, qui sciunt non nostris meritis, & diuitiarum dona tione salutem obtineri, sed gratia dei, per Christi passionem & merita. In quibus tamen libris, mirum quod Purgatorij & anniuersariorũ, Missalisq; sacrificij pro peccatis mortuorũ non meminit. Sed eo tempore hæc cũ alijs multis ignoraban tur, quantũlibet nõ esset sine erroribus dogmatũ multorum tũc emaculata eccle sia. Interpretatur autem ἀμόθεον nomen, honorem dei, iuxta eiusdẽ Saluiani sen tentiam. Sicut & Theophilus amorem dei. Sic enim pulchrum semper habitum fuit in omnium linguarum hominibus, sacrosancta nomina baptizatis impone re, quibus pietatis & uirtutum admonerentur. Dilectũ uel etiam charissimũ, & in fidei sacra regeneratione filium appellat, quem in priore germanũ uocauerat, quia per oĩa responderet spirituali patri Paulo: id quod est filiorum, referre pa rentem, & non degenerare. Potest quoq; accipi filij nomen, ut charitatis uel æta tis uocabulum habeatur.

2 Gratia, misericordia & pax à deo patre, & Christo Iesu domino nostro.

Post titulum epistolæ salutationem præmittit similem ferè per omnia ei quæ & in priori. Imprecatur enim in primis filio suo dilecto, omnipotẽtis dei gratiam & fauorem, quæ non est nisi ad electos, nec sine cæteris donis sancti spiritus, qui bus præ cæteris egent episcopi & apostolici uiri, ecclesiarum apostolicarum fun datores. Et quia in multis omnes offendimus, peccataq; nostra agnoscere cogi mur, pro quibus & miserias huius mundi multas experimur. Ideo additur, Mise ricordia dei patris, qua datur prouẽtus, ut ualeant à fidelibus sustineri. Pax quoq; quæ exuperat omnem sensum in spiritu & conscientia. Quies uero & tranquilli tas huius temporis ab infestatione hostium fidei, qui istis uehementer grassaban tur temporibus in apostolos & apostolorum discipulos, qua pace consolatus ex peditior procederet ad ædificationem ecclesiarum, & consolationem piorum per uniuersam Asiam minorem. Creator omnium deus per antonomasiam pater di citur, non tantum noster, qui omnia agit & curat in omnibus, cuius beneficia pa terna experitur omnis creatura, quo nomine à nobis appellari uult, ut uicissim nos filios semper meminerimus, & affectu solidę puríssimæq; charitatis illi iunga mur. Quos & amicos nominat, ecclesiam quoq; ex filijs congregatam sponsam facit: tantum abest ut seruiliter timeri uelit, & deesse efflagitantibus, uehementer peccantibus, sed conuersis & dolentibus gratiam ue implorantibus. Christus quoq; Iesus dominus noster optatur gratiam, misericordiam & pacem largiri Timotheo: haud alia ratione, q̃ ut coæternus patri credatur, & æque omni potens, optimusq; largitor bonorum omnium, & consubstantialis. Dominus au tem fidelium, quos proprio suo sanguine in benedicta humanitate redemit, cru cifixus pro electis & credentibus, cui uicissim obligamur quicquid possumus officiorum.

3 Gratias ago deo, cui seruio à progenitoribus in pura cõscientia, quod sine intermissione habeam tui memoriam in orationibus meis nocte & die.

Sancti in omnibus deo gratias agunt, quicquid boni cogitant, desiderant, lo quuntur

quuntur & agunt, deo tribuunt acceptum, ſemper occaſio laudandi bonitatem dei ad manum habetur illis. Hic primum domino deo benedicit & gratias agit, quod ab honeſtis fidelibus ſanctisq; ſit natus maioribus ipſe Paulus, quod in ſacra religione nutritus, quod legi diuinæ initiatus & inſtructus, quod non ex idolatrarum ſanguine cretus, quod gratiam aſſequutus bene uolendi, & ſtudioſe incumbendi uoluntati diuinæ, uſq; ad immodicum zelum, quo & ignorans permouebatur contra eos quos credebat legis diuinæ tranſgreſſores, qui tamen ad uocationis primam gratiam, factus eſt per dei quoq; gratiam obediens, ut diceret Chriſto, Domine quid me uis facere? A quo tempore eadem gratia dei, quã ubiq; & ſemper iactat piiſſime, fideliſſime deum coluit, & Chriſto domino plus omnibus laborando miniſtrauit: indicans etiam in operibus malis puram ſeruaſſe conſcientiam, quia ignorans Chriſtũ in ſuis fuerat perſecutus fidelibus. Nec tantum diuinæ gratiæ acceptum refert cultum dignum & gratum, ſed & agnoſcit & fatetur omnem bonum cogitatum & orandi affectum, quem habebat pro eccleſia tota, et pro ipſo ſpecialiter Timotheo, non eſſe niſi à deo, per illius gratiam acceptũ. Vnde & certus eſſe poterat ſe exaudiendum, quia pro dei gloria amplificanda oraret, quod uanum eſſe non poſſet. Non enim piis gratiam deuote & feruenter orandi cõcedit, niſi iam exauditurũ ſe eorum preces decreuerit. Sine intermiſſio ne oratio fit, cum de gloria dei propaganda, & de ſalute electorum affectus & deſiderium feruet, ut etiam inter ſomniandum, quod fieri ſolet piis, ſancta uerba, deſideria, opera, & inſtinctus ſancti non ceſſent, quæ ſunt ipſiſſimæ orationes ſanctorum. Quando uerba non magnopere curet dominus, niſi uota præcurrant, et exprimant impatientiam ſanctorum deſideriorum. Ne ſibi blandiantur uerboſi oratores, & cõſuetudinarij adnumeratores orationis dominicæ uel Pſalmorum. Ne dicam de illis qui huiuſmodi orationes referunt ſtulte & impie ad ſanctos & ſanctas, contra eorum uoluntates & placita.

Deſiderans te uidere, memor tuarum lachrymarũ, ut gaudio replear. 4

Deſiderium uidendi Timotheum in Paulo, non refertur, ut quidam uolunt, ad diem & noctem, quaſi nunquã ceſſarit deſiderare, ſed ad orare potius pro ſanctis, inter quos Timotheus primus memoriæ & uotis occurrebat ſemper, ſed deſiderat ex aſpectu coramq; conſolari, quia ægre illius lachrymas tam amaras teſtes ſynceriſſimæ charitatis tandiu abſq; conſolatione ferre poterat. Quin gaudio puro & ſancto impleri aliquãdo optabat ex utriuſq; ſolatio, præſentia, colloquio, profectu in fide, & ſcientia rerum eccleſiaſticarum, quas utriq; agebant ex amore in Chriſtum, quem apprime diligebant, cuius gloriæ ſtudebãt maxime, & mutuum hortabantur ad fortiter ſemper incumbendũ. Sancta ſunt enim ſanctorum deſideria, ſalua fide in dominum, etiamſi in multis offendat humana imbecillitas, quæ carni in præſenti uita abeſſe non poteſt. Videre deſiderat, id eſt præſentem conſolari. Lachrymas memorat, tantæ fidei & dilectionis in ipſo gratiam probãs & gaudens. Gaudium affectat de conſolatione ſacra utrinq;, in Chriſto & fide.

Recordationem accipiens eius quæ in te eſt ſynceræ fidei. 5

Vt fuerit Timotheus uirtutum multarum decore clarus, quia ſobrius, caſtus, benignus, doctus et patiens, fidei tamen memoriam celebrat, inclytum dei donũ, quod qui fuerit conſequutus, cæteras quoq; uirtutes habeat neceſſe eſt deo gratas, durabiles atq; ſanctas, & habentem ſanctificãtes. Gaudebat igitur Paulus de ea fide agnita in Timotheo, quæ illi expreſſerat lachrymas inter ualedicendum, qua imbuebatur ad opus dei ſecundum illam perficiendum, à Paulo iniunctum

ex manuum impositione, & spiritus sancti instinctu, cui strenue insistebat sanctus & apostolicus discipulus.

6 Quæ & habitauit primum in auia tua Loide, & matre tua Eunica, certus sum autem quod & in te.

Nedum uentrem proles sequitur, sed multo magis educationem et institutionem à cunabilis, unde multum refert institui in timore dei filios, ut ab uberibus pietatem imbibant. Id certe quod Sapiens frequentius matribus commendat quàm patribus, circa domus totius ut plurimum nutritionem occupatis. Fieri potuit ut tam pater quàm auus gentiles fuerint, & in lege domini nõ instructi à puero, ut auia & mater, quæ Iudaicæ gentis deuotæ fuerint & eruditæ fœminæ, fortassis multo tempore uiduæ sanctæ, & rerum sacrarum studiosissimæ, ut relictum filiolũ sancte instituerint, & docuerint de lege sacra, & consequenter per Paulum conuersæ ad Christi fidem, nõ uulgariter in eadem profecerint, Timotheoq; causam insignis profectus præbuerint. Optandum ualde pueris, ut matres quàm religiosas habeant: unde & puellæ solicitius educandæ sunt in timore dei, & omnibus uirtutum exercitijs, ut tandem matres factæ, sancte nutriant prolem, donec adolescat, magistrisq; disciplinarum ac morum commẽdetur. Vt hic primum fides in auia insigniter inuenta, subinde etiam in matrem Timothei deriuata fuerit, ideo & religiosum filio nomen mater imposuit, ut dei honorem per illum propagandum optauerit. Ex conuersatione ergo religiosa & sanctis exercitijs, ex amore, ait, tuo ad me, studioq; infatigabili gratificandi Christo ad institutionem meam, & ex spiritu sancto tibi dato per manuum mearum impositionem persuasum habeo, quod et in te scilicet est ea fides, & religionis sanctæ synceritas, ueluti per manus tibi à maioribus tradita, & à meipso, qui filius in Christo meus esse ex operibus uere sanctis appares. Certitudinem hãc habere potuit ex spiritus sancti reuelatione, quo plenus erat Paulus, & secundum hominem quoq; iudicare potuit de manifestis, salua semper iudiciorum dei imperscrutabili profunditate, qua fit, ut uiuentes de uiuentibus demonstratiua certitudine de talibus affirmare non possimus.

7 Propter quam causam admoneo te, ut suscites gratiam dei quæ est in te per impositionem manuum mearum.

Quandoquidem non sufficit, dona domini gratuita & naturalia suscepisse à domino, habitibus enim, ut philosophi loquuntur, infusis, non beatus fit homo, sed ex fide & charitate in usum à deo mandatum applicatis, ideo fidelissimi seruuli more, talentum à domino erogatum applicare debes ad lucrum importandum domino tuo cum usura: ne facultatem bene operandi assecutus, & operi non intentus, duplo uapuler, & ut nequã seruus proijciatur foras. Sic tibi in memoriam reuoco, quod nunquam obliuisci debes, ad quæ magnifica opera ecclesiastica te deus aptauerit, dato spiritu sancto per impositionem manuum mearũ, iuxta officium meum, ne uel ad momentum sinas gratiam in te dei uacuam esse, quod ad tuam diligentiam attinet, ad quam uocatum à Christo te meminisse semper oportet. Suscitare autem gratiam dei, est eam in usum collocare, studio orationis præmisso intendere commisso officio, quod fieri potest ab homine iusto gratia dei adiuto. Nec intelligendum est manuum apostolicarum impositionem gratiam aliquam producere, creare uel inducere, sed actione dei, & spiritus sancti ad sacramentalis signi exhibitionem donari gratiã necessariam ad regimen doctrinamq; ecclesiæ, cuius curam à se uocatis, imponit & promouet ad officium ministerij.

8 Non enim dedit nobis deus spiritum timoris, sed uirtutis & dilectionis

ctionis & sobrietatis.

In monte Sinai & deinceps Mosis & prophetarum reliquorum ministerio re bellem & durę ceruicis populum timoris spiritu dominus deus imbuit, ad legem suo modo implendam, illico transgressoribus comminando grauissimas pœnas, & pro tempore inferẽdo, ut qui charitate ad domini dei cultum permoueri, & in cultu unius dei retineri non possent, hij pœnarum horrore absterrerentur à uetitis. Christus autem euangelij author nouam charitatis legem docet, & spiritum largitur filiorum dei, quo inducũtur in omnem uirtutis & iustitię plenitudinem, ut malint amore duci q̃ timore pertrahi ad charitatem, qua lex dei impletur à fidelibus. Qua charitate confirmatur & corroboratur animus ad omnem iustitiam fi dei & innocentiæ studium, ut forti quoq; & infracto animo peragant officium suum. Id Paulus precatur Timotheo, ut spiritu fortitudinis imbutus nihil expauescat quorundam oblatrationes, aut persequutorum sæuitiam. Spiritum uero uirtutis intelligit donũ constãtiæ & fortitudinis in sancto instituto, ut sancte cœpta fortiter absoluantur. Spiritum uero dilectionis, qua ex amore & fide non ex necessitate uel coactione bonum agatur. Sobrietatis autem nomine notatur candor & innocentia synceræ conuersationis, ne prauo aliquo affectu sordescat, & modus excedatur infirmitatis humanæ.

Noli itaq; erubescere testimonium dñi nostri, neq; me uinctum eius, 9
sed collabora secundum uirtutem dei.

Exponit clarius ad quid spiritus fortitudinis necessarius sit episcopo cuicũq;. Omnino enim hac epistola sicut & priore episcopum ecclesiasticum format & instruit, ut procul absit ipsis in hoc mũdo pressuras ferẽtibus, omnis metus & diffidentia, sed fiducia innocentiæ & spiritus donati, spęq; promissæ immortalitatis dei præsidio fidant, & audeant subire discrimina. Hunc spiritum cum acceperis, ô Timothee, exerere uim illius stude, magnoq; animo declara quod accepisti. Ne te pudeat professionis tuæ, qua prædicas crucem ac mortem domini nostri Iesu Christi. Neq; te huius Apostoli pudeat esse discipulum, quanquam his nunc sim uinculis oneratus. Nihil glorioſius cruce Christi, quæ salutem dedit orbi, quę diaboli tyrannidẽ fregit, quæ nobis immortalitatem peperit. Christi enim crux non pudori sit Christiano, sed gloria: mundiq; & quæ in mundo sunt uanitatũ, uictoria & confusio. Neq; me catenæ quas uolens perpetior ob euangelij negotium, facĩt infamem, sed glorioſum magis. Collaborare uero hic est simul affligi & compati, nedum Christo, sed & omnibus sanctis euangelij præconibus commune fatum, quod sine persecutionibus doctrina Christi & ueritatis dignitas prædicari non potest. Hortatur igitur ad Christianam patientiam, in odio ueritatis & sustinentia crucis. Quasi dicere uolens, Quin tu quoq; paratus esto uenire in societatem afflictionum, quæ ob euangeliũ Christi nobis infliguntur. Quicquid ingruerit calamitatum, non est quod trepidemus, res enim non agitur nostris uiribus, sed potentia dei qui uincit in nobis. Nos quidem imbecilles, sed ille potens. Discimus euangelij prædicationẽ non fieri sine labore & afflictione multa in hoc mundo, uincimus autẽ mundũ non nostris uiribus, sed potentia dei, qui nos cõfortat.

Qui nos saluos fecit, & uocauit uocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum & gratiam. 10

Diuina uirtute uincimus mundum, & afflictiones pro ueritate incidentes in corpora nostra, quantum gloriæ dei proficit. Quandoquidem & animas nostras saluauit merito passionum & mortis Christi, quem pro nobis tradidit, ex amore

quo mundum dilexit cum essemus mundani, mundo immersi, & alieni à cognitione creatoris, ac in summa perfidia, unde nos præuentrice gratia sua sine meritis cum inimici essemus uocauit uocatione sancta, ad hoc ut sancti simus, sicut & ipse sanctus est, ut in sanctitate & iustitia coram ipso ambulemus, secundum testamentum dei ad sanctos. Nec tamen domino deo nostro placere poterant operara nuda legalium ceremoniarum, quæ tantum propter eos & in remedium idololatriæ permiserat illis potius q̄ mandauerat, & per ministerium mediatoris Mosis, usq; ad tempus correctionis. Aeque non placebant ut meritoria opera legis decuinæ & decalogi, quæ timore magis pœnæ quàm amore iustitiæ seruabantur utcunq;. Quandoquidem & sanctorum iusta opera non aliud reputanda erant q̄ pannus menstruatæ: impiorum autem & idololatrarum opera prorsus hostilia erant, ut meriti rationem nō admitterent. Cum igitur inimici essemus dilexit nos, & uocauit ad sanctimoniam secundum gratiam, qua ab æterno innotescere uoluit & promisit, misso in carnem unigenito filio, ut moriens in cruce pro electis, ipsos liberaret à morte.

11 Quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora sæcularia.

Gratia propositi illius diuini, de Christo saluatore mittendo in mundum, uel propositum gratiæ illius dandæ nobis, præordinata est ante constitutionem mundi, ante cœlorum & terræ creationem, à quorum naturali motu cœpta sunt tempora sæculorum, hoc est prædestinauit ante omnes creaturas primogenitum electorum & omnis creaturæ, Christum dominum saluatorem, in quo restitueretur humanum genus, quod in primorum parentū præuaricatione perierat quidem, sed illico reuelatum est homini consilium pacis & gratiæ, de semine benedicto, & conculcaturo caput primi serpentis. Quod sanè cōsilium non iam post peccatum ueluti per occasionem concepit, sed omnium deus futurorum semper cognitor, non solum post peccatum Adæ Christum statuit mittendum, sed ante initium omnis creaturæ immutabili uoluntate decreuit omnia. Nec tamen ob id non peccauit Adam, qui sciens præterijt uoluntatem dei, & uxoris amorem diuino præposuit, de quo excusatione nulla se potuit excusasse. Gratia data dicit, quia præordinata infallibiliter, ut suo tempore daretur: quin fide illius gratiæ salus contigit omnibus credentibus ab initio patribus & patriarchis.

12 Manifestata est autem nunc per apparitionem saluatoris nostri Iesu Christi.

Promissa quidem est hæc gratia destinata humano generi à condito homine, & prius prædestinata, sed in temporis plenitudinem à prophetis prędicta, & à sancto spiritu reuelata. Is ipse sermo dei, uerbum quod in principio apud deum erat deus, factum est caro, & habitauit in nobis, in terris uisus est, & cum hominibus conuersatus est, operibus totam naturæ facultatem excedentibus, declaratus est esse qui erat, Christus domini, & Messias promissus, semperq; expectatus à patribus, quia promissus. Is Christus dominus palàm notus factus est, primū quidem sanctis reliquijs Israëlis, per quos mundo uniuerso cum suo regno Christus euangelizatus est & prædicatus, sermonem consequentibus signis & portentis, quæ contemni non possent. Credita est enim nedum uerbi dei incarnatio & passio, sed & resurrectio ipsius & ascensio, cum glorificatione & regno.

13 Qui destruxit quidem mortem, illuminauit autem uitam ac incorruptionem per euangelium.

Christus dominus salutifera morte sua quam sponte subijt crucifixus, semetipsum

ipsum offerens deo patri, ueluti sanctissimus & uerissimus pontifex, & simul sufficientissimum sacrificium, peccatum primi hominis, & totius generis humani reatum mortis obliterauit & aboleuit, ne regnet & tyrannidē agat in regno Christi & fidelium. Sicut enim per Adam mors ingressa est in mundum, sic per Christum uita, ut procul absit credentibus deo per Christum omnis diffidentia & desperatio de fauore dei in præsenti & gloria in futuro. Vita autem animæ, quæ fide & charitate in deum constat, simul cum certissima spe & expectatione immortalitatis, & felicissimi status in corpore & anima, ex Christi domini nostri resurrectione & ascensione declarata est, & emicuit clare per euangelicam prædicationem, per apostolos disseminatum in totum orbem, fidelibus & electis ad salutem, incredulis uero & contemptoribus ad damnationem.

In quo positus sum ego prædicator & apostolus & magister gētium. 14

Huic saluberrimo felicissimoq; euangelio à sæculis destinato per patriarchas & prophetas, orbi uniuerso & gentibus omnibus promisso, ut in ipso benedicerentur ac saluarentur, destinatus ego sum præco & Apostolus, miraculose uocatus & declaratus, legatus Christi ad gentes conuocandas in regnum Christi & Messiæ, ut discurrerem multo labore & diligentia per orbis latissimas regiones, Syriam, Arabiam, Asiam, Græciam usq; ad Illyricum & Italiam, quin & ad ultimas Hispanias, omnia replens euangelio Christi, denuncians salutem mundi factam per Christum, ad gloriam unius dei, eliminata omni spurcitia idolorum, impuritate quoq; morum & criminum, quæ ex infidelitate succreuerant, ut reuerterentur homines ad agnitionem sui creatoris, & ad dignum deo cultum, in spiritu & ueritate, in iustitia & sanctitate. In quo studio discurrendi per grauissima discrimina periculorum & persecutionum, Paulus infatigabiliter laborauit plus aliis apostolis. Constitutus est enim & segregatus per spiritum dei, ut transiret ad gentes, & esset uas electionis, ad prædicandum euangelium regni Christi, personaliter & per scripta gentibus & Hebræis toto orbe dispersis. Hunc cœlestis & ecclesiastici regis præconem, qui non audierit, peribit: qui legatum spreuerit, diuinæ maiestatis læsæ reus, plectetur. Qui magistrum ueritatis & doctorem euangelij refutauerit, exitialium errorum perpetuis tenebris inuoluetur, & propriæ perditionis reus constituetur.

Ob quam causam etiam hæc patior, sed non confundor. 15

Cum itaq; officio & legationi iniunctæ strenue, ut oportet, incumbo, cum acceptam à deo nostram fidem & gratiam dei gentibus prædico, & ad unius creatoris cultum, ad agnitionem bonitatis dei, & animarum salutem in Christo, uerbis, scriptis, operibus & exemplo perduco, omnibusq; modis uocationi meæ satisfacere cupio, multis mihi aduersis persecutionibus, uinculis, iniurijs & mortibus respondetur. Multa pati cogor ubiq;, semper & ab omnibus, mala pro bonis, iniurias pro charitate, captiuitatem pro libertate quam prędico, & regno felicitatis & salutis. Sed interim hæc omnia patiens, non confundor, quod hæc omnia aduersa pro religionis ueræ amore & studio patior, ad gloriam eius cui seruio, & ad salutem eorum quibus positus sum doctor & magister. Vt tu quoq; Timothee non sis pusillo animo, si in seruitio dei studiosus aduersa pati cogaris. Vt tu quoq; exemplo meo per Asiam palàm euulgare studeas Christi euangelium. Commissum tibi officium exequaris, nihil cælans, ut decet legatum fidum & apostolicum uirum; subindeq; doceas, rationem reddendo eorum quæ prædicas, ut ualeas persuadere quod est doctoris officium.

16 Scio enim cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum seruare in illum diem.

Non dubito de promissis & auxilio eius, qui me misit legatũ doctoremq; gentium, & officium mandauit prædicãdi gloriam & gratiam dei. Credidi me & functionem meam ei qui imposuit. Creatori meo creatura obsequor; non ut alter lonas subterfugio officium, sciens ipsum nec fallere quenquã posse, nec falli. Quis enim non crederet ueritati? Quis non obsequeretur patri omnipotenti? Vicunq; autem duram prouinciam delegauerit, corruptissimo mundo prædicare euangelium iustitiæ & sanctitatis, cum persecutionibus & periculis, inuitis principibus huius sæculi, hominibus & spiritibus; certus tamen sum, euãgelij munus & opus quod deposui apud gentes & populos, diuina potentia promouendũ esse, & nullis tyrannorum & perfidorum studijs & instantijs impediendum. Quãdo fortior est diuina uoluntas & bonitas, quàm totius mundi potestas & malitia. Hoc depositum gratiæ & ueritatis ac prædicati euangelij seruabitur contra tempestates huius mundi usq; in illum diem, qui indictus est omnibus hominibus, ut Christi regnum compleatur, & ad finem glorioſissimum perducatur, cum iudicauerit uiuos & mortuos, & nouissimã mortem contriuerit. Siue quis depositum Pauli dicere uelit fidem & obediẽtiam, quam domino fidelis seruus remuneraturo deposuerit, sed euangelij opus & causa commendatum Paulo à Christo aptius, ut uisum fuerit, depositum dici potest, quod contra mortem, peccatum & satanam custodetur, depositum dici potest, quod contra mortem, peccatum & satanam custodietur & stabit.

17 Formam habeas sanorum uerborum, quæ à me audisti in fide & in dilectione in Christo Iesu.

Depositum euangelicæ doctrinæ mihi à Christo creditũ, tibi quoq; à me commendatũ testimonio spiritus, quem accepisti impositione manuum, illud tu quoque obserua diligenter, & fideliter superimpendas ecclesiæ tuæ fidelibus, & cæteris quibus potes. Ea autem utaris uerborum forma, qua proficias, & qua prosis: non adulterando uerbum domini, sed sana doctrina fideles & morum & fidei sanitatem promoueas, simplici & dextro sermone clare doceas quæ à me didicisti. Agas autem hoc docendi officium ex fide, non ob aliquem quæstum uel fastum: ex charitate quã à Christo didicisti, quam & persuadeas auditoribus, ut in utroq; proficiant, fide scilicet & charitate, quæ sunt summa sanæ & Christianæ institutionis: non Iudaicæ traditiones, uel quæstum resipientes doctrinæ, magis q; animarum salutem, & dei gloriam.

18 Bonum depositum custodi, per spiritum sanctũ qui habitat in nobis.

Eisdem spiritus sancti donis quibus ornatus es per Christum, dextre utaris, non ea sinas otiosus marcescere, in fide & uigilantia perseuera, ne per ingratitudinem amittas, uel per desidiam domini iudiciũ & damnationẽ incidas. Eximium siquidem est donum linguarum, & fidei cum charitate, nobile depositum domini, quo lucra domino dominorum comportes in ecclesia, quam regendam assumpsisti. Id autem non tua uirtute poteris, sed per spiritum sanctũ donatum tibi, qui cor tuum ueluti sanctificatum templum & arcam fœderis inhabitet. Nedum autem tuum, sed fidelium omnium, quos unus & idem spiritus inhabitat, diuidens singulis gratiarum dona prout uult, & electis expediens fuerit.

19 Scitis hoc quod auersi sunt à me omnes qui in Asia sunt, ex quibus est Phygelus & Hermogenes.

Spiritu

Spiritu quidem opitulatore fortes, quicquid intentabitur discriminum facile negligemus, atq; etiam uincemus: eo qui carent, hypocritas se gerẽtes, malorum procella sunt territi. Qui mihi adhærebant dum essem in Asia, audientes me uinctum, decq; uita & honore periclitari Romæ apud Cæsarem, metuentes se quoq; aduersa manere propter fidem in Christum, iam nunc deserunt euangelij negotium. Satis uero compertum habere interim potuisti ex biennio ferè, quo hic constringor captus, per eos qui hinc & inde obuersantur & commigrãt, omnes, hoc est plurimos esse me auersatos, cui, ut liquet ex facto, fictis animis adfuerãt, mox ad occasionem erumpente Iudæorum simulatione & improba machinatione deseruerunt me & negotium fidei. Quorum de numero est Phygelus & Hermogenes, nimirum, ut coniectari potest, Iudæi, olim conuersi ad fidem. Assumebant enim sibi nomina Græca, quandoquidem & literis incumbebãt Græcis, non Hebraicis. Vnde & Euangelia & Epistolæ conscriptæ sunt sermone Græco. Sicut et Philo & Iosephus Hebræi quidem non lingua sed sanguine, omnia scripserunt Græce. Vterq; ipso uocabulo declarat inconstantiam: nam priori à fuga, posterio à uersatili Mercurio uocabulum est.

Det misericordiam dominus Onesiphori familiæ, quoniam sæpe me refrigerauit, & catenam meam non erubuit, sed cum Romam uenisset, solicite me quæsiuit & inuenit. 20

Non est quidem meum prædictis duobus imprecari quod meruerunt, committo illos suo domino, cui cadunt, non mihi: sentiẽt quod patientur, nisi resipuerint. Illud potius mihi precandum, ut deus bonorum remunerator, qui sibi uult imputari quicquid officiorum famulis ipsius impenditur, benefaciat Onesiphori familiæ. Siquidẽ is cum sæpe aliâs mihi fuit solatio refrigerioq; in his afflictionum æstibus, tum hoc tempore non puduit illum uinculorum meorum, intelligentem gloriosum esse pro Christo affligi: nec metuit consortium periculi, fretus promissis euangelicis. Imò cum Romæ esset, adeo non refugit colloquiũ captiui, ut magno etiam studio me uestigarit: nec cõquieuerit donec inuenisset. Gratitudinem discimus ad beneficos. Allicit autem Timotheum, ut familiæ Onesiphori, quæ, ut uidetur, Epheſi erat, benefacere nõ grauetur, si Apostolum diligat. Illic quoq; officium familiæ dependat discipulus, quod magister Romæ existens susceperat.

Det illi dominus inuenire misericordiam à domino in illa die. 21

Diem illum per antonomasiam intelligit retributionis diem, & iusti iudicij, quando unicuiq; retribuetur secundum opera sua, quando pro operibus misericordiæ & beneficentiæ electi assumentur ad gloriam: qui & uniuersalis erit omnium, & specialis singulis in morte. Tunc misericordiam inuenire, Hebraico tropo, est graue iudicium euadere, & dei benignitatem sentire. Primum familiæ bona imprecatus est, nunc ipsi pio Onesiphori: adeo solicitus est Apostolus pro amicis & benefactoribus, optans ut erga se deum beneficum experiatur, qui beneficus esse studuit in afflictum, ad similia fideles in ecclesia adhortari uolens.

Et quanta Epheſi ministrauit mihi, tu melius nosti. 22

Quasi dicere uolens, Non hic referam q̃ multis in rebus mihi fuerit opitulatus Epheſi, cũ tu id melius noris q̃ ipse: qualem istic se præstitit, talis erga me fuit & Romæ. Non enim terretur uera charitas ullis afflictionum procellis. Sunt sibi ipsis sancti perpetuò similes, nullam benefaciendi opportunitatem negligunt, prompti ad opera pietatis, amici eorum qui dei gloriam promotã cupiunt: quales in primitiua ecclesia plures erant, sicut & multi desertores fidei & sanctorum

operum. Expedit autem ut utrorunq; discrimen episcopus non ignoret.

CAPVT II.

1 TV ergo fili mi confortare in gratia quæ est in Christo Iesu.

Huius ergo Onesiphori ac meo exemplo, tu quoq; robur animi sumas, nõ tuis uiribus, sed per gratiam quam accepimus à Christo, cuius seruuli sumus, ut ad omnia pericula parati simus atq; muniti. Non tu teipsum corrobora, sed à Christi gratia conforteris. Idipsum quod tibi dilecto filio orationibus & exhortationibus, ut fidelis pater, imprecor & opto. Sed & credentes omnes id sibi dictum putent, ut continuo sibiipsis fortiores ad omne opus bonum euadant: idq; non suis meritis, sed per Christi gratiam, quam posceẽtibus humiliter ac instanter non negat.

2 Et quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.

Non oportet te noua comminisci, quæ doceas ecclesiam, nihil necessariarum doctrinarũ ego tibi non dixi. Hæc ipsa quæ audisti, de scripturis sanctis comprobata ex prophetis & Christi doctrinis, quæ coram multis & in frequenti ecclesia docui, quos omnes ueritatis testes habebis, hæc fidelibus hominibus ad hoc aptis uel aptandis concredere studeas. Non sufficit semel ueritatem dixisse, semel docuisse ea quæ fidei sunt & charitatis, sed continuo & subinde inculcãda sunt. Ad id cum unus sufficere nequeas, & Asia ipsa tota multas cœperit habere ecclesias, necesse est ut idoneos uiros, fideles, sanctos, & in spiritualibus eruditos instituas, & diligenter doceas quæ alijs proponant. Discimus episcopi functionem non negligendam, ut prospiciat non solum de præsenti ecclesia instituenda legitime, sed & de futura, ne quãdo fidei eruditio desit electis. Ad id olim episcopi solliciti erant de monasterijs instituendis, in quibus, dum aliæ adhuc ignorarentur scholæ, apti adolescentes instituerentur in sacris & bonis literis, in fide & moribus, sumpta ingeniorum inquisitione ex parentum industria, fide, probitate & eloquẽtia, unde & ab exordio monasteriorum, nobilium, hoc est notabilium & ingenuorum filij, ad disciplinam huiusmodi sine uotis perpetuis assumebantur, qui pro ætatis incremento aptabantur ad statum mundi gubernandum in temporalibus, & ex ipsis non deerãt unquam, qui ad ecclesiarum regimen & ad sacram eruditionem in populo augendam assumerentur. Excludebatur procul otium omne, ne uitia subintrarent. Castitas, non donatis gratia uirginitatis, non nisi matrimonialis imponebatur, & ad tempus, ut ferri poterat cõmode. Non uero hæc Paulus de monachis præcipit, qui tamen tunc quoq; erant apud gentiles, sed causam urget providendi ecclesiæ de ministris uerbi idoneis, sine quibus ecclesia esse & regi nõ potest. De his uellem episcopi principes cogitarent, ne à laicis in prophanum usum res ecclesiasticæ distrahãtur, ne cesset prope tempus omnis opportunitas religiose educandæ & instituendæ iuuentutis, unde aliquando magna iactura pietatis & humani quoq; conuictus emergat. Facile id possent abbates, si prisca illa tempora institutorum monasteriorum aduerterent, & inde conseruarent pietatis studium uerum, nõ hypocriticum, unde olim à sanctis noscitur inchoatum. De quo aliâs plura. Redeundum est autem ad literam enucleandam.

3 Labora igitur tu, sicut bonus miles Iesu Christi.

Iterum hic laborare, est afflictiones ferre, & angustias pati. Hortatur q; Apostolus episcopum, ut ueluti fortem ducem decet & militem, aduersus omnia mala ingruentia strenuum se præstet, & laborum omniũ patientem, qui eidem multi

&

& magni impendant. Dignumq; te, ait, exhibeas imperatori tuo Iesu Christo, qui ad crucem usq; perstitit in officio sibi delegato à patre. Exemplum præbeas omnibus in Christo commilitonibus, ut prælientur bella domini, contra mundum & mundi principes, contra peccatum & satanam, qui impugnare electos non cessant. Non te honori & otio, multo minus libidini & diuitijs cumulandis consecratum existimes, sed ut sis Christi discipulus, crucem gestãs, & non maior unquam futurus magistro tuo, qui non uenit ministrari, sed ministrare: non nisi per passionem licuit illi ingredi in gloriam patris, hauddubium quin ne tibi liceat.

Nemo militans (deo) implicat se sæcularibus negotijs, ut ei qui se mi 4
litem delegit, placeat.

Generale de militibus exemplum producit, postea applicandum ad militiam Christianã & spiritualem. Ideoq; uacat apud Græcos quod Latini legimus, Deo. Est autem clara sententia. Non oportet militem in castris positum solicitum esse de præsidijs humanæ uitæ, de necessarijs rebus ad uitam degendam commode 3
in uictu & uestitu. Totam hanc curam imperatores habere oportet. Miles totus in hoc sit, ut imperata perficiat strenue, gnauiter obeat munia militaria, ubi & quando oportet. Non oportet autem nos segniores uideri in militia Christi, q; militum uulgus esse uidemus in prophana militia. Quis enim horum, ubi se semel ascripsit militiæ regis aut imperatoris, de uictualibus & uitæ necessarijs solicitus est? Harum rerum prouisionem imperator in se recipit. Militi nihil aliud curandum est, q; ut operam suam probet imperatori, à quo ceu strenuus miles ac fidus ad hoc negotij delectus est. Scit enim præmium esse paratũ penes imperatorem, si modo promereatur.

Nam & si quis certat in agone, non coronabitur, nisi legitime cer- 5
tauerit.

Quin & inter hos qui sese certaminibus pancraticis addixerunt, quisquis de certat, non sat habet ut quomodocunq; decertet, sed nihil non facit, ut uincat, certus coronam quidem esse paratam, sed ei qui gnauiter ac strenue se gesserit in certamine. Nobis itaq; cum iugiter & implacabili prælio depugnandum sit cum satana & instrumentis ipsius, mundo & uitijs, summopere curandum erit, ut non quidem nostris actibus, sed fide, oratione, ieiunio, lectione diuinarum scripturarum, uitiorum fuga, & sensuum continentia per dei gratiam assistentem uincamus, quæ inuocantibus abesse non potest. Huiusmodi enim modis fiunt Christianorum certamina, in quibus triumphat non nostra, sed Christi uirtus & gratia, ne glorietur omnis caro. Quandoquidem nec certãdi uotum nec opus, sicut nec uictoria, sunt in arbitrij libertate uel actione humana, sine uirtute diuina, qui sua in nobis opera coronat.

Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere. 6

Post parabolas duas de milite & athleta, quibus persuasit Christianum hominem oportere multum laborare & grauia sustinere pro fauore & præmio domini assequendo, hic tertiam de agricola inducit, qui ut primus percipiat fructus agrorum, necesse est, ut & strenue laboret, & molestias plurimas perpetiatur. Dignus quidem qui partis utatur, sed cum sudoribus acquisitis. Talis lex humanæ conditionis est ab exordio peccati, ut molestijs plurimis inuoluamur: maxime uero fidelis, & Christo seruiẽs, dum pie uiuere cupit, persecutiones multas pati cogitur, in quibus tamen non succumbit. Dicit ergo in hunc sensum, Industrius agricola dum proscindit, dum stercorat, dum sementem facit, dum repurgat, totus est in

opere suo: nec ullum laborem sibi grauem ducit spe fructus, quem suo tempore fidelem terram scit esse reddituram. Quo magis oportet idem facere nos, qui in euangelij negotio uersamur, ut pro immortalitatis præmio nihil nõ uolentes per petiamur, sub imperatore fido, diuite & optimo.

7 Intellige quæ dico, dabit enim tibi dominus intellectum in omnibus.

Quia parabolas proposuerat, ideo hortatur ut perpendat quid illis significare intenderit. Quasi diceret, Facile hæc intelligis: quod si id minus, dominus intellectum cogitanti & oranti prębebit: uel ut donet obsecro, non de his tantum, sed de omnibus necessarijs ad doctrinam ecclesiasticã agnoscendis. Quanto autem hæc & alia apostolorum uerba simplicius capiũtur, tanto certius & clarius intelliguntur. Est enim canonica scriptura, spiritu sancto inspirata & cõcinnata ad salutem electorum omnium: nõ solum sapientum, sed etiam sensu humiliori donatorum: cum sit pater omnium, & æqualiter illi cura sit de omnibus.

8 Memor esto Iesum Christum resurrexisse ex mortuis, ex semine Dauid, secundum euangelium meum.

Nihil dispendij incurrimus, quotquot euangelium Christi cum multis laboribus & afflictionibus prædicamus, quin crescentibus passionibus, crescit quoque euangelij gloria & fructus. Sic enim uisum est deo suam declarare potentiam & nostram, hoc est electorũ fidem, ut uideamus in nostro capite Christo, quod speremus & amplectamur in nobis. Pro consolatione huiusmodi nostra meminisse oportet Christum Iesum, uerbum incarnatum propter nos, hominem factum secundum quod promissum fuerat prophetis & patriarchis, & eundem per omnia similem nobis passibilem absq; peccato, circundatum infirmitate multiplici, & id ipsum de semine Abrahæ Israelis & Dauidis, quibus præcipue dudũ facta est de Christi humanitate promissio: in qua non tantũ horrenda passus est, usq; ad ignominiã crucis, sed etiam mortuus est pro hominũ salute, quã assequuntur electi fideles. Nec solũ mortuus est, sed & resurrexit uirtute propria, quæ & patris est, atq; diuina & omnipotens, ut & nos quoq; immortalitatis fiduciã teneamus. Hæc autem sunt dicta iuxta tenorem euangelij, quod prædico omnibus gentibus, & summa quædã breuis totius negotij euangelici quod promoueo: nec Iudæorum odio nec gentium metu deterritus.

9 In quo laboro usq; ad uincula, quasi male operans, sed uerbũ dei non est alligatum.

Huius uero euangelici negotij gratia multis malis adfligor à Iudæis & gentibus, usq; ad carcerem & uincula, toties lapidatus & uirgis cæsus, quasi quispiam facinorosus: ac ne sic quidem ab euãgelij prædicatione desisto. Corpus hactenus alligatum est, lingua Christi prædicatrix, & manus à stilo alligari & impediri non potuit. Non enim potest quãlibet humana malitia euincere bonitatem dei, quin eisdem medijs, quibus impij conculcatam uellent pietatem, ipsis promouent & exaltant. Verbum enim dei premi & sperni potest, opprimi & impediri non potest. Non est ergo pijs desperandum, sed ad anteriora semper nitendũ. Habet maxima ex parte uerbum dei consonantiam ad sensum communem, & publicam iustitiam manifeste commendat, quæ à sapientibus contemni non potest, inuitis omnibus impijs, & portis inferorum, & satanæ dolis.

10 Ideo omnia sustineo propter electos, ut & ipsi salutem consequantur quæ est in Christo Iesu cum gloria æterna.

Quamlibet

Quamlibet captiuus sim, ad Christum tamen quoscunq; possum allecto. Mea nihil refert quid patiar, modo lucrum aliquod adiungam euangelio Christi. Huius rei gratia uolens omnia perpetior, de mea quidem salute securus, sed ut ij quoque per euangelij prædicationem consequantur salutem, quos deus ad hanc felicitatem destinauit: quæ salus offertur omnibus, non per legem ceremoniarum, qua Moses prospexit Iudaico populo, sed per Iesum Christum: qui sicut pro nobis est passus, ita uicissim decet & nos pro illius euangelio & fratrum salute perpeti: & sicut ille per afflictiones uarias & ignominiam ad cœlestem gloriam euectus est, ita nobis eadem uia est annitendum, per passiones scilicet & mortem ad uitam & felicitatem æternam, quæ non nisi in cœlestibus perficietur per Christi merita, non nostra. Necessario autem adiecit de salute electorũ, quod sit in Christo, ne quis sustinentia uel actione quacunq; Pauli apostoli salutem consequi, & eundem ceu saluatorẽ colere se posse uel oportere arbitraretur. Quandoquidem electio sanctorum non constat meritis quorumcunq;, præter eq; solius Christi Iesu, qui meruit omnibus ut salui fiant electis.

Fidelis sermo. Nam si commortui sumus, & conuiuemus: si sustine- 11
mus, & conregnabimus.

Per afflictiones itaq; huius mundi pro euangelico negotio sustinendas, euehi posse ad gloriam cœlestem, filijs huius sæculi atq; incredulis durum uidetur & incredibile, sed nobis indubitatum esse debet: quandoquidem Christus ueritas fecit & docuit, passus est & glorificatus, mortuus & surrexit. Cui si crediderimus, discipuliq; magistrum fuerimus æmulati, eidem similes erimus. Si enim per baptismum in typo unà cum Christo mortui sumus, & huius mundi cupiditatibus resignauerimus, aut si etiam in baptismi professione perseuerantibus obtigerit affligi malis huius mundi, futurum est, ut & re uera cum Christo uiuamus: uidelicet immortalitatis socij, qui mortis socij fuerimus. Et si cum illo uel pro ipso aduersa patimur, atq; ob illius gloriam, nimirum cum eodem etiam regnabimus. Aequissimus enim est deus, nec sinet à regni consortio secludi, quos malorum consortes esse uoluit. Et ubi fuerit Christus, ibi erit & ipsius discipulus. Vult itaq; fideles post se crucem ferre, ut cum ipso introire illis liceat in regnum patris sui.

Si negauerimus, & ille negabit nos; si non credimus, ille fidelis perma- 12
net, negare seipsum non potest.

Si hic illum fortiter profitemur apud homines, agnoscet & ille nos in maiestate sua: sin illũ abnegabimus (abnegat autem qui crucem recusat, qui non credit, qui data opera ex aduerso doctrinæ suæ contrariat, qui merita passionis suæ non agnoscit) futurum est, ut in extremo die formidabilem illam uocem audiamus, Nescio uos. Si fidimus illi, nostræ saluti consulimus: sin diffidimus, nihil decedet illi: siquidem ex nostra de illo opinione neq; profectus est illi, neq; dispendium. Ille natura uerax est, nec potest sui esse dissimilis: siue credimus, siue nõ credimus, eueniet quod ille promisit, piijs immortalitas, impijs mors æterna. Minime igitur negãdus est, sed pro illius fide, promissis & gloria omnia sustinenda. Si is nos ob perfidiam nostrã negauerit, regno cœlesti non intromittemur. Credimus autem, si fidem moribus ostendendo obsequimur. Certissime constant semper promissiones suæ. Effluit charitate perpetua qua dilexit in finem suos. Seipsum autem præstare, est saluare, amare, beatificare, & propitium esse peccatis. Fide ergo ipsum anima complectitur, non ore edendo, sed fiduciã totam in illum collocando: non est ut uentrem edendo præparemus, sed mentem fide ornemus; hoc est enim man

ducare Christum, in Christo manere, & ipsum per spiritum inhabitantem diligere, eoq; frui.

13 Hæc commone, testificans coram domino.

Cum fidei nostræ Christianæ basis & fundamentum sit iste fidelis sermo, ut commoriamur, conregnemus, fide adhæreamus, & credendo salutem, per ipsum in ipso permaneamus, huius breuis doctrinæ & professionis omnes commonefacito. Scripturis diuinis confirmato sermonem. Euangelicam doctrinam prædicato. Et ut hæc firmiter credantur, modis omnibus persuadeto, non de tuo quidpiã loquens, sed omnia testimonijs diuinis probato syncera instantia, ad gloriam non tuam, sed dei, cui omnes seruimus, & rationem reddẽdam cognoscimus, hoc est testificari coram domino.

14 Noli contendere uerbis, ad nihil enim utile est, nisi ad subuersionem audientium.

Non timebat Apostolus Timotheo ab hoc contentionis morbo, sed animat eum ad contemnendos eos, qui tali morbo tenebantur, ne inter se friuolis quæstiunculis depugnent: cum Christiana philosophia non sit sophistica disputatio, non ars gladiatoria, ueluti cum humanis argutijs ac ratiocinationibus uelle asserere quod fide percipiendum est, trãquilla meditatione, & fideli animo inquirendum, puraq; conscientia & uita Christo digna comprobãdum. Siquidem huiusmodi contentiosa disputatio sophistarum more, sic non confert ad profectum pietatis, ut labefectet etiam fidei firmitatẽ, ac tandem subuertat animos audientiũ, nihil non uocari in quæstionem, & philosophicis rationibus nunc asseri, nunc destrui, de quo dubitare nefas, sic quæstione quæstionẽ propagante, ut nullus quæstionum neq; finis sit neq; modus.

15 Solicite autem cura, teipsum probabilem exhibere deo operarium inconfusibilem, recte tractantem uerbum ueritatis.

Qui scilicet non erubescat uel pudefiat, quales sunt qui contẽtionibus nitutur, disputationibus contẽtiosis, quas pugnas uerborum appellat, quod in his nemo uelit cedere, sed sua quisq; pertinacissime tueatur, & alius alium conspuit, ut uidimus in gymnasijs etiam theologorum. Tu, inquit, potius omissis istiusmodi digladiationibus, stude teipsum exhibere operarium euangelicum, non disputatorem, & probatum operarium, non hominibus, sed deo. Et sic in euangelico negotio te geras, ut illi qui te delegit non sis erubescendus. Docet autem solicitum esse, ut probabilis fiat deo: quanquam & id quoq; de gratia dei fiat, non arbitrio libertatis. Sic habet & loquitur sanctorum stilus, ut mentem aptemus ad gratiam dei capessendã. Id uero multipliciter fieri potest, oratione, lectione, auditione, studio complacendi deo, & considerãdi opera propria, ne quando irrepat prana aliqua uoluntas & tentatio, quæ orationis studio euincatur. Id uero fiet, si recusis superuacaneis disputationibus, ad fidei compendium uoces euangelicam doctrinam, & discussis perplexarum quæstionũ spinetis, recto iudicio feces sermonem dei, resecando inutilia & superuacanea: ea tantum proponens, quæ ad salutis ac pietatis negotium pertinent.

16 Prophanas autem uocum nouitates deuita, multum enim proficiunt ad impietatem.

Simplex est ueritas, & charitatis oculus, facile intelligitur quid uerum & bonum: huic lingua & sermo concordet necesse est, & facta conformentur, & pietatis

tis ratio cõstat uerbis planis, certis, paucis & simplicibus. Philosophorum autem atq; hæreticorum studium cum sit uanitas & dolus, ideo utũtur nouis, dubijs, obscuris, excogitatis, affectatis & prophanis uerbis & sermonibus: affingunt falsa ueris, dubia certis, coloribus uerborum ac sententiarum imponunt simplicibus & uanis, quo persuadeant etiam impietates sub colore honesti & pij. Quærunt nodum in scirpo, inuoluunt clara tenebris, & uel uideri uel decipere cupientes, abhorrent à clara simplicíq; dictione. Vtuntur autẽ dubijs uersatilibus & captiosis, ut in utranq; partem euadere possint, siue decipere cupiant siue lucrari, placere uel docere falsa. Apostolici autẽ uiri, Christi & apostolorũ exempla sequentes, clare, breuiter, certa & uera loquunt. Vnde longe felicius promouit in toto orbe apostolorũ & prophetarũ doctrina in impietatis euersione, & informatione morum, cũ philosophorum quorumcunq; libri & doctrinæ. Quantum uero profuerit ecclesiæ Parisiensium stilus & disputatorius, cum nouitatibus uocũ, quas nemo præter ipsos intelligit, & qui ab ipsis didicerũt, testatur facies hodierni status, ubi illis nihil minus sapit & probat, cũ quod simpliciter ex sacris literis depromitur, clarissima ueritatis luce, Scoticas ipsorum disceptationes confundente, fallacias quoq; & prophana dogmata producente.

Et sermo eorum ut cancer serpit. 17

Cancer esse dicitur uulnus, quod in mammillis nascitur fœminarum, quibus nisi cito subuentum fuerit, cum uirus ad cor serpserit, nullum ultra remediũ est. Prophanus ergo iste & insyncerus hæreticorum & curiosorum, uel etiam uetera torum sermo, si semel aures & animos simpliciũ occuparit, semper latius, ut pernicios issimus & contagiosus cancri morbus carnes etiam sanas depascet. Non desinet paulatim occupare partes uicinas, donec exitiũ attulerit. Quo magis statim in ipsis initijs occurrendum est malo, ac potius resecandum quàm fouendum, priusquam radices agat. Quantũ ecclesiæ catholicæ malum intulerit neglectus sacrarum scripturarum, & nouitiæ doctrinæ studium secundum tempora exortæ ab hæreticis & philosophis, sed & poëtis, multis etiam ostendi pro dignitate non potest, sentitur autem & à sanctis doctoribus, qui non sine grauissimis laboribus resistere coacti sunt tempore primitiuę ecclesiæ ac deinceps, sed inualuit morbus in omnia ecclesiæ membra, ut à planta pedis usq; ad uerticem nostris temporibus sanitas nulla uisa fuerit: is fructus huiusmodi sermonum & doctrinarum.

Ex quibus est Hymenæus & Philetus, qui à ueritate exciderunt, dicentes resurrectionem iam factam, & subuerterunt quorundam fidem. 18

Exempla nobis nunc prostant hæresum, & pernicios arum doctrinarum, Hymenæus atq; Philetus: hi dum humanis disputationibus tractant rem fidei, adeo aberrarunt ab euangelica ueritate, ut quod est huius caput ac fundamentum abnegarint, dictitantes resurrectionẽ iam in Christo peractam, neq; aliam nobis expectandam resurrectionem, nempe qua in liberis nos referẽtibus, quodammodo nascimur ac reuiuiscimus: uel, secundum alios, illi tantum resurrexerunt uel resurgent, de quibus in Euangelio, Et multa corpora sanctorum qui dormierãt surrexerunt, &c. Aut animas in alia corpora transire putantes, secundum Platonicum errorem. Quem quidam Origeni pijssimo doctori impingere non erubescunt, falsò & impie. Illi non interim aduertunt, sublata resurrectione uniuersali, de qua Christus & apostoli, prophetæ, ac priscorum sæculorum pij & sancti omnes, tolli fidem omnium scripturarum, tolli dei prouidentiam circa pios, in hoc mundo grauissima in corpore patientes, tolli metum & spem præmiorum, quæ

diuersa manent pios & impios. Et subuertunt, inquit, quorundam fidem: non omnium, sed quorundam. Nam si resurrectio non est, fides nostra omnis euanuit: inanis est & prædicatio, neq; Christus surrexit, & consequenter neq; natus est, neq; in cœlum ascendit. Vides ut cum solam resurrectionem uideantur euertere, plurima fidei fundamenta cõcutiant, sed Christi doctrina nutare non potest.

19 Sed firmum fundamentum dei stat, habens signaculum hoc.

Periculum non est, ne istorum peruersitas ueritatem euangelicam prorsus euertat, ut sursum ac deorsum fluctuãt opiniones humanæ. Certe fidei fundamentum, ope Christi iactum ac defensum, stat firmum, nullis hæreticorum oppugnationibus labefactandum, cui ceu solido saxo insculptum est, nusquam eluendum elogium: ut hĩ in quorum corde fundata est Christi fides, non seducuntur neq; subuertuntur.

20 Cognouit dominus qui sunt eius, & discedit ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Christi.

Quos dominus elegit, hos & uocauit, iustificat & cõseruat, donec tandẽ beatos reddat, eos de manu sua nemo eripere ualet. Qui Christo à patre dati sunt, hos non patitur perire, hos etiam peccantes respicit, ut Petrum negantem. Etiam si latrones fuissent, suo eos beneficio uocat, & paradiso dignatur. Nõ est nostrum iudicare de salute hominum, solus dominus est, qui nouit quos ab æterno elegerit ad gratiam & gloriam: satis autem clarum electionis indicium est, si quis iuxta domini uoluntatem & præcepta ab omni iniustitia & iniquitate discedat. Etiamsi corripiatur aliquando à peccato & concupiscentia carnis, uel fragilitate obruatur, nõ tamen in malo perseuerat: si tamen fidelis sit, & Christi domini gratiæ & meritis innitatur: si ipsius nomen & bonitatem inuocet plena fiducia, si illi adhæreat & uerbo credat. Quia uero illi non erant syncere iuncti, mirum non est, si ut Philetus & alĩ desciscant à Christo. Sed ab horum doctrina debent abstinere, quicunq; pura fide semel euangelio crediderunt, ut præter deum patrem & Christum filium redemptorem nullum habent.

21 In magna autem domo non solum sunt uasa aurea & argentea, sed & lignea, & fictilia: & quædã quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.

Non potest ecclesia in hoc mundo, hominum scilicet fidem Christi confitentium & baptizatorum cœtus tantus, sine malis cõsistere, qui ad hoc sunt in mundo, ut uel conuertantur & agant pœnitentiã, uel ut bonos exerceant, uel ut exẽplum sint gloriæ & iustitiæ dei. Omnes enim tam boni q̃ mali domino deo suo uelint nolint seruire coguntur, quibus omnibus utitur ad iudiciorum suorum æquitatem. Impiorũ quoq; malitia uertitur in bonum piorum, dum ab his agitati, magis declarant fidei suæ constantiam. Sic in ampla diuitis domo non solum habentur uasa aurea & argẽtea, uerumetiam lignea fictiliaq;, quorum illa honesto usui deputata sunt, hæc inhonesto. Hoc tantum interest, quod quæ natura argillacea aut lignea sunt, in aurum argentúmue uerti non possunt. Hic quoniã res uoluntatis est, non naturæ, qui se uitio suo uas fecerit ignominiosum, potest opitulante deo per gratiam fieri uas honorificum: ac rursus, qui pietatis cultor uidebatur, & uas aureũ in domo dei, sua culpa relabitur ad impietatem, ut fiat uas probrosum. Qualiacunq; tamen sunt, suum in ecclesia munus implent, & non sine fructu in gloriam dei proficiunt, etiam cum ipsorum incommodo. Intelliguntur autem uasa aurea boni fideles, & sancti dei homines. Lignea autem & fictilia, iniquiores &

& peccatores occultiores, qui in ecclesia bonorum sunt, nec ante tempus ultimæ separationis, propter commixtionem malorum cum bonis, recedendum ab unitate ecclesiæ, ut triticum simul cum zizania manent in area ante uentilationem.

Si quis ergo se emundauerit ab istis, erit uas in honorem sanctificatū, 22
& utile domino, ad omne opus bonum paratum.

Incredulitas, ambitio, crudelitas, libido, & his consimiles animorum morbi, faciunt ut aliquis uas sit ignominiosum: ab his si quis se diligenter purget ac repurget continuo, & ad innocentiam pietatemq; resipuerit, nimirum uas erit honorificum ac purum, accommodum ad glorioſos usus, semper domino suo paratum quoties opus erit. Vtile siquidem domino ad suos usus, ut Paulus ipse, qui ex fictili uase factus aureum per conuersionem, multos domino acquisiuit. Sic si quis ab hæreticorum erroribus emundatus, futuram resurrectionem crediderit, & alias apostolicas prophetalesq; doctrinas, iudicium quoq; dei, per hoc omne opus bonum implere contendet.

Iuuenilia autem desideria fuge, sectare uero iustitiam, fidem, charita- 23
tem & pacem, cum his qui inuocant dominum de corde puro.

Deuitanda sunt non ea tantum iuuenilia desideria, quæ ad libidinem pertinent, sed quæ conuenit in ecclesia castigari. Audiant multo magis senes, q̄ sibi fugienda sunt omnia iuuenilia, ut sunt, esse iniurioſum, uanum, ambitioſum, auarum ac stolidum: hæc sunt enim indicia cordis nondum satis constantis, sensuq; parum firmi, & qui non altis radicibus fixus sit, sed feratur leuis. Sectare, inquit, potius quæ te digna sunt, iustitiam, absolutam honestatem, quantum fert humana imbecillitas, ne presbyter ecclesiæ quicquam designes iniustum. Fidem scripturæ diuinæ eatenus, ut alijs quoq; persuadere eam ualeas, & contrà negantes defendere. Charitatem, quæ signum est apostolorum & discipulorum Christi, quam uerbo doceas, & conuersatione comprobes & persuadeas. Pacem quoque cum his qui puro corde Christum profitentur: non qui temere, sed absq; dolo & simulatione inuocant, quibus nihil ineſt fraudis. Non cum Hymenæi similibus, cum quibus tibi nihil sit commercij. Non peccat iustitia uel innocētia, non disputat fides, non effertur charitas, pax non contendit. Cæterum ea patientia ac mansuetudo seruanda est, ut non ex ea pietas fidesq; lædatur: quam qui uiolare quærunt, durius sunt corripiendi.

Stultas autem & ineruditas quæstiones deuita, sciens quia gene- 24
rant lites.

Vides ut ubiq; illum à quæstionibus arceat: non quod ille idoneus non fuerit eas euertere, alioqui dixisset, Cura idoneus fieri ad eas euertendas: sicut dicit, Intende lectioni &c. Verum nouerat esse prorsus inutile huiusmodi subire certamina, ut uidimus interim Scholasticarum nimias & stultas quæstiones, nullumq; finem habitura, nisi rixas, odia, iniurias, maledicta, sectas. Has, inquit, quæstiones deuita. Sunt autem aliæ perutiles quæstiones de scripturis, de fide, & moribus negotijs, à quibus ille non prohibet, sed ita, ut in conquirendo cessent lites & iurgia. Procul enim ista esse debent ab eo qui dei pacis seruus est, ne in maius semper ingliscente disputationis calore, res tandem in rabiem abeat, nullo uolente concedere alij, ut malit & agnitam falsitatem pertinacissime tueri, q̄ minus eruditus haberi. Cum hoc igitur hominum genere non conseres manum, quando uinci non possunt. Christus non hac uia persuasit euangelium mundo, modestia ac mansuetudine uicit, nec audita est uox eius in plateis.

25 Seruum autem domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, idoneum ad docendum, tolerantem malos, cum mansuetudine corripientem eos qui resistunt ueritati.

Procul quidem abesse debet seruo dei contentionis ardor, & impatientia uel iracundia, sed per mãsuetudinem debet fideles regere. A qua tamen non discedi tur, si cum omni imperio arguat criminosos, si suam quoq; iuuentutem uel perso nam contemni non ferat, dure quoq;, dum oportet, arguat: nam & hoc mansue tudinis est, scilicet contradicentes corripere, arguere & corrigere, sed mansuete, & ad utilitatẽ eius, qui à grato magistro proficere paratior est, q̃ si mœrore & tri stitia animo alienetur, quod corrixando & altercãdo contingit facile. Quod si hæ reticorum more quisquam corrigi non uult, & immedicabili morbo detinetur, post unam & alteram illum correptionẽ deuita. Ab illis autem solis discedendum est, de quibus apertam possumus ferre sententiam, certiq; esse eos nunquam ad ueritatis uiam reuocandos. Paratus quoq; sit & promptus uel habilis ad docen dum magis q̃ ad obiurgandum. In malis quoq; tolerandis sit lenis, & minime irri tabilis, ut grauiter magis q̃ aspere eos corripiat, declarans sese nihil aliud cupere uel agere, quàm ut illis medeatur, quod non temere de quoquã sit desperandum. Ideo sequitur.

26 Ne quando det illis deus pœnitẽtiam, ad cognoscendum ueritatem, & resipiscant à diaboli laqueo, à quo captiui tenẽtur ad ipsius uoluntatẽ.

Certe fieri potest, ut per modestiam & amicam correptionem, det illis deus su perioris errati pœnitudinem, iamq; discussa mentis caligine, ueritatem agnoscãt & amplectantur, quã prius impugnabant, ac resipiscẽtes tandem ueluti ab igno rantiæ graui somno expergiscentes, excutiant sese à laqueo diaboli, qui nimirum sunt cupiditates prauæ, quibus antea capti, ad ipsius uoluntatem circumageban tur, etiam ad impugnationem euangelicę ueritatis. Interim tamen uerba Aposto li consideranda, qui non dicit, Ne fortè possis: sed, Ne fortè det illis deus: ut si quid fiat, ad dominum cuncta referantur. Ipse est enim qui te plantante & rigante se minat, & fructus parere facit, & ad incrementũ perducit. Sed & quod ait, Ne for te, magnæ diuinæ patientiæ indicium est. Nec tantum errores contra ueritatem, sed & abusus & peruersitates uitæ laqueos diaboli intelligit. Voluntas autem dei est, simpliciter uerbo dei credere, & recte uiuere: huiusmodi domini uoluntatem non facere, laqueus profecto diaboli est, à quo resipiscere debemus, si quãdo nos captos senserimus.

CAPVT III.

1 HOc autem scito, Quia in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa.

Dicuntur nouissima tempora, Hebraico more, non quæ circa mun di finem proxime erunt, sed posteriora quæq; suis temporibus nouissima nomi nantur. Quanquam & tanto peiora futura sint tempora, quanto fini huius mun di & extremo iudicio fuerint proximiora, secundum Euangelium. Hortatur er go ecclesiam in episcopo Paulus, non solum cõtra Iudæorum & ethnicorum per secutiones, uerumetiam aduersus malitiam eorum. Neq; enim dissimulãdum est, sed uincendum quod uitari non potest, ad grauamina scilicet temporũ posterio rum, cum decrescente uera pietate, charitas quoq; restinguetur.

2 Et erunt homines semetipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphe mi,

mi,parentibus non obedientes,ingrati,sceleſti,ſine affectione,ſine pace, criminatores,incontinentes,immites,ſine benignitate, proditores, proterui,tumidi,cæci,uoluptatum amatores magis q̃ dei.

Qui ſeipſum amat inordinate, minime ſe amare conuincitur. Fratrem enim non diligit,charitate excidit, mortuus eſt: deum, quem non uidet, adhuc minus diligit: pertinet ad ciuitatem non dei,ſed ſatanæ: non poterit nec à deo nec ab hominibus diligi,Chriſtianam politiam corrũpit. Nam ſi ſumus inuicem membra, proximi ſalus non illius tantum eſt,ſed & corporis reliqui,cuius detrimentũ non ad ipſum pertingit ſolũ,ſed totũ doloribus occupat. Si fratrem deſpicis, teipſum neglexiſti. Qui uero fratrem diligit,ſeipſum amat, ac legẽ dei impleuit. Suiipſius autem amor,humanitate deſtituit homines,& beſtijs ferociores conſtituit. Ex nimio amore ſui procedit auaritia, qua contrahitur charitas,ne ubiq̃ diffundi poſſit ut debet. Hæc peſtis tam mediocres q̃ tenues ſubigit, dum non habetur ratio proximi utilitatis,ſed tantũ ut ſibi quiſq̃ q̃ plurima contrahat ac conquirat,dum utilitates proprias ſectatur tantum, etiam per iniuriam proximorũ, dum non ſe patitur re aliqua indigere quam uidet apud reliquos. Cui ſemper deeſt, nõ ſolum quod non habet,ſed etiam quod habet. Quanto plura colligit, tanto uel plura cupit,uel prodigalitate uoluptatibus incumbit, & in crimina multa otioſus à bono prolabitur. Corraſis per auaritiam diuitijs, animus effertur in ſui cõplacentiam, qua ſeſe admiratr, & profectibus huius mundi ineptius gaudet. Prudentiã & felicitatem ſibi,non deo tribuit,cui fit ex mentis cæcitate ingratus. Gloriabundus apud ſemetipſum,quaſi non acceperit: faſtuoſus tam pro habitis bonis q̃ non habitis. Sequitur continuo ſuperbia,qua ſeſe alijs quoq̃ præfert, quos ut infeliciores contemnit: non ſine inuidia contra eos quos pro ſimilibus naturæ uel fortunæ bonis contemnere non poteſt. Fit animo inquietus,quo cæteros ſibi ſubijciat: nemini ſubeſſe dignatur,laudari uult & honorari,ambitioſus, & re uera ſtultus efficitur,dum aliũ ſe putat & uult haberi,q̃ ab alijs iudicetur. Superbo enim inuident reliqui, & auaro nihil inſuper eſt turpius & inuidioſius. Qui uero hominibus ſe præfert,facile quoq̃ deum contemnet. Qui conſeruos aſpernatur,inuenietur dominum non amaſſe. Qui durus in fratres,in deum fit impius. Vnde quia in uitijs quoq̃ maius cõtinuo propagatur ex minori, & ueluti per gradus aſcendit ſuperbus ab odio proximi ad odium dei,qui ſuperbis reſiſtere ſolet, & deijcere de ſedibus: ideo blaſphemia ſequitur,qua deum aſpergit ut iniuſtum,& homines ut ſeſe indignos. Verbis quoq̃ iniuriatur deo & proximo quantũ poteſt, optaret autem factis quoq̃ ſi poſſet,iam in odium prolapſus & perfidiam. Sed & ſuperbia mentis,& proprij ſenſus complacentia degenerare ſolet,in ſpiritualibus quoq̃, ut ad hæreſes,& uerbi dei negationem & contemptum,unde & blaſphemia oritur, & mala interpretatio ſcripturarum,dum faſtum & quæſtum reſipiunt uerba ſuperbi & auari. Qui igitur ſe deo & proximis opponunt, quid mirum, ſi parentibus quoq̃ & ſuperioribus fiunt immorigeri & intractabiles? Non ſe ferunt admoneri uel corrigi,qui ſibi nimium placent,& malunt laudari,cedere aliorum benedictis non poſſunt. Nulli ſubeſſe,omnibus ſuperferri uolũt, ut etiam de parentum aliquando ſorte humiliore elati filij erubeſcãt. Huiuſmodi autem ſuperbus & pietatis contemptor,cui pro beneficijs gratus eſſet,qui dei & parentũ beneficia non appretiatur? Sic autem iugiter creſcunt peccata,donec ad maximum ingratitudinis uitium peruenitur,quo iuſte meretur acceptis deſtitui beneficijs,ut infeliciſſimus omnibus abominatio fiat. Quin & ſequitur tandem animi infelicis deiectio

cum desperatione, dum scilicet sibijpsis qui huiusmodi sunt nihil boni conscij si bi, ueluti solatij cuiusdam uice, aliorum opinionem de se uiolare nituntur, ac per id innumeris & abominandis sceleribus se implicant, impuritatibusq; infandis: quos hic scelestos uocat, qui peccandi morem transgredientes, procul abiecto ti more dei & hominum. Sine affectione dicuntur esse, qui deploratissimi habētur, in quibus etiam naturæ affectus obsoluerunt, puta in filios legitime educandos, in familiam humaniter tractandam, in uxorem amice & synceriter colendā atq; amandam. Sine pace, in propria conscientia, & ad deum patrem ac iudicem, multo minus ad extraneos quoscunq; uel familiares atq; contribules, seditionibus potius studentes, concitantes ad intestina odia quos possunt factis, ubi occasio fuerit, uel detractionibus, dum à uerbis criminatorijs non sibi temperant. Gaudent autem se melioribus derogare famam in occulto & publice, crimina impingēdo falsa, & comminiscendo, ut noceant, qui prodesse nullis uolunt uel possunt. Gaudent uero ansam prehendere per fas & nefas, bonis faciendo negotium in rebus & fama, quo ipsorum scelera uirtuosis composita minus uituperentur, cum sibi nihil imperare honestum ualent, sensuum lenocinijs per omnia obsequentes, gulæ & libidini omnis generis indulgentes, linguæ scilicet, manuum, oculorum, & aurium uentrisq;, quibus uoluptatum procurant occasiones, sine cūctatione uel uerecundia. Immites denicq; & crudeles in proximos & externos necesse est sint, qui nec homines nec parentes etiam uerentur, & deū blasphemare audent. Hinc profecto crudelitas, hinc immanitas surgit, cum quis auarus & cupidus, sitiq; amator ingratus lasciuusq; fuerit. Absq; benignitate, intelligendum est, etiam amicis suis nō boni uel fauorabiles, uel bonorum hostes, & bonum quod est minime diligentes, nihil parati ad miseris succurrendum, quamlibet iustis, propensiores autem ad nocendum: unde & proditores fiunt, desertores amicitię & sodalitatis, reuelando secreta, maxime dum possint nocere, nonnunquam etiam honestis, & ipsi quoq; patriæ, & nunquam male meritis. Proterui habentur & temerarij, iudicio præcipites & præfracti, nulla proximorum cura soliciti, sine cunctatione instantes ad male merendum de quibuslibet, nulla habita ratione periculorum amici uel suorumipsorum, tantum ut libidini satisfiat, & malū cuipiam intulisse gaudere possint. Tumidi hic notantur, qui temeritate sua grassando contra ius et fas, nolunt tamen ab aliquo corripi, uel agnoscere qualemcunq; errorem, sed gaudere & superbire dum malefaciunt, ut turgidi dicant, Nolumus, Volumus, Oportet, sitq; nobis in quocunq; opere nostro pro ratione uolūtas, dedignati rationem præstare pro quacunq; insolentia prosequenda, sine timore & per fastum peccantes, ut libet. Cæci, non est in Græcis nec in Latinis exēplaribus. De quo uide Erasmum. Summatim concludit, Homines sine deo, qui ut illius bonitatem & iustitiam non credunt, sic nec metuunt, multo minus amant, sed toti uoluptatibus dediti, quas sine fine conseruare cuperent, & domino deo cœleste suum regnum cederent, quod non credūt: pro cuius amore nulla uelint uoluptate fraudari in hac uita. Interim tamen in hoc sæculo magni haberi & esse cupientes, & euehi honore & gloria, titulo, cultu, ceremonijs & hypocrisi: præ se ferunt quidem speciem pietatis, cum id quod est caput ueræ pietatis abnegent: hoc pestilentiores, quod sub persona religionis, & uita sint contaminatissima, & synceritatem euangelicæ doctrinæ Iudaicis fabulis & gentilium ritibus humanisq; inuentiūculis uitient. Id uero est quod tandem finiendo persequitur, dicens,

3 Habentes speciem quidem pietatis, uirtutem autem eius abnegantes,

tes,& hos deuita.

Exhibent hypocritæ illi non raro opera aliqua pietatis,ut æstimẽtur apud ecclesiam,fide autem carent,quæ est ipsa pietas & sanctitudo.Quo fit,ut bona quidem simulando inchoent,sed uirtutem perseuerandi non habent: in tentationibus non subsistunt,ad primam malignãdi opportunitatem & deficiendi ad munda studia,ad auram uanitatis,& sæcularis gloriæ retrocedunt, & cum piorum & ecclesiæ iactura graui sese quales fuerint ostendunt,laruam abijciunt sanctitatis.Fortassis & hodie cernere est quosdam,ad hæc morum exitia tendentes. Proinde hos quoq; fac auerseris.Sunt enim æque pernicioſi ecclesiæ & præsidibus,si non magis,ut manifeste impij multipliciter.De quibus & eorum studijs iam multa insinuata sunt,de quibus & multo plura dici possent.

Ex his enim sunt qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis,quæ ducuntur uarijs desiderijs,semper discentes,& nunquam ad scientiam ueritatis peruenientes. 4

Vt certius ac tutius huiusmodi homines auersari ac uitare possis, mores illorum ex parte tibi depingam.Siquidem huius generis sunt isti, qui commendatione simulatæ religionis,sordidis uestibus, uel ad austeritatem cõpositis, uel etiam munditiem: uaria sunt enim impostura rum genera,ficta seueritate uultus,pallore arte inducto insinuant semet in domos alienas, atq; in illis primum uenantur stultas mulierculas,quo facilius per has imponant uiris,haud secus q̃ serpens per Euam decepit Adam,nam fœmineus sexus imbecillior magis idoneus est impostura.Deinde non captant graues ac uere probas matronas,sed leues mulierculas: quæ sic Christum profitentur,ut interim onustæ sint peccatis multis & uarijs per inconstantiam & cõfusionem. Non hic sexum accusat, neq; enim simpliciter ait,Mulieres,sed tales mulierculas, nam & in uiris inuenit̃ huiusmodi muliebris inconstãtia,ut blanditijs uinci possint ab hypocritis & fallacibus. Qui uiri & mulieres incauti,quoniam non innituntur solidę pietati, fluctuant & circumagun tur uarijs cupiditatibus deliciarum, turpitudinum atq; lasciuiæ. Varijs, inquit, concupiscentijs,hoc est pecuniarum,gloriæ,iactantiæ, honoris,deliciarum, fortassis & fœdiores alias concupiscentias designat.Istæ non contentę semel à nobis didicisse quod ad ueram pietatem satis est,noua subinde discere gestiunt,& ob id ascisc unt sibi doctores accõmodos ad suas cupiditates, qui doceant illas nihil scire,nec unquam perducant ad cognitionem ueritatis,imò sub prætextu doctrinæ euangelicæ cælant impurissimam uitam,ac palàm profitentes Christum,clam ea docent,quæ cum Christi doctrina ex diametro dissident ac pugnant.Non ista,illis parcens,sed ea uehementer insinuans dicit,quia peccatorum & concupiscentiæ molibus oppressa erat mens earum & excæcata.

Quemadmodum autem Iannes & Mambres restiterunt Moysi,ita et hi resistũt ueritati,homines corrupti mente, reprobi circa fidem,sed ultra non proficient. 5

Mirum uideri non debet,si nunc exoriũtur, quorum improbitas aduersetur euãgelio. Vetus exemplum est, Quemadmodum enim olim in Aegypto Iannes & Mambres suis præstigijs conati sunt abrogare fidem ijs prodigijs,quæ Moyses uirtute dei designabat: ita & hi sub falsa quadã imagine pietatis aduersant̃ euangelicæ ueritati.Hæc uero nomina nõ inueniunt̃ in libris legis,uel reliquis canonicis ueteris testamenti,sed Paulus protulit, siue per spiritum, siue per peritiam

aliarum scripturarũ, quales olim plures erant præter uigintiquatuor canonicos. Tam illi autem q̃ isti homines deplorati habeantur. Quippe non solum turpissimis animi cupiditatibus infecti, uerumetiam euangelicæ doctrinæ, fidciq̃ syncerítatem ad suos affectus deprauantes, sed ultra non proficient. Et quomodo alibi dicit? Et proficient amplius in impietate. Alibi quidem uult, studentes nouitati, nusquam erroris finem inuenturos: semper enim noua proferent & corrupta dogmata hæretici. Hic autem dicit, Non semper fallent, neq̃ decipiendo secum rapient quos uellent, facile enim deprehendentur.

6 Insipientia enim eorum manifestata erit omnibus, sicut & illorũ fuit.

Quãuis omni ex parte uideatur error inualescere ad tempus, ad finem tamen usq̃ non permanet: non enim natura bona sunt, licet uideantur, ideo ad tempus tantum florent, sed cito deprehenduntur. Istorum enim amentia perspicua fiet omnibus, quemadmodum & magorum detecta fraus reddidit illos contemptos ac ridículos. Etenim quorum mores & animus est insyncerus, eorũ doctrina non potest esse syncera. Fucata enim non durant perpetuò. Quod aliquandiu texit simulatio, tempus in apertum proferet.

7 Tu autem assequutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, persequutiones, passiones.

Tu uero Timothee, longe dissimilis istorum, doctrinam euangelicam quam tibi pure & fideliter tradidi, pure item & constanter transfundes in alios. Qualis fuit mea doctrina, talis & uita. Cuius rei testis optimus esse potes, qui diu mecum uersatus, nihil non expertus es, syncerítatem doctrinæ, & huic congruentem morum institutionem: propositũ quoq̃ Christo seruiendi per omnia, & fideliter decendi, cum alacritate animi, nihil refugientis, fidei robur nullis in me malis perturbabilis: quæ ut nosti uehementer multa perpessus sum semper & ubiq̃, usq̃ etiam ad præsentes catenas. Longanimitatem intelligit in persecutionum sustinentia, & pacificam collationem doctrinarum, cum aliter sentientibus, donec clarius agnoscerent ueritatem. Charitatem, qua prodesse cupiebat etiam hostibus, fidelibus quoq̃ flentibus collachrymãdo, & reliqua ubiq̃ charitatis obsequia præstiando, de quibus ad Corinthios scripsit, qualẽ certe illi non habuerunt. Tolerantiam in persecutionibus. Non hoc uult dicere, quod supra longanimitatẽ. Duo autem in primis doctoris animum perturbant, hæreticorum scilicet multitudo, & impatientia passionum, quibus nullum tempus est uacuum, quæ tamen nobis nocere nil poterunt. Iam uero intueamur illum, de pressuris suis multis differentem & grauibus, dilecto suo discipulo ad exemplum, quod æmuletur ipse & episcopi omnes.

8 Qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconij, Lystris, quales persecutiones sustinui, & ex omnibus eripuit me dominus.

De quibus ad longũ multa in Actis cap. 14. Scis q̃ hic graues persecutionum procellas sustinuerim supra uires humanas, sed tamen ex oĩbus his eripuit me dominus, cuius præsidijs erã infractus. Cui tu quoq̃ fidem habeas, si similia pro ueritate certanti à pijs & impijs accidãt grauiter ferẽda. Non suos deus destituit sua gratia, quin uires dat ferendi, & de impietate triũphandi, & etiam de impijs, si domini gloriæ seruiat. Qui & ex præsentibus uinculis eruere poterit, si uidebitur, saltem gloria suorum seruorum præmiabit, qui & de morte suscitauit lapidatum, & multis triumphis insigniuit. Ex plurimis pauca dixit, alioqui nota discipulo,

pulo, fortassis & recentiora erant, & ne gloriæ honorisq; cupidus arguatur: non enim ad iactantiam scribit, sed ad consolationem discipuli. Antiochiam Pisidiæ dicit, Lystram ex qua Timotheus oriundus erat. Vbiq; & alacritatem præstiti & derelictus non fui.

Et omnes qui pie uolunt uiuere in Christo Iesu, persecutionem pa- 9
tientur.

Non hæc mihi uel meo familiari quodã fato acciderunt, uel ob malefacta mea sunt inflicta, ob synceritatem euangelicæ doctrinæ pariter ac uitæ tot malis exercitus sum: imò quicunq; uolunt ad exemplum meum & Christi sequi ueram pietatem, ad illius ac meum exemplum, ad tolerãdas afflictiones se præparent oportet. Quod non sit discipulus supra magistrum: & ne propter huius mundi cõmoda summo bono inhærere uelint sapientes. Vtq; ad Christi regnum ardentius anhelent filij dei, & mundum cum his quæ sunt in mundo religiosius odiant, amoremq; creatoris per patientiam attestẽtur. In Christo Iesu uiuere, est ex ipsius meritis & ad præscriptum euangelium conuersari in hoc mundo, totumq; pendere de cœlis & prouidentia dei. Vt igitur oculata fide hæc uere dici cernimus, sic de corona electorum in Christi regno assequenda neutiquam dubitemus. Omnes, inquit, non aliqui: nõ enim adhuc uidimus inclytum amicum dei exortem fuisse malorum. Quãdoquidem & inuidia malorum & commiseratio ad pios, plurima patientes, non modica passio est fidelis uiri, charitate fideq; Christiana pollentis, etiamsi in pace mori uideatur. Aetate sua dicebat Iob, tentationem esse uitam hominis super terram, quanto magis nunc? Non est fas hominem pergentem uirtutis uiã, à tristitia, pressuris, doloribus, tentationibus immunẽ esse, arctamq; Christi uiam sine pressuris incedere.

Mali autem homines & seductores proficient in peius, errantes, & in 10
errorem mittentes.

Nihil, inquit, horum te perturbet, siquidem uideris malos homines in quiete, tu uero in tentationibus uiuis. Non potest uir bonus qui indixerit bellum malis pressuris carere: nemo certans requiem quærat. Nefas est dei pugilem uacare delicijs. Luctamen sunt præsentia omnia, certamen, bellum, pressura, angustia, stadium. Aliud est quietis tempus, hoc ærumnis est deputatum atq; sudoribus. Semper mundus habiturus est, qui, quo suam fictam religionem tueantur, affligant & opprimere nitantur ueræ pietatis cultores. Hinc tot Israelitarum certamina & pressuræ. Sed hæc afflictio nobis cedet in lucrum, quemadmodum improbis illis & impostoribus sua prosperitas cedet in cumulum damnationis, duplici nomine daturis pœnas, & quod ipsi desciuerint à ueritate, & quod alios suis erroribus inuoluerint. Sed illos, si minus resipiscunt, suæ pœnæ relinquito.

Tu uero permane in his quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo 11
didiceris.

Tu autem perseueres credendo, docendo, operando ea quæ à me didicisti in fidei Christianæ articulis, & doctrina catholica, quam & ego à Christo didici per reuelationem, quæ & cum apostolis ad tuam & aliorum certitudinem contuli. Quæ & legem si perscrutatus fueris ac prophetas, inuenies non aliter se habere quàm docui. Christum non aliter exhibitum mundo, q̃ ut patriarchis promissus fuerat ab ipso dei uerbo, & ut prophetæ omnes futurum prædixerant. Huiusmodi didicisti à me & per scripturas, non sine spiritu sancto ad id infuso tibi. Quæ & credidisti hactenus. Non enim tantum ea didicisti, sed & credita sunt tibi, hoc est,

credidisti omnia quæ es edoctus, hanc esse in Christo benedictionem promissam à sæculis, Christum esse totius mundi saluatorem, olim sacrificatum in typo agni paschalis & sacrificiorum, cum sanguine toties effuso, nunc uero oblatum semel atq; crucifixum pro peccatis omnium electorum. In his credendis & cæteris, quæ de resurrectione docuimus, non hęsites unquam, nosti enim à quo didiceris, quo authore profeceris. Me scilicet, cuius uocationem, gratiam, fidem & operas, non sine miraculis diuinis nosti. Scias ergo indubitatam esse doctrinam & institutionem quam habes, ut sis constans & syncerus in officio prædicandi euangelium delegato tibi.

12 Et quia ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Iesu.

In scripturis diuinis à prima statim ætate imbutus es & educatus, ut per eas maior quoq; tibi fidei uirtus accesserit, adeoq; inualuerit, ut nullam dogmatum incurrere possis iacturam, radicibus ueritatis altissime fixis. Expedit autem epi. scopos à puero initiatos fuisse sacris literis, tum quidem canonicis libris ueteris testamenti: ab eo autem tempore quando Euangelia scripta sunt per apostolos & epistolæ apostolorum, istis quoq; ab eis fuit summa diligentia incumbendũ, quandoquidẽ solæ illæ sacræ dicuntur, solæ possunt perfectũ instituere Christianum, solæ sufficiunt ad salutem. Sacræ autem dicuntur, quia à spiritu sancto inspirati loquuti sunt sancti dei homines, deq; sacris rebus, de mundi creatore & creatione, de prouidentia dei circa homines & regimen orbis mundani, de omniscientia & omnipotentia, de beneficijs & iudicijs dei sacrosanctis, de fidei & charitatis doctrinis, de præmio sanctorum & iustificatione per Christum omnium saluatorem, de domini uoluntate sacrosancta, de prohibitione malorũ & iudicio dei iusto, de cultu uero summi boni, de uita æterna, beata sanctis, infelicissima impijs. Hæc docent sacræ literæ clarissime, si simplici animo, cum timore dei, & non fasci nato oculo sæculariũ literarum, præuia oratione ad scopum fidei & charitatis directa legantur à studioso & humili. Qualis erat Timotheus, & homines ecclesiæ primitiuæ. Nec tamen sine fide in Christum intelliguntur, qui ut patribus creditus est futurus salus mundi, & prædicatus à prophetis, sic ab apostolis uisus est, & mundo exhibitus & declaratus, ut fideles inuenirentur prophetæ & sacræ literę. Quas in hodiernum diem falsas suspicari coguntur Iudæi Christum negantes, cum dudum omnia prædicta à prophetis, ostendantur impleta consensu orbis, de quo ipsi quoq; Iudæi trepidare coguntur, nullum indicium cernentes futurę tanę salutis carnalis, quantã optant & sperant iam uane à mille quingentis annis.

13 Omnis enim scriptura diuinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo dei, ad omne opus bonum instructus.

Omnis, id est tota & sola canonica scriptura, cuius deus author ostensus est, non tantum miraculis suis, sed & eorum qui eas scripserunt, quarum ueritas per omnia sæcula illibata conspicitur, sacrosancta deprehenditur, quę sola potest reddere sanctos discipulos, si illi acquiescant, & credant tanquã oracolo cœlitus donato hominibus, quæ sola sufficit ad scientiam salutarem, ad uitam exigendã deo gratam, ad fidem certam atq; catholicam, quam spiritus sanctus disseminauit in orbem, & uult ab omnibus sancte credi, excoli à studiosis, pijs, humilibus, & charitate uera non fucatis. Hi ubiq; inueniunt dogmata salutis, quibus dei declaratur potentia, sapientia, bonitas, iustitia, & prouidẽtia sacrosancta. Opera uere bona

bona deoq; grata, quæ docuit & obseruari mandauit, pro quibus præmia æternæ salutis promisit. Authorem quoq; salutis & gratiam totis deducit scripturis uetaris testamenti, ab initio peccati & promissionis saluificæ, usq; ad ultimum prophetarum Danielem, Christum dominum uerbum dei incarnatum, qui unicus scopus est totius scripturę, quę agere docet & credere ea, quę in sola ipsius iustitia fieri possunt. Omis scriptura, ait, diuinitus inspirata, prophetis scilicet & apostolis, nihil habet quod sit studioso, & ecclesiæ toti inutile, nihil uanum, nihil dubium: non omnia tamen ubiq; clare exposita, totam tamen legenti simpliciter, clare intelligenda. Docet fidem & mores, imperitos proficere facit, in istis quæ sine periculo non ignorantur: quicquid enim docet, uehementer est utile ad salutem mundi & hominum. Redarguit falsa dogmata philosophorum, & errantis intelligentiæ humanæ, ut confundantur in superbia mentis suæ, dum se putant sapientes esse, & sunt stulti. Dum minime consentiunt in præceptionibus morum & disciplinarum, ut quamlibet sibi docti uideantur, in conscientijs suis redarguantur, de plurima falsitate, postquam deposito supercilio philosophico, huius sacræ scripturæ syncerítatem intellexerint. Valet quoq; præ omnibus mundi reliquis scripturis hæc sacra doctrina, ad correctionem errorum & uitiorum, ueriſſimas uirtutes docens passim, quibus domino placere possumus, & gratiæ suæ dona in Christo domino promereri. Id quod philosophi certo statuere nõ potuisse noscuntur, qui uirtutes non docuerunt ad uitam animarũ in perpetuum assequendam necessarias, quales solæ sunt fides, spes, charitas, quibus deus colitur, & præmia pollicetur cœlestia, sapientibus huius mundi ignorata. In hoc consistit uera iustitia, ut credamus in deum, & quem misit Christum dominum, qui est benedictio omnium gentium, & ipsa fidelium iustitia, pax & felicitas, & ita perfectio hominis à deo electi, & credentis se totum domino, & ad omne id quod domino placitum nouit, promptissimum ad officia pietatis, ut homini hoc modo dicato deo, nihil iam desit quo minus cõsummatus sit, pleneq; instructus ad omnia officia Christianæ uitæ, alijs per seipsum exhibendo, & ad hoc ipsum alios adhortando. Hæc autem omnia non tam dudum Timotheo, quàm hodie & semper nobis dicta putemus.

CAPVT IIII.

Testificor igitur ego coram deo, & domino Iesu Christo, qui iudicaturus est uiuos & mortuos, & per aduentum ipsius, & regnum eius.

Contestatur & obtestatur illum per uniuersa, quæ credit religio Christiana, ut uerbum dei instanter denunciet. Per deum patrem, perq; Iesum Christum dominum te obtestor, etiam atq; etiã, qui rationem exacturus est in iudicio generali de omnibus, peccatoribus & iustis, mortuis & superstitibus, quandoquidẽ mulți uiui relinquendi sint. Perq; aduentum ipsius in gloria, & regnum eius. Non enim ita ueniet ut ante uenit in humilitate, sed in gloria & regno. Per hũc ergo testem quem inuoco, uolo ut recorderis horum quæ te admonui, ut attendas ad ea quæ maxime cupio per te agenda. Ne fortè si minus attendas ad officium, per q̃ necessarium hoc tempore, incidas in graue iudicium, pro neglecta dei gloria & animarum salute, pro quibus promouendis à deo institutus es minister euãgelij. Timeas ergo, ut facis, dominum omnia aspicientem præsens & coràm, & dominum Iesum Christum, qui non alio dominio dominus est q̃ pater, dominus universorum. Est enim pater, filius & spiritus sanctus unus dominus, non tres domi

ni: ſicut unus deus, non tres dij. Voco autem ſpecialiter Chriſtum dominum, cui pater, ut homini, pro perpeſſa ignominioſa morte, regnum dedit et poteſtatem in cœlo & in terra, conſtituitq; ipſum in benedicta humanitate iudicem uniuerſorum hominum, qui omni tempore fuerunt & ſunt futuri. Quod & cum maieſtate in nubibus ueniens, cum immẽſa gloria exercebit, cum hœdos ad ſiniſtram in damnationem æternam cum angelis ſuis malis, & oues electas ad dextram locabit, æternum beatificandas in regno dei, quod permanebit ſine fine in cœleſtibus & incorruptibile.

2 Prædica uerbum, inſta opportune, importune, argue, obſecra, increpa, in omni patientia & doctrina.

Euangelicum ſermonem fortiter prædices, & quicquid à puero didiciſti ex ſacris literis, ad ædificationem eccleſiæ ardẽter, clare & fideliter proferas, ueluti bonus paterfamiliâs de theſauris tuis, imò dei & dñi tui, noua ac uetera. Verbum, ait, per antonomaſiam, diuinum illud & ſolum ſacroſanctum, frugiferum, & animis ſaluandis eccleſiæq; regendæ neceſſarium. Hoc enim erit officij tui, ut prædices fidelibus & infidelibus, ſi quo modo conuertantur & credentes ſaluentur. Hoc uero uerbum prædicandum, non dicitur ſolum euangelicum pro ut contra uetus teſtamentum diſtinguitur, ſed totus canon ueteris ſcripturæ canonicæ & prophetalis, cum apoſtolico canone, qui Euangelia complectitur, & quicquid ab apoſtolis certo conſcriptum ſcitur & traditur. Niſi quis, ut uere dicitur, utrunq; teſtamentum Euangelium dei nominet, in quo nedum peccata hominum, & dei præcepta continentur, ſed & gratia & Chriſtus, qui eſt heri & hodie, promiſſus & exhibitus. Inſta & urge, opportune, importune, ut nullum tibi tempus uideatur minus opportunum, quo ſpes ſit profectus in eccleſia, nõ ſolum in pace & in quiete: neq; in eccleſia tantum ſedens, uerum & inter ipſa pericula, in carcere & catenis, etiã morti adiudicatus, non ceſſes arguere & increpare, & quandocunq; arguendo proficere potes. Argue autem delinquentem, ſic tamen, ut tu non arguendum te præſtes. Hortare ceſſantem, ſed currens. Increpa perſeuerantem in errore, dum tamen de errore conuiceris, & de ueritate certus ſis: nam ſi abſq; argumentis increpes, temerarius uideberis, nemoq; perferet: præcedente autẽ probatione, facilius increpatio ſuſcipietur. Cui & obſecrationem admiſceas, ne intolerabilis ſit reprehenſio. Sic & ſectio membri ſalutaris ut ſit, neceſſe eſt quædã dolorem mitigantia adhibere, ut eam ſuſtineat languidus. In omni, inquit, patientia & doctrina. Qui enim arguit, opus habet patientia & longanimitate, ne temere & paſſim credat: & ne quis iraſcens neq; aduerſarius immodico feruens impetu id faciat, ſed quaſi amans & dolens magis q̃ ille ipſe lugens & tabeſcens, in omni patientia ad bonum reſpiciens fideliter agat. Sic enim acrimoniæ obiurgationis admiſcenda eſt lenitas & doctrina, ne uel odiſſe uideariſ, ſi tantum conuitijs intonet, uel temere litigare, ſi tantum increpes, ac non etiam doceas. Facilius obtemperat, qui perſuaſus eſt, & libentius obtemperatur amanti q̃ inimico. In omni dicit, non in qualibet, ne quid patientiæ deſit, qua ſanctum opus perficitur, & charitas oſtentatur.

3 Erit enim tempus, quum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi magiſtros, prurientes auribus.

In tempore & antequam prodeant falſi magiſtri, confirmandi ſunt fideles in ſana doctrina, hoc eſt opportune docendo inſtare, ne irrumpant hæreſes, falſiq; doctores. Poſthac enim erit tempus graue & periculoſum, quo quidam ab euangelica

gelica professione desciscẽtes, non ferent ueram ac salubrem doctrinam Christi, pugnantem cum his mundi cupiditatibus: sed ut ipsi sunt affectibus corruptissimis, ijsq; uarijs, ita sibi uarios ac subinde nouos doctores coaceruabunt: non qui doceant ueritatem ac pietatem, sed qui Iudaicis fabulis aut humanis inuentiunculis titillent aures, quas habebunt stulta libidine prurientes, noua & arguta magis audiendi q̃ utilia. Verbo autem coaceruandi significanter notat indiscretam confusamq; doctorum multitudinem: qui dum discipuli nõ fuerint scripturarum sacrarum, repente se in magistrorum ordinem inserant, & placita tantum proponunt: non augendæ religionis zelum habentes, sed quæstus & honoris gratia hypocrisim operibus & uerbis prætendentes.

Et à ueritate quidem auditũ auertent, ad fabulas autem conuertentur. 4

Quomodo hæc & per quos facta sint, facile est intelligere legenti Irenæi episcopi Lugdunensis quinq; libros aduersus hæreses & hęreticos innumeros. Quo modo inuenerint auditores homines curiosos et uanos, Simon iste Samarites magus, huiusq; discipulus Menander: post hunc Saturninus Antiochenus, & Basilides Alexãdrinus: à q̃ & Valẽtinus suscepit seminariũ insaniæ, qua deciperet ecclesiasticos, statim post apostolorũ tempora. Sed & Ophitæ cũ suis monstrosis Aeonibus, cũ Carpocrate & Cherinto, Ebione & Cerdone, alijsq; multis, de quibus hoc loco Apostolus timuisse sanctis uidetur per spiritum propheticũ. Taceo Arium & Donatum cum posterioribus, donec ad nostram usq; ætatem non defuerunt, qui pro paschate schismata admitterent, qui imagines sanctorum defensarent, etiam illas quæ prostant adorãtibus: qui reliquias sanctorum auro includendas, ossa scilicet & crania ad quæstum præbentes, donec peruentum est ad adorationes sanctorum, & intercessiones in singulis morbis singulos Veioues inuocantes. Qui deniq; purgatorium post hanc uitam, ignotum sacris scripturis, fuccenderunt, & indulgentijs pro pecunia colligenda promissis denuo extinxerũt. Huiusmodi doctrinis atq; doctoribus longe proniores aures præbuit uana hominum turba, & philosophicis doctrinis, docti quoq; omniũ Vniuersitatũ, quas uocãt, alumni, longe diligentius insteterunt, & Sententiarum suo magistro q̃ sacris scripturis utriusq; testamenti, quorum rarus tractator per tot sæcula comparuit, quum Sententiariorũ & Quodlibetariorũ semper magnus fuerit & Quæstionariorũ cœtus. Id certe quod hoc loco præuenire Paulus uoluisset, sed non est auditua ab episcopis ut oportuisset, existimãtibus hæc ad se minime scripta pertinere.

Tu uero uigila in omnibus, labora, opus face euãgelistæ, ministerium 5
tuum imple, sobrius esto.

Iam hinc migraturus Paulus, pręuenire studet luem pseudapostolorum, utq; tuto oues consistant solicitus est, ut lupis uia præcludatur. Tu, inquit, & tui similes omnes episcopi, aduigila diligenter, ad propagationem & conseruationem doctrinæ euangelicæ, re ipsa te præbeas euangelij præconem. Non tantum resistas improbis, sed & inuigila pijs ne lædantur. Ideo enim episcopus diceris, ut prospicias ecclesiæ, & per omnia curam fidelissimã geras, etiamsi afflictiones plurimas ferre cogaris in officio apostolatus tui, non tamen animũ despondeas, nec in studio sancto languescas, sed age uiriliter. Et operi docendi sacras literas, prædicandi euangelium Iesu Christi, & ad fidei charitatisq; plantationem tete animose succingas, & fortiter obeas munus demandatum à domino. Non tantum uerbo sacra docens, sed implens quoq; opere & facto. Fac quod prædicas, & prædica diligenter & assidue. Ministerium quod uice mea geris, eatenus impleas, ut plene fa-

ctis persuadeas ea quæ doces. Quod uero sequitur in Latinis, Sobrius esto, Græci non legunt. Sed & Laborare, iam quarto in hac epistola alium non habet intellectum, q̃ labores pati, solicitari, & anxiũ esse pro opere domini, in quo si aduersa irruant, fortiter semper sint à seruo domini sustinenda: hoc est laborare, pati aduersa.

6 Ego enim iam immolor, & tempus meæ resolutionis instat.

Ideo diligentius tibi conandũ est, quod non sim diutius conatibus uestris opitulaturus, nam ipse ego ceu uictima Christo destinata, iam immolari incipio, nec procul abest dies obitus mei. Vt Christi discipulus Christum sequar, offerendus fuerit, non patietur sibi me abesse discipulum, præiuit uia qua sum sequuturus. Delibare autem, sacrificari significat, tanquam libamina, non uelut hostia. Non enim hostia tota deo offerebatur, libamen autem totum. Resolutio autem accipitur pro corporis incineratione, uel depositione tabernaculi: ut sancti non habent in hoc mundo manentem ciuitatem, sed festum tabernaculorum hic agunt, & peregrinos se cogitant, deq̃ resoluendo quotidie tentorio meditantur.

7 Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui.

Confidenter hoc dicit in extremo uitæ limite. Comparatione autem utitur in agone luctantium, sic se certasse fortiter dicit, contra omnia scilicet uitia, dæmones, hæreticos, uel falsos apostolos, & persecutores Iudaicos & gentiles. Quibus uerbis cupit lenire dolorem discipuli, bono ipsum iubens animo consistere, quia iam pergat ad coronam, omnibusq̃ rite per gratiam dei peractis, cui semper omnia sua bona transcribit, ne quis hic prædicare bona sua opera uelle credat. Verum enim dicit, quandoquidem certaminis & operum suorum fructus & corona toto orbe cõspicitur: nec tantum certauit, sed etiam cucurrit. Bonum quidem certamen dicitur, quod non modo uoluptatem, uerum utilitatem quoq̃ spectantibus præstat. Quomodo autem cursum consummauit? Orbem totum peruagatus est, incipiens à Iudæa & Arabia, usq̃ ad fines terræ progrediens, ut à seruulem, inquit, & in circuitu usq̃ ad Illyricum impleuerim euangelium Christi, omnemq̃ orbem peruolans instar perniciſſimi uolucris, innumera transiliens impedimẽta, mortes, calamitates, & insidias. Summa deniq̃ fide, quod erat delegatum officium euangelizandi peregi. Meis partibus sum defunctus, iam quod superest scio esse in tuto.

8 In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die iustus iudex.

Quod supereſt, scio mihi repositam esse coronam innocentiæ debitam, quia per gratiam seruatã, & liberaliter promissam, quam mihi is dominus imperator designabit, cui fidelissime militaui. Is enim nouit me usq̃ ad mortem fideliter seruiuisse. Corona autem dicitur iustitiæ, qua sua tantum deus opera in electis coronat. Ipse dat uelle & efficere bonum, & tamen per liberalissimam gratiam, quod in nobis iustum agit, declarat ac præmio dignum ducit, quod & meritorum præmium dici sustinet, & ipse non raro appellat, ne quid de nostris operibus & meritis gloriemur. Reposita est mihi ab exordio uictoriarum, ab initio conuersionis, à prædicato primum per me euangelio. Eam mihi dominus reddet, id est gratuito & sponte dabit, in die illo, dum iustus iudex mundum iudicaturus est, ibi me in corpore & anima glorificabit: interim non dubito, animam meam post corporis resolutionem, futuram statim cum Christo domino & magistro. Secũdum quod dicit

dicit alibi, Cupio dissolui, & esse cum Christo. Iustus uero iudex hic dicitur, quia fidelis, & promissa seruans, & sibi fidentibus non absens per gratiam, quæ & ipsa est dei iustitia, cuius proprium est misereri & parcere: procp iustitia dei & ueritate patientibus & morientibus iustus & liberalissimus retributor, cuius tamen uirtutis & constantiæ ipse quoq; author est & largitor. Nedum autem illo die iustus erit, sed nunquam non iustus est, & iustissime iudicat, nec tamen semper conspici potest & intelligi. Tunc uero orbis uniuersi & omnium sæculorum hominibus omnibus luculentissime cõspicabitur & inclarescet iudicium dei semper iustum & inobliquabile per omnia.

Non solum autem mihi, sed & his qui diligunt aduentum eius. 9

Hæc uero immortalitatis corona non mihi soli parata est, sed & omnibus qui freti promissis eius, gaudent de eius aduentu & præsentia, qui scilicet se seruant integros & incontaminatos, qui digna faciunt gaudio, opes omnes & ipsam animam cupientes profundere ad illius gloriam & beneplacitum, ut secundum eius aduentum congruo habitu aspicere mereantur cum fiducia & gloria. Qui enim illius aduentum diligit, omnia faciet, ut ante uniuersalem illum singularis fiat ad eum, quidam saluatoris aduentus. De quo dicit Christus, Qui diligit me, manda ta mea seruabit, & ueniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Nihil ergo in nobis resideat, præsentia tantæ maiestatis indignum.

Festina ad me uenire cito, Demas enim me reliquit, diligens hoc sæcu 10
lum, & abijt Thessalonicam, Crescẽs in Galatiam, Titus in Dalmatiam, Lucas est mecum solus.

Crediderat Paulus Timotheo gubernacula ecclesiæ, & totius Asiaticæ gentis, instituerat q redire ad illum, si licuisset. Quia uero necessitate constringebatur pergẽdi quò uellet (Erat enim captus à Nerone) idcirco ipsum ad se uocat, cupiens antequam uita excederet plurima fortassis illi commendare. Ideo ait, Festina antehyemem uenire ad me, priusquam hyems iter intercludat. Non dicit, Vt te uideam priusquam occidar, ne discipulum perturbaret, sed quia solus sum, neminem nunc habens adiutorem in euangelio, eorum quos hactenus sodales habebam. Demas quietem amans & sæculum, cupiens esse in tuto, maluit absq; periculo delicijs frui, q mecum ærumnas pati. Huic soli detrahit, non derogãdi studio, sed confirmãdi nos, ne inter pericula mollescamus. Hoc est enim diligere sæculum. Simul autem & discipulũ attrahere uolens, Crescens, inquit, abijt in Galatiam, eò ipsum uocãtibus negotijs. Titus in Dalmatiam. His iam nihil derogat, nanq; & Titus erat uirtute mirabilis, adeo ut insulam prægrãdem totam Cretam ei crediderit. Lucas solus mihi adest, indiuisus omnium fortunarum comes, qui & Euangelium scripsit & Apostolorum actus, maxime autem Pauli itinerarium addens, summæ uir industriæ discendiq; studiosus, patientissimusq; laborum, & syncerissimus amicus Pauli. De quo alio in loco ait, Cuius laus est in euangelio per omnes ecclesias.

Marcum assume, & adduc tecũ, est enim mihi utilis in ministerio, Ty 11
chicum autem misi Ephesum.

Aduocat Marcum, nõ in suam requiem, sed in euangelij ministerium. Nanq; & inter uincula prædicare nunquam destitit euangelium. Itaq; & Timotheum non alia q euangelij causa uocat, ut nullam in eius, si contingeret, morte fideles iacturam uerbi & solatij paterentur, cum adessent plæriq; ex eius discipulis maioribus, qui turbatos consolarentur. Quippe eos qui Romæ crediderunt, uerisimi-

le est uiros optimos & sanctos fuisse, & per q̃ celebres, tam in Imperatoris aula, q̃ in reliquis ciuibus Romanis, qualis fuit Pudens & Narcisscus, & alij q̃plurimi. Tychicum Ephesum mittit, huius epistolæ baiulum.

12 Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, ueniens affer tecum, & libros, maxime autem & membranas.

Penula est pallij genus, non consularis, ut quidam putãt, sed quo tegimur ab imbribus, pellicium, ut putat Hesychius. Quãquam idem addubitat num sit scriniolum. Alij putant esse thecam librorum, alij lucernam faciũt, in modum cucullæ. Libros sacros intelligamus, fortassis etiam suas epistolas in membranis descriptas. Non quod iam moriturus libris egeret, sed ut fidelibus cõmendaret necessarios ecclesijs. Penulam autem quærit, ne hanc ab alijs accipere sit opus, ut Chrysostomus dicit: idq; magno studio facit, ut & Ephesijs scribit. Scitis, inquit, quia necessitatibus meis, & his qui mecum erant subministrauerunt manus istæ, & id cõtra ualidos mendicantes. Simulq; contra diuites ecclesiæ prælatos attende apostolicam suppellectilem. Penulam quæ defendat ab imbribus, & libros aliquot, hauddubie sacros. Nunc quantum est caballorum, scriniorum, imò bombardarum, quantum aliarum rerum, quas referre non libet?

13 Alexander ærarius multa mala mihi ostendit, reddet illi dominus secundum opera eius, quem & tu deuita, ualde enim restitit uerbis nostris.

Aerarius faber fuit, ne quis de quæstore ærarij aut custode æris accipiat. Is nõ solũ me destituit in procellis meis, uerumetiã multis malis affecit. Non est meum ulcisci, sed dominus illi referet gratiã ut meritus est, à quo tu quoq; cauebis tibi: nam mihi in tantum non affuit, ut uehementer etiam aduersatus sit sermonibus nostris. Vtcunq; humilis & infimæ cõditionis faber, tentationes tamen admouet sanctissimo uiro, & doctrinæ ecclesiasticæ. Non queritur Cæsaris iniurias, sed fabri. Quod solatij nõnihil sit, premi non ab infimis, sed magnis. Consolatur autem discipulũ duplici nomine, & quia iniuste patit̃, & quia hostis ille uicem recipiet.

14 In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt, non illis imputetur.

Cum primum mihi esset agenda causa pro tribunalibus Cæsaris, non tantum ab exteris multa passus sum, sed & à familiaribus & domesticis despectus sum, & illi enim iam me prodiderant. Non paruo nimirum crimine, ueluti si quis in bello periclitãtem dominum deserat, uel amicum, & hostili subducit se manui, dum fortissime adsistẽdum amico fuerat. Primam autem defensionem dicere uidetur, qua Neroni iam astiterat, & illæsus abierat. Vbi uero pincernã eius instituit, ait Chrysostomus, ac fidei sacramentis instruxit, tunc iam ipsum truncauit capite. Humanum quiddam, ait, illis meis amicis accidit, nolim hoc eis imputari. Quam enim humano destitutum auxilio, dominus non destituit suo solatio.

15 Dominus autem mihi astitit, & confortauit me, ut per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes, & liberatus sum de ore leonis.

Eum qui ab hominibus relinquitur, durum aliquid pati non sinit deus, adiutor est enim fidelium ad ipsorum salutem: non quidem semper corporalem, quod hæc non semper cedat ad salutem & felicitatem animæ, quæ maior haberi debet: nec ad gloriã dei, qui prospexit de alio bono inde promouendo: pretiosa est enim in cõspectu domini mors sanctorũ eius. Non est autem irrationabile dicere, tunc Paulum fuisse à Nerone per dei gratiam liberatum, & Hispanias peragrasse: atq; ut qui-

ut quibusdam uidetur, Gallias quoq; tandemq; rediens Romam martyrio coronatum ab eodem Nerone, iam crudelissimo facto, qui fuerat ab initio imperij mo
destior. De Petri morte Romæ suscepto, in tantũ omnia sunt incerta, ut non mo
do dubitetur, si Romæ sederit pontifex, sed & de genere mortis. Quidam crucifi
xum contendũt, & insuper capite deorsum uerso: alij capite truncatũ: aliqui cum
Paulo eodem die & anno: alij altero anno. Sic incerta sunt huiusmodi dimissa, nẽ
quid grande & sacrum de hoc facto homines sibi cõminiscerentur, ut postea ten
tatũ est de sede apostolica summa, deq; apostolorũ reliquijs & sacrosanctis limini
bus, ad quæ terrigenas omnes inuitauerunt, ut uitæ æternæ ianuas & portas au
reas. Cum id Christus discipulis uel etiam cogitare prohibuerit, dicens, Vos non
fiet, &c. Confortauit, inquit me, hoc est fiduciam dedit, concidere animo non per
miserit, ut per me prædicatio impleatur, quæ credita est mihi. Ac si quis imperato
ris diadema ferẽs, ipsius gratia & honore seruetur: sic Paulus seruatus est aliquo
ties, ob euangelij munus creditum, quod saluberrime administrauit diutissime,
donec illius studio & opera omnibus fermè gentibus manifestata est eximia lux
prædicationis, prouidentiæq; diuinæ circa Paulum dispositio. In ipsas denicq; fe
ræleonis fauces inciderat, Neronem ait, pro feritate imperij, summaq; potentia &
tyrannide.

Liberabitq; me dominus ab omni opere malo, & saluum faciet in re- 16
gnum suum cœleste. Cui gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Eripuit, inquit, & iterũ eripiet, non iam ex ore leonis, sed ex omni opere ma
lo, nẽ quid ulla occasione deflectam ab euangelij synceritate. Etsi hic mors infli
getur, ille tamen seruaturus est famulum & militem suum in regnum suum cœle
ste, ubi salui & felices fulgent sancti, liberati à peccatis & hostibus. Qui enim hoc
modo odit animam suam in hoc mundo, in uitam æternam custodiet eam. Hoc
enim ad Christi gloriam pertinet, si famuli & discipuli sui in dei gratia moriãtur,
& ad sanctificationem diuini nominis. Cui summo deo & unico debetur ab omni
creatura summus honor, & reuerentia in sæcula sæculorum, hoc est, in æternum.
Ad quæ conniti debent & fauere omnia.

Saluta Priscam & Aquilam, & Onesiphori domum. 17

Hi sunt quorum assidue meminit, apud quos hospitatus est unà cum Apollo.
Vt & gratus appareat in finem, & memor absentium, comprobator quoq; fidei
eorum & sanctorum operum, simulq; ad hospitalitatis uirtutem commendãdam
ecclesijs, maxime necessariam tempore persecutionũ, quæ tunc semper uigebat,
& propter apostolicorum uirorum necessarios tunc discursus per orbem, & pau
periem euangelizantium, contemptũ mundi, & Christi domini uestigia, qui non
habebat ubi reclinaret caput. Præmittere autem uidetur uxorem, quia fortassis
seruentior in opere hospitalitatis & fidelior. Potest id tamen & indifferenter fe
cisse, & ut amplius consolaretur fœminæ religiosissimæ ad Paulum deuotio, per
humanitatem qua & uirum hoc ipso sensatum honorasse uideri poterat. Totam
uero domũ & familiam sine dubio intelligit filios & filias, seruulos & cognatos,
qui plures erant, & contentione quadam benefaciendi & fauendi Paulo deuoti.
Sicut & tota familia mulieris Sunamitis gratulabatur de Heliæ aduentu, & hospi
tio susceptо: tanta est hospitalitatis gratia.

Erastus mansit Corinthi. Trophimum autem reliqui in Mileto lan- 18
guentem.

Videamus in Actis apostolorum, qui nam cum illo de Iudæa nauigarint, &

ipsum comitati Romam fuerint. Sed quare non infirmum Trophimum sanauit? quare dereliquit? Non erat uirtus faciẽdi miracula humano arbitrio subiecta, sed nec humana erat, sed diuina, cuius solius est naturæ uniuersæ imperiũ, qui eam solus creauit & dispensat, contra quam creator solus potest. Noluit deus amicos suos existimari ab hominibus supra id quod uiderentur. Hoc & in Mose & reliquis sanctissimis contigisse legimus, ut infirmitatem naturæ mortalis ostenderet, ut gratiam sanitatis non homini sed deo deferrent acceptam, ne deos inciperent æstimare, nec colere tentarẽt, ne pro huiusmodi beneficijs homines inuocarent, sed deum in hominibus operantem solum agnoscerent adorandum. Volebat eos nihil altius haberi ab hominibus, quàm ut homines passibiles. Et Petrus stupentibus de curato claudo dicebat, Quid admiramini nos, quasi propria uirtute illum ambulare fecerimus? Miletus autem Epheso uicina est. Aut igitur in Iudæam naui gãs reliquit illum, aut quum fuisset Romæ, rursus in Hispaniam profectus est. An autem iterum ad has partes uenerit ignoramus, ait Chrysostomus.

19 Festina ante hyemem uenire.

Vrget illum ualde, neq; tamen rem tristitiæ subijcit, ut dicat, Antequam occidar: sed, Ante hyemẽ, ne te illa impediat. Potest fieri, ut iam interim & antequam epistolam mitteret uel certe clauderet uel absolueret, absolutus fuerit à Nerone tantisper, uel ut non impẽderit illi præsens periculum mortis, qui biennio Romæ perseueraſſe cum Luca scribitur, & nondum occisus. Vt spes fuerit hyemãdi Romæ, donec ad primas nauigationis opportunitates transfretaret ad Hispanias.

20 Salutant te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia, & fratres omẽs.

Nominatim illos memorat, quos uel nouerat magis in fide feruere, uel quia ex Græcia erant, & Timotheo noti, uel insigniori nomine præstantes in ecclesia Romana, in qua Linum aiunt quidam secundum post Petrum Romanæ ecclesiæ episcopum fuisse. Hæc uerba Chrysostomi, qui idipsum asseuerare non audet, sed à quibusdam dici recitat. Pudens dicitur fuisse pater sanctæ Potentianæ & Praxedis, nobilis Romanus ciuis, & pater sanctissimarum uirginum. Eubulus nomen habet à bono consilio. Claudiam quoq; nominat, & alibi alias fœminas non paucas, quod in fide & misericordiæ operibus, in eleemosyna & hospitalitate insigniter eminebãt. Et iste enim sexus minus curis huius sæculi à uirtutis proposito impeditur, & tamen nõ minimam administrationis partem in rebus humanis suscipit, sine quibus nullæ respublicæ consistere possunt, quæ & à martyrij gloria non excluduntur, sed illustrantur magis ad uirorum in ecclesia exemplum. Plurimæ enim pro fidei confessione gloriosissimæ coronatæ sunt. Pudicitiam quoq; seruare magis etiam q̃ uiri possunt, similiter quoq; cum sobrietate modestiam: diuitias quoq; æque, si uelint, contemnere possunt. Quas & Christus habuit deuotissimas in uita, passione, morte & resurrectione. Fratres autem omẽs nominat, Christo credentes, & charitatis symbolo conuenientes. Quos & Christus fratris nomine dignatus est, & euangelistæ sic appellarunt. Vt perpetuò memores sint commendatæ illis à Christo charitatis: non quod solos seipsos diligant, sed cõformi & concordi uoto ad mundum Christo uniuersum lucrandum inuigilare debeant, & unius dei patris filij, & Christo cohæredes per fidem & charitatem existant.

21 Dominus Iesus Christus cum spiritu tuo. Gratia uobiscum. Amen.

Nihil hac oratione præstantius. Noli, inquit, mœrere, si mihi discedendũ fuerit, dominus enim tecum erit: neq; simpliciter tecum, sed cum tuo spiritu. Auxilio gratiæ suæ te consolabitur, & spirituali instinctu & cura, ut ab ipso deseri non possis.

possis. Exponit Chrysostomus, quasi scriptum legerit, Gratia nobiscum, Amen. Vt semper domino grati simus, ut gratiam cum dono habeamus, qua tristia cuncta dissiliãt, etiam si in aduersa incidamus. Sed potest hoc pronomine Vobiscum, indicasse hanc epistolam se scripsisse, nedum Timotheo, sed & ecclesiæ toti Ephesiorum, imò omnibus episcopis, quos duabus istis epistolis Timotheo trãsmissis, pietatis doctrina instituere voluit, ut scirent modum docendi regendiq; & consolandi ecclesias.

FINIS.

COMMENTARIVM IN EPISTOLAM D. PAVLI APOSTOLI AD TITVM.

ARGVMENTVM.

TITVM discipulum suum, ac filij loco habitum ob eximias dotes, insulæ nobilissimæ Cretæ præfecerat Apostolus, & illinc abiẽs archiepiscopum consecrarat. Huic scribit ex urbe Nicopoli, quæ est in Actiaco littore, rebus, ut apparet, adhuc tranquillioribus. Siquidem afflictionum aut persecutionum nulla fit mentio. Monet autem, ut quod ipse apud Cretenses cœperat, consummet absoluatq;, & per singulas ciuitates, quas centum habuisse memoratur ea insula, episcopos instituat, quos & Presbyteros uocat, idonei episcopi formam præscribens. Et quoniã huc quoq; penetrarant pseudapostoli, qui Iudaismum suum omnibus ingerebant, animat eum, ut eos fortiter reijciat ac refutet. Deinde personarum & ætatum præscribit officia, quemadmodum Timotheo præscribit: illud addens, ne quisquam Christianæ religionis prætextu principibus aut magistratibus resisteret, suo fungentibus officio, quãuis essent à Christi fide alieni. Quin magis leniter ferendos, si quando fortè, uolente deo & illi resipiscant. Postremo iubet Titum ad se uenire Nicopolim, sed non prius quàm Paulus Arteman aut Tychicum illuc misisset, ne Cretenses destituti uiderentur episcopi solatio.

CAPVT PRIMVM.

PAVLVS seruus dei, apostolus autem Iesu Christi, secundum fidem electorum dei, & agnitionem ueritatis, quæ secundũ pietatem est, in spem uitæ æternæ.

Præmittit epistolæ diuus Paulus suo more, præfationem cum salutatione, ad dilectissimum sibi discipulum filij loco habitum, quem Candiæ, quæ & Creta dicitur, episcopum præfecerat, ob eximias dotes dei in illo: quanquã non esset adeo senex ætate, sed fide & maturitate huic officio dignis à deo gratia ornatus. Paulum se ubiq; nominat, nolens haberi Dauidis persecutor Saulus, sicut & non amplius erat, sed omnium apostolorum minimus, & ultimo electus à Christo, iam de cœlo assumptus & conuersus, ut fieret ex Saulo Paulus, ex persecutore apostolus, ex fastuoso pharisæo humilis Christi seruus, & ex Iudaica fece clarus gentiũ in fide & ueritate doctor. Seruum se dei uocat, id est fidelẽ deuotumq; cultorem, qui nihil antiquius ducat, q; præceptis diuinis obsequi, deum habere præ oculis,

gloriam illius pro uiribus & accepta gratia amplificare, nõ suam, totum se impen
dere ad sanctificationem diuini nominis. Eo modo quo Dauid & Abraham & ſi
miles sancti, non seruili spiritu, sed fide filiali dominum deum suum glorificaue
runt. Et non propter suum commodum coluerunt, sed quia dignum esse sciebãt,
pro ineffabili & infinita bonitate sua, qui super omnia & in omnibus amaretur.
Tales fuerunt illi serui, & uerisimile est multos huiusmodi deum habuisse seruos
in orbe, qualibus solis delectatur, quos solos amplectitur, qui & ad omnem se dei
uoluntatem deuouent, parati omnia facere & pati, secundũ illius beneplacitum,
promissionẽ habentes felicitatis æternæ, consequendæ post hanc uitam per Chri
stum dominum, qui primo parenti post peccatum & sequẽtibus electis patribus
promissus est, benedictio & salus mittenda in plenitudine temporis. Eius Christi
domini iam dispensatione perfecta salutis, regnantis iam in dextera patris, apo
stolum & legatũ uel præconem se nominat & agnoscit, in quo & solo gloriatur:
non uicarium Christi, multo minus uniuersalem ecclesiæ catholicæ nominar, &
haberi se uult episcopum uel summũ pontificem, sed seruum dei, & Christi nun
cium, cuius solius mandata, doctrinas, uoluntatem, euangelium & gratiam præ
dicet in orbe toto inter gentes, & dispersis quoq; per orbẽ Iudæis, si se Christi gra
tiæ participes facere uoluissent, & si iudicio dei iusto non refutassent uerbum gra
tiæ, quod patriarchæ & prophetæ tam ardenter diuq; expectauerãt. Quibus tan
dem iuxta prophetias excæcatis, & repudiantibus euangelium ex parte magna,
gentibus prædicauit Christi domini gratiam, & reliquijs saluationum de Israele,
quorum non modicus tum fuit in orbe numerus, ad gloriam dei propagandam
dispersus. Quod autem addit, Secũdum fidem electorum dei. Arguat qui audet,
Paulum huiusmodi locutionibus, Hebraismum respientibus, imperitiæ Græca
nicæ linguæ. Ego ausim iurare, aliter illum loqui nõ debuisse, etiam si Demosthe
nis linguam aut alterius eruditissimi Græcorum linguam assequutus fuisset ex
uberibus maternis. Eruditus enim ab infantia in lege domini dei, in stilo spiritus
sancti, in eloquentia sanctissimorum prophetarum, in loquutionibus Hebraicæ
linguæ, omnium antiquissimæ & sanctissimæ, de eis erubescere non debuit, mul
to minus mutare, uel imperitię iudicare. Non caret uanitate mentis, in uerbis dei
desiderare elegantiam concinniorem, sed modestiæ fidelium & iuris Christiani
sit, sese potius conformare illius linguæ simplicitati, & assuescere idiotismis, quo
uerba uitæ & salutis utriusq; testamenti, & stilum spiritus sancti clarius attinga
mus. Hæc obiter propter Hieronymi uerba, qui tamen & hæc addit, Iuxta or
dinem sensuum, inquit, & textum rerum potius q̃ uerborum, de singulis ut scri
pta sunt differamus. Sic igitur simpliciter intelligendũ uidetur, Apostolus Chri
sti sum, ad præconizandum non aliter fidẽ in deum unicum & uerum, q̃ secun
dum fidem electorum dei, ad prædicãdum orbi & gentibus eam fidem, quam ab
initio mundi habuerunt semper per dei gratiam electi; quæ alia non fuit, q̃ quod
originale peccatũ diluendum esset per benedictionem futuram, & incarnãdum
uerbum ex semine Abrahæ & Dauidis. Quod sanè mysterium aliquibus clarius,
alijs obscurius agnitum fuit & creditum, solis tamen electis. Qui & quot fuerint,
non nostrum est ut discutiamus, quanquam atteſtentur fidei huiusmodi prophe
tæ ex populo dei, & Sibyllarum carmina ex gentilibus, quibus fidem adhibere co
gimur, uidentes clarissime impleta, quæ tot annorum millibus scimus prædicta.
Quibus in nullo ratio humana & dei gloria & gratia reclamat & cõtradicit. Ad
aliud mundo proponendũ Apostolus missus non fuit, & id etiam necessario fue
rat ædificandæ ecclesiæ, & à prophetis dudum prædictæ persuadendum, ut uide
mus

mus persuasum. Ad cognitionem ueritatis.) Semper inspiratione & instinctu diuino desiderium electis fuit, quamlibet erroribus implicatis, scire ueritatem, & detestari falsitatem, dubitare de gentilium diuis & religionibus, uel potius superstitionibus. Nemo enim fuit, qui non ueritatẽ inspicere uoluisset, maxime eorum qui fuerunt electi. Ad istos erudiendum & consolandum, Apostolus iste mitteba tur in nomine Iesu Christi, ut electi non errarent perniciose diutius, sed mundo obtingeret benedictio promissa primæuis, ut aduenire t expectatus gentibus, ut fierent ex gentibus & Iudeis à deo docti ꝙplurimi, & humero uno adoraretur is, qui solus est adorandus & colendus, creator omnium, eliminatis diis, qui abominatio deo tandiu fuerãt, & deletioni adiudicati in tempore plenitudinis, per paucissimas, sed electas reliquias populi Israelitici. Hanc autẽ ueritatis cognitionem prædicaturus mittitur Apostolus à Christo. Quæ est iuxta pietatem, in spe uitæ æternæ.) Nihil enim aliud uel Christus docuit Iudæos, uel apostolus Paulus, & alij apostoli prædicauerunt electis, ꝙ ut pietas uera intelligeretur, susciperetur, propagaretur in orbem uniuersum: quæ est uerus & acceptabilis deo dei cultus in præsenti uita, qui consistit in spiritu & ueritate, in fide ad deum, & innocentia ad proximum, cum spe uitæ æternæ post hanc uitam reddendæ electis suo modo præmium pietatis, quam deus donat & remunerat, nunquam finiendam in cœlestibus.

Quam promisit qui non mentitur, deus, ante tempora sæcularia, ma- 2
nifestauit autem temporibus suis uerbum suum in prædicatione.

Hanc ueritatis cognitionem, quæ est iuxta pietatem, qua deus colitur: non quæ extollit & inflat sæcularis & uana, etiamsi multa ex parte utilis esse possit electis, ut sunt etiam mala quæꝙ, spem quoꝙ uitæ æternæ, quam sæculares literæ & sapientes ignorant, promisit electis ex Iudæis & gentibus optimus maximus, & solus uerus deus, qui nec fallere potest nec falli, & fidelissime exhibet in regno cœlorum, quod hoc in mundo inchoat, perficitur autem & cõtinuatur in omnia sæcula. Hanc, inquam, sanctissimã philosophiam, has beatissimas pollicitationes, hæc bonitatis & clemẽtiæ, simul & maiestatis amplissima dona & præmia electis promissa, instituit & ordinauit sapientia & charitas diuina: non solum ante multa sæcularia tempora hominum, ante aliquot millenarios annorum, à constitutione machinæ mundialis, sed etiam antequam mundus formaretur, antequam cœli firmarentur, & fundaretur terra cum reliquis elementis, in sua æternitate desiniuit futura, per multa patriarcharum sæcula promisit & prędixit, ex gratia quæ deum optimum decet, humanum genus restituendũ, in primogenito omnis creaturæ, in uerbo suo, quo & creauit omnia, quo & loquutus est patribus, per quod uerbum consequuntur electi uitam æternam, quod est ipse Christus Iesus, quem admodum testatur, dicens, Ego sum uita, & uitam æternam do eis. Vita denique non breuis, non aliquibus circũsepta temporibus, sed perpetua & æterna. Quæ & manifestata est, primum quidem per propheticam reuelationem patribus olim facta, per quam consolarentur, quam & expectando & desiderando saluarentur. Deinde hoc nostro tempore per prædicationem euãgelicam & apostolicam, quæ & post reliquos apostolos, etiam clarissimis testimoniis credita est Paulo gentium magistro, ut annunciaretur in mũdo, & hominibus nota fieret, iuxta imperium saluatoris. Ideo dicitur hic cõsequenter, Quæ credita est mihi secundũ præceptũ saluatoris nostri dei. Cõmissa est Paulo delegatio, ad gentibus prędicandum euangelium dei, id est gratiam & misericordiam hominibus donatam

dudum promissam per Christum saluatorem, qui mundum saluare non posset, nisi esset non ex hoc mundo, sed è cœlis descendens uerbum dei incarnatum, & ipse deus, essentialiter unus cum patre, uniusq; potentiæ & bonitatis: secundum tamen carnis & humanitatis dispensationem minor patre, ut sit idoneus mediator dei & hominum. Huiusmodi fuit & est summa apostolicæ prædicationis & euangelicæ, quam deus iniunxit Paulo, quam & fidelissime executus est usq; ad mortem longo tempore, & per plurimas passiones & persecutiones, quibus ab amore dei, & obediẽtia prædicationis impediri non potuit, ualdeq; profecit, in gloriam dei, prędicando Christum usq; ad extrema terræ, per se & discipulos, uerbis & epistolis, qualem & hanc Paulus scribit.

3 Tito dilecto (uel germano) filio secundum communem fidem.

Sermo, sapientia, & uirtus, cum doctrina, qua Titus Christi instituebat ecclesias, efficiebant eum proprium & germanissimum minimeq; adulterinum filium Apostoli, & ab omni aliorum consortio separatum. Secundũ autem communem fidem filius dicitur, qui nihil aliud de fide credebat, q̃ quod edoctus fuerat iam ante à Paulo, quæ & cõmunis esse debebat electis in Christo, & omnibus audituris prædicationem apostolicam, quæ fides postea dicta est communis, uniuersalis, catholica: quanquam pro uarietate mentium, fides communis omnium, etiam fidelium, per omnia esse non possit. Qui igitur curiosiores sunt circa tractationem fidei, & articulos speciales obtrudunt, præter apostolicæ fidei canones, hĩ nõ sunt filij Apostoli secundum communem fidem, sed priuatas phãtasias comminiscuntur, fiuntq; hæretici.

4 Gratia, misericordia, pax à deo patre & Christo Iesu saluatore nostro.

Salutationis formam non ubiq; asuetam, hic ponit Paulus, cuius nõ arbitror rationem inquirendam: quandoquidẽ uarie solent & aliquando sine insigni causa mutari, iuxta affectuum præsentium pietatem, & feruorem charitatis, secundum maius & minus, figuræ huius exordiorum in epistolis. Gratia autem à deo dari in primis petitur, ut non excidat unquã à fauore ipsius, & consortio filiorum dei & electionis: id quod sancti orare non cessant, quamlibet fide firmati sint. Nihil enim ardẽtius orandum, q̃ ut à gratia dei nullatenus per peccata excidamus. Misericordiam optat ei, qui in statu præsentis uitæ sine peccato uiuere nõ potest, ut remittantur peccata: non tantũ ut non dure puniantur pro meritis, sed ut præseruare dignetur per gratiam ne peccetur: maxime autem ne ad mortem peccetur. Et hæc optantur in ordine ad deum electis. Quo uero ad proximos, & ad ecclesiæ profectum, optatur episcopo pax & rerum trãquillitas cum sua plebe, persecutionum tolerantia sancta uel finis, conscientiæ & rerum temporalium commoditas, schismatum absentia, secundum Christi domini morem, qui pacem imprecabatur, id est salutem discipulis hominis utriusq;. Hæc autem non solũ à deo patre, sed & à filio precaẽ, utriusq; enim dona sunt, unus enim deus pater & Christus, qui est uerbum dei patris, per quod facta sunt omnia, quod erat in principio apud deum, & deus erat uerbum. Christus Iesus deus & homo, saluator peccatorum, peccatum factus propter electos. Regni cœlorum rex Messias, & promissa benedictio Israelis. Iesus saluator nominatus antequam natus, quod saluaret populum suum à peccatis eorum.

5 Huius rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas.

Apostolici officij est Christum inserere pectoribus electorum, quod est ponere fundamentum ecclesiasticum, quo præter Christum non est aliud. Id Paulus studiose

studiose ubiq; egit, maxime illis in locis, ubi necdum fuerat Christus annũciatus. Sic dura alioqui Cretensium corda ad fidem mollierat, & tam sermone q̃ signis domuerat, & edocuerat eos nõ in uernaculum Iouem, sed in deum patrem, & in Christum credere. Ideo reliquit ibidem insignem discipulum Titum, ut rudimenta nascentis ecclesiæ confirmaret: & si quid deesse uidebatur, corrigeret: ipse interim pergens ad alias nationes, ut ibi quoq; Christi iaceret fundamentum. Dicens autem ea quæ desunt corrigere: uel, ut in Græco legitur, Super corrigeres: sentit se prius correxisse quædam, sed nondum ad plenum fuisse apud illos correcta, ea iubet per Titum corrigi. Si igitur tantus apostolus, abiens, non omnia corrigere potuit, non dico in gente illa, sed in ecclesia quoq; insulæ illius, non mirandum si etiam in reliquis ecclesijs nostris semper supersint multa quę corrigi debeant, nec à uerbo domini prædicando cessandũ, etiamsi plurimi non corrigantur, nisi dum nulla prorsus speraretur emendatio. Tunc enim excutiendi docentur pedes, & abeundum. Semper autem pauperes nobiscum habebimus: nõ solum rebus, sed & spiritu imbecilles, ac ad bonum somnolenti. Sed inuigilandum præsidibus, ne ipsorum culpa aliquid negligatur, de quo reddenda illis sit ratio ante tribunalia Christi.

Et constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego dispositui tibi. 6

Vbi Hieronymus, Audiant episcopi, qui habent cõstituendi presbyteros per urbes uel oppida singula potestatem, sub quali lege ecclesiasticæ constitutionis ordo teneatur: nec putent Apostoli uerba tantum esse, sed Christi, qui ad discipulos ait, Qui uos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum qui me misit. Ex quo manifestum est, eos qui Apostoli lege contempta, ecclesiasticum gradum non merito uoluerint alicui deferre, sed gratia, contra Christum facere, qui qualis in ecclesia presbyter constituendus sit, per apostolum suum in sequẽtibus executus est. Non enim is in ecclesia spiritualis principatus sanguini est deferendus, sed uitæ. Nunc autem uidemus, multos hanc rem beneficium facere, ut non quærant eos qui possunt ecclesiæ plus prodesse, & suffulcire ecclesiam, sed quos uel ipsi amant, uel quorum sunt obsequijs deliniti, uel pro quibus maiorum quispiam rogauerit: & ut deteriora taceam, qui ut clerici fierent, muneribus impetrarunt. Dicens autẽ constituendos presbyteros oppidatim, & subiũgens statim, oportere episcopũ sine crimine esse, &c. insinuat clare, eundẽ esse presbyterũ qui & episcopus. Et antequam diaboli instinctu, studia in religione fierent, & dicebatur in populis, Ego sum Pauli, Ego Apollo, Ego autem Cephæ, cõmuni presbyterorũ consilio ecclesiæ gubernabantur. Postea uero toto orbe decretũ est, ut unus de presbyteris electus, præferatur alijs, ad quem omnis ecclesiæ cura pertineret, & schismatũ semina tollerentur. Id autem subinde scripturarum testimonio probat Hieronymus, columen doctrinæ ecclesiasticæ & apostolicæ. Vide ibidẽ. Tandem concludit, Sicut ergo presbyteri sciunt se ex ecclesiæ consuetudine, ei qui sibi præpositus fuerit esse subiectos: ita episcopi nouerint, se magis consuetudine quàm dispositionis dominicæ ueritate presbyteris esse maiores, & in commune debere ecclesiam regere. Videamus igitur qualis presbyter uel episcopus ordinandus sit.

Si quis sine crimine est, unius uxoris uir, filios habens fideles, non in 7
accusatione luxuriæ, aut non subditos.

Primum explicauit in epistola ad Timotheum, dicens, Irreprehẽsibilem: non quod eo tantum tempore quo ordinandus est, sine ullo sit crimine, & præteritas

maculas noua conuerſatione diluerit, ſed ex eo tempore, quo in Chriſto renatus eſt, nulla criminis conſcientia remordeatur, uel ab aliquo conuinci poſſit. Quomodo enim poteſt præſes eccleſiæ auferre malum de medio eius, qui in delicto ſimili corruerit? Aut qua libertate corripere peccantem ualet cum tacitus ſibiipſe reſpondeat, eadem admiſiſſe quæ corripit? Quod ſequitur, Vnius uxoris uir: ſic exponitur etiam Hieronymo teſte. Iudaicæ conſuetudinis fuit, uel binas uxores habere uel plures: quod etiam in ueteri lege de Abrahã & Iacob legimus, & hoc nunc eccleſiaſtici quidam uolunt eſſe præceptum, ne is qui epiſcopus eligendus eſt, uno tẽpore duas pariter habeat eccleſias. Chryſoſtomus ſic exponit, obſtruis his Apoſtoli uerbis hæreticorum ora qui nuptias damnant, oſtendendo eam rem culpa carere; imò ita eſſe pretioſam, ut cum ipſa etiam poſſit quiſpiã ad ſanctum epiſcopatus ſolium ſubuehi: non tamen permitti quenquam poſt ſecundas nuptias, ad eccleſiæ regimen aſſumi, quod indignum habeatur defunctæ uxori beneuolentiam non ſeruaſſe, ut propterea præſul eſſe non debeat. Cui dicto Hieronymus pie doctecꝫ occurrit, docens, non omnem monogamum digamo eſſe meliorem. Eſto, inquit, aliquem adoleſcentulum coniugem perdidiſſe, & carnis neceſſitate ſuperatum accepiſſe uxorem ſecundam, quam & ipſam ſtatim amiſerit, & deinceps uixerit continenter: alium uero uſcꝫ ad ſenectam habuiſſe matrimonium & uxoris uſum: quis nobis è duobus melior & pudicitior? Vticꝫ ille qui infelix fuit in ſecundo matrimonio. Tandem quocꝫ addit ſententiam, quam ſequi cogit infelix cœlibatus ſpurciſſimi noſtro tempore experientia: Multo deteſtabilius eſſe, fornicatum eſſe cum pluribus, cꝫ digamum reperiri; quia in alio infelicitas matrimonij eſt, in alio ad peccandum prona laſciuia. Quid autem hodie dictu ri eſſent Hieronymus & Chryſoſtomus, ſi epiſcoporũ cœlibatum & clericorum aſpicere oporteret? Aliud non dicerent, cꝫ uel ab epiſcopatu deijciantur confuſibiliter, uel illud Apoſtoli, Melius eſt nubere q̃ uri: &, Melius eſt uxoratum epiſcopum uel presbyterum corripere poſſe ut debet, adulteria & ſcortationes, q̃ ſi ſcortator & adulter ſacerdos tacere cogatur, etiãſi publice illi dicatur, Qui dicis, non mœchandum, mœcharis? Hæc autem ſola fuit urgens ratio deprauatæ eccleſiæ per omnia uitia, quia ſacerdotes luxurioſi notorie, & contra naturę uires cœlibatui aſtricti, ſed minime caſti, nulla plebis & maiorum uitia qualiacunꝫ, animoſe corripere auſi fuerunt. Et hæc uel ſola ratio hodie quoſdam mouet, ut malint parochum concubinarium, cꝫ uxoratum, ut minus culpentur à prædicatoribus mundis, propter propria & patẽtia eorum crimina. Ad hoc tandem utilis eccleſiæ fuit impuriſſimus cœlibatus, ut uitia nõ ut uitia corrigi potuerint. De quo plura olim in epiſtolam priorem ad Timotheum, zelanti illius temporis ſtudia, excidere nimis probabilia. Sequitur, Filios habẽs fideles. Tam ſanctum nomen eſt ſacerdotij, ut mala nobis etiam ea quæ extra nos ſunt poſita, imputentur: non quo propter uitia noſtra epiſcopi non fiamus, ſed quod propter filiorum incontinentiam ab hoc gradu arcendi ſimus. Qua enim libertate poſſumus alienos filios corripere, & docere quæ recta ſunt, cum nobis ſtatim poſſit qui fuerit correptus, ingerere, Ante doce filios tuos? Aut qua fronte extraneum corripio fornicantem, cum mihi conſcientia mea ipſa reſpondeat. Damna ergo fornicantem filium, abijce filios tuos uitijs ſeruientes. Cum autẽ nequam filius in una tecum communicat domo, tu audes alterius oculo feſtucam detrahere, in oculo tuo trabem non uidens? Non itaqꝫ iuſtus polluitur ex filiorum uitijs, ſed libertas ab Apoſtolo eccleſiæ doctori reſeruatur, quod talis fiat, qui non timeat propter uitia ſuorum liberorum extraneos comprehendere. Si autem peccata filiorum iuſtum ab epiſcopatu

patur prohibent, quanto magis unusquisq; se considerans & sciens, quia potentes potenter tormenta patientur, retrahet se ab hoc non tam honore q̄ onere, & alio-rum locum qui magis digni sunt non ambiet occupare? Accusationem luxuriæ intelligit non solam libidinis concupiscētiam infamem, sed ab omni luxu, scilicet uestium, ciborum, morū, & domuum alienos, & minime notabiles. Nec tantum sobrios per omnia, sed etiam huiusmodi luxuum quacunq; calumnia carere debeant, ne male alicui opinioni fiant obnoxij. Non subditos intelligit, intractabiles, qui non sint disciplinæ capaces, qui nolint audire monentem, sed recalcitrantes sacris exhortationibus, etiam reliquis ecclesiæ fidelibus ansam præbeant & exemplum, præcepta doctrinamq; prælati in ecclesia contemnendi.

Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut dei dispensatorem. 8

Is qui exteriore ac mundana potestate subnixus est, quoniam lege imperat, ac necessario illi obtemperatur, merito sæpius contra subiectorum uoluntatem atq; sententiam dominatur. Is uero qui uolentibus atq; hortantibus & gratias agentibus præesse uult, si ea lege dominari præsumit, ut consilio proprio tantum omnia faciat, quasi nemini rationem redditurus, tyrannice potius q̄ populariter huiusmodi exercet officiū. Qua aūt hic ratiōe docebit episcopus alios ab hoc uitio temperare, qui seipsum ante nō docuit? Plurima principatus quotidie crimina parit, modestia in potentatu & honore difficile seruatur. Quæritur ergo inter dispensatores ut fidelis quis inueniatur, & non comedens & bibens cum ebriosis percutiat seruos & ancillas, sed incertum dei expectet aduentū, & det conseruis in tempore cibaria. Inter uillicum autem & familiam hæc sola distantia est, quod conseruus præpositus est conseruis suis. Sciat itaq; episcopus & presbyter sibi populum conseruum esse, non seruum. Hæc Hieronymus.

Non superbum, non iracūdum, non uinolentum, non percussorem, 9
non turpis lucri cupidum.

Non, inquit, sit episcopus præfractus, proteruus uel superbus, non tumens, & sibi placens quod episcopus sit, sed quasi bonum uillicū uult esse, id requirentem, quod pluribus prosit. Iracundus est, qui sæpe irascitur, & ad leuem responsionis auram atq; peccati quasi à uento folium commouetur. Et re uera nihil est fœdius præceptore furioso, qui cū debeat esse māsuetus & humilis, ut prębere studeat se ad omnes doctorem patientem, in mansuetudine erudientem eos qui contraueniunt doctrinæ, ille è diuerso toruo uultu, trementibus labijs, rugata fronte, effrenatis conuitijs, facie inter pallorē ruboremq; uariata, clamore perstrepat, & errantes non tam ad bonum retrahit, q̄ ad malum sua sæuitia præcipiter. Nec uero qui aliquando irascitur iracundus est, sed qui frequentius hac passione superatur. Prohibet quoq; episcopum esse uinosum. De quo ad Timotheum, Non multo uino deditum. Quod probrosissimum planè sit uidere episcopum uinolentum, ut sensu occupato, uel exaltet risum contra grauitatis decorem, & labijs dissolutis cachinnet: uel si paululum tristis cuiusdam rei fuerit recordatus, inter poculà in singultus prorūpat & lachrymas. Lege de ebrietatis ordine hoc loco graphice, quæ scripsit Hieronymus. Vinolentiam sacerdotibus etiam lex Mosis dæmnauit. Cum ingrediuntur templum deo ministraturi, uino abstinebant. Nazaræos uino abstemios decernit, sed & ab uua passa, & à diluciori quæ solet ex uiua tijs fieri potione, omniq; sicera, quę mentem ab integra sanitate peruertit. Post uinolentiam præcipit, ne percussor sit, ne facile manum porrigat ad cædendum, ne ad uerberandum quomodocunq; insanus prorūpat: sed sit mansuetus et patiens,

ut sciat loqui in tempore & tacere, ne sermoni inutili conscientiam feriat infirmorum. Non solũ enim Apostolus episcopũ formans, uetat esse pugilẽ & pancratiasten, quod etiã in plebeio & quocunq; gentili, si fuerit, reprehenditur: sed & hoc dicit, ne contumelios⁹ garrulus irrisor uel iniuriator eum perdat, quem potuit modestia & lenitate corrigere. Non opus est iniuria, sed gehennæ cõminatione: contumelia affectus, impudentior fit, ut magis admonentem contemnat. Neq; enim huiusmodi contumeliosum dicacitas sinit esse uenerabilem, & reuerentiam quæ decet à subditis assequi. Magna episcopus religione loquatur, sermo sit diuina sapientia quadam conditus, terrere debet peccãtes, futuri illius iudicij memoria. Sermo episcopi uacare debet iniuria, sin fuerint fortasse aliqui, qui ea prohibeant, quæ sunt episcopalis muneris exequi, magna cum austeritate tractãda res est: alioqui medicus cum sit animarum, minime percutit, minime irritat ægrotos, corrigit potius, emendat & curat. Procul quoq; ab episcopo absit turpis lucri appetitus, ne incipiat docere quæ non oportet, & domos totas subuertere pergat, putans quæstũ esse pietatem. Episcopus qui imitator Apostoli esse debet, habens uictum & uestitum, his tantum debet esse contentus. Qui altario seruierint, de altario uiuant secundum legem. Viuant, inquit, non diuites fiant. Vnde & æs notabis excutitur de zona, & una tantũ tunica induimur, nec de crastino cogitamus. Turpis lucri appetitio est, plus q̃ de p̃sentibus cogitare. Hęc ferè Hieronymus. Surdis nunc episcopis fabulam canet, nolunt enim apostolici esse, sed principes: haberi tamen uolunt apostolorum successores, admirãda nimium peruicacia & stultitia, quasi mundus perpetuò sit per insaniam illos admiraturus. Cum electo synarum illis cura incũbat & doctrinæ, ipsi aulas instruunt militibus: & ne euangelica disciplina prædicetur, studiose impediunt. Debet episcopus magnum præ se ferre pecuniarum contemptum, tantum abest ut de scortatorum mercedibus annuo extortis turpiter uiuens, turpia permittat.

10 Sed hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem.

Ante omnia hospitalitas denunciatur episcopo, docturus est enim iudicium Christi futurum, quando dicetur, Hospes fui, & suscepistis me: quanto magis episcopus, cuius domus omnium commune debet esse hospitium. Laicus unum aut duos aut paucos recipiẽs, implebit hospitalitatis officium. Episcopus nisi omnes receperit, inhumanus est. Hodie instituta sunt Hospitalia pro peregrinis & egentibus, quorum, ut ex hoc loco patet, maxima cura pertinet ad episcopos, ut quod illis ex officio incumbit, id saltem pro instituto iusto ordine, religiose cõpleatur, & ab officialibus diligentissime negligentiæ pœna sumatur. Prospiciatur ne quæ sua sint agant, non quæ pauperum. Nihilominus tamen episcopi earum personarum quæ pro ueritate & Christo extorres agũtur & exules, curam suscipiant speciale m. Pro quorum & aliorum egentium sustentatione, non esset obmittenda collecta & contributio ecclesiastica uetus per omnes conciones fideliũ, & ad hoc essent solicite precibus adigendi, & à fidelibus ministris ecclesiæ fideliter expendendę, ad conscientiam & mandatum episcopi. Benignum dicit, id est studiosum bonarum rerum, aut amantem bonos, familiaritatem non negantem pijs & studiosis hominibus, semper in sacris negotijs attẽtum ecclesiæ fructuosis exercitijs, ubiq; inueniens occasionem aliquam seruiendi domino in suis fidelibus, ut benignitate trahat, qui non capiuntur correptione. Toto studio sit intentus, ne quis commissorum sibi fidelium pereat, etiam proteruos emollire studens benignitate sua, quę plurimum ualet, & efficaciter uincit omnes eos, qui per dei gratiam sunt electi, quamlibet de illis nonnunquam omnia desperata credantur. Multum per

omnem

omnem modũ ualet episcopi benignitas. Sobrium) ait, uel prudẽtem. Vtrunq; enim ualet Græca uox Sophrona, sicut & castum & sanum mente, qualem decet esse episcopum, ut intelligamus animum sibi præsentem, & nullis temulẽtum cupiditatibus. Disputat hoc loco Hieronymus de pudicitia sacerdotali, & abstinentia à coitu cum uxoribus propter orationes, & propter quotidianas uictimas offerendas: is certe aliam continẽtiam desiderabat in sacerdotibus, quàm uel suo tempore uel posterius præstiterunt. Et continentiam maiorem, quæ apta sit ad orationem aliam non noui, quã coniugalem, nisi quis gratiam raram & specialem assequatur diuinitus, quam fingere multi facile possunt, re uera corde, animo, uerbis & factis nimium pauci præstabunt. Longe satius est ustum matrimonio subijci, q̃ cœlibatu iugiter uexari, & mente cogitatibusq; libidines meditari, usq; ad turpia insomnia, & grauissima impedimenta tam orationũ quàm studiorum sacrorum. Vt de seipso monacho acerrimæ disciplinæ, queritur ipse quoq; Hieronymus ad uirginem. Quid autẽ fit de alijs, non dico eremitis uel monachis, sed de sacerdotibus, conuersantibus in ipso medio mundo, & nunquam non opportunitatem libidinãdi uel ex usu habentes & cogitatu? Qualis tentatio multo fortius ab oratione, lectione, & sancta meditatione impedit bonũ uirum, q̃ matrimonialis continentia, Abrahæ, Isaac, & apostolorum quorundã, si non omnium. Satis id quoque probant studia sacerdotum, uxores nunc tandem in Christo habentium. Si quem mouet hoc loco uerbũ Hieronymi, de corpore Christi, meminerit eundem quoq; dicentem alibi, corpus Christi auribus percipi, sacro sacerdotum ore confici, similiter & libera mente ab errore cogitationum, manducari credẽdo: cuius membra sint omnes credentes, quod hæretici nec intelligunt, nec credunt, nec accipiũt. Hæc quoq; Hieronymus. Iustus) quoq; & sanctus episcopus esse debet, ut iustitiam in populis quibus præest exerceat, reddens unicuiq; quod meretur, sine personarum respectu. Inter laici autem & episcopi iustitiã hoc interest, quod ille quidem potest apparere iustus in paucis, episcopus iustitiam exercere debet in omnibus quos habet subditos. Sanctus) autem magis id significat, quando ipsa sanctitas mixta fuerit pietati: & ad deum refertur, qui idem pius in deum dicitur, & purus mente, uoto & operibus, ut nihil spurcum uel impiũ aut prophanum exhibeat in moribus & sermone. Cuius omne studium est, probari se deo, & proximos ad dei timorem adducere, gloriamq; dei promouere diligenter.

Continentem.) Non tantum à superfluo cibo & potu, sed ab omni uitio linguæ, manuum, & sensuum omniũ, ne impudicus oculus admittatur, hoc est, nulli subiaceat uitio. Huiusmodi abstinentia pertinet ad fructus spiritus: qui si exigitur ab omnibus, quanto magis à doctore ecclesiæ episcopo, qui docere debet uerbo & facto, uincere in bono malum, honestatis speculum proferre ad subditos, mortificata circunferre corporis membra, carnis insolentiã coërcere ac uincere, nedum alijs prædicarit, ipse inueniatur deterior.

Amplectentem eum qui secundum doctrinam est fidelẽ sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. 15

Omne quod loquitur, fide dignum existimetur & inueniatur. Verba ipsius sint moderata ad regulam ueritatis, ut tuto credi possint à fidelibus. Superius dicta de uirtutibus episcopi, ad uitam pertinẽt, hoc ad scientiam. Quia si episcopus tantum sit in sancta uita, sibi potest prodesse sic uiuens: porrò si & doctrina & sermone fuerit eruditus, potest se cæterosq; instruere: & non solum instruere & docere suos, sed & aduersarios repercutere, qui nisi refutati fuerint atq; conuicti, fa

cile queunt ſimplicium corda peruertere. Hic locus aduerſus eos facit, qui inertia ſe & otio ſomnoq; dantes, negligunt ſcripturas legere, & eos qui in lege domini exercentur, ridere audent, quum æque Apoſtolus doctrinam quoq; epiſcopo iniunxerit. Nec lædetur officium, ſi ſæcularis eloquentiæ fuerit imperitus, dum ſpiritu pietatis & ſacræ eruditionis ferueat, is ſuppeditabit opportuna perſuaſioni uerba, etiamſi minus placuerint. Summa autem illi opus eſt peritia ſacrarum ſcripturarum, ut fidei & morum opportuna loco, tempori & perſonis ualeat dogmata proferre ad eccleſiam. Certe Paulus orbem conuertit uniuerſum, longeq; maiora perfecit, q̃ Plato & cæteri eloquentes in Græcia & Latio. Sed & Apoſtolorum actus ſi euoluas, ſæpius Paulum ui doctrinæ & ſpiritus obtinuiſſe competeries q̃ uirtute ſignorum. Verum niſi contradicentes quoq; arguere poſſit, omnia pereunt, & ab impijs ſubuertuntur.

12 Sunt enim multi etiam intractabiles, & uaniloqui, & mentium ſeductores, maxime autem qui de circunciſione ſunt.

Futurus eccleſiæ epiſcopus & doctor, habeat, ut prædictum eſt, eruditionem ſacram, cum uitæ integritate, ne opera abſq; ſermone ſint tacita, & dicta factis decipientibus erubeſcant. Maxime cum ſint non pauci, ſed plures: nec ſubditi, ſed proterui, qui bonam mentiũ ſementem, quæ naturaliter habet notitiam dei, inani perſuaſione peruertant. Et quidem ſine ſcripturarum authoritate garrulitas non habet fidem, niſi uiderentur peruerſam doctrinam etiam diuinis teſtimonijs roborare. Hi ſunt de circunciſione Iudæi, qui tunc temporis naſcentẽ eccleſiam Chriſti, ſubuertere nitebantur, & introducere præcepta legalia, carnaliter intellecta. De quibus & ad Romanos, & ad Galatas plenius Paulus exequitur.

13 Quos oportet redargui, qui uniuerſas domos ſubuertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia.

Tales homines doctor eccleſiæ, cui animæ populorum eccleſiæ creditæ ſunt, ſcripturarum debet ratione ſuperare, & ſilentium illis teſtimoniorum ponderе imponere, qui nõ unam aut paucas domos, ſed uniuerſas cum domínis familijsq; ſubuertunt, docentes de ciborum differentijs, de quibus ſibi mire placent, tanquam alijs omnibus gentibus mũdiores & ſapiẽtiores. De ſabbathi iam olim abolitione & ſpirituali ueroq; intellectu eius, ad dei gloriam, ac fidei profectum dati olim, & de eius uera ſignificatione: de circunciſionis iniuria, quæ ut ſignum erat differentię Iudæorum ab infidelibus, iam mũdo toto ad fidem colendi unũ deum, humero uno conuerſo: diſcriminis huius nota nec utilis eſt nec honeſta. Atq; utinam hoc Iudæi zelo fidei facerent, ex parte aliqua poſſet ignoſci, dicente Apoſtolo, Confiteor, zelum dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam. Verum quia deus eorum eſt uenter ipſorum, turpis lucri gratia, uolunt proprios habere diſcipulos, ut quaſi magiſtri à ſectatoribus ſuis alantur, honorentur, & primatũ ſibi rapiant. Videri quoq; poteſt, Apoſtolum cõmuni uerbo uſum, quo omnes hæretici, cum peruerſa docent, ſeſe hominum ſolent aſſerere lucratores, cum nõ lucrum ſit ſed perditio, animas interficere deceptorum. Sicut qui errantem iuxta euangelium fratrem corripuerit, ſi fuerit ille conuerſus, lucratus eſt eum. Quod enim maius lucrum eſſe poteſt, quàm precioſam animam redemiſſe? Si quis uero doctrinæ gratiam percepit, non autem ſufficit impudentibus ſilentium imponere, pereuntium in ſe damna attrahit, ſi ſpõte officium ſuſcipit. Vere enim dicitur, Noli quærere fieri iudex, niſi ualeas iniuſtitiam tollere: ſed longe dignius talis audit, Noli quærere magiſter fieri, ſi uirtutem eius rei à te alienam eſſe conſideras. Dixit

Dixit quidam ex illis, proprius ipsorum propheta, Cretenses semper 14
mendaces, malæ bestiæ, uentres pigri. Testimonium hoc uerum est.

Prophetam uocat poëtam, qui quasi præsenserit uentura. Proprium autē uocat, quod Cretensis fuerit ipse, qui hæc de Cretēsibus scripserit: siue quod per ironiam prophetam uocauit, quasi talibus Christianis tales congruerent prophetæ: siue quod is Epimenidis liber, unde uersiculus hic sumptus creditur, titulum habeat, De oraculis. Tametsi non desint qui testimonium hoc ad Callimachum Cyreneum referant, apud quem initium huius carminis inuenitur. Quod Iouis sepulchrum apud se esse confinxerint homines mendaces, mendacijsq; fauentes & creduli, cum is iuxta uulgi opinionē fuerit immortalis. Potest igitur superioribus hoc dictum copulari, ut dicatur, Huius rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ deerant corrigeres. Et sequatur, Dixit quidam ex illis proprius eorum propheta, id est Cretensium. Quod si quis proximiori præcedenti textui connectendum putet, sic accipi potest, ut id quod ait, Proprius eorum propheta, non specialiter ad Iudæos, & eos maxime qui de circūcisione sunt, sed ad multos referatur, qui non subditi sunt, uel intractabiles & uaniloqui ac mentiū deceptores: qui utiq;, quia in Creta erant, Cretenses fuisse credendi sunt. Nec mirum si pro opportunitate rei gentilium poëtarum uersibus abutatur, cum etiam de inscriptione aræ aliqua commutans, ad Athenienses loquutus sit, quæ habētur in Actis, cum ita dicatur fuisse inscriptum, Dijs Asiæ, & Europæ, & Africæ, dijs ignotis & peregrinis. Quia enim Paulus non pluribus dijs indigebat ignotis, sed uno tantum ignoto deo, singulari pro Hebræorum quoq; more uerbo usus est, ut doceret illum suum esse deum, quem ignorantes uenerabantur, & nescire non poterant. Nec ista hic scribens ex Epimenidis uel Callimachi opere desumpta, ideo totū poëtæ carmen approbare censendus est, sed Cretenses tantum mendaces uitio gentis increpauit: non ob illam opinionem, qua sunt arguti à poëtis, sed ob ingenitam mentiendi facilitatem, de proprio eos gentis authore confutās. Testimonium, inquit, hoc uerum est, non totum carmen, non uniuersum opus, sed hoc nominatim testimonium, quo illi mendaces uocantur. Malæ bestiæ non simpliciter dicitur, sed feras ac ueneno noxias bestias significat. Ventres quoq; pigri sunt, homines abdomini deditos. Hoc, inquit, adeo uerum est, ut oraculum uideri possit. An non natura mendaces sunt, qui clarissimam euangelicæ ueritatis lucem non uerentur suis fabulis obscurare? An non noxiæ bestiæ, quæ uenenum suum passim afflant incautis? An non pigri uentres, qui malūt per falsam doctrinam in otio luxuq; uiuere, quàm pro tuendo euāgelio nobiscum esurire ac malis affligi? Huiusmodi ex gente Iudaica multi erant conuersi ad fidem, qui insigniter præ alijs Iudæis alibi in eadem insula Cretenses, Apostolo & Tito negotium faciebant, & Nazaræorum secta erigere moliebantur.

Quam ob causam increpa illos dure, ut sani sint in fide, non intenden- 15
tes Iudaicis fabulis, & mandatis hominum, auertentium se à ueritate.

Ad uiuum & seuere argue tales, hoc est refelle scripturis sacris, quas negare non possunt, ut se recte gerant in talibus. Dupliciter autem fabula dici possunt omnia Iudaica illa, siue cum simulate fiunt, siue cum intēpestiue: nam si fiant quando facienda non sunt, & facta nocent, fabula inutilis & noxia sunt. Quemadmodum igitur illis obtemperare non expedit, ita nec istis quidem. Necq; enim salubris fidei seruaretur: si enim credis fidei, cur alia infers, quasi fides iustificare non sufficiat sola? Quid teipsum spontaneæ subijcis seruituti, & legis iugo collum sub

mittis? Id profecto infidelitatis atq; diffidentiæ indicium est, id infirmi atq; increduli & infidelis certum argumentum. Nam fides præcipua animi uirtus in eo est, ut non ambigas: ambigit autem qui huiusmodi est. Hæc Chrysostomus. Quomodo autem ad Galatas & Romanos plene disputatur, putabant conuersi ex Iudaismo inter cibos esse distantiam, cum aliqui mundi aliqui uiderentur immundi, propterea nunc infert,

16 Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed inquinata sunt eorum & mens & conscientia.

Qui in Christo sunt, & uerbo Christi credunt, sciunt omnem creaturam bonam esse, & nihil abijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Infidelibus autem & inquinatis, etiam quę sunt munda per naturam, eis immunda sunt. Pro qualitate enim uescentium, & mundum mundis & immundum contaminatis fit. Alioqui suilla caro munda est. Et nihil immundius piscе, ubi humana attigerit corpora. Gallina uermes comedit, coruus serpẽtes comedit. Cuius ergo rei gratia, suem & alia quædam ex animantibus interdicit? Non quia immunda, sed ut deliciarum pars aliqua amputetur, ne gentilium epulis prophanarentur & ritibus, ne charitas solueretur ad illos, qui natura istis uesci horrebãt, alijsq; de causis. Quid deniq;, si diligẽtius inquiramus, immũdius uino? Quid aqua impurius qua maxime mundabãtur? Mortuum cadauer uetabantur attingere, & mortuo mundabantur: quippe quod mactabatur in sacrificium, profecto mortuum erat. Nónne uinum ex stercore constat? & ex humo uitis humorem attrahit, & ex adiacente stercore. Sic ferè omnia immunda inueniemus. At nihil immundum, sed omnia munda. A deo facta sunt omnia, peccatum solum & inobediẽtia inquinat omnia, etiam animam polluendo subintrans. Quin & infideles ex anima, panis etiam benedictionis, & calix dominicus non mundat. Aduentu autẽ Christi purgata sunt omnia: quæ ille mundauit, nos communia habere non possumus. Quæ uero dæmonijs immolantur, non ueniunt in hanc disputationem: non enim possumus mensæ domini participare, & dæmoniorum. In nobis itaq; est comedere munda uel immunda: si enim mundi sumus, munda nobis est omnis creatura: si autem immundi & infideles, fiunt nobis uniuersa communia, siue per inhabitantem in cordibus nostris hæresim, siue per conscientiam delictorum. Porrò si conscientia nostra nos non reprehenderit, & habuerimus fiduciam pietatis ad dominũ, orabimus spiritu, orabimus & mente, & procul erimus ab his de quibus nũc scribitur, Polluta est eorum mens & conscientia.

17 Confitentur se nosse deum, factis autem negant, cum sint abominati & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.

Placent sibijpsis, & alijs Christiani uideri uolunt, Christum confitentes Messiam patribus promissum, legem & euangeliũ profitentur, conuersi de Iudaismo ad Christianitatem, unumq; deum se nosse, adorare & credere se fatentur, & abominari omnia idola, factis autem negant, cor eorum longe est ab agnitione Christi, qui est scopus unicus totius legis & prophetarum. Operibus autem deum negans confessione simulata, recte execrabilis & prophanus est, & nulla ueritatis ratione persuasus, inobediẽs & incredulus appellatur. Vnde euenit, ut ad omne opus bonum reprobus sit, quod scilicet & ea quæ naturali bonitate superatus forte bona fecerit, non sint bona, dum mentis aliqua peruersitate non sunt syncera. Negatur autem deus nõ solum in gentilium persecutione, sed in omnibus factis peruersis. Christus enim sapientia est, iustitia, ueritas, sanctitas, fortitudo. Negatur

tur ergo per insipientiam sapientia, per iniquitatem iustitia, per mendacium ueritas, per turpitudines sanctitas, per imbecillitatem animi fortitudo. Et quotiescũq; uitijs uincimur & peccatis, toties deum negamus. Negant itaq; Christum increduli, abominandis criminibus infecti, publice dei mandata, & Christi doctrinam blasphemantes, odio habentes omne bonum, carnis desideria sectantes, & nullo bono consentientes. Eleganter uero hunc locũ solitoq; fusius tractauit Erasmus. Legem, inquit, mordicus tenent, & legem non intelligunt: præputium habent circuncisum, mentem incircuncisam: lotis manibus & pedibus ingrediuntur, animum & conscientiam habent illotam: obseruant otia sabbathorum, sed interim pectus habent odio, ira, ambitione cæterisq; perturbationibus irrequietum: metuunt inquinari si gustent carnem suillam: mundos se putant, quum auide hauriunt turpiloquium obtrectationemq; impiatos se putant, si cõtigerint cadauer, nec interim abhorrent à contactu scorti aut rei furtiuæ: nefas esse ducunt uti ueste lino lanaq; permixta, nec sibi displicent, quum pectus habeant tot opertũ sceleribus. Impudenter igitur iactant se solos nosse deum, cum illum præ cæteris factis abnegent. An non abnegant, dum ueris animi sordibus oblíti sunt abominabiles? dum per incredulitatem intractabiles, denique dum ad omnia ueræ pietatis officia, quibus deum demeremur & agnoscimus, peius se gerunt quàm mortales cæteri.

CAPVT II.

TV autem loquere quæ decent sanam doctrinam. 1

Non solum episcopos decet laborare in meditatione scripturarum sacrarum, ut quæ scripta sunt replicent & condant in memoriæ thesauro, sed faciãt quoq; ea prius, ut magni uocentur in regno cœlorum. Nisi enim superegressa fuerit iustitia nostra scribarum iustitiam, nõ possumus ingredi regnum cœlorum. Docet itaq; discipulum Paulus, ut ea loquatur quæ sanæ doctrinæ conueniant: quia tunc doctrinæ sit sanitas, cum doctoris doctrina pariter & uita consentiunt. Consequẽter per singulas species, quid unamquanq; ætatem deceat exponit. Primum senibus uiris conuenientia, deinde quid anus deceat, adolescentes, & adolescentulas, quid à uetulis doceri debeant exponit, sic de seruis.

Senes ut sobrij sint, graues, modesti, sani fide, in dilectione, in patiẽtia. 2

Habet senectus uitia quædam propria & morbos, quibus caret iuuentus. Et ipsa quippe senectus morbus est, inest illi segnities quædã, tarditas, profundaq; obliuio, obtusio sensuum & iracundia. Seniores ergo, ait, admonebis, ut sobrij sint, aduigilantes ad officia pietatis, & ætatis torporem fidei alacritate uincant: ut graues sint, néue indecore præter ætatis rationem iuueniliter ineptiant, sed sint moribus & uerbis compositi & pudici, modesti & sapientes, quo reuerendi sint iuuẽtuti. Vtq; moderati sint, ne, quod uulgus senum solet, morosi sint, & ad iram faciles, sed animum seruent, ne pro more quorundam rabie ferantur immodica, atq; in ipsam præcipitentur amentiam, & pusillanimes fiant. Sed spectati sint & inculpati, non solum integritate fidei, ut Abraham & Iacob, uerumetiam in obeundis officijs charitatis, in tolerandis incommodis uarijs & ineuitabilibus senectutis, maxime uero si quid ferendum occurrat ob euangelium Christi. Patientia maxime in tentationibus comprobatur, quia nihil prodest habuisse iam enumeratas diuitias, nisi in tempestate seruentur, & in mundi calamitatum naufragio fiducia fidei fortiter parta seruentur.

Anus similiter in habitu sancto, non criminatrices, non uino multo 3

seruientes, bene docẽtes, quo possint modestas reddere adolescentulas.

Vtcunq; mulier corporis infirmum habeat uasculum, anima tamen nonnun quam firmior est: unde & nũc præcipitur eis, ut uirtus in infirmitate perficiatur, ut omnia habeant, quæ senibus uiris sunt præcepta communiter. Ait enim, Anus similiter, hoc est, ita ut uiri senes in omnibus honeste, sobrie, pudice, sane in fide & charitate, & patientia. Et pro sexu suo hoc habeant proprium, ut sint in habitu sancto, eo scilicet amictu, eoq; incessu & corporis motu, qui deceat honestas matronas, deoq; & uirtuti dicatas, ut ex ipso foris habitu interior ostendatur ornatus. Et quia hoc genus mulierum garrulum esse solet, & circũcursare domos, otiosæ, uerbosæ & curiosæ, propterea eas uult esse non accusatrices uel calumniatrices: non tales, quæ ut alijs placeant de alijs detrahant, deq; adolescentularum ætatibus & moribus disputare, quas prodesset magis secrete Christi charitate corripere. Mulierum autem & senectutis propriæ uitium est, uino deditas esse siue addictas: nam quod ætate frigescant, magno potationis studio inseruiũt. Admonendæ igitur sunt, ne ebrietatis uitium incidant, & exurgentem inde irrisionem effugiant. Sanè quod in adolescentibus libido, hoc in senibus ebrietas est. Quomodo autem potest docere anus adolescentulas castitatem, cum si ebrietatem uetulæ iuuenior fuerit imitata, pudica esse non possit. Seruitium autem expressit, dum uino sensus hominis occupãtur: nec sinunt suum esse, sed uini. Cum uero tales, ut prædictum est, fuerint mulieres uetulæ, tunc docendi illis libertatem permittit, non quidem uiros, uel publice quoscunq;: cum alibi dicat, Mulieri docere non permitto. Viris docere permittitur uiros & mulieres, mulieri autem domi tantũ exhortationis uerbum permittit, nusquam tamen præsidere concedit, nec prolixum omnino sermonem intendere. Vides quanta cura connectit & congregat populũ, quomodo adolescentulas subijciat mulieribus ætate profectis. Summa autem diligentia educandæ sint puellæ, ut assuescant timori domini, honestis moribus, uerecundiæ, castitati, continentiæ omnium sensuum, obedientiæ parentum, parsimoniæ, silentio, curæ domus, & ut publico prodire difficile uelint: ut quum olim matresfamiliâs fieri contigerit, sciant & ipsæ docere liberos, & familiam regere ut oportet, & quomodo conuersari foris & domi.

4 Vt uiros suos ament, filios suos diligant, prudẽtes, castas, sobrias, domos curam habentes, benignas, subditas uiris suis, ut non blasphemetur uerbum dei.

Præcipuum est domesticæ pacis, & bonorum omnium fundamẽtum, si uxor uiro per omnia consentiat, tunc enim nihil triste continget, omnia in pace erunt: principibus enim pacatis, non scindetur familia: quibus inuicem dissentiẽtibus, nutabit domus, nihil salubre erit. Nihil huiusmodi pace magis necessariũ, præstat pecunijs, ingenuitati, potentiæ, sanitati: certe omnibus longe est utilissimũ domesticis bonis. Nec tamen dicit simpliciter in pace esse, sed amare uiros, cuius dilectionis uis ubicunq; fragrantia aspirauerit, nihil omnino triste, nihil ingratum irrumpet. Ex hac reliqua oriuntur bona. Filios autem ita diligent, ut eos in dei eruditione disciplina: cæterum nolle eos contristare docendo quæ bona sunt, & libertatem permittere peccandi, non est amare filios, sed odisse. Quæ enim radicem diligit candide, multo magis fructum arboris gratæ est amatura. Matrum enim est erudire filios in disciplina & moribus in timore dei, in tractabilitate & disciplina secũdum corpus & animum: sicut patris est necessarijs uitæ prospicere. Prudentes quoq; sint in administratione rei familiaris. Quia autem fieri potest ut diligen-

tia

tia domus, cum austeritate regeretur, & per hoc Apostoli præceptum matrona
seuerior fieret in seruulos, ideo adiunxit, Benignas, ut tunc se crederet mariti be
ne domum regere, si cum benignitate imperet seruis, nõ in terrore, & ancillarum
operas disponat solicita & frequens. Hoc autem fieri commode poterit, si domi
assidue commoretur, atq; tractabilis, rem quoq; domi curet, quæ præcipue mulie
rum laus est. Vnde ueteres, authore Plutarcho, pingebant Venerem testudini in
sistentem, quod id animal nunquã à domo discedat, symbolum probæ & pruden-
tis matrisfamiliâs. Subditas uiris suis. Ne diuitijs & nobilitate inflatæ, dei nõ me-
minerint sententiæ, per quã subiectæ sunt uiris, qui illarũ dominent ex dei mãda
to. Liberalis aũt hæc seruitus est, & dilectione plena, ut eatenus uiro seruiat, ut
offendere metuat. Non eñ creatus est uir propter mulierẽ, sed mulier propter ui
rũ. Et cũ caput mulieris uir sit, caput aũt uiri Christus, uxor nõ subiecta uiro eius
dem est rea criminis, cuius & uir, si non subijciatur Christo. Quæ igitur uirũ con
tempserit, etiam rei domesticæ negligẽs erit. Ex ea autem dilectione pudicitia na
scitur, qua consequenter contentio omnis tollitur: etiamsi gentilis uir sit, facile ta-
men obtemperabit ad redamandum. Hac autem domesticæ rei cura rite disposi-
ta, spiritualis quoq; gratia locum obtinebit idoneum, alioqui omnia simul interi-
bunt. Ne uerbum dei & doctrina blasphemetur. Hoc adiectũ putant ob eas quæ
maritum haberent uel ethnicum uel Iudæum aut intractabilem. Vides ut princi
paliter prædicationis ei cura sit, non rerum sæcularium. Sicut & ad Timotheum
scribens, ait, Vt quietam & tranquillam uitam agamus in omni pietate & hone-
state, ne uerbum dei blasphemetur. Si enim fidelis mulier infideli uiro coniungi-
tur, uirtutum studijs non deseruiens, blasphemia in deum transmittitur, Christi
infamatur euangelium, dum contra legem fidemq; naturę ea quæ Christiana est,
& ex dei lege subiecta uiro, imperare desiderat, cum etiam gentiles fœminę uiris
suis seruiãt communi lege naturæ. Audiant mulieres, & discant probis moribus
& uirtutis operibus lucrari impios & insolentes maritos, ad dei cultum religio-
nemq; adducere, ad consortium fidei ac rectorum dogmatum, uel saltem ora ob-
struere, ne nomen domini blasphemetur.

Iuuenes similiter hortare ut sobrij sint. In omnibus teipsum præbe ex- 7
emplar bonorum operum, in doctrina, integritatem, grauitatem, sermo-
nem sanum, irreprehensibilem: ut is qui ex aduerso est, uereatur, nihil ha-
bens malum dicere de nobis.

Quæ in præcedentibus dicta sunt, de anuum uirtutibus & senum, ut sint so
brij, honesti, pudici, & sani in fide, charitate & patientia, non uinolenti, sed & be
ne docentes, eadẽ & consequentia aptanda arbitramur & ad iuuenes. Proprium
uero adulescentulorum hoc posuit, ut sobrij sint & pudici. Nihil enim ita difficile
tamq; durum ætati huic esse potest, ut superare noxias ac mortiferas uoluptates.
Necq; enim pecuniarum amor, & gloriæ studium, aut rerum concupiscentia alia
rum, ita hanc perturbat ætatem, sicut comparum amor, uesanaq; libido. Ideoq;
hortatur, ut per omnia & in omnibus pudici sint, tam scilicet mente quàm corpo
re, tam opere quàm cogitatione, ut nulla sit in adolescente suspicio turpitudinis.
Est enim continentia non solum in carnis opere & animi concupiscentia, sed in
omnibus rebus necessaria, ne honores indebitos appetamus, ne accẽdamur aua-
ritia, ne ulla passione superemur. Teipsum, inquit, formam præbens bonorũ ope
rum. Nihil prodest aliquem esse exercitatum in dicendo, & ad loquendũ triuisse
linguam, nisi plus exemplo docuerit q̃ uerbo. Qui impudicus est, quamuis diser

tus sit, si ad castitatem audientes cohortetur, sermo eius infirmus est, & authorita te carens. Econtrario uero, quamuis sit rusticanus & tardus ad loquendum, si ca- stus fuerit, exemplo suo homines ad meliora poterit permouere. Sit igitur eccle- siæ doctor omnibus doctrina exemplarq; uirtutis, speculum uitæ, omnibus imi- tandum, omnia in se habens bona & honesta, quæ imitari uolentibus decoris sui præbere exemplaria possint. Cum igitur in moribus sese probatum exhibuerit, facile doctrina proficiet in ecclesia, quam non proponet, nisi sacrosanctam & di- uinam, canonicam, prophetalem & euangelicam, quam ex apostolis didicit, uti- lem ad pietatem, ad fidei & morum ædificationem. Integritatem autem non arbi- tror torquendã ad uirginitatem, quotusquisq; enim. inueniri potest uir etiam bo- nus, qui deo uirginitatis dono commendetur, quam & tota uita conseruet: quæ ubi sola corporalis fuerit, nihil habet laudis, sed spiritum, mentem & desideria illi bata, quis unquam domino custodiuit? Nec uirginitas tanti momẽti deo habetur nisi ut est idoneum conseruaculum piæ mentis, ut nihil cogitet atq; uelit præter di gnissimum dei cultũ & uerum. Vt mens integra domino deuota semper perma- neat, & nullo possit cuiuscunq; cupiditatis, & mundani amoris incitabulo à dei amore perfecto & cultu abstrahi. Ad id si uirginitas prosit, apprime sancta habe- bitur & heroica uirtus. Hic uero integritatẽ animi intendit, nullis cupiditatibus corrupti, non ira, non ambitione, non auaritia. Grauitatem cum dicit, commen- dat authoritatem docentis, ne uerbis utatur ludicris, leuibus uel scurrilibus, non idem in ecclesia docentium stilus sit, qui in foro uel compotationibus aut comœ- diis, sed dignus sit episcopo & apostolo, in sacrosancto opere & uerbo dei. Nõ pa rum enim fidei detrahit, qui inter docendum uerbis uel scriptis immiscet iocos ri ualia uel contumeliosa, iuuenilium morum testimonia uel odiorum. Addit autem, Sermone irreprehensibili. Non quod ullus tantæ facundiæ & prudentiæ sit, ut à nemine reprehendatur, (Reprehenduntur quippe & apostoli & Euangelistæ ab hæreticis & gentibus,) sed quod nihil dignum reprehẽsione dicat aut faciat: licet aduersarij sint ad reprehendendum parati, siquidem uaniloqui mentiũ decepto- res, odientes arguentem in portis, & sermonem sanctum abominãtes. Propterea exemplum nos in omnibus præbeamus, ut aduersarij nostri uitæ & doctrinæ no strę sanitate perterriti, non audeant accusare, hoc est nihil uerisimile in accusatio nem confingere. Etiamsi dicere audeant, Vir iste magnus est, & sanctæ conuersa tionis, probisq; moribus, nisi esset hęreticus. Tales hic Apostolus uocat esse ex ad uerso, qui & diabolus intelligi potest, & qui illi obsequuntur. Est enim accusator fratrum nostrorũ, ut Ioannes euangelista prædicat, qui cum nihil habuerit quod nobis obijciat mali, erubescit & criminator nõ poterit criminari. Diabolus enim Latina lingua criminator sonat.

6 Seruos, dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contra dicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonã ostendentes, ut do ctrinam saluatoris nostri dei ornent in omnibus.

Quomodo superius Apostolus senes, anus, adolescentulas, iuuenes, quod Ti tus erudire debeat docuit: ita nunc seruis apta præcepta constituit. Nullam enim conditionem, ætatem sexumq; ad beatitudinem consequendam alienum arbitra tur, qui dicit, Venite ad me omnes qui laboratis &c. Docet autem ut subditi sint dominis suis in omnibus, quę nõ sunt contraria deo: ut si dominus ea iubeat quæ non sunt aduersa scripturis sanctis, subijciatur seruus domino. Sin uero cõtraria præcipit, magis obediat spiritus q̃ corpus domino. Neq; super conditione sua ui- deatur

deatur illis seruis dei iniqua sententia. Et non putent idcirco deo se seruire non posse, quia subiecti sunt hominibus, sed in eo magis placere uolũtati dei, si & dominis suis subditi fuerint in omnibus, & complacuerint sibi in cõditione sua. Magnum autem seruorũ uitium est, dominis contradicere: & cum aliquid iusserint, secum mussitare. Commonet ergo Titum, ut per doctrinã sanam huiusmodi auferat passionem, ne inuitus domino inobediens ipsum offendat, & tandem nihilo minus facere cogatur quod noluit. Post contradictionem, & aliud seruorum uitium doctrina Christi corrigat, ne fures sint. Fur autem non solum in maioribus, sed etiam in minoribus iudicatur. Non enim id quod furto ablatum est, sed mens furantis attenditur. Ideo quantumcunq; seruus abstulerit, furti crimen incurrit. Vnde & in Moysi lege fures nonnunquam septuplum, nonnunquam quadruplum reddere compelluntur. Interdũ uenditur fur ipse pro furto. Doctrinam ergo saluatoris dei nostri ornent in omnibus. Si enim apud carnales dominos in minimo fideles fuerint, incipient eis apud deum maiora promitti. Ornat autem doctrinam domini, qui ea quæ conditioni suæ apta sunt facit: & ediuerso confundit eam, qui non est subiectus in omnibus, cui conditio sua displicet, cui qui temere contradicit, in nullo fidem bonã ostendit, qui & prædicationis & religionis Christianæ fructum in nullo ostendere uidetur. Neq; enim ex uerbis dogmata, sed ex rebus ipsis mundani iudicare consueuerunt. Vbiq; autem terrarum pro cõfesso habetur, seruorum genus impudens formatuq; difficile, lasciuum, lubricum, parumq; idoneum ad uirtutis doctrinam capessendam, ob uitæ & conuersationis negligentiã. Quod domini eorum fermè nihil in illis curent q; mi̇nisterium, & suum tantum compendium: ideo sic neglecti, ad nequitiæ non raro prærupta præcipitiaq; deuoluuntur: ideoq; difficile est seruum fieri bonum. Quod si studio religionis initiati fuerint uerbo dei, & uirtuosiores euaserint, non solum illis honor & fauor dominorum accrescet, sed & doctrinæ Christianæ fructus laudabitur, et hac occasione proficiet. Non igitur absq; magna ratione toties Apostolus præcipit de seruis emendandis, & minime negligendis, etiam ab episcopis, quo humaniores reddantur.

Apparuit em̃ gratia dei saluatoris omnibus hominibus, erudiens nos 7
ut abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobrie, iuste & pie uiuamus in hoc sæculo.

Non tantum liberorum & magnorum instituendorum cura episcopo necessaria est, & ab apostolo commendanda erat, sed etiam seruorum & ancillarum, quod non sit apud deum & in Christo differentia liberi & serui, Græci & Barbari, circuncisi & habentis præputium, mulieris & uiri, sed cuncti in Christo unum sumus, uniuersi ad dei regnũ uocamur, omnes post offensam patri nostro reconciliandi fuimus. Pro omnibus saluandis illuxit non tantum Iudæis in angusto Iudæorum loco, sed in totam terram: non tantum nobilibus, patriarchis, & magnis principibus, sed usq; ad seruorũ quoq; genus illustrata est gratia dei: qui sic mundum dilexit, ut filium suum unigenitum, non adoptiuum, quales sunt electi omnes, daret, ut credentes in eum, habeant uitam æternam. Dicitur autem dei saluatoris gratia, uel quod dei patris uiuens & subsistens gratia ipse sit Christus: uel, q; Christi dei saluatoris gratia & nõ nostro merito saluati sumus. Quæ gratia omnibus hominibus ideo illuxit, ut erudiret nos de uia salutis, de euangelio regni cœlorum, de uero dei cultu, de bonitate dei ad genus humanũ, declarans nobis domini dei uolũtatem, & legem inditæ à principio naturæ, declararet & reuiuiscere

faceret in toto mundo per regnum Christi, promissum à condito primo homine & lapsu, non tantum Israelitis, sed omnibus hominibus. Erat enim ex isto tempore benedictio promissa omnibus gentibus, unum denuo deum uno humero culturis in spiritu & ueritate. Abnegando impietatem, reijciendo idololatriam, diaboli malitia introductam, suscipiendo uerum dei cultum, qui est pietas, & sacra deo placens religio. Sæcularia quoq; desideria plurimum execrando: ut quanto studio idola auersati sumus, cum tanto sæcularia itidem desideria in uniuersum fugiamus. Et hæc enim idola Apostolus nũcupauit, quippe auaritiam, idolorum seruitutem dicens: & quæ in præsenti sæculo utilia habentur, sæcularia desideria sunt: nihil igitur sanctis commune sit cum sæculo. Sobrie ergo uiuendum nobis, non solum abstinentia fornicationis, sed & reliquarum perturbationum, quales sunt pecuniarum amor, qui importunior est & illiberalior, q̃ amor corporũ, cum minorem habeat ex natura uim impellendi. Illa enim necessario nobis inserta est, & proculdubio maiore cum labore corrigitur: hęc non nisi ab illiberalibus, & humana stultitia uoluntarie ascisciturtur. Mulierum uero nunquam non fuit homini commissa societas, & casta generatio cum claritate fuit. Studiosus autem pecuniarum cõgestor omnibus execrabilis semper fuit: quandoquidem & sapientes pecunias contempserunt, mulieres non ita. Christianorum ergo est, ut habentes cibos & tegumenta, his cõtenti sint. Hoc est esse sobrium. Iuste autem uiuere, est charitatem seruare ad proximum, id est facere quod uelis tibi fieri, ab oĩa iniuria temperare in uerbis & factis, officio adesse, ut fratri frater, cõmutationibus rerum minime mutuum grauare, sed uincere, si necesse sit, malum in bono, in una charitate totam dei & naturæ legem obseruare. Pie autem uiuere, est fide uera ex domino deo creatore & omnium prouisore tota fiducia pendere, ut summã bonum admirari, credere, desiderare, & ueneratari, prouidentia sua niti, & cum gratiarumactione amplecti, quicquid uniuersali ordine suo & sacrosancto de nobis statuerit. Hæc est uera pietas & dei cultus. In hoc, inquit, sæculo, dum hic uiuere nos uult dominus, sic uiuendum erit. Spes autem fidelium, est præmium laborum in sæculo animarum electarum, status omnium bonorum aggregatione perfectus, ubi fidei, spei & charitati succedet uisio, tentio & fruitio.

13 Expectantes beatam spem, & illustrationem gloriæ magni dei, & seruatoris nostri Iesu Christi.

Impietas magni dei reformidat aduentum, secura autem de opere suo, & deo, illum pietas præstolatur. Dicens autem gloriam magni dei & saluatoris nostri Iesu Christi: ostendit patri filium non esse iuxta deitatem minorem, sed eiusdem gloriæ & honoris. Magnus in deo cum dicitur, non relatiue ad aliquid, sed absolute omnino dicitur magnus & incomparabiliter. Duos autem hoc loco ostendit aduentus, duo enim re uera sunt. Gratiæ prior & humilis, sequens uero retributionis, iustitiæ atq; gloriæ. Prior in humanitate, ad docendum iustitiam: secũdus, ad gloriæ suæ declarationem, ut omnis aspiciat mũdus magnitudinem diuinam eius, quem conspexerunt transfixum in cruce, seruatorem fidelium, euangelio credentium. Potest enim ita legi, ut utrunq;, Magni dei & saluatoris, pertineat ad Christum: aut ut prius pertineat ad patrem, posterius ad Christum. Sermo autem anceps est & ambiguus, ex æquo pertinẽs ad sensum utrumlibet. Vnde non tuto ex huiusmodi locis agitur cum hęreticis, nec necessario, cum extent loci patentiores & multi ad probandum uerbi dei incarnati diuinitatem & consubstantialitatem.

litatem: de quibus ibidem: maxime quum diuus Ambrosius hunc locū sic exponat, Hanc esse beatam spem credentium, qui expectant aduentum gloriæ magni dei, quandoquidem reuelari habet iudice Christo, in quo dei patris uidebitur potestas & gloria, ut fidei suæ præmium consequantur. Ad hoc enim redemit nos Christus, ut puram uitam sectantes, repleti bonis operibus, regni dei hæredes esse possimus.

Qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquita 9
te, & mūdaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorū operum.

A patre quidē traditus est ex maxima charitate electis ad salutem, ipse tamen Christus factus est deo patri obediēs usq; ad mortem. Et sponte animam suam posuit pro ouibus suis, tradens corpus suum crucifigendū, & sanguinem effundendum, ad remissionem omnium peccatorum eorum, qui illi crediturí essent, & uestigia sequuturi. Spontaneam mortem suam multipliciter ostendit, offerens se manibus Iudæorū, non effugiens prostratos cum Iuda traditore, prohibens Petrum à defensione, & prædicens discipulis cum ascenderet Hierosolymam. Pro nobis non tantum apostolis et discipulis, sed pro omnibus credentibus in nomine eius, ut redimeret nos non tantum qui tunc erant, sed futurí usq; ad mundi finem, & qui à primo homine usq; ad Christum electi uixerāt, quos dominus nouit qui nosce debet, nostrum est credere nos redemptos per Christi gratiā & opera, per mortem & crucem illius ab omni iniquitate, nihil excipiendo præter peccatum in spiritum sanctum, quod aliās Christus dominus legitur excepisse, contemptum scilicet diuinæ gratiæ & clementiæ, & infidelitatem ex data opera, non ex ignorātia, uel mentis alienatione naturaliter proueniente. Ipse populum suum mūdat, non quispiam sacerdotum, nec seipsum quicunq;. Christus est saluator animarum, & agnus tollens peccata mundi, solus innocens, & sine peccato homo Christus Iesus, ut iustus satisfaciat, & sequester existat, qui maxime diligi dignus est, inter deum & homines. Ad hoc autem mūdat, ut acceptabilis sit: & ad hoc eligitur uel acceptabilis est, ut mundētur: utrunq; enim dei clementiæ adscribendū, non meritō operum. Quanquam huiusmodi suos electos & redemptos, uelit esse sectatores bonorum operum. Non enim uiuit fides sine bonis operibus, & fructibus carens arbor, mala ostenditur. Cum uero sanos fructus profert, satis apparet uiuacitas fidei. Profert autem fructus operum uere bonorum, non quæ humana excogitat temeritas, sed quæ domino placere certo nouit ex uerbo suo. Sectatorem autē addit, hoc est magna cum alacritate, & ingenti studio, & animo uirtutis operā capessentem qua: in re uehementia quædam adsit necesse est omnino laudabilis, quam dei gratia largitur orantibus.

Hæc loquere & exhortare, & argue cum omī imperio. Nemo te con- 10
temnat.

Hæc loquere quæ à me didicisti, de spiritu Christi qui in me loquitur, & iuxta scripturas sacras & uerbum domini, instituendo in timore dei omnes hominum status, iuuenes & senes, mulieres & uiros, ut sciant in quo domino cōplacere deant & possint. Nec tantū sciant, sed exhortare quoq; studiose, ut quod sanctum edocti intelligunt, hoc sedulo uelint, & exequantur quod bonum est. Quod si rebelles & immorigeros quosdam pro more gentis uel prauæ consuetudinis deprehendes, hos argue: & quia ingenium illorum fortassis pigrius est, argue eos non simpliciter, sed cū omni imperio. Sunt enim peccata quædā quæ etiā imperijs arcere oportet, ut sunt adulteria, rapinæ, usuræ, blasphemiæ. Modestia uero & man-

ſuetudo perſuaderi exhortationibus poteſt. Denicq; ſi quis cõſolationem contem
pſerit uel exhortationem, increpatione ſit dignus: inſtãdum eſt enim opportune
& importune, increpandum & conſolandum. Nemo te contemnat. Talem te ex-
hibe uerbo & uita, ut regimen tuum, exhortationes & correptiones cum doctri-
na nemo contemnere poſſit. Et ſubditis quoq; iniungitur, ne magiſtrum morum
& diſciplinæ uiliter tractent, ſed duplici honore dignum ducant. Non arbitren-
tur humana eſſe quæ loquitur, ſed quaſi ſermones dei. Qui enim tales ſpernit,
dominum ſpernit: quandoquidem apoſtolorum diſcipulus aliud nõ loquitur uel
ordinat, q̃ quod à domino ſuſceptum eſt: non ſe talem exhibet, qui merito poſſit
contemni: nec tamen ob id ille ſe meliorem eſſe confidit eo quem inferiorem pu-
tat: nec ſubditorum quiſquam meliorem ſe eſſe credere poſſit, ob ineptiorem ui-
tam & conuerſationem epiſcopi. Prouidere enim ſummopere debent presbyteri
& diaconi, ut cunctum populum cui præſident, conuerſatione & ſermone præce
dant. Vehementer enim eccleſiam deſtruit, meliores laicos eſſe uel uideri quàm
clericos.

CAPVT III.

1 ADmone illos, principibus & poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto
obedire, ad omne opus bonum ſint parati.

Iudas Galilæus dogma falſum perſuaſerat multis Iudæis ſectatori-
bus, nullum debere dominum, niſi ſolum deum uocari, & eos qui ad templum de
cimas deferrent, Cæſari tributa non reddere. Quæ hæreſis in tantum creuerat, ut
& phariſæorum & populi multam partem conturbaret, ita ut ad dominũ quoq;
noſtrum referretur hæc quæſtio: quibus reſpondit, dandum Cæſari quæ Cæſa-
ris ſunt, & quæ eſſent dei deo. Cui reſponſioni Paulus cõgruens docet, principa-
tibus & poteſtatibus obediẽdum eſſe à credentibus. Sed quia poterat his qui tor-
menta formidant, occaſio dari ad negandum, & facere quicquid iuberent, ideo
ſubiecit, Dicto obedire ad omne opus bonum. Si bonum eſt quod præcipit pote
ſtas, iubentis obſequere uoluntati: ſi uero malum & contra deum ſapit, reſponde
ei, Obedire oportet deo magis q̃ hominibus. Hoc ipſum & de ſeruis intelligamus
apud dominos, & de uxoribus apud uiros, de filiis apud parẽtes, ne obediant con
tra dei mandata. Paratos autem eſſe ad opus bonum uult, ut ſponte, hilariter ci-
toq; accingantur ad obedientiam, ne cunctabundi offendant, & peius habeant,
odium præ ſe ferentes, & animum non morigerum. Quin & parati eatenus ſint,
ut omnia quæ euenire poſſunt, ſibi in animo præfigurent, ut quum acciderint, ni
hil quaſi nouum ſuſtineant. Hæc autem Paulus admonenda cenſuit, ne quis ex
Chriſtianorum moribus anſam arripiat euangelium contemnendi. Id autem fie-
ret, ſi qui fungũtur publicis muneribus, ſentiant nos ob profeſſionem ſuſceptam
cæteris eſſe ſeditioſiores ac ferociores, & minus dicto obedientes. Non enim ideo
liberos ſe credant à publicis legibus & authoritate principum, imò tanto magis
cõuenit illos obtemperare, ut non coacti metu pœnæ, ſed ſponte, quod honeſtum
exequi uideantur. Si recte imperant, iniquum eſt & peſſimi exempli, non obſe-
qui: ſin durius imperant, & inclementius premant, Chriſtiana lenitate ac toleran
tia uincant in bono malum. Quicquid imperant, quod non adimat nobis pieta-
tem, in eo eſt obtemperandũ. Adimunt facultatem, ſed creſcit pietatis theſaurus:
eiiciunt in exilium, ubicq; eſt Chriſtus. At dixerit aliquis, Impij ſunt, ſimulachro-
rum cultores, manifeſtis ſceleribus inquinati, hoſtes noſtræ religionis. Suo perí-
culo tales ſunt, non eſt noſtrum illos condemnare, ſed, ſi licet, emendare. Melius
autem

autem iustis obsequijs lenitateq; & exemplo bonæ uitæ emendantur, q; rebellione & conuitijs. Illos suo iudicij relinquamus, nos quid nobis dignum sit meminerimus.

Neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.

Absolute Neminem dicit, non angelum, non aliquam creaturam dei, omnia quippe bona dei creatura sunt. Blasphemare Christi discipulos nõ oportet, quandoquidem Michaël cum diabolo disputans de Mosis corpore, non fuit ausus diabolo maledicere, sed dixit, Imperet tibi deus. Christus deprecatus est pro conuitiantibus, tantum abest, ut maledicta regesserit. Qui conuenit igitur, ut huius discipuli in quenquam sint contumelioſi aut litigium amantes? Quin potius ad exemplum eius cuius nomen profitentur, præbeant se humanos, omnem mansuetudinem exhibẽtes: non solum erga probos ac meritos, uerumetiam erga omnes homines. Erga probos, quia merentur: erga improbos, ut resipiscant, & ne probabiliter irritati peius sentiant de religione Christiana. Omnia suffert, omnia sperat Christiana charitas. Ostendentes, inquit, non quod uanæ gloriæ desiderio nos esse mansuetos hominibus ostendere debeamus, sed dum omnes ferimus, & iniuriæ uicem non repẽdimus, ipsa opera notiora uniuersis fiant, & sint alijs in exemplum, & pacis continuæ seminaria, dum Christi exemplo & doctrinis fideliter obeditur.

Eramus enim aliquãdo & nos insipientes & inobedientes, errantes, seruientes desiderijs & uoluptatibus uarijs, in malitia & in inuidia agentes, odioſi, odientes inuicem.

Tales, ut est dictum, oportet nos esse ad omnes, mãsuetudinem modestiamq; seruare. Nam qui eiusmodi antea fuerat, eo errore liberatus, eos qui sunt huiusmodi probris afficere non debet, sed pro illis orare, & gratias referre deo, qui & sibi & illis dedit, ut liberi prioribus malis euaderent. Nemo glorietur, omnes quippe peccauimus. Quoties igitur cuiquam exprobare uolueris, teipsum prius priorem q; tuam inspice uitam, incertumq; futuri cõsiderans, impetum contine. Etsi enim à prima statim ætate cum uirtute uixisti, habes tamen peccata plurima. Quod si fortè non habes, uel potius habere te non putas, animaduertas id opus nõ tuæ esse uirtutis, sed diuinæ potius gratiæ. Nisi enim maiores tuos proauosq; uocasset, & ipse profecto infidelis atq; incredulus perstitisses. Quod si quem moueritquomodo se fuisse dixerit stultũ, incredulum, errantem, &c. An non Paulus uidetur fuisse stultus, quãdo habebat zelum dei, sed non secundũ scientiam? Et persequebatur ecclesiam, & lapidantium Stephanum uestimenta seruabat, cum in tantum odij contra saluatorem instigatus exarserit, ut literas à sacerdotibus acciperet, pergens Damascum, ad eos qui in Christum crediderant uinciendos? Aut ullas poterat habere uirtutes, sine uirtute dei Christi Iesu, aut æstimãtem flammam restinguere uoluptatis, cum non esset templum dei? Quę autem maior potest esse malitia & inuidia, q; contra absentes epistolas sumere, & ubiq; Christi uastare discipulos? Nolle ipsum saluum fieri, & cæteris qui salui esse poterant, inuidere? odisse Christianos, & consequenter ab omnibus odium promereri? Quis autem maior error, inobedientia & uecordia, q; postquam respirauit dies, & præterierunt umbræ, legem abolitã uelle seruare, & dicere, Ne attrectaueris, ne contigeris, ne gustaueris, & apparente solido cibo & uirili, infantiæ lacte cupere potari? Sic ergo Paulus dicere uoluit, Quanquam enim nos qui ex Iudaismo uení-

mus ad euãgelium, non coluimus idola, tamen eramus olim grauibus alioqui uitijs obnoxij. Porrò quod nũc pro ſtultis & uecordibus ſobrij ſanicq; ſumus: quod pro rebellibus, mites ac tractabiles: pro errantibus, ueritatis gnari: pro mancipijs cupiditatum, ſpontanei cultores iuſtitiæ: pro malitioſis, ſimplices & benigni: pro inuidis, benefici: pro oſoribus, etiam ijs bene uolẽtes qui nobis male uolunt: non debemus legi, neq; noſtris meritis, ſed gratuitæ bonitati dei, qua cupimus, ſi fieri poſſit, omnes nobiſcum gaudere communi ſalute, utq; omnibus illuceſcat euangelij ueritas, quemadmodum illuxit nobis.

4 Cum autem benignitas & humanitas apparuit ſaluatoris noſtri dei, non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit.

Benignitas hic accipiatur illa morum commoditas, facilitas & ſuauitas, qua qui præditi ſunt, cum ijs omnes cum uoluptate conuerſamur, ipſorum conuictu mire oblectamur. Ferre eñ, qui huiuſmodi ſunt, quoslibet poſſunt ſine moleſtia, neminem contemnunt, neminem amarulentis difficilibus aut incompoſitis moribus à ſe propellentes, non ſunt aditu difficiles, ſed omnibus cum honeſtate expoſiti. Humanitas autem hic ſignificat nihil aliud q̃ hominum amorem. Hoc nomen & huiuſmodi amorem Apoſtolus hic deo noſtro tribuit, dicẽs, Non ſic beneficum modo, commodum & ſuauem in euangelio filij ſui ſeſe nobis exhibuit, quæ ferre quoslibet poſſit & uelit recipere, ſed etiam adeo amans noſtri eſt, ut ultro ſe nobis adiungat, quærat nobiſcum agere, gratiam ſuam ultro nobis offerat, & humaniſſime amplectatur, quotquot eam non ſpernunt. Iſtis uero duobus uerbis, tanta dei ad nos gratia deſcribitur, ut deus non ſolum remittat peccata, ſed ſimul cupiat nobiſcum uerſari, & plane amici erga nos munere fungi, paratus & ultro ſe offerens, in omnibus nos iuuare, plura quoq; q̃ petere poſſimus beneficia impartiri, ut de eo non ſecus præſumamus atq; de coniunctiſſimo & maxime familiari amico, qui delicias ducat nobis benefacere. Hic quoq; ſaluatoris nomen nõ proxime ad Chriſtum refertur, ſed ad deum patrem, deum noſtrum, qui ſaluauit nos tradendo in mortem proprium ſuum filium, cuius gratia renati ſpiritum ſanctum accepimus. Non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos. Non tantũ damnat Apoſtolus mala opera, ſed etiam iuſta, ſiue quæ in iuſtitia feciſſe nos credimus, quum à iuſtitia longe abfuerint, ut etiam nos gratia dei reddiderint ineptiores, ſi quidem fallacia ſunt: ad quę nos hoc peccatum addimus, quod iuſta arbitramur, & ipſis fidimus, quod abominatur deus. Non tamen ob id nos deus reijcit, ſed miſericordia ſua hoc errore & peccatis liberauit. Sic nos quoq; proximos debemus diligere, & nullo habito reſpectu male aut bene meritorum, ipſis benefacere, officiorum gratiam non ab ipſis, ſed ab uno deo expectãtes. Adeo igitur gratiam dei extollit, ut præ ea cuncta noſtra opera & iuſtitiam damnet, ſolamq; uult noſtram iuſtitiam ueram, eſſe ſuam gratiam, dum eius per fidem reddimur compotes. Verum duplex eſt intelligenda iuſtitia, una per dei gratiam, alia humana, quam philoſophi aliqui meliores docuerũt & ſeruarũt, de Chriſti gratia nihil edocti, quam & Paulus olim habuit, uitam ſcilicet inculpatam, & legi reſpondentem: quam uitam poſtea duxit pro ſtercore, comparatione illius, quã in Chriſto aſſequutus eſt,

5 Sed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit, per lauacrum regenerationis & renouationis ſpiritus ſancti.

Cum eſſemus peccatorum noſtrorum meritis, & legis tranſgreſſione, quam ſine charitate & fide obſeruare non poteramus, iudicio dei iuſto damnandi, & to

tus

tus quoq; esset hic mundus grauibus onustus criminibus, & cæca gratiæ diuinæ ignoratione, stultus & prorsus insipiens, quin & qui meliores habebantur, operibus legis in speciem factis, sese iustificandos putarent, Christo domino misso, et pro mundi peccatis oblato, sacrificium deo dignissimum patri, saluos nos fecit deus. Nos, inquit, qui in ipsum per Christum credimus, & suam magnam misericordiam agnoscimus & appretiamur, omne bonum nostrum quod uel speramus uel consequimur in Christo renati, suæ tantũ misericordiæ referamus acceptum. Qui cum inimici essemus, & nihil curantes de illius uoluntate & gloria, saluatorem mundi misit, in quo mundus recrearetur per gratiam, qui fuerat per potentiam creatus. Lauacrũ autẽ regenerationis aliud nõ est, nisi uirtus meritorũ passionis Christi, & effusionis sanguinis in remissionem peccatorum: in qua morte & sanguinis effusione baptizamur per fidem sub typo baptismi, quem ad id significandũ instituit, ut perpetuò memores mortis suæ, ex uoluntate patris, gratiam ipsius mortificaremus, & ad omne bonũ opus illius sanguine mundati per fidem feruentiores redderemur. Attendentes misericordiam dei, qua in ablutionem faciendam in aqua, mysteriũ exhiberet salutiferæ effusionis sanguinis Christi iam peractæ, quale prius erat legale sacrificium pro peccatis, non sine sanguine consumandum. Vt & renouetur per spiritum sanctum interior homo, non iam timore legis & pœnarum, sed amore filiali per gratiam infuso, cupiat obsequi charissimo & indulgentissimo patri, qui spiritum filij sui immisit in corda fidelium, clamantis, Abba pater. Is enim spiritus sanctus fideles renouat, ut fiant noui homines, & ad omne dei beneplacitum propensissimi: nihil iam timore agentes pœnarum, sed omnia uirtutis amore. Tales enim facit gratia dei in Christo baptizatos, & instructos uirtute fidei: qui baptismus adultis nunquam nisi præmisso catechismo sufficienti & diligenti præbebatur. Infantes autem ab ipsis apostolorum temporibus, ea conditione baptizabantur in fide parentum, & intra gremium ecclesiæ suscipiebanť, ut tamen promitterent suis olim temporibus magna solicitudine curaturos, ut legitime in fide Christiana & sanctis moribus instituerẽtur. Id quoque à sanctis episcopis perquirebatur, si fieret suo tempore, & uel reprehendebãt desides, uel studiosos commendabant, & confirmabant non tantũ unctione olei, sed multo magis exhortatione & doctrina, quibus ecclesias uisitabant. Tandem euasit, ut omnia ferè alia, in quæstum & ceremonias meras, sine omni usu & uirtute uerbi uel spiritus. Alioqui non est intermittenda confirmatio fidelium nouorum in fide, sed non nisi uerbo & exercitio doctrinæ. Quãdoquidem & ad se pueros uocat Christus, non ut ungat oleo, sed spiritu sancto imbuat, quod fit per uerbum dei, statim ut id capere poterunt, secundum gradus intelligentiæ humanæ, succrescentis secundum ingeniorum rationem & instructionem studiosam.

Quem effudit in nos abũde per Iesum Christũ saluatorem nostrum. 6

Per hũc Christi spiritum tam copiose infusum apostolis & credentibus, innouati sunt, ut desinerent esse carnales, & amatores huius mundi, & quæ in mũdo sunt uitiorum carnis: quę licet cogamur sentire, donec uiuimus in hac carne, per spiritum tamen Christi exhorrescimus & odimus, semperq; domini gratiam & indulgentiam imploramus. Spiritu uiuere cupiẽtes & fieri spirituales, & opera spiritus tentantes pro omni uiribili nostra & studio, quod orationibus perpetuis, pijssimisq; uotis semper ambire debemus. Quicquid autem sumus uel agimus boni, totum illi debemus, qui spiritum suum, quem lex dare nõ poterat, sed gratia dei, quibus uolebat etiam patribus largiebatur, affatim & ditissime effudit in nos, nihil promeritos. Effudit autem per Iesum Christum seruatorem nostrũ, per quem

nobis omnia largire placuit, ut illius beneficio purgati à priſtinis peccatis, tam naturæ q̃ propoſiti, bonis operibus nitamur eſſe idonei miniſtri dei, & Chriſti domini cultores digni. Quanquam autem ſine ſpiritu ſancto & ſpiritu Chriſti non fuerint electi ueteris teſtamenti, longe tamen celebrius & plenius apoſtolos imbuit & fideles per acceptam Chriſti gratiam, quàm dum adhuc promiſſa haberetur benedictio per fidem in Chriſtum ſaluatorem iam crucifixum.

7 Vt iuſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundū ſpem uitæ æternæ.

Nullis nec noſtris nec patrum meritis, & legis quibuſcunq; operibus iuſtificamur, eatenus ut digni cœleſti regno ſimus. Quicquid enim boni agimus, hoc domino obligamur: & idipſum non ſine peccato & defectu tranſigimus, nec ſine inſtinctu diuinæ gratiæ uel proponimus uel complemus. Vt nihil gloriari debeamus, ſed potius oremus ſemper, ne introëat nobiſcum in iudicium dominus, tantum abeſt, ut digna quæ agimus tanto præmio arbitremur, ſed gratia dei & beignitas eſt, per quam ſaluabimur, imò ſalui ſumus per fidem ueram & uiuam in Chriſtum: certi de beatitudine, quia Chriſtum ſponſorem tenemus, & ſaluris noſtræ pignus, cuius fratres per humanitatem facti, etiam cohæredes ſumus bonorum ſuorum. Non ut in præſenti uita poſſideamus tanta bona, ſed per fidei & ſpei arram, quæ per charitatem operatur, ea quæ deo placent, ſpiritu Chriſti nos uiuificante, & promouēte ad omne bonum & ſanctum per ſpiritum operantem. Certiſſima enim nobis ſpes eſt hæreditatis poſſidendæ in cœleſtibus, ſi Chriſti ſpiritum ad ſancta dei opera ſolicitantem in nobis ſentimus, & in uerbo dei ſolatium fidei & ſpei haurimus, ut per huiuſmodi ſpem hæreditatē nobis certo polliceamur uitæ immortalis per doctrinam euangelicam, ex ſacris propheticis ac apoſtolicis literis hauriendam.

8 Fidelis ſermo eſt, & de his uolo te confirmare, ut curent bonis operibus præeſſe qui credunt deo.

Hęc autem uera eſſe etiam ex præteritis conſtat. Qui enim nos per filiū ſuum iuſtificatos tantis malis exemit, liquet profecto, quod futura quoq; nobis bona omnia largietur, in ea quam præſtitit gratia perſeuerās. Eadem enim prouidentia cuncta operatur. Dignus ergo dei ſermo, ſuper hæreditate filiorū dei & fratrum Chriſti, deq; ſpe uitæ æternæ: unde oportet de his non dubium, non timentē eſſe, ſed firmiter credere, & ut cæteri quoq; credant, & Chriſti miſericordiam & gratiam aſſequātur anniti. Hæc pro Iudaicis fabulis inculcet epiſcopus Chriſtianus, ſunt enim certa & indubitata. Nihil autem ſupereſt nobis, niſi ut ipſa deinceps uita dei beneficio reſpondeamus, alioqui nihil nobis profuerit euāgelica profeſſio. Quare de his quoq; confirmes & aſſeueres uolo, quæ uehementer ad rem pertinent, ut qui ſemel crediderunt deo, quod illius gratuita clementia ſint redempti à peccatis, quod is immortalitatis coronam daturus ſit omnibus, qui pietate uitæ Ieſum Chriſtum ſtudeant, cum illius gratia & auxilio æmulari, ut ſic uitam tranſigant, ut & profeſſione & tantis promiſſis non indigni uideantur. Vt uero maiorem fidem faceret, non dixit, Qui credunt hominibus, ſed, Qui credunt deo. Neceſſe eſt enim, ut curam bonorum operum habeant, quæ adimpleta & omni ſtudia perpetrata, bona quidem ſint credentibus, ſed ex gratia Chriſti iuſtificantis, non ex operibus, quæ fructus ſunt iuſtitiæ, non ipſa iuſtitia. Hæc autem non ſolum ornabunt & commendabunt euangelicam profeſſionem, ut per ſe honeſta, uerumetiam ut utilia, ad pertrahendum alios ad Chriſtum, & ad opitulandū iis qui premuntur aliqua calamitate. Chriſtianiſmi enim caput eſt, prodeſſe multis, &

& beneficijs uincuntur & manſueſcunt etiam feræ.

Hæc ſunt bona & utilia hominibus, ſtultas autem quæſtiones, & ge- 9
nealogias, & contentiones, & pugnas legis deuita, ſunt enim inutiles
& uanæ.

Hęc documẽta de fide catholica in Chriſtũ iuſtificante, de charitatis operibus ex fide promanãtibus, de gratia dei ad genus humanũ per Chriſtum, de ſpe futu ræ felicitatis, non ex meritis obtinendæ, ſed nec ſine ſanctis operibus à deo man datis aſſequendæ, q̃ ſine operibus uere bonis fides conuincat non eſſe fides, ſed mortua. Hæc, inquit, & huiuſmodi bona ſunt, & ad pietatem pertinentia in eccle ſijs docenda. Stultas uero quæſtiones eorum qui non in omnibus deum quærũt, & gloriam ueram, cum ſalute animarum, de fide uera & ſanctis moribus, has ex pedit negligere. Sunt enim philoſophorum, Iudæorum & hæreticorum uariæ & fatuæ quæſtiones, à quibus Paulus reuocat Chriſtianos. Verum ad ſapientes, & quæ ſcripturarum authoritate ſunt fultæ, magis cohortatur & prouocat, præce ptorum non neſcius: de quibus ait, Quærite, & inuenietis, & pulſanti aperietur. Modo non ſit corpus noſtrum ſubditum peccatis, & ingredietur ſapiẽtia, ut exer ceatur ſpiritualis ſenſus: mens ipſa quotidie diuina lectione paſcatur, & tunc no ſtræ quæſtiones non erunt ſtultæ. Quod autem ait, Genealogias & contentiones & rixas, quæ ueniunt ex lege, deuita, propriè Iudæos pulſat, qui in eo ſe iactãt & putant legis habere notitiam, ſi nomina teneant ſingulorum. Superſtitioſa quoq̃ innumera protrahunt ex lege commenta de ceremonijs, de temporibus, de cibis, ueſtimentis, ieiunijs. De quibus Thalmudica multa commentaria ſecũdum tem pora ſcripſerunt, ſtulta & deo indigna, ex quibus facilius confundi poteſt Iudæo rum prauitas & perfidia, q̃ ex propheticis ſcripturis, quas deprauãt malitioſe & Thalmudicis ſuis hæreſibus ſtultiſſimiſq̃ diſputationibus. Argumentationum quoq̃ retia tendere, de rebus omnibus nectere quæſtiones, & in dubia reuocare clariſſimas ueritates more philoſophorum & ſophiſtarum, qui non tam ratione & authoritate ſacra, q̃ ſtomacho diſputant litigantium, Chriſtianiſmus ſyncerus contemnit. Rixas legales inanes & uanas reſpuit, tantũ ſpeciem ſcientiæ haben tes, nec dicentibus nec audientibus proſunt. Frequẽter accidit, ut habeamus pu gnas legis, non ob deſiderium ueritatis, ſed ob iactantiam gloriæ, dum apud eos qui audiũt docti uolumus æſtimari, aut certe ex hoc rumuſculo turpia ſectamur lucra. Quid enim prodeſt ſpumantibus labijs, & latratu canum garrire, cum ſim plex & moderata reſponſio aut poſſit te placare, ſi uera eſt, aut ſi falſa, leniter à te & placabiliter emendari.

Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem deuita, 10
ſciens quia ſubuerſus eſt qui huiuſmodi eſt, & delinquit, cum ſit proprio
iudicio condemnatus.

Quanquam hæreſis Hieronymo ab electione dicatur, quãdo id ſibi quiſq̃ eli git docendum ac defenſandum, quod ei melius eſſe uideatur. Vere tamen is eſt hæreticus, qui certa malitia ob gloriam aut quæſtum aliámue cauſam turpem, pa ratus eſt etiam admonitus claris ſcripturis ſacris, tueri quæ ſcit eſſe falſa. Hos ubi ſemel atq̃ iterũ corripueris, ceu factioſos & inſanabiles obmitte & deuita, quan do iam animo decreuerunt, quodcunq̃ dixeris ſuam non mutare ſententiã. Fru ſtra ergo laborares inter ſaxa ſeminare contendens. Neq̃ de his loquitur, de qui bus corrigendis ſupereſt ſpes, aut de his qui ſimpliciter reluctantur, non auerſan di affectu, ſed ſtudio diſcendæ ueritatis. Sed de his qui prouocati ſermonibus, ma

gis nocere deſiderant: & cum ſanari non poſſunt, monitorem protrahunt in errorem: quorum non eſt humanus error, ſed peruerſitas inſanabilis, quæ remedijs exaſperatur. Proinde qui ſemel atq; iterũ increpitus, pergit nihilominus ſui eſſe ſimilis, hunc ut deploratum ac penitus ſubuerſum, ſuo morbo relinquito: nec eſt allaborandũ ut illum condemnes, quum ipſe ſuoipſius iudicio ſit condemnatus. Si perit, ſuo uicio perit: non enim habet quod prætexat, Inſcius erraui, nemo me monuit. Quid autem facias ægroto, qui pharmacum reijcit? Fortaſſis cõtemptus ac neglectus reſipiſcet: ſin minus, certe minus multos afflabit ſui morbi cõtagio. Aut ſuo arbitrio de eccleſia recedens, propria ſe conſcientia damnatum oſtendit.

11 Cum miſero Artemam ad te aut Tychicum, feſtina ad me uenire Nicopolim, ibi enim ſtatui hyemare.

Cretenſibus conuerſis inſtituit apoſtolicum hunc Titum, ut ea quæ adhuc in eccleſijs illis deeſſe uidebantur corrigeret, iam nunc alijs quoq; eccleſijs neceſſarius euocatur, ſed non antequam Artemam mittat uel Tychicũ, implendo locum illius. Vnde paternos Pauli in Cretenſes probantur affectus. Neceſſarium habet Titum in euangelij miniſterium, ſed non uult uenire eum, niſi prouiſis eccleſijs. Nicopolis autem hæc eſt in Thracia, quæ ob uictoriam Auguſti, quod ibi Antoniũ Cleopatramq; ſuperarit, illud ſibi nomẽ accepit. At ne quid (ait) uerearis, ne me aliò profecto, fruſtra huc te cõtuleris: decretum eſt mihi, proximam hyemem hic agere.

12 Zenam legiſperitum, & Apollo ſolicite præmitte, ut nihil illis deſit.

Iſte eſt Apollo, de quo & ad Corinthios ſcribitur, Vnuſquiſq; ueſtrum dicit, Ego Pauli &c. Fuit autem uir Alexandrinus ex Iudæis ualde eloquens, & perfectus in lege, epiſcopus Corinthiorum, quem propter diſſenſiones, quæ in Corintho erant, ad uicinam inſulam Cretam cum Zena legisdoctore putandũ eſt transfretaſſe, & Pauli epiſtola diſſenſionibus quæ Corinthi orta fuerant temperatis, rurſum Corinthum reuertiſſe. Zenam uero legisdoctorem, de alio ſcripturæ loco quis fuerit non poſſumus dicere, niſi hoc tãtum, quod & ipſe apoſtolicus uir, id operis quod Apollo exercebat habuerit. Præcipit itaq; Tito, ut quoniã de Creta ad Græciam nauigaturi erant, non eos faciat ſitarcijs indigere, ſed habere ea quæ ad uiaticum neceſſaria ſunt.

13 Diſcant autem & ueſtri, bonis operibus præeſſe ad uſus neceſſarios, ut non ſint infructuoſi.

Noſtros, ſuos uocat, qui in Chriſto crediderant, recte & Pauli & Titi appellari merebantur. Habes, inquit, in diſcipulos poteſtatem, doce eos non eſſe infructuoſos, ſed euangeliſtis & apoſtolicis uiris, qui bonis operibus ſeruiũt, miniſtrare in neceſſarijs uſibus. Si, inquit, hæc humanitatis officia præſtãtur ab ethnicis, ut hoſpitem bene meritum honoris gratia deducãt, ac uiaticum comeatumq; ſuppeditent abeunti, æquum arbitror, ut noſtri quoq; in Chriſto diſcant talibus officijs uti, ut benemeritis gratiam referant: non ut illos ſua liberalitate locupletent, ſed ut quę ad neceſſarios uitæ uſus pertinent, ſuppeditent cum erit opus. Necq; enim conuenit, ut cum ij qui à Chriſto ſunt alieni, tamen natura magiſtra norint rependere gratiam ijs à quibus beneficio ſunt adiuti, Chriſtiani ſteriles & infrugiferi ſint erga eos, quorum tantam beneficentiam ſint experti. Omnis enim arbor quæ nõ facit fructum bonum, excindetur, & in ignem mittetur. Et qui parce ſeminat, parce & metet. Apoſtolicis uiris & euangelizatoribus Chriſti in neceſſarijs uſibus nolle tribuere, ſterilitatis ſeipſum eſt condemnare. Hæc ferè Hieronymus.

Salutant

Salutant te qui mecum ſunt omnes. 14

Vel ſolita conſuetudine uſus eſt, ut Titum ab omnibus qui ſecum erant dicaret ſalutari: uel certe proprie in Titum, quod talis eſſet, ut amorem eorũ qui cum Paulo erant omnium mereretur. Magna uero laus eſt Titi, per Paulum ab omnibus ſalutari.

Saluta eos qui nos amant in fide. 15

Si omnis qui amat, amaret in fide, non appoſuiſſet Paulus amori fidẽ. Amant matres filios, mortem paratæ oppetere pro illis: & uxores nonnunquam maritis commoriuntur, ſed non amore qui fidei ſit. Sola ſanctorum dilectio in fide ſit, etiamſi infidelem diligere uelit, ſed ut fidelis fiat, ſecundum illud, Omnia ueſtra in fide fiant. Diligit ſanctus inimicos ſuos, quia in fide diligit, & propter deũ in Chriſto, qui pro inimicis mortuus eſt, quem & retributurum pietatis mercedem non dubitat, dilecturus etiam ſine mercede propter deũ, cui in hoc ſeruit deuote obediendo. Sed nunquid non etiam ſalutandi ſunt qui non amant? Vtiq; in domino omnes fratres ſunt, ideo omnes, non tantum amici. Chriſtus pro hoſtibus & inimicis ex amore mortuus eſt: ſic nos amare debemus etiam eos qui non amant, ut ſuperet dilectio Chriſtiana ethnicorum amicitiam. Familiariori autem affectu beneuolos amare, peccatum non eſt, inimicos autem diligere gratiæ. Omnia autem in fide fiant. Vel accipiat, ut ſenſus ſit, Eos qui non in fide, id eſt ſynceriter amãt, ſynceriori quoq; affectu ſalutandos eſſe, & euangelica charitate.

Gratia dei cum omnibus uobis. Amen. 16

Imprecatur gratiam Apoſtolus Tito, & cæteris ſanctis credentibus qui cum eo erant, qua nihil ſalubrius precari potuiſſet. Qui enim fauore domini potitur, is in protectione dei cœli commorabitur, & in refugio altiſſimi ſemper tutus erit. Sic patriarchæ filios & nepotes benedicebant. Et Chriſtus apoſtolos docuit dicere ingrediẽtes domos, Pax huic domui: & ſi digna erat domus, requieſcebat pax eorum ſuper eam: ſi uero exhibebat ſe indignã, reuertebatur ad eos, qui eam fuerant imprecati. Sic non tam nobis dei gratiam aſſequimur, &, ut ita dicamus, menremur, & illis quibus optamus, ſi ex charitate qua in deum ferimur, proximo bona fauemus & imprecamur: ſimulq; dũ poſſumus, beneficijs & officijs teſtamur, idq; intuitu dei, cui hoc ipſo probari & gratificari optamus.

FINIS.

COMMENTARIVM IN EPISTOLAM D. PAVLI APOSTOLI AD PHILEMONEM.

ARGVMENTVM.

PHILEMONEM genere Phrygem, Paulus ob pietatem & officia in sanctos, inter præcipuos habuit amicos. Huius seruus Onesimus Romam profugerat, non sine furto, quod ferè seruitores lent: illic audito Paulo, qui tum in uinculis erat, euãgelicam doctrinam amplexus est, ac Paulo seruiuit in carcere. Verum ne quid herus ob serui fugam animo cruciaretur, remittit eum, sed miro studio, miraq; ciuilitate seruum & fugitiuum & compilatorem domino reconcilians, se interim sponsorem offerens, depensurus, si quid ille suppilasset in fuga. Scribit enim è uinculis per dictum Onesimum, quem & filium uocat.

1 PAVLVS uinctus Christi Iesu & Timotheus frater, Philemoni dilecto & adiutori nostro, & Apphiæ sorori charissimæ, & Archippo cõmilitoni nostro, & ecclesiæ quæ in domo tua est, gratia & pax à deo patre nostro, & domino Iesu Christo.

Charitas Christiana ex fide uiua & uera multa argumenta inuenit pro fratre, quæ Paulus pro seipso in simili casu uix fuisset scripturus. Sic enim uera fides sine operibus bonis esse non potest. Opera autem bona uocat scriptura, officia charitatis proximo exhibita, fluẽtia ex uno opere, quod est fidere in Christum. Non iam apostolatus sui titulum præmittit, quia iam nõ tam apostoli exercet officium q; fratris, & hominis Christiani. Ad rem maxime facit, quod uinctum se dicit, & uinctum Iesu Christi, de quo gloriatur, quia ob eius euangelium captus tenebatur, non ob pœnam maleficiorum, sed ut insigne liberi strenuiq; præconis. Etiam uinctum se cõmemorat, ne despiciatur oratio, pro eo quem genuit Christo in uinculis, qui & seruiuit sibi in eisdem: id quod ipse quoq; Philemon fecisset, si adfuisset: tantum abest, ut indignari debeat hoc seruum egisse, imò magis gaudere debet, per seruum suum hoc beneficium Paulo accidisse. Ne quoq; Philemon, afflicto in uinculis Paulo, addat afflictionem, si nõ exaudiat, & despiciat tanto studio obsecrantem, non iam pro seruo, sed pro fratre. Timotheum quoq; addit, ut duorum magis ualeat obsecratio. Dilectum quoq; adiutorem suum uocat Philemonem, ne non uelit quod ipse uult Paulus. Scribit & Apphiæ uxori, quæ haudquaquam promouere negotium ualde potuit grata marito, si cõciliata esset seruulo, in tuitu tanti apostoli, à quo se audiret tãtopere adamatam in Christo. Archippo insuper episcopo & toti ecclesiæ, quæ in domo est Philemonis, ut si quid minus apud ipsum ualeret unius & alterius deprecatio, ualitura sit multis fortè comprecaturis. Quid enim Christianus neget Christianis, Christiane rogãtibus? & idrogantibus, quod rogatus etiam sine oratione debet secundum euangelium?

2 Gratias ago deo meo, semper memoriam tui faciens in orationibus meis, audiens charitatem tuam, quam habes in domino Iesu, & in omnes sanctos, ut communicatio fidei tuæ euidens fiat, in agnitione omnis operis boni in uobis, in Christo Iesu.

In

In precibus meis quibus quotidie deo solitus sum litare, semper illi gratias a-
go tuo nomine: nam huic acceptum fero, quod audio prædicari ab omnibus, & fi
dei tuæ syncéritatem, & charitatem uere euangelicam, quam obtines erga domi-
num Iesum: nec in hunc solum, uerumetiam in omnes sanctos, huius uidelicet
membra, quibus quicquid officij fuerit impensum, ille sibi uult imputari. Simul il
lud apprecor, ut augeat suam in te beneficentiam, ac tua ista fides, quæ iam in te
otiosa nõ est, indies magis ac magis uim suam exerat, teq; ad pluribus & uberius
opitulandum impellat, adeo ut nullum sit officium Christianæ charitatis, in quo
non sis & notus & probatus. Quæ hactenus præstitisti, nobis addunt fiduciam, ut
audeamus nobis & uberiora de te polliceri.

Gaudium enim magnum habui & consolationem in charitate tua, q; 7
uiscera sanctorum requieuerunt per te frater.

Cum existimem Christianorum omnia esse communia, uoluptate non uulga
ri perfusus sum, atq; in his afflictionibus non mediocri solatio fuit tua ista tam ad
benemerendum de omnibus propensa charitas, qua sanctoꝝ animos huius mun
di malis afflictos, refocillasti, ô mi frater. Nam istis factis te uere fratrem declaras,
& uerum seruum dei, cui longe deuotius ministrabis, ubi agnoueris placere deo,
id quod ego ex te cupio impetrare.

Propter quod multam fiduciam habens in Christo Iesu imperandi ti 8
bi, quod ad rem pertinet, propter charitatem magis obsecro, cum sis talis
ut Paulus senex, nunc autem & uinctus Iesu Christi,

His tam multis rebus fretus, quibus declaras te uerum esse Christi cultorem,
magnopere confidebam me impetraturum abs te quod uolo, etiamsi tantum im-
perarem ut pater filio, ut apostolus discipulo, præsertim in re per se æqua, & con-
sentanea doctrinæ euãgelicę quã profiteris, quæ iubet, ut ipsi dñi misericordiã ex
perti in condonãdo debito, uicissim & alijs condonemus, malui tamen ut hoc abs
te impetret charitas q̃ nostra authoritas: magisq; uolui rogare ut frater fratrem,
quàm præcipere ut magister discipulo. Nec aspernaberis hũc precatorem, Quid
enim mihi neges roganti? Primum Paulo. Cum Paulum dico, nõ Paulum reum
tibi significo. Deinde Seni, nonnihil tribui solet ætati. Sed hæc tibi noua nõ sunt.
Nunc etiam uincto Christi Iesu. Sic inuicto fauere debent, qui profitentur Chri-
sti doctrinam. Tot nominibus obtestanti negare non poteras, etiamsi te pro quo-
uis homine deprecaretur.

Obsecro te pro meo filio, quem genui in uinculis, Onesimo, qui tibi 9
aliquando inutilis fuit, nunc autem et mihi & tibi utilis, quem remisi tibi.

Nunc deprecor pro filio meo, quem ego hoc tenerius dilígo, quod illum ge-
nuerim, non Mosi, sed Christo: non mundo, sed euangelio: & genuerim in uincu
lis, breui hinc abiturus. Solent enim parentes impensius amare liberos, extrema
senectute sibi natos. Is est Onesimus, quondam cum hero compilato profugeret,
parum suo nomini respondens, hoc est parũ utilis ac frugi: nunc in diuersum mu
tatus, nõ solum tibi futurus est usui, uerumetiam mihi suo obsequio fuit utilis in
carcere. Eum igitur iam alium factum, ad te remitto.

Tu autem illum, id est mea uiscera, suscipe, quem ego uolueram me- 10
cum detinere, ut pro te mihi ministraret in uinculis euangelij: sine consi-
lio autem tuo nihil uolui facere, uti ne uelut ex necessitate bonum tuum

esset, sed uoluntarium.

Quod si is es quem ego credo, & si ualet ante te Pauli senis & uincti commendatio, accipies Onesimũ, non iam ut seruum fugitiuum, sed ut charissimos affectus meos, & unice charum filium. Inuitus illum remitto, malueram enim eum apud me retinere, uel ob hoc ipsum, ut te mihi repræsentaret in his uinculis. Nec enim dubito, quin cum erga cæteros omnes amore euangelij, tantum charitatis exhibeas, si adesses, mihi quoq; sis in hisce uinculis, quibus ob euangeliũ sum obstrictus, imparsurus officium. At nũc repertus est, per quem possis & absens mihi ministrare. Verum id te inconsulto facere nolui, ne si hoc mihi uelut authoritate fretus usurpassem; etiamsi factum meum consuluisses boni, tamen minus laudis haberet tua uirtus, quę cum aliqua necessitate uideretur coniuncta. Nunc ita remitto, ut tibi liberum sit, uel apud te retinere, uel ad me remittere. Si remittis, hoc plus habebit laudis tuum officium, quod non extortum, sed liberum ac spontaneum fuerit. Noli meminisse quod fugerit, errorem enim fugę pensauit officio, abluit baptismo, aboleuit lachrymis. Et qui scis an id ita dispensatione diuini consilij factum sit, ut illius error, & nobis & illi uerteretur in bonũ? Vt electis omnia cooperantur in bonum, etiam mala, deo sic mirabiliter operante, & ita, ut ab humana ratione nequaquam intelligi possit, aut ab humano iudicio.

7 Forsitan etiam ideo discessit ad horam à te, ut æternum illum recipe-
res, iam non ut seruum, sed pro seruo charissimum fratrem: maxime mi-
hi, quanto autem magis tibi & in carne & in domino?

Occulta sunt dei iudicia. Forsitan ideo auulsus est abs te ad tempus aliquod, ut pro seruo temporario (neq; enim est diuturnior seruitus ipsa uita) reciperes illum æternum. Aeternum est enim quicquid gignit euangeliũ: reciperes autem non iam seruum, sed pro seruo charissimũ fratrem. Mihi certe apostolo & frater est, & frater charissimus, ob fidem communem, quæ nos æquat in Christo, ob ueritatem communem, ad quam ex æquo uocamur, ob patrem communem, ob redemptorem cõmunem, in quibus omnibus non est discrimen domini & serui, magistri & discipuli. Quod si mihi ob has causas charissimus est, qui cum nihil illi commune, præter spiritus cognationẽ, quanto magis tibi debet esse charissimus, cui præter uincula spiritus etiam iuxta carnem coniũctus est? Amares alienum, si talem cerneres factum, qualis est Onesimus. Nunc hoc nomine magis amabis, quod tuæ familiæ cum sit, talis euaserit.

8 Si ergo habes me socium, suscipe illum sicũt me: si autem aliquid no-
cuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa. Ego Paulus scripsi mea manu. Ego
reddam, ut non dicam tibi, quod & teipsum mihi debes.

Si me dignaris habere consortem euangelicæ functionis, illum recipias oportet uelut alterum me, quem ego ut filium charissimũ, ut fratrem eximie cliarum, ut participem uinculorum meorum & euangelij complector. Aut uterq; tibi recipiendus est, aut uterq; cõplectendus. Qualis antehac fuit, non decet à baptismo meminisse. Nouum hominem tibi renatum puta. Quod si te mouet alicuius rei dispendium, quod tibi sarciri uelis: priusquam ignoscas, me pro illo sponsorem accipe. A me poscito, si quid ille uel læsit uel debet. Hoc chirographo meam tibi fidem obstringo. En habes epistolam meapte manu scriptam. Si uideor bonæ fidei sponsor, Onesimum omittito, me conuenito, ipse resoluã illius uice, quicquid debetur. Hæc impetrarem opinor, etiamsi cum alio quopiã agerem, nũc non libet meminisse,

meminisse, quid meo iure possim abs te exigere. Non enim hic commemorabo, quod cum mea doctrina factus sis Christianus, non tua solum, uerumetiam tei- psum mihi debes, quo minus iniquum tibi uideri debebat, etiãsi postularem, hoc quicquid est damni, quod debet Onesimus mihi condonari. Verum hoc non po- stulo, nisi tu uolens ac sponte remiseris, non perinde ut meam liberes fidem, atq; ut tuam declares charitatem.

Ita frater, ego te fruar in domino, refice uiscera mea in Christo. Confi- 9
dens in obedientia tua scripsi tibi, sciens quoniam & super id quod di-
co facies.

Eia mi frater, à fruẽdo nomen habet Onesimus, qui ut mihi intime charus est, utq; illum tibi ex animo commẽdatum esse cupio: ita mihi contingat te frui, non quemadmodum uulgo amicus amico iucundus est, sed quemadmodum Apos- lo uoluptati est discipulus, Christi doctrinam exprimens. Vides q; mihi charus sit Onesimus, & suo merito charus est. In hoc igitur amplectendo refocilla cor meum. Hæc pluribus tecum ago, non quod diffidam charitati tuæ, sed id facio ex abundanti quodam amore meo erga filium meum. Siquidem ex pristinis offic- tuis sic mihi perspecta est obedientia tua, ut non dubitem, quin hac in re plus e- tiam sis præstiturus quàm abs te peto.

Simul & para mihi hospitium, nam spero per orationes uestras dona 10
ri me uobis.

Onesimũ interim, ut pignus mei, benigniter accipe, simul mihi- ipsi paulò post uenturo para hospitium: nam spero fore, ut deus precibus uestris exoratus, ali- quando me uobis restituat. Tum præsens agam gratias pro Onesimo clementer recepto.

Salutat te Epaphras concaptiuus meus in Christo, Marcus, Aristar- 15
chus, Demas & Lucas adiutores mei.

Conterraneus tibi Epaphras te salutat, mihi captiuitatis & uinculorũ socius, ob amorem Christi Iesu. Marcus quoq; & Aristarchus cum alijs meis collegis, & fratribus dignis, eos tu puta omnes deprecari mecum pro Onesimo, quo facilius illi concilieris.

Gratia domini nostri Iesu Christi cum spiritu uestro. Amen. 12

More suo epistolæ adnectit Apostolus imprecationẽ gratiæ diuinæ, sine qua nihil feliciter & pie finitur uel inchoatur.

FINIS.

COMMENTARIVM IN EPISTOLAM D. PAVLI APOSTOLI AD HEBRAEOS.

ARGVMENTVM.

VIVS authoris & authoritatis sit hæc ad Hebræos sacrosancta, erudita & utilissima epistola, disputant multi, nos breuitati studentes, aliorum iudicium super hac re inducamus, maximę authoritatis uirorum, apud tum Græcos tum Latinos. De Origenis sententia doctissimi & religiosissimi doctoris, sic scribit Eusebius Cæsariensis libro 6. cap. 18. canonem edisserens, quem in sacris libris posuerit Origenes, XIIII. numerat canonicas Pauli epistolas, mox adijciens, Quãuis & nonnulli de ea quę ad Hebræos scripta est dubitauerint, pro eo quod non uideatur in ea seruari eius illa sententia, quam de se ipse pronũciat, dicens se imperitum esse sermone: sed ego dico, sicut mihi à maioribus traditũ est, quia manifestissime Pauli est, & semper omnes antiqui maiores nostri ita eam ut Pauli epistolam susceperunt. De ea quoq; Clemens Alexandrinus sic disseruit, quod manifeste Pauli sit apostoli, scripta autem Hebræo sermone tanquam Hebræis, à Luca uero, qui erat Pauli discipulus, interpretata in Græcum, unde & stilus eius magis similis uidetur libello illius, quem Lucas de Apostolorum actibus scripsit. His astipulatur sentẽtia diui Hieronymi, apud Latinos doctoris celeberrimi, in libro De terra promissionis, qui ad Dardanum differens, inquit, Illud uestris dicẽdum est, qui hanc epistolam quæ inscribitur ad Hebræos, non solum ab ecclesijs Orientis, sed ab omnibus retro ecclesijs, Græci sermonis scriptoribus, quasi Pauli apostoli suscipi, licet plærique eam uel Barnabæ uel Clementis arbitrentur, & nihil interesse cuius sit, quum ecclesiastici uiri sit, & quotidie ecclesiarum lectione celebretur. Quod si eam Latinorum consuetudo non recipit inter scripturas canonicas, nec Græcorum quidem ecclesiæ Apocalypsim Ioannis eadem libertate suscipiũt. Et tamen nos utraq; suscipimus, nequaquam huius temporis consuetudinem, sed ueterum scriptorum authoritatem sequentes, qui plærunq; utriusq; utũtur testimonijs: non ut interdum de apocryphis facere solent, quippe qui & gentilium literarum non raro utuntur exemplis, sed quasi canonicis & ecclesiasticis. Tale huiusmodi tantorum uirorum iudicium nobis abunde sufficit. Cur uero præter morem Paulus in hac epistola non adscripserit nominis sui uocabulum, uel ordinis apostolici dignitatem, hæc causa est, quod ad eos scribẽs qui ex circuncisione crediderant, quasi gentium apostolus habebatur, sciens quoq; eorum superbiam, suamq; humilitatem ipse demonstrans, meritum officij sui noluit anteferre. Argumentum autem huius epistolæ non abhorret à cæteris omnibus. Scribit enim ecclesijs Hebræorum, de eminentia Christi secundum utranq; naturam, de abrogatione legalium ceremoniarũ, utcunq; adhuc tunc quoq; templum staret Hierosolymis, & à Iudæis mordicus legalia urgerentur, etiam cõuersis ad Christum, astruitq; multis modis fidem Iesu Christi absq; legalibus sufficere ad salutem & iustitiam, post Christi passionem, & consummatum sacrificium, legalia non modo non proficere, uerumetiam officere: quorundam Hebræorum superstitiosam traditionem excludens, qui Christũ confitentes, legales observantias tenendas putabant. Et in hunc errorẽ quosdam etiam, qui de gentilitate conuertebantur ad Christum, sua authoritate induxerãt. Id autem agit honestissimo ordine, dum ab initio uarijs rationibus & scripturę testimonijs, pulchre explanat

dignitatem

dignitatem eius qui nobis loquitur Christi, ostendens illum deo patri æqualem, creaturis summis & dignissimis, utpote angelis & Mose superiorẽ. Terret quoq; minis, si audire dedignati fuerint tantum apostolum & magistrum. Inuitat & alicit beneficentia ac misericordia Christi domini, & sacerdotis summi & optimi, & in ea pergit usq; ad caput decimum. Docet deinde officium discipulorum, ne tanto præceptore indigni inueniantur, & fidem amittãt uel non ostendant. Commendat itaq; patientiam, pacem, misericordiam erga hospites uinctos & pauperes, obedientiam, castitatem, prudentiam ac orationem, ut sic absoluti reddantur fideles in omni opere bono.

CAPVT PRIMVM.

MVltipariã multisq; modis olim deus loquens patribus in prophetis, nouissime diebus istis loquutus est nobis in filio. 1

Sublimi & apto exordio Apostolus excitat & inflammat legẽtium corda, dum commemorare incipit, q̃ gratuita pietate sua deus nunquam defuerit humano generi, etiam per inobedientiã lapso. Quin & ab exordio mundi multipariã & multis modis loquutus sit patribus & maioribus, nempe per apertas uoces, cum Adam, Eua, Abraham, Iacob & Mose, per uisiones, somnia & inspirationes Salomoni, prophetis longo tempore, quibus nũc in nube, nunc in igne, nunc aure tenuis sibilo sese ostendit, non raro per angelos apparentes sanctis, interdum arcano quodam mentis afflatu semet insinuans. Idq; est quod ait, Olim. Iam enim ante Christi domini aduentum nimium diu prophetæ loqui cessauerãt in nomine domini, quorum legimus ultimum Malachiam uel Ezram. Tandem autem uelut hisce apostolorum temporibus, quo certiore argumento declararet suam erga genus humanum charitatem, quoq; pleniorem nobis fidem faceret, loqui dignatus est nobis, non iam per angelum, non per prophetam hominem, sed per unicum & unigenitum filium suum Iesum Christum, ne quis posthac alium præter hunc doctorem expectet. Dies autem Christi prophetis dicuntur dies nouissimi, in quibus uerbum illud dei & idem deus, quo omnia condidit, quo & patribus uarie loquutus est. Illud idem, inquam, assumpta ex uirgine humanitate uera, sed mirabili & ineffabili modo, iuxta prophetarum prædictiones loquutum est hominibus, cum quibus & cõuersatum est, & habitauit humanata dei sapientia & uirtus, ut diceret tandem, Ecce sciet aliquando populus meus nomen meum, quando & ego ipse qui olim loquebar per prophetas, dicam, Ecce adsum. Isaiæ 52. Deinde & Baruch, In terra, inquit, uidebor, & cum hominibus conuersabor. Et ut in Isaia sequitur, Quàm pulchri tunc super montes pedes annũciantis bonum, prædicantis salutem, dicentis ad Sion, Regnat deus tuus, nimirum à lingno, & in ecclesia, quando & oculo ad oculum uidebunt, cum conuerterit dominus Sion. Vide eadem loca.

Quem constituit hæredem uniuersorum, per quem fecit & sæcula. 2

Nulla hic urget necessitas, ut alia de humanitate Christi, alia de diuinitate intelligamus, dum scimus omnia id genus quæ in apostolis & prophetis similia occurrunt, magnificentius dici, si ad ipsam personam Christi respicias, utranq; naturam complectentem, quæ nunc sunt indiuisæ quidem, sed citra confusionem naturarum, & illarum proprietates. Quid autem quod olim uerbum humanitatem nondum assumpserat, cum semper & ab æterno pater filium præsentem habuerit, & patri consubstãtialem cum sancto spiritu? Ab æterno enim diuinitatis

intuitus durat, & actio filij obuersatur sine tempore, quod est actum in suo tem-
pore. Pie ergo & uere de Christo accipimus, ut sit prædefinitus, hæres omniũ an-
te cõdita quoq; per eundem sæcula omnia. Quemadmodum uero pater naturam
diuinam à se habens, generãdo æternaliter cõmunicat eandem filio: ita filius ex-
terna omnia, utpote gloriam, opera, electos cum patre habet communia: ideoq;
qui in libro uitæ sunt scripti, donati quoq; sunt Christo in hæreditatem. Vnde &
qui patrem honorificant, honorificant & filium. Est itaq; hæres omnium, etiam
diuini nominis & gloriæ, quam deus nulli concedit alteri. Filio autem nomen de
dit, quod est super omne nomen, &c. Quia naturalis est filius, ideoq; hæres, & ut
dominus uniuersorum adorandus, & gloriæ diuinæ per omnia particeps. Vnde
& Christus dicebat, Mea omnia tua sunt, & tua mea sunt, & glorificatus sum in
eis. Claritatem ergo habuit filius priusquam mundus fieret, per quem facta sunt
omnia, præfinitumq; est ante rerum initia, ut omnes saluandi, in solo nomine Je-
su salui fiant. Sæcula autem facta dicit per filium, quod nullũ sit sæculũ uel ætas,
non per filium creatum.

3 Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansq; o-
mnia uerbo uirtutis suæ, purgationem peccatorũ faciens, sedet ad dexte-
ram maiestatis in excelsis.

Non sic est filius dei Iesus Christus, quemadmodũ homines pij nonnunquam
dicuntur filij dei, quod illius præceptis obediant, & ad hæreditatis æternæ ius ad
scripti, sed quod à deo patre ab æterno sit genitus, lumen de lumine, deus uerus
de deo uero, hoc est, ita genitus, ut eadem sit illi natura cum patre. Et tamen cum
esset æternus splẽdor paternæ gloriæ, ueluti lux manans à luce, & imago expres-
sa substantiæ illius, per omnia similis & æqualis illi à quo nascitur. Cumq; non so
lum conditor omniũ, uerumetiam condita moderetur ac uerset, nutu iussuq; suo
omnipotenti simul cum omnipotẽte patre, uidete quò se nostri causa demiserit?
Assumpsit humanam naturam, nostræ conditionis iniurijs obnoxiam, ac moriẽs
in ea, in ara crucis seipsum hostiam immolauit, pro nostris peccatis factus pecca-
tum. Cumq; antehac sacerdos Mosaicę legis pecudis sanguine soleat expiare pec
cata, hic suo sacrosancto sanguine expurgauit delicta totius humani generis, atq;
ex hac demissione sui tantam sibi parauit gloriam, ut rediuiuus ac reuersus in cœ
lum consederit dexter dei patris maiestati, in qua semper illi fuerat æqualis iuxta
naturam diuinam. Adeoq; hic eadem ferè dicuntur de Christo, quæ ad Philip. 2.
alijs autem uerbis: similiterq; ad Colossenses. Sedere autem ad dexteram maiesta-
tis, est æqualibus bonis potiri cum deo, & hæredem esse omnium. Qua exalta-
tione humana natura in Christo mire est nobilitata: sed non sic dotibus melio-
ribus est glorioſa, ut cessarit esse humana. Ideo, quamuis deus ubiq; sit, & extra
omnem locum, non sic tamen asserendũ de corpore uel humanitate Christi quod
sit ubiq;, id quod diuinitati est proprium, & ei soli. Humanitas autem etiã in Chri
sto, non est diuinitas, quamuis diuinitati coniuncta in unitatem personæ.

4 Tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen
hæreditauit.

Christi domini nostri maiestas ex humilitate magis inclaruit mundo, adeo, ut
qui prius uidebatur abiectus infra infimos homines, crucifixus inter latrones, &
factus maledictum coram hominibus: nunc maior sit & habeatur non solum pa-
triarchis et prophetis omnibusq; hominibus, uerumetiã ipsis angelis, cuiuscunq;
etiam nobilitatis & principatus aut prærogatiuæ, quorũ tamen naturæ prorsus
nihil

nihil prefertur præter unicam diuinam. Tanto quoq; maior est omnibus angelis, quanto plus habet dignitatis nomen & prærogatiua filij, & naturalis non adoptatiui filij, q̃ famuli. Siquidem Angelus ministri et amandati uocabulum est & nuncij, ut inferiori cõueniat, non ita domino: ideo habet nomen summum, cui etiam supernorum genua incuruari cogantur & uelint.

Cui enim dixit aliquando angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? 5

Apostolo negotium est cum Hebræis in lege peritis, ideo frequentibus & uanis scripturis utitur, quæ tamen tractata suis locis inuenies bona fide. Et iuxta historiam quidem hic Psalmus secundus de Dauide exponitur, qui electus in regem Israel, passus est quidem hostes Palæstinos tumultuantes, sed percussi sunt, ipsq; dei beneficio regnum seruauit, dictusq; est dei filius, quia auditor esset uerborũ dei. Diemq; accipere possumus quo unctus est in regem, 1. Reg. 19. Verum umbra tantum & tenuis fuit Christi domini nostri filij Dauid iuxta carnem, qui genitus & inauguratus est regno eo die, dum declaratus est per spiritum sanctum rex uniuersæ ecclesiæ in toto orbe fidelium, etiam iuxta sententiam priscorum Iudæorum. De cuius regno loquuti sunt prophetę omnes, quod tamen non est de hoc mundo. Regnat enim Christus in fidelium cordibus, estq; caput suæ ecclesiæ, quã suo spiritu moderatur & uerbo. Quæ enim dignitas aut felicitas esset, residere Christum in Sion, mortalem aliquem regem? Sedet igitur in cœlestibus, & omnium electorũ pectora regit, & inhabitat suo spiritu, & populum suum ab omnibus tuetur aduersis, solusq; dicere potest & prædicare, quod omnis qui credit in se dei filium, habeat uitam æternam, cuius testimoniũ à patre accepit apud Iordanem, in monte Thabor, & ante Pascha, Ioan. 12.

Et rursum, Ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium. 6

Locus iste habetur 2. Reg. 7. & 1. Paral. 28. Dicitur autẽ Christus non tantum alicubi Dauid, sed & filius Dauid & Salomon, uere & perfecte pacificus, & sanctissimus rex, qui omnia pacificauit, qui spirituale templum extruxit perpetuò duraturum, & spirituale quoq; regnum, cuius nullus erit finis, quod & ad terminos terræ diffundendum sit, & incorruptibile. Quæ satis omnibus liquent de Salomonis regno dici proprie non posse, sed de regno Messiæ necesse est intelligi. Manet enim ecclesia & regnũ Christi in perpetuum. Ideoq; ut uisus est Salomon idololatra, deprauatus uxoribus, hostibus uexatus, statim fideles agnouerunt alium esse Dauidis filium expectandum, in quo promissio dei solidius impleretur, qui plus & maior sit q̃ Salomon, de quo uerius asseratur, Ipse scilicet Christus Dauid & filius Dauid erit mihi in filium.

Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrarum, dicit, Et adorent eum omnes angeli dei. 7

Testimonium hoc desumptum est iuxta Græcum ex Psal. 96. ubi Hebræus legit, Adorate eum omnes elohim, quod nunc uertunt dij, nunc angeli, nunc iudices & principes, uel qui in magna cõstituti sunt dignitate: quin & angelos quoq; qui dei nomine sæpe nuncupantur. Probat autem hoc dicto, iudicium orbis, & adorationis dignitas Christo conuenire: ideoq; & deũ esse, qui solus adorandus ab omnibus, etiam angelis, & cuius solius est iudicium totius mundi: iuxta illud Dan. 7. Et dedit ei potestatem & honorem & regnum, & omnes populi & linguę seruient ei. Quæ planè Christo conueniũt, iudicemq; esse ostendunt uenturum. De quo Ioan. 5. Pater omne iudicium filio dedit. Dicere uult ergo Apostolus,

Christum inducendum in hunc mundum, nempe per resurrectionem suam ex mortuis, ac rediturum gloriosum regem & iudicem uniuersi orbis terrarum.

8 Et ad angelos quidē dicit, Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis.

Christo ostendit esse datum sublimius nomen q̄ angelis, nempe filij, ob honoris & naturæ identitatem. Angeli autē nomen sortiti sunt à ministerio, quia nuncij dicuntur & ministri: sicut Psal. 103. De quo hic, ut sit sensus, Qui facit angelos suos tam celeres nuncios, q̄ sunt celeres uenti & spiritus, qui non reuertuntur, sed flatum suum perficiunt. Et facit ministros suos tam feruidos & efficaces, q̄ ul uax & actuosus ignis: unde & Seraphim ideo dicuntur, quia ardent & feruent in suo ministerio.

9 Ad filium autem, Thronus tuus deus in sæculum sæculi, uirga æquitatis, uirga regni tui. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te deus, deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis.

Testimonio Psalmi 44. qui omnium Hebræorum consensu scriptus est in Messiam, tribuit Christo iudiciariam potestatem, contrà autem angelis ministerium approbatur. Est enim re uera Christus iudex æternus, hoc est, in sæculum sæculi, quod non est nisi dei iudicium, non alicuius creaturæ: nam thronus eius æternus, quia dei est & æquissimi iudicis. Virga uel sceptrum, symbolum est iustitiæ, quia nullus est respectus personarū apud deum, æque iudicat diuiti & pauperi. Diligit autem iustos, odio habet incredulos. Hanc iustitiam non dijudicant homines, sed cordium cognitor deus. Vnctio autem Christi dei à deo patre, aliud non est, q̄ exaltatio Messiæ secundum nomen gloriæ immensæ, quod sit super omne nomen. Quem & ungit oleo lætitiæ, hoc est, beatum facit & glorioſum, in regno beatarum animarum & sanctorum, in ecclesia triumphante, & nos quoq; in militante recreat & refocillat fide & iustitia in illum, ut simus nos quoq; bonus odor nominis Christi, dum agnoscentes nos per Christum redemptos, eius gratia & bonitate sic perfundimur, ut ipsum præ omnibus creaturis iucundum sectemur, & ei tota fiducia addicti simus. Nullus denicq; ex angelis uel sanctis, qui participes sunt Christi, tantum nomen habet, ut talem uel sedem uel unctionem meretur ut Christus.

10 Et tu in principio domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis, & omnes ut uestimentum ueterascent. Et uelut amictum mutabis eos, & mutabuntur. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

Iungitur & alia scriptura, quo Christus uere deus comprobatur ex Psal. 102. in quo plura de restitutione Sion & regni Christi prædicūtur. Quomodo in Christo dominus miserebitur Sion, & ædificabit eam, iuxta uaticiniū prophetarum, non terrenam sed cœlestem. Et quomodo iudicium accepturus sit à patre, & ut timeant gentes omnes & reges nomen domini. Quemadmodum igitur hæc priora prærogatiua data sunt Christo à patre, ita & quæ consequenter adduntur congrue dei filio & Messiæ tribuuntur, per quem cœli constant, qui inæternum regnabit & in omnia. Etiamsi cœli & terra transeāt, uerba tamen Christi, regnum, potestas, gloria, & fidelium suorum in cœlestibus felicitas non transibunt. Nec tamen propterea sequitur mundum periturum, & cœlos corruituros. Innouandum potius dicimus, ut ad Roma. 8. Creatura liberatur à seruitute corruptionis, in

in libertatem gloriæ filiorum dei.

Ad quem autem angelorum dixit aliquãdo, Sede à dextris meis, quo 13
adusq; ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?

Hoc testimonium ex Psal. 109. adduxit cõtra Iudæos, pro asserenda sua diui nitate Christus, cui & Pharisæi de Christo illum quoq; exponentes, contradicere non potuerunt. Ostendit autem potentiam regni Christi perpetuam, & donec omnes impij redigantur subtus scabellum pedum eius. Eius autem totius Psalmi expositionem uideas proprio suo in loco, breuem quidẽ, sed ut arbitror sufficientem. Christus enim à mortuis resurgens, ad patrem in cœlestia conscẽdens, sedet ad dexteram patris, æqualis ei in dignitate & gloria, cui etiam subijciũtur omnes inimici, & fiunt scabellum pedum eius.

Nónne omnes sunt administratorij spiritus, in ministeriũ missi, pro- 14
pter eos qui hæreditatem capient salutis?

Non hic dicit deus ad angelorum aliquem, ut sedeat à dextris, quanto minus ad Dauidem uel Abraham, quomodo Iudæi comminiscuntur, Solius filij est, solius Messiæ, æqualibus bonis potiri cum patre, cum quo fuit ante omnia sæcula. Angeli uero sunt administratorij spiritus. Quia enim homines nos sumus, tardiores ad credendum deo, loquenti intra nos, nisi accedat etiã externus admonitor, proinde deus per angelos ut ministros à se proxime illustratos, manifestat ea quæ absq; externo uerbo segnius accipimus, per quos etiam opera sua exequitur circa electos, dum apparitionibus & externa admonitione opus habuerint electi.

CAPVT II.

Propterea abundantius oportet obseruare nos ea quæ audiui- 1
mus, ne fortè supereffluamus.

Quod tot uerbis demonstraui seruatoris nostri dignitatem, huc spectat, ut quo maior est ille, quem pater nostræ salutis causa misit in mundum, hoc attentius audiamus quæ per illum dicta sunt nobis, ne quando excidant quæ nobis per illum denunciauit pater. Summus est qui misit, & maiorem mittere non potest: Extremam hanc legationem esse uoluit, nec est ulla salutis spes, si hanc fuerimus aspernati, quemadmodum nostri maiores Mosen sunt aspernati & prophetas. Quo maior est legatus, quo maior est humanitas dei erga nos, hoc grauior erit uel contumaciæ uel negligẽtiæ culpa, nisi dictis paruerimus. Si te non mouet dignitas nuncij, saltem tibi persuadeat ingens tuum damnũ: nam si uel paulò negligentior fueris, periculum est ne totus pereas.

Si enim qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis 2
præuaricatio & inobedientia accepit iustam mercedis retributionẽ, quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?

Si pondus habet quicquid hactenus deus maioribus nostris mãdauit per prophetas aut per angelos, qui Mosi diuina iussa renunciabant: si quæ pœnas iustas dederunt, quicunq; iussis per illos non obtemperassent, quod deum aspernari uidebatur, quicunq; dei nuncios aspernatur, quomodo nos effugiemus pœnam, si neglexerimus, non iam Mosaica mãdata, sed tam paratã salutem, tam insignem, tam euidentem? Atq; eam quidem ad nos ultro delatam, non per Mosen, non per angelos, aut prophetas, in quos utcunq; fingi possit aliqua suspicio uanitatis, sed per ipsum dei filiũ, qui nobis non est loquutus, procul è nube, aut per somnium, aut alia ratione, in quã caderet suspicio fraudis, aut præstigij, sed coràm auditus

est, conspectus est, cõtrectatus est, diu uersatus est inter homines, plurimis ac maximis argumentis declarans sese uerum dei filium, ac perfectam salutem offerẽs uniuerso mũdo per fidem euangelicã. Magno ergo feruore Christianis opus est. Qui legem nõ impleuit, effugium habet apud Christum mediatorem: qui autem Christum & uerbum dei neglexerit, quò se recipiet? quem alium requiret mediatorem? Quod si tam seuerum iudicium manet negligentes uerbum dei, quale perferent contemnentes?

3 Quæ cum initium accepisset enarrari per dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante deo signis & portentis, & uarijs uirtutibus, & spiritus sancti distributionibus, secundũ suam uolũtatem.

Huius tam salutiferi euangelij fides, cum primũ orbi tradi cœpisset per ipsum dominum Iesum Christum, non per angelos quoscunq; dei ministros: qui non solum præco fuit salutis æternæ, uerumetiam author, postea confirmata est ab eis qui testes fuerant omniũ quæ ille dixit ac gessit, inter homines uersans, ac nec horum prædicatio parum haberet ponderis, sermonem illorum deus ipse uarijs miraculorum signis ac prodigijs, alijsq; mirificis dotibus, quas spiritus ille cœlestis uarie distribuebat suis, ut ipsi uisum est, expedire saluti mortalium confirmabat. Ex quibus omnibus abunde cõstitit, totum hoc quod agebatur, non esse uirium humanarũ, sed diuinæ uirtutis: atq; eum qui hæc prodidit, primum ipse, deinde per suos discipulos, non fuisse simplicem hominem, sed deum humano indutum corpore. Voluntas enim dei est, ut Christus glorificetur, & per Christum pater, nosq; inde salutem accipiamus. Falsa miracula nequaquam ueram euangelij gloriam promouent. Ex hoc autem loco coniecturam accipiunt, hanc non esse Pauli epistolam, & ea sola nituntur, non attendentes uerbum confirmationis, non reuelationis: & quia Paulus non de se solo loquitur, sed & de alijs qui posterius crediderunt. Nam antea iam Stephanus, Petrus & alij claruerãt miraculis. Alibi cogebatur Paulus fateri quod res erat, non esse se hominum discipulum, ne prædicationis authoritas periclitaretur: hic non erat opus ea gloriatione, proinde non conuincunt heæ coniecturæ.

4 Non enim angelis subiecit deus orbem terræ futurum, de quo loquimur.

Angeli, ait, non sunt domini mũdi, neq; orbem deus illis subiecit, sed unitum Christo: erit ergo illis longe præstantior. Potest intelligi, Orbis futurus, regnum Christi, quod per apostolos glorificato iam Christo annũciatum est, & collectum ex omnibus gentibus. Veruntamen nec in hũc orbem angeli potestatem habent, quæ uni data est Christo in cœlo & in terra, non angelis, qui & ipsi per Christum sunt instaurandi.

5 Testatus est autem in quodam loco quis, dicẽs, Quid est homo quod memor es eius, aut filius hominis quoniã uisitas eum? Minuisti eum paulò minus ab angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius.

Christum dominum non fuisse angelum, declarat Psalmus mysticus, ita de Christo testificans, Quid est homo quod memor es eius, aut filius hominis, quod curam habes illius? Demisisti illũ paulisper infra angelos. Ac mox, Gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarũ. Omnia subiecisti, &c. Antequam deus conderet orbem terræ, iam tum decretum erat consilio

filio diuino, ut quicquid esset in orbe futurum, subijceretur pedibus Iesu Christi. Testimonium illud, quo uult conuincere, angelis non esse subiectum orbem, desumit ex 8. Psalmo: quem ad literam interpretatum quære suo loco. Apostolus eam non negat, sed ponit longe digniorē, ut Psalmus in nullo homine perfectius impletus sit q̄ in Christo: amisit enim homo imperium suum ex originali peccato magna ex parte. Exprimit autem ærumnosam & sordidam hominum conditionem. Et uult dicere, Quid quæso in humanitate Christi offenderis? Audis hic, quanti deus fecerit humanum genus, cum audis filium dei humanã assumpsisse naturam, per quam non est factus minor. Sic per anagogam hæc de Christo omnia peculiariter exponuntur. Quod dicitur Melohim, præter unũ Hieronymum omnes ueteres legunt Ab angelis, nõ A deo. Et uidetur Apostolus hic Christum conferre non cum deo, sed cum angelis: uultq̄ declarare eum longe excellentiorem esse angelis, ut cui orbis terrarum & omnia subiecta sint, non angelis.

In eo enim quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei. 6
Nunc autem nedum uidemus omnia subiecta.

Nullum legitur deus dominatum tribuisse totius orbis, in quo continẽtur & angeli. Etenim qui dixit omnia subijcienda Christo, nihil reliquit non subijciendum. Atqui huius Psalmi uaticinium ex parte perfectum est, ex parte perficiendum futuro sæculo. Nondum enim uidemus illi subiecta omnia. Rebellatur adhuc regno Christi ab impijs, & grauis est conflictatio ecclesiæ cum mundo. Nec est aliquis homo, nec fuit unquã, cui totus orbis fuerit subiectus, ergo sublimius aliquid hic cogitandum relinquitur, nempe in Christo tantum impleri hanc scripturam, cui sine exceptione subiecta sunt omnia: si non ad præsens, tamen in futuro, cum inimicos suos rediget subter scabellum suum.

Eum autem qui modico q̄ angeli minoratus est, uidemus Iesum pro- 7
pter passionem mortis gloria & honore coronatum, ut gratia dei pro omnibus gustaret mortem.

Illud autem iam uidemus perfectum, quod Iesus, qui cum hic affligeretur uarijs cruciatibus, ac denicq̄ crucis supplicium subiret, & id quod est hominum iudicio amarissimum, hominum causa gustaret: sed ita gustaret, ut tamen non absorberetur: uidebatur esse factus inferior angelis, qui nec morti nec ulli dolori sunt obnoxij, nunc tanta gloria & honore coronatus est, ut mundus intelligat ipsum immunem ab omni culpa, iuxta uoluntatem dei, uolentis humanæ saluti consule re, subijsse mortis ignominiam atq̄ supplicium. Siquidem mors illius nõ erat pœna commissi per illum, sed erat fauor diuinus erga genus humanũ, quod sua gratuita beneficentia redimi uoluit per mortem innocentissimi filij Iesu Christi.

Decebat enim, eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui 8
multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum, per passionem consummari. Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex uno omnes.

Ne putes, ô Iudæe, Christum recipiendũ audiendúmue minus, eo quod carnem homo factus induit, & infra angelos diminutus, cruciatus mortis pertulit. Sanè non est quod offendaris, decebat enim hoc Christũ, qui ab æterno à deo præfinitus est ad hoc, ut per eundem, propter quem, & per quem sunt omnia condita, omnia etiam reparentur, refingantur, instaurentur & uiuificentur. Nam si admittis, sapientia dei conditum mundum, quomodo negabis per eandem dei sapi-

entiam eos qui perierunt fuisse reparandos? Et quia sacrificium & sanctificatio sanguine & passionibus constabat, certe nulla alia uia reparatio illa nostri constare potuit, q̃ sola morte Christi, quod deus medium ante mundum conditum præuiderat. Quare ergo hoc Christum non decuisset, ut multis filijs ad gloriam adductis, se principem eorum quorum salus erat, per passiones sanctificaret: maxime cum is qui sanctificat, & qui sanctificantur, eiusdem esse naturæ debent? Valde enim indignum est, ut alius peccet, & omnino alius peccati pœnas luat. Vnus ergo Christus homo factus, potuit suo nos sanguine emundare ab omnibus peccatis. Quod autem dicitur, Ex uno omnes, hoc est, Omnes sumus ex uno homine, Christus ergo frater noster est, & carnem nostram gestauit: nõ è cœlo lapsam, sed ex uirginis substantia generatam, præter peccatum nostræ carni conformem per omnia.

9 Propter quã causam non confunditur fratres eos uocare, dicens, Nunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te. Et iterum, Ego ero fidens in eum. Et iterum, Ecce ego & pueri mei quos dedit mihi deus.

Vnde dei filius carnem humanam indutus ex uirgine, in Psalmis non erubescit homines pios appellare fratres, cum ita loquitur, Annunciabo nomen tuum fratribus meis, Psalm. 21. Qui & in typo Christi de Dauide loquitur, ubi Christus fratres nominat omnes fideles, magnæ consolationis sententia, ut olim quoq; coheredes futuri simus Christo domino. Intelligit per fratres apostolos & fideles in Christi corpore membra. Et iterum, Ego ero fidens &c. Isaiæ 12. Sic Hebraice scribitur, Ecce deus salus mea, confidam, & non timebo. Et est uox totius ecclesiæ, cuius caput est Christus, dicentis, deficientibus alijs, ipsum tamen domino adhæsurum, confisurumq; in illo. Cæterum fidere deo hominis est, non dei, ergo uerus homo est Christus. Ecce ego & pueri, &c. Tertium testimoniũ magis proprium, ex Isaia cap. 8. ubi loquitur propheta in persona Christi: quamuis ad ecclesiam, quæ illius est corpus, referri possit. Ecce, uox est obediẽtię in prophetis & in Christo, qui nos accepit in hæreditatem suam, ut oues & filios, quos pater illi dederat, electos scilicet, apostolos, & fratres, & filios, & pueros. Quasi dicat, Ego filius cũ alijs pueris meis. Ego seruus dei, cum alijs seruis dei. Adnumeramur enim nos sibi, & uicissim ille nobis, sicut magister & discipuli, prophetę et prophetarum filij, prophetarum dominus & fideles Christiani.

10 Quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini, et ipse similiter participauit eisdem, ut per mortem destrueret eum qui habet mortis imperium, id est diabolum, & liberaret eos qui timore mortis per totam uitam obnoxij erant seruituti.

Quandoquidẽ hi fratres, & hi pueri, de quibus loquitur, homines sunt, constantes ex carne & sanguine, uoluit ille qui cœlestis erat, assumere carnem humanam, & ea parte similis illorum fieri, quos erat asciturus in æternæ cognationis consortium, ut morte sua aboleret eum qui mortis habebat imperium, hoc est diabolum: ac liberos redderet eos, qui metu mortis æternæ, per omnem uitam obnoxij erant seruituti satanæ, qui per mortem regnabat in omne mortalium genus: nam quisquis peccato obnoxius est, idem morti est obnoxius. Vult dicere Apostolus, Morte usus est Christus, ut instrumento ad expugnãdum satanam & eius imperium, quod est hic mundus, qui totus positus est in maligno, nempe, uoluptatibus,

ptatibus, uana gloria, diuitijs. Qui autem Christi sunt, illa contemnũt, huic se ser uituti subducunt, proficiunt indies, donec perficiantur, & æternis fruantur, & hosti suo præualeant. Diabolus autem dicitur habere mortis imperium, quia homines ad peccandum solicitat, peccantes sibi addictos tenet, seruos peccati facit, & filios mortis, animas quoq; occidens. Qui tamen à Christo exutus est potestate quam habuit in filios dei, quos asseruit in libertatem ueram. Timent autem uehementius mortem, qui futuram uitam nesciunt, spe resurrectionis destituti sunt, Saluatoris benignitate non consolantur, qui hunc metum sua morte & resurrectione abstulit.

Nusquam enim angelos apprehẽdit, sed semen Abrahæ apprehẽdit. 11

Nec cuiquam angelorum hoc honoris habuit Christus, ut illius assumpta natura, frater aut cognatus illi fieret, sed iuxta promissionem diuinã semen Abrahæ apprehẽdit, Iudæus natus est ex Iudæis, homo natus ex homine, obnoxius omnibus nostræ naturæ incommodis, siti, fami, æstui, frigori, lassitudini, dolori, morti, quo testaretur ueram naturæ cognationẽ, & fidem faceret illum non deserturum eos, pro quibus tantum malorum subisset, quosq; sibi tam arcta necessitudine copulasset.

Vnde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, & fide- 12
lis pontifex ad deum, ut repropitiaret delicta populi. In eo enim in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis qui tentantur auxiliari.

Congruebat igitur, ut ijs quos sibi fratres esse uoluit, per omnia similis redderetur, quo maiorem illis fiduciam præberet impetrandæ ueniæ, quod is qui pontificis munus obijsset, ut apud deum intercederet, expiaturus peccata totius populi, omneq; mortalium genus illi reconciliaret, hoc argumento uideretur misericors & fidus futurus erga suos, quod non solum esset eiusdem naturæ, uerumetiam quod ipsi contigisset, innumeris huius mundi afflictionibus explorari probariq; quo facilius uideretur succursurus ijs qui malis huius mundi uexarentur. Potuisset quidem deus uno uerbo nos saluare, & ex morte in quam nati, eripere, sed nos nunquã satis intrepide potuissemus credere, nedum in cordibus diuinæ beneuolentiæ certificari. Voluit ergo hac redemptionis uia longe optima, incredulitati nostræ succurrere, & salutis æternæ ita nos q; certissimos reddere.

CAPVT III.

VNde fratres sancti, uocationis cœlestis participes, considerate apostolum & pontificem confessionis nostræ Iesum, qui fidelis 1
est ei qui præfecit illum, sicut & Moyses in omni domo eius.

Quemadmodum prioribus capitibus Christum filium dei & angelis præcellentiorem probauit: ita hoc & sequẽti eundem Mosi præfert, ut sic colligat Christum q; religiosissime audiendum: id qui non faciat, grauiter puniendum, & à populo dei exterminandum. Alludit autem ad prophetam, Deute. 18. Prophetam è fratribus uestris suscitabit uobis deus uester, similem mei, illum audietis. Docet autem Hebræos Christi præcellentiam, quam habet præ Mose, dicens, Lubens fateor quod Moses certissimus propheta fuit, & fidelissimus in dei ecclesia, & qui huius imperium contempsisset, dignas luere pœnas debuit. Sed & Christus noster fidelis est illi, qui se constituit, quiq; eundem audiendum, ut dilectum filium cœlitus iussit. Hunc qui contemnet, quomodo ultionem dei mortemq; præsentissimam effugiet? Certe si de fide Mosis non dubitatis, multo minus de fide Chri

sti dubitare potestis, ut qui infinitis partibus hunc excedit, & fallere ne potest qui dem, tantum abest ut uelit. Nihil ille uobis contulit, quod in Christo non plenius accipiatis, si fide susciperе hunc libeat.

2 Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus, quãto am pliorem honorem habet domo qui fabricauit illam. Omnis nanq; do mus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia creauit, deus est.

Considerate, inquam, quanta dignitate pręmineat apostolus à deo nobis mis sus, qui & pontifex nostræ professionis, euangelicæq; ueritatis, Christus Iesus: quamq; pure & integre se gesserit erga deum, à quo fuit constitutus super to tam ecclesiam. Quemadmodum Moses laudatus est, quod fidelem ministrum se gesserit in tota synagoga, quæ est familia dei. At Christus tanto plus honoris ac dignitatis promeruit, quãto plus debetur honoris ei qui condidit domum, quàm domui ipsi. Siquidem omnis domus ædificatur ab aliquo. Porrò qui condidit o mnia, deus est. Moses igitur sic uersatus est in domo dei, ut ipse pars esset domus, non author. Moses quidem gloriam habet, sed qualem creatura, Christus uero ut creator. Valde etiam glorioſus fuerat Moses, nam ore ad os deo loquutus est: quę dignitas & gloria nullis ex prophetis item contigit. At longe glorioſior hoc Chri stus est, qui in monte Tabor aliquo modo splendorem propriũm discipulis reue lauit. Splendor autẽ uultus Mosis non aliud fuit, q̃ umbra ueritatis, quæ in Chri sto illuxit. Tanto ergo superior Christus est Mose, & omnibus hominibus, quan to superior est architectus domo à se constructa. Dicens aũt deum omnia creasse, Christum deum sensim indicat, præmolliendo animos Hebræorum, ut inoffensi accederent ad credendum, Christum quoq; filium dei deum.

3 Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius tanquam famulus, in testimonium eorum quæ dicenda erant, Christus uero tanquam filius in domo sua, quæ domus sumus nos, si fiduciam & gloriam spei usq; ad fi nem firmam retineamus.

Meretur quidem hoc Mosis pietas, ut apud nos magnæ sit authoritatis, quod in tota domo dei bona fide uersatus sit, sed tanquam minister ac dispensator, non tanquam filius aut dominus. Ille uersabatur in domo aliena, hic in sua. Ac Moses typos tantum & umbras rerum adferebat, earum quas post Christus erat imple turus & explicaturus. At Christus, ut conditor ac filius, administrauit domum suam ipsius, cuius domus sumus nos, qui per euangelicam professionem aggre gamur illius ecclesiæ, si modo perseuerauerimus in eo quod instituimus, hoc est, si in concordia domus permaneamus, & fiduciam quã nobis tribuit spiritus Chri sti, simulq; gloriosam spem, qua ceu germani filij dei fratresq; Christi cœlestẽ hæ reditatem expectamus, ad finem usq; firmã & illabefactatam tenuerimus. Nihil enim nobis proderit audisse doctrinam euangelicam, nisi perseueremus uiuere iuxta doctrinam euãgelicam: imò hoc grauius puniemur, quo maior est qui per se nobis dignatus est loqui.

4 Quapropter sicut dicit spiritus sanctus, Hodie si uocem eius audieris tis, nolite obdurare corda uestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto, ubi tentauerunt me patres uestri, probauerunt & uiderunt opera mea. Quadraginta annis propter quod infensus fui ge nerationi huic, & dixi, Semper errant corde. Ipsi autem non cognouerũt uias

uias meas, quibus iurauí in ira mea, Sí introibunt in requiem meam.

Docere uult tota epístola Chriſtum eſſe audiẽdum, & eſſe ingens periculum non audituris, maxima merces credentibus. Id uero oſtendit patrum exemplo ex uerbo dei, per ſpíritum ſanctum reuelato, quod nefas ſit contemnere. Porrò hæc ponuntur in Pſal. 94. aliquanto diuerſius in Hebraico, q̃ hic citantur ex Græcis. Explicantur autem pulcherrime, docendo quantum ſit malum incredulitas, exacerbatio contra domini uolũtatem, tentationes carnis, cordis prauitas, ob quæ à terra promiſſa & requie deſiderata excludímur. Dicit ergo, Meminiſſe uos oportet, quod in Pſalmo myſtico loquitur ſpiritus ſanctus, adhortans populũ, ut obediat uocí diuinę, ne prouocatus ille, grauiter illos puniat, & à promiſſa requie ſecludat. Hodie, inquit, ſí uocem eius audieritis, ne obduretis corda ueſtra, ſicut feciſtis cum deum exacerbaretis, murmure ac rebellione ueſtra, eo die quo patientiam ueſtram explorabat in deſerto. Vbi, inquit, tentauerunt me patres ueſtri, ut explorantes, an is eſſem, qui poſſem punire nocentes, & experti ſunt iram meam: & qui dictís credere nolebant, uiderunt opera mea, idq; annis quadraginta. Tantum enim temporis in deſerto circumacti ſunt, cum ex Aegypto profugi peterent terram, in qua promiſeram illis quietem. Quapropter offenſus eram illi genti, ac mecum dicebam, Hi ſemper errant corde, ſequentes ſuas cupiditates, neq; cognouerunt uias meas, imò patientia & longanimitate mea abutentes, pertinacius in peccatis ſuis progreſſi ſunt. Atq; ob hanc inobedientiam iratus iurauí, Profecto nunquam fore, ut ingrediantur terram, in qua pollicitus ſum illos requieſcere à laboribus itinerum. Quod autem grauiſſime peccarint, ex pœna inflicta colligít: nam, duobus Ioſue & Caleb exceptis, omnis multitudo quę egreſſa fuerat Aegyptum, proſtrati ſunt in deſerto, & à terra promiſſionis prohibiti, posteros tamen eorum introduxit. Tam graue peccatũ eſt, uocem domini nolle audire, neq; fidem imbibere. Diſcamus autem & nos & ex conſequentibus locis ab Apoſtolo modũ explicandi ſcripturas, et utiliter ac religioſe tractandi in eccleſia.

Videte fratres, ne quando ſit in aliquo ueſtrum malum incredulitatis, diſcedẽdi à deo uiuo, ſed adhortamini uoſmetipſos per ſingulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex uobis fallacia peccati.

Audiſtis fratres, deum patribus noſtris comminantem, non peruenturos ad terram promiſſam, ni perſeueraſſent obedire iuſſis ipſius. Ac nos quidem per baptiſmum liberati à delictís uitæ prioris, egreſſi quidem ſumus ex Aegypto, nunq; tamen perueniemus ad immortalitatem promiſſam in cœleſtibus, niſi perſtiterimus in obſeruatione fidei & charitatis euangelicæ. Sin reſpicimus Aegyptum relictam, hoc eſt, ſi relabamur ad priſtinæ uitæ cupiditates, excludemur à conſortio uitæ cœleſtis. Videte igitur & circumſpecti eſtote, nam ſummum hic periculum incumbit negligentioribus. Videte ne ſit in ullo ueſtrum cor prauum, ac rebelle iuſſis euangelicís, aut obnoxium incredulitatí, ſic ut reflectens ſeſe ad relicta uitia, & mortis príncipem diabolum, deſciſcat à deo uiuente. Quin potius quotidianis hortatibus confirmate uos inuicem ad perſeuerantiam, in tolerandis huius uitæ laboribus, quibus deus explorat ſyncéritatem fidei ueſtræ. Quandiu dicitur dies hodiernus, quanto tempore deus nobis loquitur, & ad pœnitentiam inuitat, & corda noſtra pulſat, dũq; gerimus hoc mortale corpus, & adhuc in huius mundi deſerto non abſq; periculo peregrinamur, ne quis fractus huius uitæ malis, ab inſtituto itinere ſeducatur illecebra peccandi. Quemadmodum olim Hebræi ma

iores noſtri, pertæſi laborum diutinæ profectionis, propter tranſgreſſiones id me
riti, deſiderabant procaciter nidorem ollarum quas reliquerant in Aegypto.

6 Participes enim Chriſti effecti ſumus, ſi tamen initium ſubſtãtiæ eius
uſq; ad finem firmum retineamus, dum dicitur, Hodie ſi uocem eius au-
dieritis, nolite obdurare corda ueſtra, quemadmodum in illa exacerbatio
ne. Quidam enim audientes, exacerbauerunt, ſed non uniuerſi, qui pro-
fecti ſunt ab Aegypto per Moſen.

Sumus quidem inſiti corpori Chriſti per baptiſmum ac fidei profeſſionem,
ſed ita ut noſtro uitio poſſimus excidere, nec aliter in hæreditatem immortalita-
tis nobis promiſſam peruenturi, niſi felicitatis initium ac fundamẽtum, quod per
euangelium in nobis iactum eſt, ſolidum & inconcuſſum tenuerimus uſq; ad fi-
nem, ſemper proficiẽtes in eo quod cœptũ eſt, admoniti per hoc quod nobis ſem-
per dicitur, Hodie ſi uocem eius audieritis, nolite obdurare corda ueſtra, ſicut in
exacerbatione. Quidã enim audita uoce dñi, non obedientes, exacerbauerunt il
lũ, indignationem illius in ſe prouocantes: at non omnes id fecerunt qui profecti
fuerãt ex Aegypto, duce Moſe, atq; ijs ſanè datũ eſt peruenire ad terram, lacte &
melle manantẽ. Sic nos quoq; tandẽ capaces erimus nobis promiſſorũ, ſi in fide
perſtantes, cum reſurgẽte Chriſto reſurrexerimus. Si enim caput reſurrexit, cur
non & mẽbra reliqua? Si ſponſus, profecto & ſponſa. Fides certe ſemen illud eſt,
quod copioſiſſimum affert fructũ, & dat, ut imperterriti à malis ſæculi ualeamus
ſubſiſtere, & firmam tenere confeſſionem. Repetit eandem ſententiam, quamuis
alijs uerbis.

7 Quibus autem infenſus eſt quadraginta annis? Nónne illis qui pec-
cauerunt, quorum cadauera proſtrata ſunt in deſerto? Quibus autem iu-
rauit non introire in requiem ipſius, niſi illis qui increduli fuerunt? Et ui-
demus quia non potuerunt introire (in requiem ipſius) propter incre-
dulitatem.

Tria de incredulis dicit. Primum, quod exacerbauerũt deum. Deinde, quod
infenſos in deſerto occidit propter peccata ſua, eorumq; cadauera proſtrauerit
paſſim in deſerto. Poſtremo, quod eis ingreſſum in requiem negauit. Iſta omnia
manent etiamnum Chriſtum non audiẽtes. Interim tamen uidemus utrobiq; ue-
racem fuiſſe deum, qui quidem & præſtiterit morigeris quod promiſerat, & ino-
bedientibus, quod fuerat comminatus. Peruenerunt illi ſua patientia & fide ad
promiſſam ſibi & optatam requiem, Caleb & Ioſue, cum filijs melioribus impio-
rum. Illi non potuerunt ingredi propter incredulitatem & pertinaciam, qui fue-
rant ab initio numerati omnes.

CAPVT IIII.

1 Timeamus ergo ne fortè relicta pollicitatione introëundi in re-
quiem eius, exiſtimetur aliquis ex nobis deeſſe.

Nihil accipiũt in diſtributionibus qui poſtremi ſunt tardeq; uenien-
tes. Caueamus igitur nos, ne tardius ueniamus, & pœnitẽtia nimium ſera duca-
mur. Alludit autẽ ad uirgines fatuas, quæ cum negligentes fuiſſent, & emptum
irent oleum, quæ paratæ erant intrauerunt cum ſponſo ad nuptias, clauſaq; eſt ia
nua: illæ uero adeuntes, aperiri ſibi petunt, ſed audiunt, Non noui uos. Ad hunc
ſenſum ait, Quod noſtris maioribus tum erat Moſes, hoc nobis nunc eſt Chri-
ſtus.

stus. Ac terrena requies erat ad quam illi properabant, nos tendimus ad requiem cœlestem. Metuamus igitur negligere uocem dei, quæ nobis quotidie loquitur per euãgelium: & quemadmodum ex illis complures sua culpa frustrati sunt expectatione promissæ quietis, ita contingat, ut ex nobis etiam uideatur aliquis esse frustratus, nec assequatur ad quod ire cœperat.

Etenim & nobis nunciatum est quemadmodum & illis, sed non profuit illis sermo auditus, non admixtus fidei ex ijs quæ audierunt. 2

Pergit in enarratione testimonij prophetici, ut faciat eos alacriores in audiendo. Ne uero uideatur temere in hoc citãdum incidisse, sicq; torquere scripturam uelle magis q̃ fideliter adducere, diligenter admodum omnia tractat. Nos similiter promissionem accepimus, ut illi qui ex Aegypto exiuerunt, & ab eodem deo de longe feliciore requie: idq; per legatũ multo certiorem q̃ illi. At illis nihil profuit accepisse promissionẽ quietis, & hactenus audisse uocem domini, propterea quod non crederent auditæ: ita & nos quoq; longe grauior pœna manet, luce ueritatis iam nobis oborta, si pari incredulitatis uestigio insistamus.

Ingrediemur enim in requiem qui credimus, quemadmodum dixit, 3
Sicut iurauí in ira mea, Si introibunt in requiem meam.

Introimus in ueram requiem, quæ nesciet ullos malorum tumultus, nos qui credimus uoci dominicæ, quemadmodum contrà negat ingressuros qui non crediderint, dicens, Sicut iurauí in ira mea, si introibunt in requiem meam: cum tamen prima dei requies iam multis retro sæculis præcessisset, nimirum operibus illius in orbe condẽdo perfectis, & in huius quietis memoriã Iudæi sabbathismum suum celebrent.

Et quidem operibus ab institutione mũndi perfectis: dixit enim in 4
quodã loco de die septima sic, Et requieuit deus die septima ab omnibus operibus suis. Et in isto rursum, Si introibunt in requiem meam.

Significat aliam nobis quærendã requiem, q̃ terræ promissionis promissam: nimirum quam dominus significauit, cum iam omnia cõdidisset. Triplex autem est quies uel sabbathũ: Vnum apud Mosen, cum deus ab omnibus operibus quiescens, qui tamen usq; modo & semper operatur. Alia quies, iuxta historiam, quam habuit populus in deserto: nõ enim laborauit, sed obambulauit expectãs promissam terram. Tertia quies superest, de qua hic Dauid scribit cum futuri sunt electi in deo, in Christo propter fidem & gratiam: idq; in regno cœlorũ, quæ est uere credẽtium, quæ perficietur in resurrectione nouissima. Interim hæc caro molesta est iugiter, & urget ad pugnam, sicut tunc relictæ sunt gentes in terra promissa, & exercitabant populum bellis.

Quoniam ergo superest introire quosdam in illam, & ij, quibus prio- 5
ribus annunciatum est, non introierunt propter incredulitatem, iterum terminat diem quendam, Hodie, in Dauid dicendo, post tantum tempo. ris, sicut supra dictum est, Hodie si uocem eius audieritis, nolite obdurare corda uestra. Nam si eis Iesus requiem præstitisset, nunquam de alia loqueretur posthac die.

Ex his igitur quoniam sequitur, deum primo introisse in suam requiem condito mundo, & in secundam paucos ingressos fuisse propter incredulitatem, &

tamen uanam fore promissionem, nisi populus aliquis ingrediatur prioribus exclusis, quibus in umbra legis erat promissa requies, quã tamen non sunt ingressi quibus erat promissa, rursus Psalmus mysticus per os Dauid post tot annos à possessa Palæstina præfinit alium diem, quem non Septimũ sed Hodiernum uocat, quemadmodum sæpe iam dictum est. Etenim si Iesus Naue filius, quo duce quidam ingressi sunt Palæstinam, præstitisset Israelitis requiem ueram, nequaquam deus per os Dauid alterius diei postea meminisset. Alioqui dicere poterãt, Quam nouam requiem nobis proponis, cum promissam teneamus regnantes in terra Iudææ? Alia ergo intelligenda est requies promissa, ad tempora Christi per Christum, quæ sunt præsentia & æterna. Nunc enim omnes uocamur per euãgelium ad pœnitentiam, & per Christi iustitiam & merita tandem quoq; ad felicitatem, & in deo requiem semper duraturam, in cœlestibus durantem, & in fide nunc inchoantem.

6 Itaq; relinquitur sabbathismus populo dei. Qui enim ingressus est in requiem eius, etiam ipse requieuit ab operibus suis, sicut & à suis deus. Festinemus ergo ingredi in illam requiem, ut ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum.

Alius igitur restat sabbathismus populo dei, restat aliqua requies non in Palæstina, sed in cœlesti patria, quò properamus duce Iesu Christo, quod tamen nõ continget, nisi sabbathismum euangelicum hic pure celebrauerimus, abstinẽtes ab operibus huius mundi. Quisquis enim ingressus est in hanc ueram requiem dei, iam & ipse conquieuit ab operibus suis, quemadmodum deus conquieuit à suis orbe condito. Siquidem perductus est ad eam uitam, quæ nullum habet laborum aut dolorum tumultum. Ergo dum adhuc in huius uitæ deserto peregrinamur, ne moremur, ne respectemus, sed iugibus studijs, sed ardentibus uotis properemus in ueram illam requiem, ad quam uocat Iesus dux noster: neq; committamus, ut aliquis nostrum concidat in uia, quemadmodum illi conciderunt. Non enim erit nobis leuior pœna, si simili peccemus exemplo.

7 Viuus est enim sermo dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usq; ad diuisionem animæ & spiritus, compagum quoq; & medullarum, & discretor cogitationum, & intẽtionum cordis. Et non est ulla creatura inuisibilis in conspectu eius, omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius, ad quem nobis sermo.

Non est negligendum quod minatur sermo diuinus, uerbum dei Iesus Christus. Nam uiuus est & efficax, ac penetrantior quouis gladio, utrinq; incidens: neq; solum incidens membra corporis, uerumetiam intimos affectus animi, adeo ut dissecet animam à spiritu, dissecet compages omnes ac medullas mentis, discretor cogitationum arcanarum & consiliorum cordis nostri. Adeo nihil illum fallit humanæ cogitationis, ut nulla sit usquam oñino creatura, neq; in cœlo, neq; sub terra, quæ illius oculis non sit manifesta, sed omnia nuda sunt ac resupinata oculis eius, cui nobis erit uitæ nostræ reddenda ratio. Vt olim non fefellit deum murmur Hebræorum, nec opus erat ullo gladio ad perdendos illos, nisi iussu diuino: ita non fallet nunc Christum, qui professus euangelicam uitam, furtim amat ea quæ mundi sunt, neq; syncero affectu properat ad promissam requiem.

8 Habentes ergo pontificem magnum, qui penetrauit cœlos, Iesum fi-

lium

lium dei, teneamus spei nostræ confessionem. Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia, pro similitudine, absq; peccato.

Quia iam initium facit tractandi de sacerdotio Christi, posset omnino rectius caput hic incipi, sed pulchre tamen ista superioribus connectuntur. Proposuerat Christum considerandum apostolum & pontificem confessionis nostræ, supra capite 3. nunc consequenter qualis ille sit pontifex, qui sua intercessione & merito remissionem peccatorũ, & uitam nobis impetrauit explicare instituit, sicq; uiam dicendis parat, uelutiq; summã eorum perstringit. Habuerunt Iudæi olim Iesum filium Naue, qui illos in terram promissionis induxit. Habemus nos Iesum, non solum hominis filium, sed & dei, qui nos in sui & patris cognitionem, adeoq; terram uiuentium & cœlestem patriam inducit. Ille transijt Iordanem cum populo, ultra quem Moses peruenire non potuit, at noster Iesus cœlos ipsos penetrauit: ultra Iordanem hunc & mundum illo duce populus in terram promissam inductus, apprehendit ciuitates & agros, nos Christo duce municipatum in cœlesti Hierusalem & consortiũ diuinitatis. Quo autem præstantiorem ducem nacti sumus, eo etiam excellentiora beneficia & dona accepimus. Cum igitur habeamus pontificem uere magnum, Iesum Christum filium dei, qui peracto sacro pro nobis reconciliandis, non ingressus est aditum templi manibus structi, sed penetrauit cœlos, nobis propitiaturus patrem, perseueremus in confessione nostra, sequentes uiam quam ille monstrauit, & properantes ad ea quæ ille promisit. Ne nos deterreat illius magnitudo, sed magis animum addat clemẽtia. Agit ille quidem in cœlis, prius autem homo uersatus fuerat in terris. Ne igitur imaginemur nobis esse pontificem, qui non possit tãgi sensu nostræ imbecillitatis. Tentatus est ille omni genere malorum, quibus obnoxia est uita nostra, at uictor repetijt cœlos, ne nos delassemur in afflictionibus, illius ope freti, & infractis animis pertẽdamus ad requiem æternæ felicitatis, ad quã ille peruenit. Nec enim ob aliud ille afflictus est, cæsus est, consputus est, crucifixus est, uelut nocens, cum esset innocẽs, q; ut nos qui uere nocẽtes eramus, purgaret ab omnibus peccatis. Non mutauit erga nos affectum suum, modo ne illum alienemus nostra peruersitate.

Adeamus ergo cum fiducia ad thronũ gratiæ eius, ut misericordiam 9
consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.

Freti illius clementia accedamus ad thronum eius non terribilem, sed placabilem, & ad iuuandum paratum, non ad perdendum, accedamus cum fiducia, nihil hæsitantes, ut consequamur misericordiam, qua nobis peccata nostra condonet, & gratiam quæ nos cœlestibus bonis instruat & opituletur quoties res postulabit. Neq; enim ab alio sunt nobis postulãda præsidia, q; unde speramus prẽmia. Recte autem thronus gratiæ dicitur Christus, constituit enim pater omnes quotquot saluat, in nomine Christi saluos facere. Viderint hic isti, qui ad alium quàm ad hunc thronum ducunt, uel per se eunt. Certe Christus dicit, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, &c. Ego sum ostiũ, per me si quis introierit &c. Ego sum uia, ueritas & uita, &c. Nemo uenit ad patrem &c. Subiunxit, Ad opportunum auxilium, hoc est tum cum tibi fuerit optimum. Sic enim deus credentibus ingentia uult impartiri bona, sed suo tempore, atq; adeo cum adflictis acceptissimum futurum est, partim ut desiderium nostrum ad se uehemẽtius alliciat, partim ut sic in necessitate cõstitutis, auxilium eo gratius sit, agnoscaturq; is esse qui uoluntatem timentium se faciat.

CAPVT V.

1 OMnis nanq; pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in ijs quæ sunt ad deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis, qui condolere possit ijs qui ignorant & errant, quoniam & ipse circundatus est infirmitate, & propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis.

Hæc superioribus connectenda sunt, & cohærent hoc modo. Ostendit quadam similitudine, talem oportere esse conditionem sacerdotis, ut possit compati illis pro quibus uictimas offert. Sacerdotis enim est intercedere pro populo, ut fiduciam erga deum bonam habere possint. Quemadmodum Aaron stetit inter deum & populũ qui peccauerat, & sese iam indigniorem putabat, q̃ ut ipse deum adire deberet: per alium ergo se digniorem Aaronem deo obtulit. Ea autem est Apostoli sentẽtia: Apud Iudæos solenne est, ut omnis pontifex ex hominibus delectus constituatur in hoc, ut in his negotijs quæ inter deum & homines agũtur, interpellet pro hominibus ceu medius quidã inter utroscp; ut si quid offensus sit deus peccatis mortalium, is illum donarijs ac uictimis rite oblatis recõciliet. Qui propter authoritatem pontificiæ dignitatis sic ualeat apud deum, ut tamen nõ sit alienus ab humana imbecillitate, quo placabilior sit ijs qui per ignorantiam erroremcp; deliquerunt, propterea quod ipse sit obnoxius eidem imbecillitati, ob naturam communem. Facilius enim alienis malis indolescunt, quos experientia similium malorum docuit misericordiam, ac lubentius succurrit aliorum erratis, qui ipse labitur nõnunquam, aut certe non abest à periculo lapsus. Atcp; hanc ob causam Mosaicus sacerdos quemadmodum immolat hostiam pro peccatis populi, ita debet & pro suis peccatis immolare. Porrò Christus sic habuit naturam nobiscum communem, doloribus mortiq; obnoxiam, ut tamen expers esset omnis peccati. Pœnam expertus est maximam, sed nobis salutarem, peccati nescius.

2 Nec quisquã sumit sibi honorem, sed qui uocatur à deo quemadmodum & Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificauit ut pontifex fieret, sed qui loquutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit, Tu es sacerdos inæternum secundum ordinem Melchizedek.

Iuxta Mosaicos ritus nemo sibi ultro uendicat atcp; usurpat honorẽ pontificiq; functionis, sed hunc tantũ sumit, qui huc iussu numinis asciscitur, quẽadmodum ascitus est Aaron. Siquidem honore uidetur indignus, qui per arrogantiam ambit dignitatem, & parum idoneus est ad functionem qui semet ingerit. Atcp hac quoq; in parte Christus legitimi pontificis exemplũ præbuit: nec enim ultro uindicauit sibi gloriam pontificiæ dignitatis, sed approbatus est à patre, qui primum agnouit Iesum uerũ filium suum, cum ait, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Mox etiam uerum & legitimum sacerdotem constituit, cum ait, Tu es sacerdos inæternum, &c. Videmus ergo ex Apostolo docẽte, à quo sacerdos sit institutus dominus Christus. Sequitur quomodo probatus, officio suo probe functus est.

3 Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesq; ad eum qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore ualido & lachrymis offerẽs, exauditus est pro sua reuerentia.

Cum

Cum adhuc Christus mortale corpus gestaret in terris, preces & obsecratio-
nes obtulit deo patri, non tantum in supplicio crucis constitutus, sed totas noctes
insomnis orans, pro his qui saluandi erant. Patrem orauit qui ipsum à crucis sup
plicio seruare poterat, nisi maluisset morte filij mortalium saluti consulere. Obtu
lit autem ingenti affectu, cum ualido clamore, ex affectibus summæ charitatis,
cum uoce magna emitteret spiritum, ac profusus lachrymis, ex commiseratione
maxima ad homines ingratos, exauditus est pro charitate simul & dignitate, qua
ualet sic apud patrem, ut impetrare possit quicquid uoluerit. Voluit aũt impetra
re à patre, non ut supplicium crucis effugeret, sed ut sua morte nobis pararet salu
tem. Sensit horrorem, sensit cruciatum uiolentæ mortis, tantoq; grauioris, sed ui
cit amor humani generis. Voluit hanc humilitatem uere obediens patri in se su-
scipere, nimirum nobis in exemplum. De nullo sanctorum docemur, ut propria
reuerentia uel dignitate sit exauditus, præterquam de uno saluatore Christo. Ex-
audiuntur quidem sancti, sed si patrem orent in nomine Christi.

Et quidem cum esset filius dei, didicit ex ijs quæ passus est obedien- 4
tiam, & consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa
salutis æternæ, appellatus à deo pontifex iuxta ordinem Melchizedech.

Filius erat, & nihil non erat impetraturus à patre, si postulasset: sed ita uisum
est, magis congruere nostræ saluti, ut omnibus malis afflictus, ad crucis usq; sup-
plicium præberet suis perfectæ obedientiæ formam. Rogatis quid profecerit hæc
tolerãtia sacerdotis nostri? Sic modis omnibus spectatus est ac probatus, ut nihil
in eo desideraretur: non solũ seruauit seipsum, sed causa fuit salutis omnibus, qui
hoc obedientiæ exemplum imitantur. Impetrauit enim à patre, ut quos habuisset
socios afflictionum, haberet & regni consortes. Ob sacrificium rite peractum, co
gnominatus est à deo Pontifex secundum ordinem Melchizedech. Conferri huc
debet illud de humiliatione Christi in cruce, & exaltatione eius nominis, ex epi-
stola ad Philippenses. Obedientes autem uel obtemperantes intelligit fideles qui
audiunt uocem Christi, illis est enim author uitæ, causa & origo salutis æternæ.

De quo nobis grandis sermo, & interpretabilis ad dicendum, quo 5
niam imbecilles facti estis ad audiẽdum. Etenim cum deberetis magistri
esse propter tempus, rursum indigetis ut uos doceamini quæ sint elemen
ta exordij sermonum dei.

Quis autem fuerit Melchizedech, & qua congruentia filium dei significaue-
rit, & quasi in typo multipliciter præfigurarit, multa nobis essent maiorum obser
uata mysteria, dicenda & explicanda, sed omnia perdifficile fuerit enarrare uo-
bis, eo quod aures uestræ parum capaces sunt huius sermonis, & traditionis acce
ptæ à maioribus atq; imbecilliores, q; ut sermonem tam arduum tamq; prolixum
ferre possint. Qua quidem in re studium uestrum ac profectus ardorem desidera
re cogor, qui cum tot annis sitis professi Christum, & eius mysteria in scripturis
scire & didicisse debueritis, ut pro tempore modo debeatis esse doctores aliorũ,
rursum opus sit, ut uos doceamus prima rudimenta, ac ueluti elemẽta scripturæ
diuinæ, quæ ceu pueris tradi solent his, qui per baptismum renascuntur euange
lio, quosq; iam robustos ac firmos esse decebat in euangelica philosophia, uelut
infantes teneri infimæ doctrinæ lacte adhuc egeatis, potius q; idonei sitis solido
cibo sublimioris eruditionis. Adhuc hæretis, ac ueluti repitis in historia diuinæ
scripturæ, necdum assurgitis ad sensum abstrusiorem, unde mũdi totius salutem

dudum promissam, & nunc in Christo domino manifestatam fidelibus in mũdo, agnoscatis, & eam tanquam uobis familiariter notam & missam, grati amplectamini, cooperatoresq; euangelij fiatis posthac, qui hactenus eiusdem persequutores fuistis. Dicens autem eos magistros esse debere propter tempus, fidelibus omnibus loquens ex Hebræis cõuersis, satis ostendit iuxta Chrysostomum, etiam laicos debere docere Christum, sed in scripturis sacris sufficienter instructos, quacunq; illud in lingua fiat. Neq; enim prophetæ populi sancti, Græce nouerũt nec Latine, & ex pastoribus quoq; assumpti sunt ad euangelizandi & prophetandi officium electi à domino, non sua temeritate currentes, uel præsumptione adacti, ut quidam nostris temporibus, qui magisterium sibi docendi arrogarunt, eorum quæ nunquam didicerũt, destituti quoq; spiritu sancto, quemadmodum inuidiæ & pertinaciæ suæ uerbis & moribus ostenderunt.

6 Et facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo. Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ, paruulus enim est.

Idem istis uerbis dicit, quod & prioribus. Præposterе sublimiora tradũtur his qui ultra infantilia instituta de ceremonijs & externis pædagogijs nondum promouerunt ad puram & solidam pietatis doctrinam. Habẽt & spiritualia suos gradus. Ceremonias autem & prima elementa lac esse, patet ex 1. ad Corinth. 3. Ego non poteram uobis loqui ut spiritualibus, sed ut carnalibus, ut pueros in Christo lacte uos potaui, non solido cibo, nondũ enim poteratis. Quasi diceret, Opus habebatis correptione tanquam pueri, quibus dicitur, Ne irascamini, ne superbiatis, non adulteretis, neminem fraudetis, alioqui legis uindictæ superuenient uobis, multa uobis mala accersetis. Declarat autem quid dixerit solidum cibum, addens, Sermonem iustitiæ, cuius nondum sint capaces: nempe obmissis sacerdotij ceremonijs, & purificationibus, Christum agnoscere & amplecti unicum sacrificium, & pro peccatis totius mundi propitiationẽ, mediatorem & saluatorem perfectum. Hic cibus solidus est, sed perfecte Christianorum, non adhuc legalia admirantium, propter templum adhuc consistens in scandalum multorum, sed citius auferẽdum cum suis ceremonijs, quæ lactis nomine explicabat cibo puerili. Quamuis & solidus dici cibus possit, scientia mysteriorum, quæ per externa præfigurabantur, qualis erat & in prophetis & patribus Christum credentibus, & futura mysteria clare intelligentibus & credentibus. Verum lactis participem & infantem in Christianismo non reijcit, neq; ex fideliũ grege excludit, quamuis non dum inter perfectos sit connumerandus. Videant igitur quid agant, qui in negotio pietatis omnia statim perfecta uolunt, indeq; ecclesiam dei misere scindunt, & imperfectioribus aditum præcludunt. Perfectos autem uocat non perfectione uitæ seu operum, sed scientię uel cognitionis, qui non amplius pueri sunt sensu, sed sensus & oculos mentis exercent in scripturis, ut possint discernere inter bonum & malum, inter iustitiam fidei & operum, inter legem & euangelium. Qui uero externa tantum admirantur & curant, hi infantium more lacte sunt nutriendi, & doctrinis communioribus. Dicit ergo,

7 Perfectorum autem est solidus cibus, eorũ qui pro consuetudine exercitatos habent sensus, ad discretionem boni ac mali.

Sermo & doctrina Christi, inquit, tradit nobis perfectam iustitiã, eis qui iam ad maiora profecerunt. Solidus enim cibus & altioris intelligentiæ donum perfectorum est, horum scilicet, qui longa assiduaq; meditatione sensus habent exercitatos, ad boni maliq; discretionem. Quomodo autẽ fiunt sensus nostri exercitati? Ex

Exusu scripturarum, ex frequenti auditione & meditatione uerbi dei, spiritus sancti instinctu, quo inter ueritatem synceram & hæreses uarias discernere possint, & uerbis dei sanè intellectis tuto adhærere, bonumq; à malo separare.

CAPVT VI.

VApropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad 1
perfectiora feramur.

Pergit in excutiendo tepore Hebræorum, exhortando, ut se parent ad capienda ardua ista mysteria, relictisq; initijs & primis elemẽtis, desinant tandem esse paruuli in philosophia Christiana, pergant autem ad perfectionem, hoc est ad perfectiorem Christi cognitionem sermonemq; iustitię. Vocat autem initia sermonis Christi, sicut supra præceptiones illas, quæ infirmioribus tradũtur, initia uel elementa, quales sunt de rebus externis, de suscipiendis sacramentis, & id genus alijs. Quasi diceret, Non amplius admoneo uos de his ceremonijs ac ritibus, quibus olim instituti estis & asueti, iam magis ardua tractanda ueniunt, ad quæ cupio & exhortor accingamini.

Non rursus iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mor- 2
tuis, & fidei ad deum, baptismatum doctrinæ, impositionis quoq; manuum, ac resurrectionis mortuorum, & iudicij æterni.

Qui olim adulti baptizabantur gentiles idololatræ & criminosi, admonebantur diligenter pœnitentiæ agendæ, deinde petebatur ab eis confessio fidei, posiea lauabantur, & imponebantur manus, cum cõtestatione generalis articuli, quem olim quoq; & ante idololatriã, & Græcorum inanem philosophiam, profitebantur omnes pij, omniũ ferè gentium, resurrectionis mortuorũ in corpore, & eterni iudicij piorũ & impiorum, in uitam & mortẽ æternam. Nec à talibus excludebantur mysterijs imperfecti sensu, sicut neq; infantes fideliũ. Primus autem gradus, & quasi fundamentum iaciebatur ad Christianismum, uitæ superioris agere pœnitentiam, à peccatis recedere. Deinde, ut doceamur à deo sperandam & petendam esse ueram innocentiam ac salutem: mox ut baptismo sacro purgemur à sordibus uitiorum, & innocentiæ restituamur: sub hæc per manus impositionem ac cipiamus spiritũ sanctum: utq; credamus futuram resurrectionem mortuorum, simulq; iudicium illud supremum, quod alios addicet æternæ felicitati, alios æternis cruciatibus.

Et hoc faciemus, si quidem permiserit deus.

Hoc est, relictis istis puerilibus, ad perfectiora feramur, tractemusq; magis ar- 3
dua, et ad adultos nos propius spectãtia. Et quia sibijpsi aliquid arrogare planè hominis est superbi, commodum adiunxit, Siquidem deus permiserit. Nihil enim possumus, destituti diuina gratia. Discamus & nos hic humiliter de nobisipsis sentire, & illum agnoscere ex quo sunt omnia, & de diuinis ubiq; honestissime loqui & caute.

Impossibile est enim eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam 4
donum cœleste, & participes facti sunt spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum dei uerbum, uirtutesq; uenturi sæculi, & prolapsi sunt, renouari rursus ad pœnitentiam, rursum crucifigẽtes sibimetipsis filium dei, & ostentui habentes.

Si quis hyperochã hic statuat ab Apostolo admissam, simplex & clara erit sententia: quam apud nostrum H. Bullingerum clare & breuibus tractatã inuenies.

Sunt alij, qui post Ambrosium & Chrysostomum condepedentiã exigunt, & sim pliciter quoq; exponunt, quos adducere Lectori studioso conabimur. Non enim ut multi hoc loco offendimur, eatenus ut hanc epistolam ceu minus propterea ap probatam credamus, quasi hic Apostolus contra tot loca scripturæ alia & mani festa negarit pœnitentiam, iuxta Nouatianorum hæresim, dicentiũ, Baptizatos, si denuo in peccatum prolabantur, nulla condonatione donandos, cum septies in die cadat iustus. Obuiare uerius uidetur Apostolus hoc loco eis, qui dicere au dent, Licebit negligẽtius nobis uiuere, & nõ nimis anxie à peccatis cauere: quan doquidem iterum poterimus baptizari ab huiusmodi operibus mortuis: denuo enim catechizabimur, & abluti toties spiritum sanctũ accipiemus. Etiãsi nunc à fide paulisper deciderimus, iterũ poterimus baptizari, peccata abluere, & eadem bona percipere, quæ primo acceperamus. Erratis, inquit Apostolus, ista putãtes, impossibile est enim, eos qui semel illuminati sunt per baptismi sacramẽtum, præ uia spiritus sancti illustratione, qua & gustauerunt dei cœlestia dona, quę omnia contingere solita fuerũt in baptizatis. Nam istis huiusmodi magnificis laudibus & circũscriptionibus, denotari uidetur mysterium baptizatorum. Sic enim pri sci honestissimis nominibus appellarunt baptismum, dicentes illud sacramẽtum illuminationis, quæ fiebat per illapsum sancti spiritus, & immutationis animæ in sanctimoniam sensus & mẽtis, quod hic dicit gustamen uerbi dei, & bonitatis di uinæ. Non opus est, inquit, nec omnino fieri debet, ut qui post baptismum semel rite perceptum, iterum peccauerit, rebaptizetur, ut sic dicere uelle uideatur, A gámne uobiscum ut cum pueris? Num semper uobis tradã puerilia? Quin ut im possibile est quenquam iterum baptizari: ita quoq; impossibile est, ut cum fructu magno quisquam his doceatur puerilibus. Doctrinam quidem possemus in me dium afferre, sed sacramentum denuo concedi alicui non admittimus. Quare au tem hoc? Quia id uideretur iterũ crucifigere in se filium dei, & ludibrio expone re. Baptismus enim mortẽ significat & crucem Christi. Roma. 6. Quicunq; bapti zati sumus &c. Et Coloss. 2. Consepulti simul cum illo per baptismum &c. Qui bus significatur, baptismus esse figura mortis, crucis & sepelitionis Christi. Ideo quãdo quis rebaptizatur, de eo dicitur, quod denuo filium dei crucifigat, hoc est non credat, uel non se credere ostendat pro se Christum crucifixum: & ita quan tum in se est, denuo ipsum crucifigi dici potest. Alioqui scimus Christũ amplius nõ moriturum, neq; enim mors illi ultra dominabitur. Interim aperte hic habes, recte dici posse, filium dei crucifixum: id autem per communicationem proprie tatum, sicut Lucas habet, Sanctum quod nascetur, uocabitur filius dei. Non est ergo hic negata peccantibus Christianis uel excluſa pœnitentia, ait Chrysosto mus, sed renouatio per lauacrum regenerationis. Vide locum.

5 Terra enim sæpe uenientem super se bibens imbrem, & generãs her bam opportunã, illis à quibus colitur, accipit benedictionem à deo, pro ferens autem spinas & tribulos reproba est, & maledicto proxima, cuius consummatio est in combustionem.

Comparatio apta est, qua Hebræorum erigit animos, & puerilem perstringit ignauiam. Alludit autem ad illud Geneſis 1. de creatione germinũ & herbarum, & ad dicta homini, Terra, inquit es, & in terram conuerteris. Homo carnalis ter ra est, & ea inculta: qui quandiu non irrigatur superna ac cœlesti pluuia, tandiu manet aridus, nullosq; spirituales & deo gratos fructus proferet, sed tribulos & fructus carnis, quę sunt iniustitia, siue carnalia opera, digna quę excindant & in gehennam

gehennam conijciantur. Vult autem dicere, Nisi habeatis uberiorem Christi cognitionem, non solum pueris similes estis, quibus lacte est opus & rudimētis, sed & terræ sterili atq; maledictæ, quæ diu culta, tamen adhuc manet semper infrugifera, tribulosq; producit pro frugibus, nullamq; ad cultorē transmittit utilitatem. Terra autem quæ crebris pluuijs fœcūdatur, fructum producit: sic profectū eruditionis sacræ adfert, qui uerbi dei fuerit auditor attentior.

Confidimus autem de uobis dilectissimi meliora & uiciniora saluti, 6
tametsi ita loquimur.

His uerbis aperit quo cōsilio duriora uerba orationi suæ immiscuerit. Sumo, inquit, hunc modum loquendi, ob commodum uestrum, & exhortandi gratia. Non quod hæc quæ diximus de terra sterili, in uos competant, imò de uobis meliora nobis persuasimus, charissimi. Quæ salutem uestram promittant auxiliante deo, potius q̄ exitium: tametsi similitudinem hanc produximus, quo in uobis studium euangelicæ pietatis exacuamus, ne relangueſcētes, paulatim deueniatis ad extremum malorum.

Non enim iniustus deus, ut obliuiscatur operis uestri, & dilectionis 7
quam ostēdistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, & ministratis.

Video aliquos fructus haud contemnēdos terræ uestræ, quos non feciſtis coram mundo, tanquam illi placituri, sed in oculis dei, cuius gloriæ unice uos addixistis: profecto opus uestrū & labor quem ex charitate non ficta suscepistis, apud deum nunquam intermorietur. Quos fructus? Charitatis, inquam, erga fratres uestros fideles sanctos, quæ certe indicium est, uos esse filios dei, cuius misericordiæ affectum etiam in uobis tanquam non degeneres filij cupitis exprimere, idq; in malos pariter ac bonos: in sanctos tamen præcipue, tanquam in domesticos fidei, quibus primas debemus merito. Non ut Pharisæi feciſtis, qui recte factorum laudem quærunt ex hominibus, mercedem suam ut nomen glorioſum reportēt. Vos gloriæ dei studetis, cum benefacitis: manet itaq; uos uestra merces, quam olim deus reddet in propatulo, qui de facultatibus & officijs uestris & olim subministrastis sanctis, per quos nomen Christi prædicatur, & adhuc etiam submi-
nistratis.

Cupimus autem unumquenq; uestrum eandem ostentare solicitudi- 8
nem, ad expletionem spei usq; ad finem, ut nō segnes efficiamini, uerum imitatores eorum, qui fide & patientia hæreditabunt promissiones.

Ea autem gratia hæc diximus, quod cupimus, ut in eo quod facitis perseueretis omnes, inter quos sunt nonnulli languidiores q̄ uellem: nec perseueretis modo, uerumetiam ut magis ac magis indies proficiatis, donec perueneritis ad perfectionem, ut quod nunc de uobis bene spero, plane cōfidam, uidens uos semper in melius progredi, proculq; abesse à periculo eorum qui segnescentes paulatim relabuntur in uitam pristinam, sed eorum potius uestigijs ingrediētes, qui fidentes Christi promissis, tenaciq; spe præmiorum cœlestium perueniunt ad hæreditatem immortalis uitæ, quam suis promisit in regno cœlesti. Qui diffisi promissis dei, respectabant Aegyptum relictam, non peruenerūt ad terram promissam, sed Abraham constanter fisus dei promissis, etiam reclamante natura, consequutus est quod expectarat. Vult nimirum deus, quemadmodum 1. Pet. 1. dicitur, ut operam demus, ut uocationem & electionem nostrā firmam efficiamus. Quod sanè nihil aliud est, q̄ ut declaremus eam spem quæ in nobis est, per bona opera, ut lu-

ceat lux noſtra, ut non tantum nobis uiuamus, ſed & alijs benefaciamus, exple-
nitudine fidei in deum, qui nos ſtrenuos eſſe iuſſit in charitate ad proximos, cu-
ius nobis exemplũ ſtatuit, Chriſtum pro nobis mortuum, & ſanctos patriarchas,
quos cumulauit beneficijs, & promiſſis ditauit. Per fidem ergo reſignati diuinæ
uoluntati, longanimiter inhæreamus patrum ueſtigijs, id quod & mihi de uobis
omnibus polliceor, cuius iam charitatis indicia oſtendiſtis inſigniter.

9 Abrahæ nempe promittens deus, quoniã neminem habuit per quem
iuraret maiorem, iurauit per ſemetipſum, dicens, Niſi benedicens benedi-
cam te, & multiplicãs multiplicabo te. Et ſic longanimiter ferẽs, adeptus
eſt repromiſſionem.

Hæc ſententia interciſa, partim cohærẽt præmiſſis, nempe; Imitatores eorum
qui per fidem &c. Huius hic ſingulare exemplum de Abrahã inducit, ut qui præ
alijs excellenti fide & longanimitate clarus, promiſſionũ compos factus eſt: par-
tim uero ad ſcopum totius epiſtolæ pertinet, & maxime ob dictum Pſalmiſtæ, Iu
rauit dominus, & non pœnitebit eum, tu es ſacerdos inæternum, ſecundum ordi
nem Melchizedech. Inde enim cœpit ſupra digredi, attentiorẽ ſibi paraturus au-
ditorem, nunc tandem ad inſtitutum redit. Senſus eſt, Quia Chriſtus iureiurãdo
conſtitutus eſt ſacerdos, tutiſſime illi confiditur. Eſto per patientiã mora aliqua
ferenda ſit, donec ingrediamur: neq; enim meliores ſumus q̃ Abraham, ille ſi cre
didit iurãti deo, & de promiſſis non dubitauit, multo magis nos credamus, & lon
ganimes nos præſtemus, tantum habentes ſacerdotem. De fide autem Abrahæ,
de promiſſis & expectatione, legas in ſuo loco, Gene. 12. Poſtquam enim uiginti
quinq; annis promiſſionem ſeminis firmiter perſuaſus expectauit, tandem cente
nario iam natus eſt Iſaac, quem adultum iam, paratus fuit iubenti deo occidere
holocauſtum, Gene. 22. Sicq; audiuit hæc uerba, locis ſuis tractata; hic autem iu-
xta Septuaginta interpretum translationem allegata. Poſt natum autem Iſaac ui
xit 75. annis, & filios miſit in Orientẽ, ancillam cum Iſmaele eiecit, Iſaac retinuit.
Et iuxta tempus ſenſim promiſſionem impleri cõſpexit carnalibus quidem filijs,
ſed in Chriſto benedicto ſemine clarius, felicius & copioſius implendam cogno-
uit. Explanat autem nunc fuſius rationem iuramenti.

10 Homines enim per maiorem ſui iurant, & omnis cõtrouerſiæ eorum
finis ad confirmationem, eſt iuramentum, in quo abundantius uolens
deus oſtendere pollicitationes hæredibus, immobilitatem conſilij ſui, in-
terpoſuit iuſiurandum, ut per duas res immobiles, quibus impoſſibile
eſt mentiri deum, fortiſſimum ſolatium habeamus, qui cõfugimus ad te-
nendam propoſitam ſpem.

Rationem hanc ex uulgi conſuetudine adducere uoluit, Homines enim cum
ſibijnuicem animos peruidere atq; introſpicere non poſſunt, nunquam ſatis cer-
ti de illis ſibi uidentur, niſi accedat iuramentum, nomenq; dei inuocetur. Direm-
pturi itaq; lites, per longe ſuperiorem ſe deum iurant, hocq; honoris illi deferunt,
ut qui cum ſcrutetur corda & renes, perdatq; omnes loquẽtes mendacium, non
ſit inultus permiſſurus nomen ſuum inuanum aſſumi. Deus itaq; electis conſilij
ſui firmitatem & immutabilem ſententiam excellentiſſime declaraturus, infirmi-
tati noſtræ attemperare ſe uoluit, quo promptiores ad credendũ illi efficeremur,
in eo quod non tantum promiſit, ſed & iuramento promiſſum cõfirmauit. Et iſtæ
ſunt duæ res immutabiles, de quibus hic ſermo eſt. Iam quemadmodum impoſſi-
bile

bile est, ut deus ipsissima ueritas fallere in promissis possit: ita etiam in iuramento interposito, mentiri nunquam potest. Et hoc si apud homines dubium tollit, multo magis apud deum. Quomodo ergo non habeamus ualidam cõsolationem, nos potituros esse olim requie, & proposita spe, id est beatitudine promissarũ rerum & speratarum? Discimus hoc loco, iuramentum non esse per se malum, quando deum hic quoq; iurasse homini legimus: uerum si id fiat similiter, saluis scilicet ueritate, iustitia, iudicio, fide & misericordia, sine aliqua mentis impostura uel proposíti, tunc cum iurat, ut tunc omnino nolit quenquam fallere iurãdo. Et beatiores quidem futuri eramus, si iureiurando nihil esset opus: sed quia tanta est hominum infirmitas & incredulitas in hac uita, eo inter homines carere nõ possumus.

Quam sicut ancoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem usq; ad interiora uelaminis, ubi præcursor pro nobis introiuit Iesus secundum ordinem Melchizedech pontifex factus in æternum. 11

Ista cordis nostri consolatio per solidam fidem & spem in ueritatem promissorum dei animæ nostræ est uelut ancora, refugiũ, & id quo tuto innitemur: ita spiritus sanctus obsignat corda nostra, & est nobis arra & pignus salutis æternæ. Ex hoc est enim quod deum patrem inuocare possumus, sicut qui tempore tempestatis missa ancora, certi de quiete nauis sunt & statione: ita nos spe & consolatione quam habemus in hac ærumnosa uita, plena periculis & procellis, ancoram cœlo immittimus, certi ne portas inferorum nobis præualere posse. Pij & fideles in terra non habitant, quamlibet sint adhuc in ea, conuersatio enim eorum in cœlis est, ubi & ipsorum thesaurus. Quemadmodum in mari quidem est nauis adhuc consistens in littore, sed extra periculum: ita nos quoq; credentes de salute certi sumus, trãsiuimus enim de morte ad uitam. Incedere autem ad interiora uelaminis, periphrasis est eius, quod est Penetrare cœlos: sumpta similitudine à templo uel tabernaculo, in quibus sanctum sanctorũ distinguebatur ab alia parte sancta, in quod sanctũ sanctorũ solus summus sacerdos ingrediebat, & id semel in anno. Sic Christus dominus noster, & summus pontifex, primogenitus ex mortuis, præcursor factus omnium saluandorum, præcessit ad cœlestia, non sui sed nostri gratia, qui & subsequemur præeuntem. Vbi enim caput, ibi membra non deerunt. Prior ingressus est in cœlum, ut non dubitemus eò nos quoq; peruenturos, cœlosq; penetraturos. Ibi autem Christus pontifex noster interim semper intercedit pro nobis, ut nec desperare possimus, nec altos quoscunq; implorare intercessores & supplices pro nobis cœlites. Omnibus enim credentibus ad salutem abundè sufficit, qui id honoris cõcedit nulli, propter quem et incarnatus uenit in mundum, & in dextera dei sedet.

CAPVT VII.

Hic enim Melchizedech rex Salem, sacerdos dei summi, qui obuiauit Abrahæ regresso à cæde regum, & benedixit ei, cui & decimas omnium diuisit Abraham. Primum quidem qui interpretatur Rex iustitiæ. Deinde autem & Rex Salem, quod est rex pacis. 1

Persuadere cupiens Hebræos Apostolus, fidem in Christum, docuit primum excellentiam eius super prophetas & angelos. Deinde quæ mala maneant eius contemptores. Et tandem quæ bona expectanda Christo fidentibus, nempe peccatorum remissionem, gratiam dei, & accessum ad deum liberrimum, tanquam per sanctissimum patriq; acceptissimum summum sacerdotem Christum. De cu-

ius sacerdotio latius loquuturus, digressione usus est, ad excitandum auditores, ut bene considerēt omnia. Nunc subijcit de Melchizedech prædicto, quis fuerit, & qualis. Ostendens eiusdem sacerdotium typum gessisse Christi, dicens regale esse illud, iustitiæ, uirtutum, & spirituale, æternum & felix. A quo multum differat sacerdotium Aaronicum, seruile, crassum, carnale, temporariū & finiendum. Explicat autem locum Gen. 14. satis obscurum, sed hic à Paulo erudite & pie expositum. Quis enim Melchizedech fuerit, explicat primum ex nomine: dicitur enim Rex iustitiæ, in Salem, quod pacem interpretantur, dicturq; sacerdos altissimi, quæ nomina Aaronitico sacerdotio non conueniūt. Sacerdos autem dicitur, non à prolatione panis & uini, sicut nec ab immolatione pecudum, quæ carnalis sunt sacerdotij, sed à iustitia, pace, charitatis officio, quibus placatur deus, qui spiritu coli uult & ueritate. Hæc uero nomina excellentissima Christo conueniunt, qui dominus est, & rex iustus noster, & rex uerus ecclesiæ, in Ierusalē electorum urbe & ecclesia. Ipse enim solus consummatam habet iustitiam: qua & credentes in illius nomen iustificat, non ex operibus, quamlibet in speciem iustis. Solus ergo rex iustitiæ Christus est, ad hæc rex pacis & pacificus maxime dicitur, qui per sanguinem suum pacificauit, quæ sunt in cœlo & in terra. Est enim unica pax nostra. Cuius quoq; figura Salomon typus fuit. Quia autem tanta iustitia & donis cōspicuus est præ omnibus participibus suis, recte dicitur sacerdos altissimi, quem comprobauit per omnia, cui complacuit in eo inhabitare uniuersam diuinitatis plenitudinem. Et sicut Melchizedech pauit exercitum Abrahę omni genere edu liorum, quod panis nomine Hebræis notatur, & laudauit dominū, qui Abrahæ in manus tradidit inimicos suos. Sic Christus panis uiuus est, quo fideles de peccato uictores pascuntur & confortantur, quibus se totum tradidit affectu maximæ charitatis suæ. Quod autem Abraham huic sacerdoti decimas dedit de omnibus, id nimirum ex spiritus reuelatione fecit, ueneratus in illo Christū summum sacerdotem, quem & per fidem uidit, & credidit de se nasciturū. Huc quoq; Apostolus respexisse uidetur, simulq; diligentiam nobis in sacris tractandis commendauit. Cui non est dissimile factum Alexandri Magni, redeunti de uictoria contra Darium, & summum pontificem Hierosolymis procedentem honorifice adorranti. De quo Iosephus cap. ultimo, lib. Antiquitatum 11. Glorioſe autem loquitur cum dicit, Regresso à cæde regū, ut tāto glorioſior æstimetur Melchizedech. Glorioſissimus autem Christus, cuius hic gessit figuram.

2 Sine patre, sine matre, sine genealogia, neq; initium dierū neq; finem uitæ habens, assimilatus autem filio dei, manet sacerdos in perpetuum.

Sacerdotium Christi & regnum æternum esse probat per locum etiam ab authoritate negatiuum, suo modo probantem in sacris. Certū quidem est, quod Melchizedech non subito à terra prognatus apparuerit absq; parentibus, & immortalis. Vnde & Apostolus caute dicit, Assimilatus est. Iudaica autē temeritas est, asserere Melchizedech fuisse filium Noa Sem, qui tamen istis temporibus adhuc uiuere potuit, sed scriptura non dicit. De Aarone quoq; scimus, quos parentes fratres & cognatos, quemq; uitæ finem habuerit cum suo sacerdotio. De Melchizedech autem omnia hæc ex scripturis ignorantur, ideo non sunt asserenda. Proponit autem nobis eum, quasi semper uiuat, perpetuoq; ut dictū fungatur sacerdotio, in quo adumbrat nobis sacerdotem Christū perpetuum, qui & intercedit pro nobis, cuius etiam dignitas patri est sacrosanctissima, ut purificet suos inæternum credentes. Hic absq; patre est, si naturam spectes humanam, absq; matre, si diuini-

diuinitatem: & ita absq; initio dierum, & fine uitæ. Nam generationem eius, inquit Isaias propheta, quis enarrabit?

Intuemini autem quantus sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis 3
Abraham patriarcha.

Quoties Apostolus illustria adducit testimonia, alijs insuper pro more confirmat, ne quid temere, maxime in allegorijs, dixisse uideatur, ut sit hoc loco. Propositam historiam non satis habet ad literam inspexisse, nisi etiam quid mysterij subsit explicet. Contemplemur, inquit, tanti patriarchæ Abraham dignitatem, quantoq; interuallo præcesserit sacerdotij Melchizedech, magis autem legalis & Aaronici dignitatem. Nusquam legimus tanta dominum operatum per hunc sacerdotem & regem, atq; per illum Abraham. Deinde etiam uidebitur cõueniens magis, quod Melchizedech Abrahæ tanto victori munera decimasq; dare debuerit, quàm Abraham qui promissiones acceperat, In semine tuo benedicentur omnes gẽtes. Sed quia hic Christi typus est, recte ipsi Abrahæ præfertur: idq; in duobus, Sacerdotij dignitate, & decimarum acceptione. Non solum enim tantus patriarcha dignatus est ab hoc Melchizedech recipere benedictionem, post cædem regum peractam, uerumetiam de spolijs dedit illi decimas. Leuiter autẽ adumbratur hic omnia, postea plenissime impleta in Christo.

Et quidem de filijs Leui sacerdotium accipientes, mandatum habent 4
decimas sumere à populo secundum legem, id est à fratribus suis, quamquam & ipsi exierũt de lumbis Abrahæ. Cuius autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham, & hunc qui habebat repromissiones, benedixit. Sine ulla autẽ contradictione, quod minus est, à meliore benedicitur.

Apostolus uult ostendere, Melchizedech regem & sacerdotem præstãtiorem esse ipsi Abrahamo patriarchæ, ex quo consequetur, fuisse etiam eundem maiorem omnibus filijs Abrahæ: sic quoq; etiam Leuitis, & adeo ipso Aarone, & omnibus sacerdotibus succedentibus. Dicit autem Leuitas ipsos ob prærogatiuam specialem diuinitus acceptã à contribulibus suis decimas accepisse iuxta legem: non ex natura meritas, sed electione & mandato dei. Sic enim mãdauit dominus de triplicibus decimis, In singulis annis, de oĩnibus primitijs, singulis quoq; trienijs, & decimas insuper decimarum à Leuitis. De quibus Num. 18. & Deute. 14. Sic enim ordinatum est à domino, ut qui genus ducerent à Leui, succederent in functionem sacerdotij, & ministerij diuini, decimas acciperent à fratribus suis reliquis Israelitis omnibus, hoc est, Abrahę posteris & Israelis. Neq; longius se tunc porrigebat ius & dignitas Leuitarum. Verum Melchizedech cum alienus esset à genere Abrahæ, uel etiam Israelitico, decimas tamen accepit ab ipso gentis totius authore Abraham, & benedixit ei, à quo iuxta promissionem dei proditura erat natio Israelitica. Extra controuersiam autem est, Id quod minus, ab eo quod maius est, benedictionem accipere. Quisquis enim benedicit, uelut authoritate sua comprobat quod gestum est. Porrò comprobãdi ius penes superiorem esse solet, non æqualem aut inferiorem. Abraham autem decimas dedit Melchizedech regi, ergo eidem non fuit superior, multo minus Aaron & sui. Fuit ergo Melchizedech maior Abrahæ, & omnibus ex eo prognatis. Primum ex ratione accipiendi decimas, deinde etiam propter typum quem gessit. Decimas dantes testati sunt omnia se habere ex benedictionibus domini: ita Abraham decimas dans de spo-

lijs, uictoriam non suis uiribus, sed deo acceptam ferendam agnoscit. Faciunt autem hæc omnia ad Christi domini dignitatem, qui secundum ordinem Melchizedech sacerdos est inæternum, longe excellentior q̄ Aaron & sui filij. Benedicit quoq; in se credentes benedictione spirituali in cœlestibus, facitq; ut opus dei in eis augescat indies magis ac magis, donec tandem in uirum perfectum occurrāt. Cui uicissim debemus, non iam sextam, octauam aut decimam, eorum quæ nostra sunt, à deo nobis donata sponte, sed nosipsos totos, & quāti sumus. Quicunq; etiam Christo quicquam præfert, indignus est illo. De obligatione decimarum, uide in lege Mosis & Christi. Lex est naturæ & opus charitatis, prouidere ministris ecclesiæ, & indigentibus in ea, nec laborare potentibus. Id commodius fit per decimas, iuxta dei ordinationē, ac legem naturæ. Quamuis si ex alijs oblationibus, & æquo salario foueantur ad honestatem, nihil refert, tantum ut præceptum naturale charitatis non negligatur, quod digni sint operarij suo cibo, sententia dei, 1. Corinth. 9. Gal. 6. & 1. Timoth. 5. Qui & à nobis requirit curam pauperum, uiduarum & orphanorum per sacra Biblia passim. Viderint interim qui bona hæc ecclesiastica recipiunt, ne abutantur, si ministrent fideliter ecclesiæ, ut digni sint huiusmodi bonis ecclesiasticis, memores se rationem reddituros de omnibus ei quem fallere non poterunt.

5 Et hic quidem decimas morientes homines accipiunt, ibi autem contestatur quia uiuit. Et, ut ita dictum sit, Per Abrahā & Leui, qui decimas accepit decimatus est: adhuc enim in lumbis patris erat, quando obuiauit ei Melchizedech.

Clarius iam cōfirmat, sublimiorem fuisse ipsum Melchizedech ipsi Abrahæ, quia asserit ipsum non tantum pro seipso dedisse decimas, sed & pro sua tota prosapia, etiam pro Leuitis omnibus, ipsorum quoq; omnium nepotibus, qui adhuc in lumbis ipsius erant. Reputauit enim se Abraham cum sua posteritate tāquam laicos, comparatione captata ad tantum sacerdotem dei altissimi. Cuius sic augebat æstimationem secum, ut pro se & suis promissis à deo posteris, nondum natis decimas domino dare uoluerit. Ipse quidē actu iam receptus in gratiā dei quam agnoscebat, & promissiones quibus solide credebat: illi uero posteri, potentia & uirtute. Hic uero obiter discamus, pueros esse in potestate parentum, non solum in malum, ut in Adam peccando, sed & in bonū: ut intelligamus hinc in Adam nos omnes peccasse, quemadmodum & in Abraham omnes fuerunt decimati, & deuoti deo: quandoquidem pars quædam parentum habentur. Melchizedech ergo est summus sacerdos, cui omnes reliqui legales sacerdotes, qualescunq; fuerint, decimas dederunt in parente suo Abraham. Aliam insuper excellentiæ eius causam affert Apostolus: Aaron, Eleazar, cum cæteris sacerdotibus Leuitici generis, mortales fuerunt, & decimas dederunt in Abraham. Sed is de quo est hoc testimonium, quod uiuat sine patre, matre & morte, decimas accepit, quandoquidem scriptura de illis nil memorat. Sublimius autem aliquid nobis in eo considerandum relinquit. Patris autem hic nomine ueniunt aui, abaui, attaui, &c. Nam satis constat Abraham non fuisse patrem Leui, sed Israel, qui nondum erat natus id temporis cum Melchizedech occurreret Abrahæ. Sed quoniā posteritas quodammodo censetur esse in authore gentis, ideo dixi ad hanc rationē, Leui Abraham dedisse decimas Melchizedech. Quod si perfecta religio pendebat à sacerdotio Leuitico, quemadmodum uidetur Iudeis, quod sub Aaron, qui tribus erat Leuiticæ, lex lata est, quid opus fuerat propterea alium exoriri sacerdotē, qui iuxta

Psalmum

Psalmum mysticum, non secundum ordinem Aaron, sed secundū ordinem Melchizedech diceretur institutus? Hoc est autem quod dicitur consequenter,

Si ergo cōsummatio per sacerdotium Leuiticum erat, populus enim 6
sub ipso legem accepit, quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchizedech alium surgere sacerdotem, & non secundum ordinem Aaron dici? Translato enim sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat.

Iudæi sacerdotij adeoq; ceremoniarum suarum pertinacissimi, & superstitiosissimium admiratores obijcere potuissent Apostolo, Audésne tu Paule, siue Melchizedech, siue Christum & ipsius sacerdotium præferre Leuitis & illorum sacerdotio, quod tātopere deus cohonestat, ut hoc unice perficiamur et sanctificemur? Ad hanc quæstionem tacitam respondet, dicens, Fallimini sanè uos, si sanctificationem propriè Aaronico sacerdotio adscribitis: nam si hoc est, profecto superuacaneum erat, ut alius sacerdos per Psalten promitteretur, qui esset secūdum ordinem Melchizedech, & nequaquam secundum ordinem Aaron, maxime cum reipsa plene absolutę nemo aliū qui absoluat superinducit, multo minus deus omnium sapientissimus. Patet itaq; Aaronicum sacerdotium cum suis ceremonijs, non satis esse ad sanctificationem, atq; adeo imperfectum & trāsferendum, id quod statim post dicit: Cum, inquit, legis authoritas ratioq;, coniuncta sit cum ratione sacerdotij, necesse est ut in aliam formam trāslato sacerdotio, commutetur & legis forma. Nam mutata tribus, satis declarat mutandum esse sacerdotij genus. Nam lex decimarum & sacrificiorum, unà cum sacerdotibus uim accepit. Erant enim fouendi, ut qui propriam possessionem in terra non acceperant, id quod non fuerat semper per omnia duraturū institutum. Erat enim multis nominibus imperfectum illud sacerdotiū, cui, ut fit in dei operibus, perfectius fuerat successurum. De quo Dauid est uaticinatus. Si enim Aaronicū sacerdotium perfectum fuisset, certo Christo conueniisset, quod non est. Translatum est ergo ut imperfectius, & simul cum ea lex ceremoniarum & decimarum. Non enim abrogata est tota lex, sicut nec sacerdotium, quod translatum est à mortalibus sacerdotibus ad immortalem sacerdotem Christum, qui dixit, Non ueni soluere legem, sed implere, nempe quæ sunt in lege imbecillia perficiendo, & non penitus abrogauit. Nam una pietas, & idem cultus dei, omnibus sæculis fuit & erit inæternum. Obseruatur enim sabbathum internū & perpetuum, à sabbatho in sabbathum, Cordis circumcisio & omnium sensuum docetur, & à fidelibus obseruatur, qui sese deo offerūt hostiam uiuam, sanctam & deo placentem ex fide uera.

In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu est, de qua nullus altario præ- 7
sto fuit. Manifestum est enim quod ex Iuda ortus est dominus noster, in qua tribu nihil de sacerdotibus Moses loquutus est.

Hoc dicere uult Apostolus, Ecce Iudæe, non est ut Aaronicum sacerdotium tantum tantopere extollas, postquam Dauid non de Aaronis, sed Melchizedech sacerdotio celebrauit Messiā, qui de tribu Iuda, & familia Dauid ortus est, de qua nemo unquam altari adstare debuit, ideoq; trāslatum est sacerdotium de Leui ad Iudam, ut imperfectum ad perfectius. Porrò deus non absq; summo consilio Christum saluatorem nostrum ex tribu Iuda uoluit exoriri, nō ex Leui, ne Iudæi alioqui superstitiosi in suum sacerdotium, adhuc superstitiosiores euaderent. Cæterum quod Apostolus dignitatē sacerdotij Christi tractat pluribus, necesse fuit, & ad firmandam fidem nostram mire utile. Quandoquidem gens Hebræa sacer-

dotium ſuum ceremoniasq́, & templum adhuc conſiſtens, maxime zelabant, proq́ iſtis tutandis tanquam pro aris & focis depugnare audebant, ut nihil hic & tunc ſuperuacaneum Apoſtolus dixerit.

8 Et amplius adhuc manifeſtum eſt, ſi ſecundum ſimilitudinem Melchi zedech exurgat alius ſacerdos, qui non ſecundum legem mandati carnalis factus eſt, ſed ſecundum uirtutem uitæ inſolubilis. Conteſtatur enim, Quoniam tu es ſacerdos inæternum, ſecũdum ordinem Melchizedech.

Docet in hac epiſtola Apoſtolus tribus rationibus, ſacerdotiũ Leuiticum inſufficiens eſſe. Prima, quia imperfectum ſit, & transferendum, ut dictum eſt. Secunda, quod imbecille ſit & inutile, quia neminem perficiat uel ſanctificet, illud nunc incipit. Tertia, quod non cum iuramento conſtitutũ, & ita nec perpetuum. Hic ergo adimit Iudæis gloriationem de ſacerdotio ſuo, quia probat carnale eſſe & infirmum, ideoq́ periturum. Carnis uocabulũ ſignificat infirmitatem. Omnis caro fœnum, &c. Et lex Moſaica ferè in carnalibus tantũ & perituris uerſata eſt. Caro enim circuncidenda, ueſtienda, purificanda, & nutrienda docetur. Deinde promiſſiones ſunt carnalium, ut pax, abundãtia frugum, uini, olei. At ſicut caro infirma eſt, ſic ſpiritus quoq́ immortalis, & ſacerdotium Aaronicum inualidum ac periturum. Chriſti autem lex & ſacerdotium ſpirituale eſt & indiſſolubile, potens ac perpetuum. Obſerua hic antitheſes quas poſuit, Lex mandati, potentiæ uitæ, carnale, indiſſolubile. Multum intereſt enim inter ritum ac uim utriuſq́ ſacerdotij. Illud enim Aaronicũ immolabat pecudes, præſcribebat craſſa; illud autem Chriſti, per gratiã cœleſtem perducit ad uitam æternam. Illa lotionibus ac uariis luſtrationibus purificabat carnem, hæc efficaciore uictima purificat animos. Et quemadmodum Aaron nõ manet inæternum: ita ſacerdotium illius non erat æternum. Et quemadmodum Melchizedech dictus eſt manere inæternum: ita ſacerdotium Chriſti nullum eſt habiturũ finem. Atq́ hæc in Chriſtum competere uere declarat Pſalmus, dicens, Tu es ſacerdos inæternum &c.

9 Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem eius & inutilitatem.

Temporarium ſacerdotium cedit æterno, & mortalis pontifex cedit immortali. Vt autem ſacerdotium imperfectius concedit perfectiori, ita lex imperfecta locum dat legi euangelicæ perfectiori, per quam uelut ſuo modo abrogantur ſcita Moſaica ueteris teſtamenti, ſecundum id quod imperfectius erat uel intelligebatur, eo quod nec ſatis haberent roboris, nec adferrẽt iuſtitiæ utilitatem, quã oportuit. Eatenus autem lex imbecillis dicitur & carnalis, quia eam ſolam cognoſcentes neglecta lege fidei & ſpiritus, non facti ſunt cõſummati. Qui autẽ utranq́ habuerunt, ut Abrahã, Dauid & alij, perfecti fuerunt, legem implentes ſpiritu ſpontaneo, non coacti. Lex externa quo magis urget, eo magis humana uirtus ſaucia tur & rea fit, magisq́ malum nobis allubeſcit: & ita remediũ quod debebat eſſe, deprauata natura ſibi uertit in uenenum. Legem autem reprobandam & abrogandam non aliter intelligendum, q́ ceremonialia cum templo, ara et ſacerdotio Aaronico auferenda, quæ maxima pars erant Moſaicæ legis, in cuius locum ſtatuendum eſt euangelium, docens cultum dei uerum in ſpiritu & ueritate. Quin & charitatem & fidem regulam eſſe omnium legalium, etiam ipſius decalogi, ceremonias finiendas, & abſq́ fide & ſpiritu domino non placentes, dudum prædixerant multis in locis prophetæ.

Nihil

Nihil enim ad perfectum adduxit lex, introductio uero melioris ſpei, 10
per quam proximamus ad deum: & quantum eſt non ſine iureiurando.

Alibi lex pædagogus dicitur, hic uero introductio ad ſpem meliorẽ, per quam deo appropinquamus. Hoc autem dixit, ne quis putet legem à deo fruſtra datam fuiſſe. Olim in lege ſperabant opes, longitudinẽ dierum, pacem, ſanitatem, & id genus alia: nos longe præſtantiora in Chriſto expectamus, remiſſionem peccatorum, & uitam æternam. Hanc utilitatem in Chriſto accipimus ſi illi fidamus. Libentius itaq; hunc audiamus, q̃ quemlibet aliorum, eſt enim uia, ueritas & uita.

Alij quidem ſine iuramento ſacerdotes facti ſunt, hic autem cum iure- 11
iurando, per eum qui dixit ad illum, Iurauit dominus, & non pœnitebit eum, Tu es ſacerdos inæternum. In tantum melioris teſtamenti ſponſor factus eſt Ieſus.

Tertia hic ratio notat̃, poſt duas de quibus in uerſu 8. ſupra, cur Chriſtus præ omnibus ſit audiendus, Sacerdotium Aaronicum cõſcientias non pacificat & ſanctificat, quemadmodum Chriſti. Ad hoc enim inſtitutum eſt, ut aliquando aboleretur. Chriſti autem ſacerdotium iureiurando confirmatum eſt, ut permaneat inæternum. Sed & alijs infinitis modis hoc præſtat illi. Quia autẽ pro prauitate mentis humanę ſurrepit de promiſſis dei dubitatio: quandoquidem de meritis noſtris nihil polliceri nobis poſſumus, ſubuenire uolens deus clementiſſimus incredulitati noſtræ, iurat nobis, neq; eius pœnitentia unquam ducitur. Hunc Chriſtũ fore noſtrũ perpetuum ſacerdotem, & interceſſorem procuratoremq; noſtrum uigilantiſſimũ apud patrem ſuum & noſtrum. Hic ergo fideiuſſor noſter, atq; adeo pignus ſalutis noſtræ, huic ſi credamus, nihil erit quod trepidemus. Sacerdotium autem Aaronicum conſtat ceſſaſſe in Hircano tempore Herodis, ubi factum eſt uenale, indicium ſuæ ceſſationis, ad reprimendum faſtum Iudaicum pro uel ex ſuo ſacerdotio finiendo, & ad erigendũ fiduciam electorum è gentibus, aſſequendæ felicitatis oblatæ in Chriſti ſacerdotio æterno.

Et alij quidem plures facti ſunt ſacerdotes ſecundum legem, idcirco 12
quod morte prohiberentur permanere: hic autem eo quod maneat inæternum, ſempiternum habet ſacerdotium, unde & ſaluare in perpetuum poteſt, accedẽtes per ſemetipſum ad deum, ſemper uiuens ad interpellandum pro nobis.

Clarius explicatur his uerbis hæc oratio, In lege Moſaica neceſſe erat plures inſtitui ſacerdotes, uel ut ſtatis uicibus fungerent̃ ſacerdotio, uel quod mors non ſineret eoſdem ſemper permanere in functione, ut habet nonnihil incertitudinis ſponſor ſubinde mutatus. At hic noſter unus eſt pro omnibus, non eget ſucceſſore, ſed quia manet inæternum, perpetuum habet ſacerdotium. Vnde quos cœpit ſaluos facere, poteſt ad perfectam ſalutem adducere: quippe qui ſemper habeant paratum ſacerdotem, per quem adeant patrem. Siquidem ſemper uiuit Chriſtus, in hoc, ut quoties opus ſit, pro ſuis deum interpellet. Neq; enim ſic immolauit uictimam, ut paucis ad breue tempus proſit, ſed ut omnibus, & in omne tempus ſit efficax, ad placandum deum. Quod autem dicitur, Vnde ſaluare poteſt in perpetuum accedentes &c. ſemper uiuens, hinc colligimus pontificis noſtri potentiam & promptam uoluntatem pro nobis intercedendi, quando neutrum abſq; altero conſcientiam noſtram ſatis pacificare poſſet. Quia autem certi ſumus, eum poſſe & uelle nos ſaluare, & perficere, non eſt quod de ſalute noſtra addubitemus, mo-

do per ipsum accedamus ad deum, qui solus est ostium, per quem uenimus ad patrem. Colligimus insuper, perpetuum sacerdotem nostrum semper pro nobis solicitum, non egere mortali uicario. Esto enim quod consideat ad dexteram patris, tamen nobiscum uult esse usq; ad consummationẽ sæculi: ecclesiamq; suam, hoc est electos, spiritu suo regere & conseruare potest præsens & uult, qui solus incrementi dator est eorũ quæ per ministros suos gerũtur, qui tantum sunt organa, per quæ ipse agit, qui solus est pontifex noster, perfectus & æternus.

13 Talis enim decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus. Qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes prius, pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi. Hoc enim fecit semel seipsum offerendo.

Non satis est inaugurari sacerdotio, nisi sancte & inculpate se gerat. Proponitur ergo nunc Christi sacerdotis nostri sanctitas modis omnibus perfecti, siue pietatem spectes ad patrem, siue iustitiam & innocentiam erga proximum, siue puritatẽ erga seipsum, ut nihil in eo queat desiderari. Pius quoq; dicitur, patri suo per omnia obediens, res omnes diuinas sanctissime tractans, uasaq; dei, quæ sunt electorum animæ, emundatissimas fecit, adeoq; suo sanguine purificauit. Innocens est, quia neq; lingua neq; manu uel aliter nocet. Sic Christus dominus non solum non regessit maledicta ipsum maledicentibus, imò pro crucifixoribus suis orauit & osoribus, ægrotos curauit, omnibus benefecit, innocenti ouiculæ à prophetis assimilatus. Impollutus re uera Christus, conceptus de spiritu sancto, natus per omnia sanctus, absq; omni labe peccati. Et sacerdotibus lex erat cauendi propha-nos, ne consortio uitiosorum polluerẽtur, Christus uero nihilo prorsus proclivis fuit ad aliquod peccatũ, unde & cum publicanis & peccatoribus tuto potuit conuersari, quorum contagio infici minime potuit. Accessit quidem eos, sed ut medicus ad ægrotos. Nunc uero postquam cœlos conscendit, est omnium maxime à peccatoribus segregatus: olim segregabimur & nos, cum hœdorum & ouiculaorum separationem iudex sæculi faciet. Sublimior autem cœlis factus dicitur, non solum cœlos humanitate sua superãs, sed & sanctos ipsos, quos scriptura aliquando cœlos uocat, in omnibus enim primas tenet & sanctus sanctorum iure appellatur. Cui non sit necesse &c. Nihil peccati in Christo cum fuerit, non necesse habuit pro propriis peccatis orare uel offerre, quemadmodum Leuitici sacerdotes ex lege tenebantur, primum pro suis, quibus non carebant quamlibet sancti haberentur. Deinde pro populi peccatis. Cum itaq; Christiani simus, regale sacerdotium, par est ut Christum summum nostrum pontificem pro uirili nostra imitari studeamus, ut pie, iuste & sobrie uiuamus in hoc sæculo, domino obsequamur, proximis utiles, innocenter uiuentes, peccata odientes. Hæc enim cum ab omnibus promiscue requirantur, maxime tamen omnium à uerbi ministris, tanquam ab exemplaribus gregis, quos ob uiuendi normam salem terræ necesse est esse, & mundi lucem. Maxime autem Christi perfectio uidetur in eo, quod unico opere, seipsum sacrificandi, satisfecit pro omnibus totius mundi peccatoribus. Sic enim dicit Apostolus, Semel & semetipsum sese offerẽdo. Vnica nanq; est ista oblatio, sufficientissima & efficacissima, pro omnibus saluandis, ut nulla reiteratione sit opus.

14 Lex enim homines constituit sacerdotes, infirmitatem habentes, sermo

mo autem iurisiurandi, qui post legem est, filium inæternum perfectum.

Mosaica lex ut erat imbecillis & imperfecta, sic pontifices constituebat obnoxios infirmitati: at sermo iurisiurandi, quē modo retulimus, qui declarat ueteri legi meliorem successurā, non hominem quemlibet, sed ipsum filium dei sacerdotem constituit inæternum, semper paratum atq; idoneum ad intercedendum pro nobis, ut quem neq; mors intercipere possit, nec ulla infirmitas obstet, quo minus sit idoneus ac perfectus pro nobis deprecator. Sic ergo patet ex prędictis differentia insignis inter sacerdotes reliquos & summos, inter seruum & dominum, ministrum & filiū. Christus enim dei filius cōsummatus est per omnia, æternus pontifex, dominus & ideo pontifex summus & perfectus.

CAPVT VIII.

1 Capitulum autem super ea quæ dicuntur, Talem habemus pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis, sanctorū ministeר & tabernaculi ueri, quod fixit deus, & nō homo.

Summa & scopus eorū quæ tot uerbis disseruimus, ea est, ut non posthac tantopere admiremur pontificem Mosaicū, cum habeamus tam modis omnibus excellentem pontificem, ut dexter assideat magnifico throno dei in cœlis, ut rite peragat nō sacra illa umbratica quæ præscripsit Moses, sed sacra uera cœlestia q; : uersetur q; intra tabernaculum non illud umbraticū, quod fixerat Moses & Beseleel, uel Salomon quoq;, sed in adytis ueri tabernaculi quod fixit deus, cœlestia dirimens à terrenis, in benedicto Christi & sacrosancto corpore, ueluti in arca aurea, unde responsa dantur salutis perfectæ & æternæ, adorātibus illum in fide & per eum sperātibus. Huc nanq; omnia diriguntur, ut agnoscatur esse filius dei, & in se credentes solus saluare. Potest autem illud quod præmittitur de capite, etiā ad præcedentia priore capite non inepte referri. Illa autem sessio Christi in throno, significat nobis eiusdem summā authoritatem & dignitatem, quia uere filius dei est, & æqualibus cum patre bonis potitur. Additur autem, In cœlis, quia in inuisibili gloria luceq; inaccessa dei est, quando sublimiora sunt ista magnifica maiestatis eius præconia, q; ut humanis sensibus percipi queant: ut intelligatur Hebræis Christus summo honore conspicuus, maximeq; ab omni creatura honorabilis. Non tamen sine eius summa quoq; humanitate & modestia, in maxima eius nobis seruiendi promptitudine. Seruit autem nobis dupliciter, semel per tempus dispensationis in carne mortali pro nobis moriturus: aliter quoq;, spiritū suum nobis impartiendo, cum donis & meritis suis, ad instaurationē ecclesiæ, & perficiendo etiamnum saluandorum salutem. Familiare quoq; scripturis est, sanctos uocare Tabernaculum, templum dei, ciuitatem, eo q; deus illorum pectora inhabitet, & gloriam suam in eis explicet. Illa autem tabernacula fixit dominus, omnes electos ante mundi constitutionem, ab æterno prædestinatos ad uitam æternam, in librum uitæ inscriptos sanguine Christi.

2 Omnis enim pontifex ad offerendum munera & hostias cōstituitur, unde necesse est & hunc habere aliquid quod offerat.

Alij sacerdotes olim multa obtulerunt, Christus minister sanctorum & uerus sacerdos, necesse habet aliquid offerre, preces nempe suas & lachrymas, quas obtulit in cruce pro nobis. Seipsum quoq; totū, hostiam uiuā patri: idq; semel, cuius sanguis etiamnum intercedit pro nobis & sufficientissimum est, ad expiationem peccatorum nostrorum: ideoq; temerariū est dicere, Christum adhuc offerri ministrum sacerdotum. Id quod Romanenses hactenus in sua Missa se facere iactauc-

runt, nunc autem aliter exponunt.

3 Si ergo esset super terram, nec esset sacerdos, cum essent qui offerrent secundū legem munera, qui exemplari & umbræ deseruiunt cœlestium, sicut responsum est Moysi, cum consummaret tabernaculum. Vide, inquit, omnia facito secundum exemplar quod tibi ostēsum est in monte.

Christi authoritatem commonstrat, quia sit cœlestis, nō terrena. Eum ergo in cœlis quærendum docet ad dexteram patris: ibi autem non offert donaria, & lecuia illa externa, ut sunt uaria animalia bruta, sed seipsum: unicoq; suo sacrificio omnia ista, quæ typus erant, cōplectitur absolutissime. Id scripturis probat, Exodi 25. Ea enim quæ in lege præcesserunt umbram fuisse ueritatis in Christo subsequuturæ. Quæ & Moses uidit in monte, nempe per suum tabernaculū quod erexit, significari ea quæ futura postea essent in ecclesia. Maxime uero Christū uenturum, ecclesiam erecturū, in quam effunderet de spiritu suo. Hoc cœleste tabernaculum & perfectum, omnibus fidelibus ueteris testamenti aliquo modo cognitum fuit, uerum hoc solus Christus inhabitat. Exponūt quidem Iudæi, exemplar illud uisum Mosi, aliud non fuisse, q̄ depictam formam constituendi tabernaculi, & omnium pertinentium ad illud, quod deus uoluerit imitari Mosen. Sed hoc nihil est, sublimius aliquid hic considerandum proponitur, q̄ illud temporale ædificium paruo tempore corruptū. Quin Moses in spiritu uidit aliud, nempe Christi sacerdotium æternum, & præter externum etiam uerum tabernaculum, in quo diuinitas corporaliter inhabitatura erat, Christus scilicet, qui quæ iuxta spiritum gessit cœlestia sunt, ad cœlum prouehunt, merito cœlestia dicta, ad Mosaici sacerdotij crassitudinem collata.

4 Nunc autem melius sortitus est ministerium, quanto & melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est.

Vult dicere, Ne putes Christum contemptibili aliquo ministerio fungi, nam tanto sublimior minister est, quanto sublimius testamentum & fœdus per ipsum habemus. Ipse est conciliator summi fœderis & mediator, eo quod per hoc fœdus longe meliores promissiones nobis sancitæ sunt q̄ Iudæis. Illis quidē promittere regnum terrenum, opes, pax, trāquillitas, bonus aër, & his similia: nobis uero æterna bona, remissio peccatorū, & cœlestis patriæ hæreditas: ideoq; Christi sacerdotiū longe sublimius est q̄ uetus. Illic pecudū cruore purificabant corpora, hic Christi sanguine animæ purificātur. Illic promittit terra Chanaan, hic promittuntur cœlestia prēmia. Atq; in hoc testamento cœlesti ritu intercedit inter homines ac deum, pontifex noster cœlestis.

5 Nam si illud prius culpa uacasset, non utiq; secūdi locus inquireretur.

Rationem prędictorum adducit. Si, inquit, prius illud testamentū tale fuisset, ut in eo nihil desideraretur, quemadmodum existimāt Iudæi, haudquaquā quæsitus fuisset locus secundo sacerdotio. Superuacaneum enim erat, aliquid adiungere perfectis. Quod si quis uelit colligere ex his, aliud quidem statuendum sacerdotium uel tabernaculum, sed non abolendum quod steterat, ideo alium locū & magis perspicuum adducit, quo abrogationem istarū docet clare ex Iere. 31. cap.

6 Vituperans enim eos dicit, Ecce dies uenient, dicit dominus, & consummabo super domum Israel, & super domum Iuda testamentum nouum: non secundum testamentum quod feci patribus eorum, in die qua appre-

apprehẽdí manum eorum, ut educerem illos de terra Aegypti, quoniam ipſi non permanſerunt in teſtamento meo, & ego neglexi eos, dicit dñs.

Reprehendit his uerbis propheta Iudæos, quia non firmi in lege perſtiterint, quæ tamen ſancta eſt, & naturæ legi conformis, quamuis hominem perfectũ reddere nequeat uel iuſtificare. Verum propheta hanc quoq; promiſſionẽ ponit in ter cæteras, eis qui redituri erant ex oĩbus tribubus Iſrael aliqui in Chriſti temporibus, qui dicũtur poſteriores, potius q̃ poſtremi, ultimi uel nouiſſimi. Vtitur autem Paulus ubiq; ſcripturis iuxta LXX. interpretes, non iuxta Hebraicam lí teram, quæ hic habet pro Conſummabo, Feriam pactum nouum. Et pro, Ego neglexi eos, habet Hebræus, Ego in eos exercui dominium: uel, Maritũ in eos exercui. Vbi ſatis clare uidemus, apoſtolos & ueteres non nimiũ ſuperſtitioſos fuiſſe in numerãdis uerbis, ſi ſenſus probe redditus eſſet. Diſcamus & nos, ne nimis anxij ſimus, modo nõ aberremus à germano ſcripturę ſenſu: quod ſi quis poteſt, accedat ad fontem & hauriat. Super domum Iſrael & Iuda dicit, quo modo loquendi ſignificatur eccleſia, alioqui pauci de tribubus duodecim redierunt, comparatione remanentium in diſperſione. Teſtamentum autem nouum dicit, hoc eſt fœdus & Berith, rectũ eius quod dedit in monte Sinai: ibi enim fœdus inijt cum Iſraelitis omnibus, ut eſſent peculiaris populus domini, quem ex crudeliſſima captiuitate uel inuitos eduxit, quod teſtati ſunt ſæpe ſuis contra Moſen murmurationibus, & per mare rubrum ſaluos perduxit, quibus poſtea legem, iudicia & ceremonias dedit: & ſic pactũ ſanciuit, quod ipſi qua erant ceruicoſitate, nunquam ſeruarunt, nec in pacto ſteterũt. Erant autem pactum & conditiones uiciſſim inter, ut dominus eſſet deus & protector eorum: populus uero eſſet populus domini, obediens omnibus dictis eius, ſecundũ omnia uerba legis: quod non fecerũt. Explicat autem quale nouum pactum futurum ſit inferius. Pro eo autem quod hic dicitur, Neglexi eos, Hebræus habet, Quamuis ego dominus eſſem uel maritus in eos, hoc eſt, nihil prorſus obmitterem ex ſingulari animi propenſione, quo eos in officio continerem: ipſi quoq; obedientiam pollicíti fuerant, nihil ego quidem intermiſi eorum quæ pertinebant ad illorum ſalutem. Ipſi autem fregerũt fidem, & irritum fecerunt pactum, pro qua illorum culpa abiecti ſunt & neglecti tamdudum, ut non amplius populus domini habeantur uel exiſtant peculiaris.

Quia hoc eſt teſtamentum quod diſponam domui Iſrael poſt dies illos, dicit dominus, Dabo leges meas in mentem eorũ, & in corde eorum ſuperſcribam eas, & ero eis in deum, & ipſi erunt mihi in populũ: & non docebit unuſquiſq; proximum ſuum, & unuſquiſq; fratrem ſuum, dicens, Cognoſce dominum: quoniam omnes ſcient me, à minore uſq; ad maiorem eorum, quia propitius ero iniquitatibus eorũ, & peccatum eorum iam non memorabor. 7

Deum inſcribere legem ſuam in mentem, aliud non eſt, q̃ dare ſpíritum ſanctum, qui corda regeneret, immutet & innouet, ut iam placeãt à quibus prius abhorrebamus, ut omnes quos ſic afflat diuinus ſpiritus, factis & cogitationibus toti in domini uoluntatem propendeant. Tales quidem etiam fuerunt plures in ueteri teſtamento, ut Abel, Noa, Abraham, & alij, quia deo placuerũt, quia de illius ſpíritu participauerant, & ut filij dei acti fuerũt. Tamen nondum hoc fœdus fuit mundo reuelatum, quia nondum plenitudo temporis deſtinati aduenerat. Certe Chriſtus teſtatus eſt, Abraham uidiſſe diem ſuum, & fuiſſe gauiſum. Nec ideo

nouum dicitur, quod re ipsa nouũ sit, & in substantia à priori dissidens, sed quod nouo quodam modo & ratione sit sancitum. Nam olim unum Hebræorũ populum, iam uero omnes populos terræ, hoc est ex omnibus nationibus aliquos sibi elegit & assumpsit. Deinde quos olim assumpsit, tenuiore spiritu donauit, & multis alligauit ceremonijs: nunc autem amplissimo spiritu, non iam timoris, sed charitatis suos donat, paucissimisq; ceremonijs adstringit. Quod uero sequitur, Et non docebit unusquisq; proximũ suum &c. uult dicere, Quotquot in hoc fœdus assumuntur, deum cogniturí sunt, habent enim unctionẽ spiritus interne docentem, ut quod ad salutẽ attinet, nihil opus sit qui huc uocet. Veruntamen quod ad profectum in ea facit, uerbum doctrinę & exhortationis nunquam postponẽt. Et isti uere dicuntur à Christo Theodidacti Ioan. 6. timore dei imbuti, & nouo in Christum fœdere renouati, Christoq; dilecti ut fratres & filij, qa eius sanguine redempti et iustificati illius meritis. Quod sequitur, Quia propitius ero iniquitatibus eorum &c. Cur autem tam amplą beneficia deus suis promittat, causa alia non est, præter meram dei misericordiam qua illos dignatur. Hoc autem præcipuum est in nouo testamento seu fœdere, ut deus nobis peccata nostra remittat, & suo spiritu in nouam uitam regeneret. Ipse est qui prior nos dilexit, idq; nullis nostris inuitatus meritis. Obserua autem, quod recordari quidem deus non uult peccatorum & culpæ nostræ, multo minus pœnæ Purgatorij, uel alterius similis: quãdo deus in malis nostris non lætatur, nec in suos filios præuaricãtes agit carnificem, si resipiscere cupiant, atq; orent ueniam supplices & humiliter.

13 Dicẽdo autem, Nouum, ueterauit prius. Quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est.

Colligit ex hac dictione Nouum, uetus fuisse abrogandum, maxime quod ad ceremonialia attinet, & ad carnale sacerdotium. Verum cõtra hoc Iudæi contendunt, ceremonias duraturas esse in perpetuum. Quibus facile primum respondetur, per tabernaculi, templi, aræ, arcę, sacerdotij totius, & omnium similium cessationem, uoluntate & iusto iudicio dei: iam per integros mille quingentos annos, quanto tempore nunquam obseruare legem potuerint, etiamsi uoluissent: quando & extra Iudæam habitantes, deus quoq; obligare non uoluit. Deinde uel ignorant, uel dissimulant dictionem Holom, non significare perpetuum, & sine fine tempus, sed sæculum, & longum 7. 50. & 100. annorum. Id quod eatenus clarum est, ut probatione non egeat. Quod autem ex Malachia obijciunt, non concludit contra nos, quandoquidem Christus non abrogauit legem, sed perfecit. Non tantum declarans charitate deberi obseruari totam legem, etiam decalogi, sed & legalia iuxta fidei & charitatis dictamen, & legem rationis naturalis. De ceremonijs Iudæi respondeant, quas etiam templo stante non seruauerũt, nec in solitudine, nec interim in exilio unquam potuerunt, præter eas quasdam, quas iuxta Christi domini euangelium in spiritu & ueritate seruant fideles omnes, & Christiani sanctificati in Christo.

CAPVT IX.

1 HAbuit quidẽ & prius iustificationes culturæ, & sanctũ sæculare. Dixerat de præfigurato per exemplar in monte tabernaculo, cuius obiter constitutionem & statum declarandum suscipit Apostolus, quo melius ad ueri tabernaculi cognitionem peruenire ualeamus: pergens ostendere quomodo Christus pro nobis sacrificauerit. Fundat autem primo historiam, ut aptius allegoria cohæreat, & fundetur certius. Habuit, inquit, illud Mosaicum tabernaculum,

bernaculum, quod primum dicitur, aliquot partes, nempe iuſtificationes, hoc eſt leges ceremoniales, quas חוקים nominant legis libri, quæ iuſtitiam quidem ſignificant, ſed non præſtant, ut ſunt ſacrificia, purificationes, uota. Habuit quoq; cultum uel cultum, ut ſunt ueſtes abſtinentiæ, feſta, ieiunia, orationes & adorationes, & his ſimilia. Sanctum etiam ſæculare uel mundanum, hoc eſt tabernaculū, cum omnibus ad illud pertinentibus, aſſeribus, tectis, columnis, aris, uaſis, & ornatibus: quæ omnia pulchre concinnata & ordine digeſta, ſacro uſui ſeruiebant & ceremonijs. Mundanum autem dicitur, nimirum in rebus extrarijs ac uiſibilibus ſitum, cuiuſmodi nonnihil uiſum eſt etiam apud gentes.

Tabernaculum enim factum eſt primum, in quo erant candelabra, & 2
menſa, & propoſitio panum, quę dicitur Sancta. Poſt uelamentū autem, ſecundum tabernaculum, quod dicitur Sancta ſanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam teſtamenti, circuntectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, & uirga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti, ſuper quæ erant Cherubim gloriæ, obumbrantia propiatorium, de quibus non eſt modo dicendum per ſingula.

Quid per mundanum ſanctum intelligat, ſubinde exponit Apoſtolus: nempe primam quidem ſtructurā tabernaculi Moſaici, quod ambiebat atrium ſacerdotum ex omni ex parte, uerum ad Orientem erat introitus. Erat quidem religioſum atrium, quod nemo ingrediebatur niſi ordinis eſſet Leuitici, in quo ara uel altare holocauſtorū ſtabat ſub diuo æneum, & lauacrum cum uaſis alijs. Erat autem alia pars religioſior habita, conſtituta ex inauratis tabulis, cum uectibus, & triplici tegumento, uiginti cubitorum habens longitudinem, latitudinis decem, altitudinis quoq; uiginti, ab introitu uelum habens, quod primū hic intelligitur. Deinde procedendo, ueniebatur ad eam poſteriorem partem, decem cubitorum habentem longitudinem & latitudinem, quæ Sanctum ſanctorum dicebatur, ſolo uelamento diſtinctum ab anteriore, quod ſanctum dicebatur: dicitur autē hoc uelamentum hoc loco, ſecundum, cum fuerit etiam tertium uelum, reſpectu eius quod pendebat ab introitu in atrium ſacerdotū, quod Iſraelitarum laicorū nemo ingredi permittebatur. Primus autem locus, qui ſanctum dictus eſt, continebat non ſine religioſa ueneratione, ab auſtrali parte, candelabrum aureum, cōtinens ſeptē lampades uel lucernas, ex ſtipite medio, & brachijs ſex lateralibus, propter quod & Paulus candelabra dixit, cum unū ſolum eſſet in tabernaculo, quamuis in templo Salomonis plura. Menſam quoq; auream ad Aquilonem continebat, cum panibus propoſitionis duodecim, qui ſingulis ſabbathis recētes & calidi imponebātur à ſacerdotibus. Atq; hanc templi partem appellant ſanctum, quod ſic abeſſet à prophanis, ut multum tamen abeſſet ab ijs quibus precipua ſanctitas tribuebatur, illud enim præter ſacerdotes nemo ingrediebatur. Poſt ſecundum autem uelum, quod ſanctū ſanctorum diuidebat à ſancto, erat tabernaculū aliud, quod ob excellentiam religionis & ſedis dei, uocabatur Sanctum ſanctorum. Id continebat ſacratiora quædam monumēta. Thuribulum aureum, illud intelligit altare aureum, quod dicebatur incēſi. Sed in tabernaculo Moſis & in templo Salomonis poſitū illud erat in ſancto prope uelū, ut ex lege patet & libris Regum. Quod uero hic Paulus loquitur de aureo illo incenſi altari uel thuribulo, uidetur mihi prorſus in ſecundo templo ſtetiſſe intra ſanctum ſanctorū, quādo tunc arca fœderis quam Moſes confecit, non ſupereſſet. Caruit enim ultimum templū arca

illa, sicut & quibusdam reliquis, etiam iuxta Hebræos. Altare autem aureum & incensi ibi erat in interiore parte tẽpli, quod maxima ex parte foris ornauerat Herodes quoq;, & in multis ceremoniæ mutatæ intelliguntur fuisse in eodem tẽplo, longe aliter q̃ uel lex præcipit, uel prophetarum tempore & regum in usu fuerit. Vt patet de Zacharia non summo sacerdote, qui in ordine uicis suæ ponebat incensum. Ne quis hic Apostolum ignorantiæ audeat temerarius iudicare. Arcam autem testamenti laminis aureis circunctã addit, in qua inerat urna aurea, Mosis tempore illuc reposita, cum alijs hic notatis. Hac urna seruabatur manna, monumentum miraculi ueteris, cum fame laborãtibus Israelitis, nouum cibi genus è cœlo deplueret. Virga quoq; Aaron, magno prodigio præter alias duodecim frondauerat, ac turgentibus gemmis eruperat in flores, & floribus successerunt amygdalæ. Inerant & tabulæ, primum impositę iussu dei, quas testamenti uocant, quod in his haberentur decem uerba uel præcepta insculpta digito dei. Supra arcam erat propitiatorium, & imagines duæ alatæ Cherubim, repræsentantes maiestatem & gloriam diuinam, in mysterio præsentem, & ueluti sedentem in solio, cui scabellum pedum esset arca aurea. Adumbrabant autem alis suis propitiatorium. Quæ omnia significationem quandam habebant rerum sacratiorum, quas postea prodidit euangelium. Sed prolixum, ait, sit de singulis horum, quid sibi uelint differere: nobis sat hoc loco erit, summã totius negotij ad Christi sacerdotium cõferre. Verũ quę hic Lector requirat fortè, inueniet in Exodo proprio suo loco.

3 His uero compositis in priori quidem tabernaculo, semper introibãt sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes. In secundo autem semel in anno solus pontifex, non sine sanguine, quem offerret pro sua & populi ignorantia.

Ad hunc itaq; modum templo distincto, ac sacris monumentis, uasisq; in sua loca digestis, in anterius illud tabernaculũ, quod sanctum dicitur, quotidie ingrediebantur sacerdotes, quilibet ex filijs Aaron minoribus, qui sacrorũ ritus peragerent, promouendo lucernas, & panes proponendo sabbathis, & incensum offerendo: Cæterum in secundum illud sacratius, quod sanctum sanctorum dicitur, solus pontifex, cui prima dignitas erat inter sacerdotes, semel duntaxat singulis annis ingrediebatur, non sine sanguine pecudis, quem offerebat pro suis primũ, deinde pro populi delictis, per errorem et ignorantiam commissis. Quibus rebus ueluti per ænigmata quædam significabat spiritus sanctus, id temporis nondum patuisse aditum ad ea loca, quæ uere sancta sunt, neq; quicquam habent terreni contagij. De istis autem sacerdotum officijs & ingressibus, habes Num. 28. & Leuit. 16. cap. Nunc autem quid per illa significentur, Apostolus his quæ subijcitur exponit.

4 Hoc significante spiritu sancto, nondum propalatam esse sanctorum uiam, adhuc priore tabernaculo habente statum. Quæ parabola est temporis instantis, iuxta quam munera & hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxta cõscientiam perfectum facere seruientem, solummodo in cibis & in potibus, & in uarijs baptismatibus, & iustitijs carnis, usq; ad tẽpus correctionis impositis.

Cum solus pontifex summus ingrederetur secretius adytũ, cæteris exclusis, maneretq; adhuc prius illud tabernaculum, quod imaginẽ gerebat illorum temporum, in quibus homines crassis quibusdam ceremonijs, utcunq; continebãtur in

in religione Iudaica, ne in deteriora prolaberentur. In eo tabernaculo crassi quídam ac plebei ritus peragebantur à uulgaribus sacerdotibus. Offerebantur dona ria, mactabantur pecudes, immolabant hostiæ, quæ sic habebãt speciem aliquam purificationis, ut tamen nõ possent eos qui his uterentur, ad plenum reddere purios, iuxta conscientiam & animum, ex quo nos æstimat deus, etiãsi iuxta corpus & hominum æstimationem aliquid puritatis addere uidebãtur. Quicquid enim illic agebatur, ad corpus potissimum pertinebat, situm in delectu ciborum ac potus, cum cibus uere nec purificet, nec inquinet animum. In uarijs quoq; ablutionibus, alijsq; purgationibus carnis, quæ nec in hoc erant instituta, ut conferrent homini perfectam iustitiam, sed ut hisce rudimentis paulatim assuescerent uerę religioni, & per umbras ducerẽtur ad ueritatem, fierentq; meliorum & clariorum mysteriorũ capaces, quæ suo tempore proferret euangelica doctrina. Sanctorum uia, dicitur hoc loco lex perfectionis, in qua ambulãt sancti, in lege spiritus & perfectionis, etiam in ueteri populo, quorum q̃plurimos possidebat spiritus libertatis, corda & animum, certosq; reddebat de gratia & iustitia dei, per promissam in Christo salutem omnibus electis. Recte quoq; dicitur similitudo, primum enim illud tabernaculum parabola quædam erat, ad illud sæculum cui probe conueniebat, ruditati scilicet & moribus istius temporis: nam ubi carnalis fuit populus, sacerdotium quoq; in totũ carnale erat. Vnica autem nunc nostri iustificatio fit acceptione sancti spiritus, in quo obsignamur, ut clamemus, Abba pater. Et quod attinet ad cibos, scimus euangelio edocti, omnem creaturam dei bonam, si recte, hoc est, cum gratiarumactione ea utamur, credentes, nihil quod intrat in os, hominem coinquinare. Iustificationes quoq; carnis dicuntur, non spiritus, quia interna mentis uitia uel immũditias non tollebant: sublimioribus enim & spiritualibus opus insuper erat. Præceperat tamen ista deus, ut unus esset populus, certo loco congregandus, de quo olim iustitia sempiterna oriretur, mũdo toti promissa ex Abraham. Tempus quoq; correctionis intelligit tempus euangelij & gratiæ, quo longe prioribus perfectiora sunt præstita, & correctiora per Christum.

§ Christus autem assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum, non manufactum, id est non huius creationis, neq; per sanguinem hircorum aut uitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta.

Hactenus habuimus summam totius priscæ religionis, qua sibi tantopere placent Iudæi, nunc nostri pontificis dignitatem cum his cõferamus. Christus enim suo iure & authoritate, quam etiam meruit à patre, accepta potestate in cœlum et in terram, sponsor & author non purificationis uel libertatis corporeæ uel imperfectæ, carnalisq; iustitiæ, neq; bonorum huius sæculi, quæ finem habent, sed æternorum ac cœlestium bonorum, quorum regnum accepit & sacerdotium: nõ per uelum manibus hominum textum, sed per incarnationis diuinæ sacrosanctũ mysterium, per passionẽ & mortem, quibus parauit sibi ecclesiã cœlestem & triumphalem: sed per aliud huiusmodi tabernaculum, non manufactũ, hoc est non hius structuræ, quam ut erigũt homines, ita demoliri possunt, quemadmodum & demolitum est & finitum, sed per ipsum cœlum ingressus est in loca uere sancta, & ab omni mortalitatis contagio uere semota, non adferens secum sanguinem, quem in ara crucis pro nobis effuderat: quo non unum populum, sed uniuersum hominum genus ab omnibus peccatis liberauit: idq; non uno anno, sed in omne tempus usq; ad finem mundi, modo resipiscentes à prioribus uitæ cõmissis, Chri-

ſtum agnoſcant, ac pro uiribus imitẽtur, in puritate, quam requirit deus in populo ſuo: propter quod & non permiſit Iſraelitas etiam in quemlibet locum ingredi, nec admiſit ſimiliter ex gentilitate conuerſos in ſancta. Sic ſunt in eccleſiam quidam non admittendi, qui ob commodum temporale, contra ſuam conſcientiam, ueritatem dei impugnãt, & perſequuntur hoſtiliter. Iſti ſunt ſimiles Ammonitis & Moabitis. Alij idem agunt, ſed per ignorantiam, qui per pœnitentiam ſunt admittẽdi, ut Idumæi & Aegyptij. Sic & alij à populo dei ob peccata excluſi, ſed curabiles admittuntur. Pro quibus omnibus Chriſtus pretium ſanguinis ſui pro nobis redimendis intulit deo patri in cœlum, & nobis libertatem mentis & ſpiritus contulit. Quam noſtram redemptionem & libertatem non meruimus, ſed inuenimus, ne quid noſtris meritis uel operibus tribuamus, ſed totum diuinæ miſericordiæ & gratiæ. Qui nos deſtinauit redimendos antequam eſſemus, iam electos & iuſtificandos à culpa & pœna per Chriſtum.

6 Si enim ſanguis hircorum & taurorum, & cinis uitulę aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis, quanto magis ſanguis Chriſti, qui per ſpiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatũ deo, emundauit conſcientiã noſtrã ab operibus mortuis, ad ſeruiendũ deo uiuenti.

Quæ collatio mutæ pecudis ad Chriſtũ deum & hominem? Quod ſi ſanguis taurorum & hircorum cum cinere purgat eos, iuxta carnalem quandã & umbraticam ſanctimoniam, quanto magis ſanguis Chriſti, qui non per ignem corporalem, ſed per ardorem charitatis æternæ, qua dilexit nos, humanæq; ſalutis ſitientem, obtulit non brutam pecudem, ſed ſemetipſum, hoſtiam puram & incontaminatam deo patri: purificabit non corpora ueſtra, ſed conſcientiam ueſtram ab his operibus, quæ uere mortẽ adferunt animæ. Mors illius nos ab æterna morte liberat, & ſpiritus illius puriſſimus noſtrum purificat ſpiritũ prius inquinatũ. Vtrobiq; ſanguis eſt, ſed ingẽs diſcrimen: utrobiq; mors eſt, ſed inæqualis utrobiq; ſpiritus & admodum diſpar. Tota uero res iſta à diuina ordinatione pendet, & ſumma ratione confecta eſt, etiamſi mens noſtra minus dei ſacroſancta myſteria comprehendat, alioqui ſanguis humanus uel pecuinus non mundat, ſed inquinat magis, cuius natura non eſt abluere uelut aquæ, ſed nec cinis. Sed quia deus ſic uoluit, ideo ſancta fuit huiuſmodi ratio. Sed nec externa illa quæcunq; animã mundare poterant, ſicut nec polluere, dicente Chriſto, Non quod intrat in os &c. Vt autem iuxta legis & domini dei uoluntatem hæc purificabant ſuo modo, & erant figura futurorum, multo magis figuratum uel res ipſa hoc poteſt. Innocens ergo ſanguis pro nobis immolatus, is nos emundat à peccatis, proprie autẽ magis eius iuſtitia, charitas, obediẽtia, & ſpiritus dei, datus in ſalutem electis ob merita Chriſti. Is eſt qui emundat, & prauos fidelium affectus in eis reprimit, & ad optima quæq; ſuſcipienda impellit. Mortuaria autẽ opera uocat, quęcunq; ex carne ſunt peccata, quorum ſtipẽdium mors dicitur, ut ſunt adulteriũ, ſcortatio &c. Gal. 5. Purgat autem, nõ ut rurſus polluamur criminibus, ſed ut abluti domino iam ſeruiamus in ſanctitate & iuſtitia omnibus diebus noſtris.

7 Et ideo noui teſtamenti mediator eſt, ut morte intercedẽte, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento, repromiſſionem accipiant qui uocati ſunt æternæ hæreditatis.

Quod in priſco tabernaculo & ſacrificijs geſtum eſt, & in ueteri teſtamẽto, id geſtum eſt per umbras, & uarias quaſdam pacta firmantium ceremonias & con-

teſtationes

testationes, hoc Christus uere præstitit. Quoniam enim is qui in ueteri testamẽto medius intercedebat inter deum & homines, non adferebat perfectam innocentiam, ideo Christus successit, noui testamenti nouus intercessor, uti per mortem suam abolitis peccatis, quę per prius illud testamentũ aboleri non poterãt, quæq; deum alienabant à nobis, iam per euangelicã doctrinam promissionem ac spem recipiunt æternæ hæreditatis: non Iudæi tantum, sed quicunq; uocati fuerint ad Christi cõsortium. Qui mediator noster factus ad salutem & summã felicitatem, nos adoptauit in filios & cohæredes, ut gratiam dei agnoscamus, qui pro nobis filium dedit, & sacrificiũ suscepit pro peccatis omnium, adeoq; in eo fœdus illud cum deo perfectum est, & sanguine Christi stabilitum, quo firmior in nobis foret spes remissionis omnium peccatorũ nostrorum. Qui autem uocati non sunt, uel uocationi non acquiescunt, fœdus illud ingrati respuunt & contemnũt: qui licet multa de Christi mysterio audiant, tamen sensu cœlestium nullo afficiuntur, ideo hæreditatis portionem cum Christo nullam assequuntur.

Vbi enim testamentum, mors necesse est intercedat testatoris. Testa 8
mentum enim in mortuis confirmatum est, alioquin nondum ualet dum uiuit qui testatus est.

Vtitur specie pro genere, Testamẽto scilicet proprie capto pro fœdere, quod inter se homines pangunt uel percutiunt suis ceremonijs, non sine sanguine, pro testamento quoq; quod condũt morituri. Vbi mors testatoris intercedat necesse est, alioqui testamẽtum uel non esset: aut si esset, ratum non esset: nam mors testatoris ratum facit testamẽtum, quod nondum certum habet robur, quandiu uiuit qui cõdidit, ut cui liberum sit, si uelit, mutare. Christus ergo testator mori uoluit, ut nos certos de fœdere illo ut indissolubili redderet, ut quotquot uere in ipsum credant, remissionem peccatorum & æternam salutem inueniant, & conscientiarum purificationem, & æternæ salutis reparationem, & hæc quoq; inuiolabilia & sacrosancta.

Vnde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est. Lecto enim 9
omni mandato legis à Moyse uniuerso populo, accipiens sanguinem uitulorum & hircorũ, cum aqua & lana coccinea & hyssopo, ipsum quoq; librum & omnem populum aspersit, dicens, Hic sanguis testamẽti quod mandauit ad uos deus. Etiam tabernaculũ, & omnia uasa ministerij sanguine similiter aspersit. Et omnia penè in sanguine secundũ legem mundantur, & sine sanguinis effusione non fit remissio.

Adfert suo modo iterũ figuram Apostolus. Sicut, inquit, fœdus primũ sanguine pecudum alioqui periturarum, confirmatum est: sic & secundũ, quod nouum prophetæ nominarunt. De primo fœdere habes Exod. 24. Commiscet tamen hic aliqua testimonia ex uarijs locis scripturarũ, ut ex Numeri 19. Leuit. 14. Sequens enim allegoriam Apostolus non admodũ scrupulose uoculas adnumerauit, dum certus est sensus. De hircorum sanguine, Numeri 19. De modo aspergendi sanguinẽ, Exod. 12. & Leuit. 14. Dedicare autem uel consecrare, est ceremonijs quibusdã solennibus inchoare rei alicuius usum, ut postea habeatur pro sacro. In hac autem aspersione opus non erat omnem in totum populum & singulos ita aspergere sanguine, sed sufficiebat principes populi nomen gerẽtes aspergi. Ad aspersionẽ istam aqua assumpta est, ne sanguis cõcresceret, & in mysterio mortis Christi. Lana adhibita, ut imbiberet, & sanguinẽ eatenus retineret. Hyssopus, ut spar-

geretur commodius. Vbi ergo nunc lex spiritus pronunciata fuerit in cordibus nostris, eidemq; crediderimus, etiam nos in fœdus illud recipimur, & Christi sanguine aspergemur, in remissionem peccatorum omnium. Simus quoq; & nos tabernaculũ domini, & uasa gloriæ illius, quotquot per fidem illi inhæremus. Compratur quoq; Christi corpus lanæ, propter mũditiem: & rubræ, propter effusum pro nobis suum sanguinem, sicut est apud Isaiam. Aqua & hyssopus gratiam spiritus sancti significat, qua si spargamur, super niuem dealbamur.

10 Necesse est ergo exemplaria quidem cœlestium his mundari, ipsa autem cœlestia melioribus hostijs quàm istis.

Mosaica sacrificia cum crassis illis legalibus purificationibus, quæ dicuntur exemplaria cœlestium, hoc est nostrarũ rerum, qui cœlestes esse debemus, habebant suam purificationem: sed ipsa cœlestia, siue res nostræ, quæ post Christũ incarnatũ prædicata sunt & ordinata, decuit ut potioribus uictimis peragerentur, & ueriorem adducerent pietatem: quando certum sit, figuratũ omne potius esse olim carnalia designatũ nobis, est Christus. Cum autem ueteres umbras tantum sectati, & promissis contenti, tam religiose uixerint: quãta magis sanctimonia nobis uiuendum erit, ut cœlestem uocationẽ exprimere per omnia studeamus? Pudeat plus beneficij accepisse nos q̃ ueteres, & gratitudine uinci ab illis. Cœlestia ergo non intelliguntur angeli, uel quæ in cœlis aguntur, sed qui sunt in ecclesia fideles qui cœlestes dicuntur.

11 Non enim in manufacta sancta Iesus introiuit, exemplaria uerorum, sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc uultui dei pro nobis.

Cœleste est totũ quicquid Christus egit in terris. Neq; em̃ Christus ingressus est in sancta manibus hominum fabricata, quæ magis opinione q̃ re sancta sunt, quæq; prophanari possunt, nec aliud erant, q̃ umbræ quædã rerum uere sanctarum: sed in ipsum cœlũ ingressus est, ubi habitat deus immortalis, cum ætherei mentibus, atq; in huius conspectu tanquã pontifex legitimus deprecatur pro totius mũdi peccatis, commẽdans sese proprio sanguine, quem ex mera gratuitaq; charitate effudit pro nobis. Idq; fecit hostia tam efficaci, ut nõ fuerit opus quotannis repetere, quemadmodum ueteris testamenti pontifex singulis annis ingrediebatur secretius & sanctius adytum. Scimus autem alioqui omnia deo manifesta esse, filiumq; suum ei semper præsentissimum apparere conspectui patris: uerum loquendi modis utitur infirmitati nostræ aptis, qui difficulter admodum cœlestia capimus. Tanta autem dignitas Christi est, ut sufficiat pro omnibus nostris peccatis, pro quibus sese obtulit sacrificium, etiam ante cõditum mundum. Verum in tempore pretium illud redemptionis expensum est.

12 Neq; ut sæpe offerat semetipsum, quemadmodum pontifex intrat in sancta per singulos annos, in sanguine alieno, Alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi.

Vult dicere, Si non unicum sacrificiũ Christi sufficeret ad expianda peccata, necesse esset ut sequerẽtur multa absurda. Christo sæpius fuerat moriendũ, quod hominibus non imponitur, quamlibet miseris. Rursus peccatum habẽdus esset, hoc est sacrificium pro peccato, & sæpius incarnandus, quæ sunt impia cogitatu. Nemo ergo Christum putet denuo offerri posse, nõ quidem à se, multo minus ab alijs. Semel secundum scripturas mortuus est, iam non moritur, neq; mors ultra illi

illi dominabitur. Blasphemia est ergo Christum debere indies offerri in sacrificio Missæ patri pro peccatis uiuorum & mortuorum. Si dicant autem cum patribus, repræsentationem esse uel commemorationē, cum gratiarumactione. Illam agāt iuxta Christi institutionem uel apostolorū, non eis modis, qui uerbo dei non quadrent, & ecclesiæ obsint multum, nihil prosint, & derogent merito passionis Christi, careatq; tot impijs ceremonijs fastum cum quæstu resipientibus.

Nunc autem semel in cōsummationem sæculorum, ad destitutionem 13
peccati per hostiam suam apparuit.

Talis fuit noster pontifex, ut satis fuerit semel immolare semetipsum, ac semel aspersione proprij sanguinis abolere peccata omnium sæculorum, usq; ad finem mundi. Idq; factum est non ab initio mundi, sed instante fine, cum omnibus constaret, omnia uitiata peccatis, nec ullum superesse remedium, nisi à deo, ut palàm esset, q; esset efficax sacerdos, qui unica uictima tam immensum aceruum peccatorum expiaret, relicto parato facilicq; remedio, ut eadem hostia in annos innumeros omnibus satisfaceret, qui sese non præberent indignos. Transtulit enim in se non solum eorum peccata, qui ante multos annos spem salutis in ipso posuerunt, uerumetiam eorū qui multis post sæculis credituri essent euangelio. Totū autem illud tempus à Christo passo, Consummatio dicitur. Non est enim mūdus statim desiturus, sed quod nemo alius redemptor præter hunc sit expectandus, nullus intercedat mediator alius, nulla supersit pro peccatis alia expiatio credenda.

Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc au- 14
tem iudicium: sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhauriēda peccata. Secundo sine peccato apparebit omnibus expectantibus se in salutem.

Non est ut alium saluatorem mundus expectet, uel sacerdotem aut hostiam aliam pro expiandis peccatis, sed quemadmodum illud manet omnes homines, ut semel moriantur, absq; spe redeundi in hanc uitam, in qua & labimur subinde & expiamur, neq; quicquam expectatur à morte singulorum, nisi iudicium illud extremū, quod æterna præmia decernet, siue pijs siue impijs: ita & Christus, qui semel moriens, pro omnibus oblatus est, omnium, quod in ipso fuit, peccata in se transferens, ut pro omnibus pœnas lueret, nihil supereſſe uoluit, nisi supremum iudicium, in quo rursus conspicietur hominibus, non ut antea uelut hostia deuota, uelut sceleros us homo dignus supplicio, sed ut glorios us, et ignarus omnis peccati. Salutaris autem & felix conspicietur ijs, qui nunc purificati per mortē illius, perseuerant in fiducia iustitiæ partæ per Christum, & in innocentia uitæ, donec aduenerit iterum, non iam immolandus, sed iudex optabilis pijs, formidabilis impijs. Nunc ergo si credis in Christum, iam à morte trāsisti in uitam, ut uideas post mortem locum pœnitentiæ, uel Purgatorij non relinqui. Si nō credis, non uidebis uitam, sed ira dei super te manebit inæternum, Ioan. 3. & 5. Sustulit autem, ut hic dicitur, Christus omne peccatū: non ut peccato prorsus careamus, sed ne dominetur, damnet uel prævaleat. Quotidie enim orandum nobis, Remitte nobis debita &c. Et omnia in bonum cooperantur diligentibus deum.

CAPVT X.

Vmbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam ima- 1
ginem rerum, per singulos annos eisdem ipsis hostijs, quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos fa-

cere,alioquin ceſſaſſent offerri.

Quantus fructus ex ſacrificio Chriſti nobis conceſſus ſit, iam ante prædixit: nunc oſtendit eundem non potuiſſe conferre ſacrificia ueterum,ut omnis honor uni Chriſto reddatur.Quod autem in genere propoſuit, ſpeciatim nũc explicat, dicens,Pontifex ipſe ueteris teſtamenti,quo minus idem potuerit,in cauſa eſt, q̃ lex illa umbram tantum habebat,& adumbrationem quandam futurorum bono rum,non ipſam ſubſiſtentiam & ueritatem,quæ eſt remiſſio peccatorũ, conſcien tiæ ſerenitas, & fœderis cum deo iniri certitudo. Imago hic capitur pro uera & uiua bonorum exhibitione,& ita umbræ opponitur. Hinc dicitur lex adumbra tionem habere,non imaginem. Vulgaribus enim pecudum hoſtijs,tametſi ſingu lis deferrentur annis,& continuo ab illis ſacerdotibus offerrentur, nunquam po terant perfectos reddere,qui per ſacerdotes infirmos hoſtijs inefficacibus accede rent ad deum reconciliandum.Quod ſi fieri potuiſſet,nónne ſemel oblatæ deſijſ ſent iterari?Perfecti itaq̃ hic dicuntur Apoſtolo, qui euangelij uere ſunt partici pes,quia à Chriſto perficiuntur & ſanctificantur.

2 Ideo quod nullam haberent ultra conſciẽtiam peccati, cultores ſemel mundati,ſed in ipſis commemoratio peccatorum per ſingulos annos fit. Impoſſibile eſt enim ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata.

Cauſa eſt eius quod præmiſit,Si,inquit,hoſtijs legalibus ſeſe à peccatis mun dos,& ita deo acceptos reddere potuiſſent,profecto non ſtatim rediſſent ad eadẽ ſacrificia,iam pacatis conſciẽtijs,& peccatorum remiſſione impetrata.Nunc au tem ob malas conſcientias & anxias,ob peccatorum multitudinem admiſſorum, hij qui fide in Chriſtum uenturum non iuſtificabantur, ſacrificia repetebant fre quentius,uel quotannis. Dicitur autem commemoratio peccatorum eſſe ſacrifi ciorum oblationem,quia ipſis teſtati ſunt ſe propter peccata ſua meritos mortem & ſanguinis effuſionem: neq̃ ab iſtis poſſe liberari, niſi fuſo ſanguine. Quandiu ergo ſanguinem ſacrificaturi fuderunt, tandiu ſe peccatores, ueroq̃ ſacrificio per Chriſtum deferendo opus habere ſignificauerunt. Nos autem puram gratiarum actionem habemus in noſtra Euchariſtia, confitentes grati, nos iam exhibito & tranſacto ſacrificio liberatos,purificatione alia nõ indigere,pro tanto ergo potio res ſunt nunc noſtræ ceremoniæ ueteribus illis. Quotieſcunq̃ cõuenimus,& pa nem domini,quod corpus eſt Chriſti,manducamus, & ſanguinẽ eius ſacramen totenus bibimus,mortẽ domini annunciamus & prædicamus donec ueniat:nec tam peccata cõmemoramus,q̃ gratias agimus, nos à peccati ſeruitute redẽptos,

3 Ideo ingrediens mundum dicit,Hoſtiam & oblationem noluiſti, cor pus autem aptaſti mihi.Holocauſtomata,& pro peccato non tibi placue runt. Tunc dixi,Ecce uenio. In capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam deus uoluntatem tuam.

Tantum abeſt ut ſacrificijs ueteribus fœdus noſtrum cum deo confirmatũ ſit, ut etiã deus ea omnino reſpuerit.Patet hoc multis in locis,Iſaię 1.Iere.7.Amos 5. Mich.6.Pſalm.50. & alibi, quò recurras. Quatuor ſunt autem genera ſacrificio rum,quæ nominat hoc loco Victimas,oblationes,holocauſtomata,& peccata,id eſt ſacrificia pro peccatis.Omnia tamen illa deus per ſe nunquã probauit, ſed ani mum potius & fidem,uel uolũtatem paratam.Deus enim cum ſit ſpiritus, in ſpi ritu quoq̃ & ueritate tantũ uult coli,Ioan.4.Corpus autem aptari, iuxta LXX. quos libẽter ubiq̃ ſectatur Apoſtolus,cum aliter Hebræa habeãt, nempe, Aures perforaſti

perforasti mihi, aliud non est, & obedire uoluntati dei. Certe Christus incarnatus seruile corpus induit, obediensq; fuit patri usq; ad mortem crucis. Hoc autem sacrificium deditionis suiipsius patri, non potuit non esse gratissimum: obedientiam enim longe præfert uel quibuscunq; sacrificijs. Quod sequitur, Tunc dixi, Ecce adsum: uox est semetipsum dedentis atq; offerentis in plenum obsequium deo. Quod hic est, In capite, Hebræus legit, In uolumine libri: alludens ad morem gentis, quæ Biblia integra, legis & prophetarum librum dicunt, cuius unicus scopus est Christus, & dei cultus per ipsum. In quem omnis scriptura finitur, in quem tot genealogiæ ducuntur, quem tot ueterum historiæ respiciunt, quem tam multa et uaria sacrificia præfigurarunt, in quo omnes promissiones implētur. Quæ sit autem uoluntas domini, quam Christus facere cupiat, Apostolus consequenter explicat, dicens,

Superius dicens, Quia hostias, & oblationes, & holocaustomata & 4
pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi quæ secundum legem offeruntur, tunc dixi, Ecce uenio, ut faciam deus uoluntatem tuam. Aufert primum, ut sequens statuat. In qua uoluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel.

Quod dicit, Superius, intelligit sacrificia legis, & prius illud sacerdotiū quod tollit ut deo ingratum, ut statuat posterius, quo satisfieret uoluntati diuinę. Quæ nam erat ista uoluntas dei, fastidientis sacra legitima ueteris testamēti, & nouum sacrificium flagitantis? Nimirum hæc, quod ita uisum esset gratuitæ ipsius bonitati, ut filius cœlestis, id est Christus, indueret corpus humanum, ac moriens pro peccatis omnium unico sacrificio semel rite peracto, purificaret omnes à peccatis suis: sic, ut posthac non sit opus alijs hostijs sanguinolentis. Sed & tu, si quid offere uis gratum domino, offer uoluntarium sacrificium, corpus tuum, hostiam uiuentem, sanctam, acceptam deo. Sis paratus ad faciendum uoluntatem illius, tenem, ipsum abnega, & expecta dominum: nimirum hæc agens, plus feceris & si mille sacrificia irrationalia obtuleris. Satius est Christi domini sequi uestigia.

Et omnis quidem sacerdos præsto est, quotidie ministrās, & easdem 5
sæpe offerens hostias, quæ non possunt auferre peccata: hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera dei, de cætero expectans, donec ponātur inimici eius scabellum pedum eius. Vna enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos.

Hisce uerbis Apostolus finē facit disputationi, de præcellētia sacerdotij Christi, summatimq; colligit prædicta, dicens, Quisquis ueteris testamēti sacerdos est, cogitur quotidie sacris assistere, easdem hostias identidem iterans, quæ quantumuis multiplicatæ, nunquam possunt ad plenum auferre peccata, ut utriq; sit inexplicabile negotium, & offerēti & sacerdoti per quem offert. At Christus unica hostia semel oblata pro peccatis omniū satisfecit, qui crediderunt, credunt, aut sunt credituri ipsius promissis. Iam dexter sedet deo patri, nihil aliud expectans, nisi quod solum supereſt, ut colligantur omnia membra corporis sui in unum: fiatq; tandem quod promissum est in Psalmo, ut inimici ipsius qui rebelles sunt euangelio, fiant scabellū pedum eius. At interea nihil est opus iterum immolare seipsum pro nobis, quod unica oblatione abunde perfectos reddidit in perpetuum omnes, qui per fidem meruerunt sanctificari, sic ut nihil omnino pristinorum scelerum nobis imputetur, ut simus certissimi deum patrem nobis esse clementissimum, &

liberaliter præſtiturũ, quæcunq; ſuis in Chriſto pollicitus eſt, qui nunc ad dexteram patris ſedens, expectat id quod ſupereſt iudiciũ, quo reddet unicuiq; ſecundum opera eius &c.

6 Conteſtatur autem nos & ſpiritus ſanctus, poſtquã enim dixit, Hoc autem teſtamẽtum quod teſtabor ad illos poſt dies illos, dicit dominus, Dabo leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum inſcribã eas, & peccatorum & iniquitatum eorum nõ iam recordabor amplius. Vbi autem horum remiſſio, iam non eſt oblatio pro peccato.

Quod ſic ſe iſta habeant, teſtificatur & confirmat in cordibus noſtris ſpiritus ſanctus, qui corda piorum obſignat, ut certi ſint, deum ueracem eſſe, & indulgentiſſimum patrem, infallibili fœdere fidelibus iunctum, ut nihil hæſitent de merito ſanguinis Chriſti, & de arra hæreditatis æternæ per ſpiritum ſanctum, cuius domeſticum teſtimonium in ſe ſentiunt, utq; filij dei ab illo aguntur. De lege autem ſpiritus inſcripta cordibus fidelium, ſupra quoq; cap. 8. tractatũ eſt. Quia autem locus eſt nobilis, & ex præcipuis, non piguit Apoſtolum hic quoq; eundem repetere, quo arctius mentibus piorum hæreret. Idem etiam habet fermè Ezechiel capite 11. & 36. Dabo eis cor carneum, hoc eſt, cor tractabile, docile, obtemperãs uoluntati meæ, & ut ſua ſponte quæ mihi grata ſint obeant. Quotquot uere Chriſtiani ſunt, ex hoc fœdere ſunt, ſiquidẽ ſpiritum dei habent effuſum in cordibus ſuis. Cum, inquit, indidero leges meas in cordibus eorum &c. Non amplius recordabor peccatorum ac iniquitatum illorum, tantum aberit ut uelim ulciſci. Non autem recordari peccatorum, eſt eſſe remiſſa & obtecta, certo quoq; condonata. Si autem remiſſio peccatorum eſt, oportet ut ſit plena remiſſio: ſic ut nõ ſit amplius neceſſaria oblatio ſacerdotis, uel ſacrificium pro peccato: ita ut iuxta promiſſum uaticinium illorum, deus non amplius recordetur. Iam ſi plenaria eſt remiſſio, ne ceſſe eſt, ut & plenum fuerit ſacrificium Chriſti, & ualeat in perpetuum, quo fœdus ſtabilitur, & peccata abolẽtur. Tale non fuit Leuiticum, ineffícax, infirmum, & ſæpius repetendum.

7 Habentes itaq; fratres fiduciam in introitu ſanctorum, in ſanguine Chriſti, quam initiauit nobis uiam nouam & uiuentẽ per uelamen, id eſt carnem ſuam, & ſacerdotem magnũ ſuper domum dei, accedamus cum uero corde, in plenitudine fidei, aſperſi corda à cõſcientia mala, & abluti corpus aqua munda, teneamus ſpei noſtræ confeſſionẽ indeclinabilẽ, fidelis eſt enim qui promiſit.

Hactenus de ſacerdotio & ſacrificio Chriſti, nunc regreditur à digreſſione, cœpta cap. 4. ad exhortationes, quibus referta eſt hæc epiſtola, ſcopum præfigendo, ut intelligamus Chriſtum dominum unicum magiſtrum noſtrum in cœlis audiendum, & fide amplectendum. Videtur autem eadem hic exhortatio, quæ habita eſt cap. 4. Cum, inquit, fratres ſublata peccatorum conſciẽtia, quæ nos abinterpellando deo deterrebat, data ſit fiducia ingrediendi in ſancta, freti ſanguine Chriſti, quẽ ille pro nobis reconciliãdis effudit, ac uiam aditumq; nobis aperuit, à uetere illa longe diuerſam, uidelicet recentem ac nouam, uiuamq; & efficacem ac perpetuam: quæ ſemel aperta, poſtea claudi nõ queat, quam ille nobis auſpicatus eſt, primus omniũ ingrediens per uelamen, hoc eſt, carnem ſuam, qua adhuc pus tegebatur apud homines illius diuinitas, eaq; ſublata in cœlũ, patefacta ſunt cœleſtia. Cumq; habeamus ſacerdotem magnum, à deo promiſſum ſecundum ordinem

dinem Melchizedech, quem præfecit toti domui suæ deus, hoc est ecclesiæ catholicæ, quã non ut minister, sed ut author ac dominus moderatur, adeamus eôdem interim & nos, quò nobis uiam aperuit Christus: adeamus autẽ non pedibus corporis in templum saxeum, sed in templũ cœleste penetremus corde syncero, cum summa fiducia impetrãdi quod petimus, sed prius aspersi, non iuxta corpus sanguine pecudis, sed iuxta mentem & spiritum, sanguine Iesu Christi. Ac per hunc depulsa ueterum peccatorum conscientia, ad hæc per baptismũ abluto etiam corpore aqua pura, & omnes abstergente sordes animi, supereſt, ut perseueremus in eo quod semel sumus aggressi, ac spem uitæ immortalis quã professi sumus in baptismo, teneamus firmam, nullaq; ex parte uacillãtem. Hoc uno freti, quod deus qui promisit, certe deus fidei est, nec potest fallere, etiã si uelit, si modo nos in fide perstiterimus. Discimus in sancta ingredi, esse cœlestia per Christũ assequi, non nostris operibus uel iustitia. Qui nobis fauet maxime, pro quibus est mortuus, qui & noster summus sacerdos, mediator, & aduocatus noster, præfectus unicus ecclesiæ, quæ est domus dei, spiritualia nobis dona concedens, adeoq; suum spiritum, ut illum accedere nihil cunctemur, sed certa fide & simplici corde, qualia nobis dat ipse Christus, aspersis à mala conscientia, ut corde credamus ad iustitiam, ore autem confiteamur ad salutem: à qua fidei confessione nunquã desciscamus, quandoquidem fidelis est qui promisit, quæ nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ deus diligentibus se promisit. Qui & hic animũ dat, etiam in aduersis perstandi.

Et consideremus inuicem in prouocationẽ charitatis, & bonorũ ope 8
rum, non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam, sed consolantes: & tanto magis, quãto uideritis appropinquantem diem.

Quoniã autem facti sumus eiusdem corporis membra, mutua charitate consensuq; cohæreamus, considerantes inuicem quantum quisq; profecerit in euangelica professione: non ut inuideamus ei qui nos anteuertit, aut aspernemur eum qui à tergo relictus est, sed ut mutuis exẽplis & exhortationibus prouocemus ad charitatem & pia opera. Id fiet, si fratris profectus nos extimulet ad ardentius studium pietatis. Et si quem cessantem uiderimus, eum fraterna solicitudine extimulemus ad meliora, gratulantes præcedentibus, & fauentes annitẽtibus: haudquaquam committentes, ut quisquam destitutus pereat à grege nostro, quemadmodum solent quidam à rebus bene cœptis per occasionem deficere, sed modis omnibus alios alij stimulemus & inflammemus, ut in eo quod institutum est, pergamus usque ad finem. Atq; id eo magis faciendũ est, quod uidetis imminere diem domini, qui redditurus est pro suis cuiq; factis præmia: nec iam locũ relinqui sarciendi, quod parũ recte gesseris, sed quicquid gestũ est, exacto iudicio perpendetur. Prouocationem ergo charitatis intelligit fraternam admonitionẽ, ex fide nõ otiosa, sed per dilectionem continue operantem: ut si quis fratrum lasseſcat in uia domini, alius exhortetur: si quis erret, reducat ad uiam: si quis lapsus sit, erigat alius. Tantum autem absit, ut quis admonitus à proximo, irascatur, ut potius gaudeat de libera admonitione, scientes q; in multis delinquimus omnes. Talia sunt bona opera, quæ sola scriptura sacra commendat, & quæ saluator uult esse cõspicua. Dies autem domini dicitur, extremi iudicij, quo rationem omniũ factorum dabimus, & expectabimus reddendum præmium pro operibus bonis & malis. Opera sanè iudicabuntur, quæ tanti non erũt, ut salutem promereantur, sed fides

unde promanant, quæ deo grata est: sicut & ingrata infidelitas, ex qua opera plá-
cere non possunt. Dies quoq; domini contra Hebræos dici potest, quo sunt ulti-
ma destructione cum templo & sacerdotio uastati, & Christi gloria in mundũ to-
tum prædicata & suscepta.

9 Voluntarie enim peccantibus nobis, post acceptam notitiam ueritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios.

Multi hac Apostoli sententia offensi, epistolam totam suspectam habuerunt, putantes uelle eam ut semel Christum & ueritatem agnoscẽtibus, si in peccatum prolaberentur, pœnitentiam negari. Sed non est hęc mens Apostoli, qui summatim hoc uult docere, Christus posthac non ultra ad saluandum ueniet, sed ad iudicandum, ut ad officium extimulet desides: pro quibus si peccent iterum, nulla ultra pro peccatis relinquatur hostia, quod nemo alius post Christũ redemptor & saluator expectandus credatur, quemadmodum Iudęi olim futurum credebant. Nos uenisse credimus saluatorem, simul credentes futurum seuerum iudicem, et dominum à nuptijs redeuntem. Non autem negari pœnitẽtiam lapsis, probatur infinitis scripturæ locis & exemplis ex prophetis & apostolis. Offensi sunt quoq; quidam etiam hoc uerbo, Voluntarie peccantibus, cum aliud non uelit Apostolus, & inexcusabiliter. Duo sunt autem quæ excusant peccatũ, ignorantia & coactio, quæ nos ueritatem iam edoctos, non excusabunt ante tribunal Christi. Non enim cogimur ad malum, sed multis modis retrahimur. Adeo uolũtaria sunt peccata, ut peccata iam esse desinant, si uoluntaria esse cessent. Sed nec ignorantiam prætexemus prędicati ubiq; euangelij. Discamus potius ex hoc loco, his delictis, quæ per errorem aut infirmitatem humanam committũtur, facilem dandam ueniam. Cæterum postquam ueritatem per euangelium cognouimus, edocti quid expectandum, quid fugiendum, & quæ præmia maneant pios & impios, si uolentes & scientes reuoluamur per merum contemptũ in capitalia flagitia, quę semel suo sanguine abluit Christus, cum ille semel duntaxat mortuus sit, nunquam iterum moriturus, non supereſt relapsis sic in ueterem uitam, hostia offerenda, quæ rursus peccata per baptisma gratis condonet. Quid ergo supereſt? Nimirum formidabilis quædã expectatio iudicij supremi, ac mox ignis sæuus & infestus, qui ad uindictam contemptæ bonitatis diuinæ, deuoraturus est aduersarios.

10 Irritam quis faciens legem, sine ulla miseratione duobus uel tribus testibus moritur, quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filiũ dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritu gratiæ contumeliam fecerit?

Validum argumentum à minori, quo probat, non fore impune, si quis legem euangelicam contempserit. Quo, inquit clementior est, quo plus adfert beneficij, hoc grauiores dabit pœnas, qui eam sciens ac uolens habebit ludibrio. Habet autem, qui semel ascitus in numerum filiorum dei, uolens se conijcit in numerũ seruorum diaboli. Si tanta erat animaduersio apud Iudæos, ut qui non obtemperasset legi, & sacerdoti proponenti legis Mosaicæ præcepta, hoc est, qui iussus colere sabbathũ, sacrificare hoc modo uel illo, uel etiam abstinere à carnibus suillis, per contumaciam transgrederetur huiusmodi, cõuictus duorum aut triũ hominum testimonio, protinus absq; misericordia tolleretur à medio: quanto grauius mere tur supplicium, qui non quemlibet sacerdotem, sed filium dei Iesum Christũ con culcauerit?

culcauerit? Cõculcat autem eum, qui tantum illius beneficium aſpernatur, qui non ſanguinem pecudis, ſed ſacroſanctum illius ſanguinem, quo dedicatũ eſt nouum teſtamentum, ceu rem prophanam duxerit, præſertim quo ſemel fuit purgatus ab omnibus peccatis uitæ prioris: qui ſpiritum, per quem euangelicam gratiam ſit aſſequutus, cõtumelia affecerit, quod eo ſuis uitijs expulſo, templum dei prodiderit diabolo. Maior enim fit tranſgreſſio, ubi maior præceſſit gratię diuinæ cognitio & clarior. Miſericordia quoq; non eſt deferenda tam pernicioſe impijs, ne graſſandi in proximos illis anſam præbeamus. Sic delinquẽti ſis miſericors, ut nihilominus ad gloriam dei malum tollas è medio, & male agentibus ſis terrori, non bene agentibus. Conculcare quoq; filium dei, eſt non æſtimare charitatem ipſius, qua pro nobis incarnatus, paſſus & mortuus eſt, ſanguinemq; ſuum pro fœdere nobiſcum habendo effudit.

Scimus enim qui dixit, Mihi uindictam, & ego retribuam. Et iterum, 11
Iudicabit dominus populum ſuum. Horrendum eſt incidere in manus dei uiuentis.

Exhortationi ad mutuam charitatem addidit grauiſſimũ ſupplicium, expectandum eis qui conſiſtant in malitia & uoluptate ſua, & conculcant ſanguinẽ redemptoris. Nunc alijs utitur rationibus ad idem, nempe potentem eſſe deũ, ut peccata uindicet: id quod nos etiam contra hoſtes deſiderare non debemus. Qui enim uindictam petit à domino, animo iam ſeſe ulciſcitur: & peccato non caret qui inimicum non diligit. Deo potius committẽdum, ut pro uoluntate ſua lædentem ulciſcatur aut nõ. Deſumptũ eſt aũt ex Deute. 32. cap. Nõ ideo nobis promittamus impunitatẽ, quod non ſtatim animaduertitur ab hominibus in eos qui deſciſcunt à ſyncera uitæ euangelicæ. Nouimus enim qui dixit, Meum eſt ulciſci, ego rependam. Et ibidem, Dominus iudicabit populum ſuum. Quaſi dicat, Non ſolum pagani & ethnici neſcientes iudicabuntur, ſed & populus ipſius, nimirum anuera fide uel ficta egerint. Neq; enim deus acceptor eſt perſonarum, peccantem puniet, ſiue ſui populi nomine, ſiue minus quis appelletur. Imò cũ incredulis huius ferè nihil eſt opus, quotquot enim non credunt, iam ſunt iudicati, ſententiam tantum expectent. Quàm ſit autem horrendum incidere in manum dei, uel ex hoc liquet, quod lata ſententia, nulla eſt redemptio. Apud homines iudices forſan aliquis patrocinio, precibus, muneribus, aut re quapiã alia quid efficiat: apud deũ autem incorruptibilem iudicem aliud eſt. Si iuſti terrentur dei iudicio, de impijs quid fiet? In præſenti uita Dauid elegit cadere potius in manum dei miſericordis quàm hominum.

Rememoramini autem priſtinos dies, in quibus illuminati, magnum 12
certamen ſuſtinuiſtis paſſionũ, & in altero quidem opprobrijs & tribulationibus ſpectaculum facti, in altero autem ſocij taliter conuerſantium effecti. Nam & uinctis compaſſi eſtis, & rapinam bonorum ueſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcẽtes uos habere meliorem & manentem ſubſtantiam.

Ex alio loco pergit admonere ſegniores, ut ſtrenue cœptis inſiſtant, nempe à conſeruatione gloriæ & proprij nominis: ne ſcilicet bonũ nomen principio aſſequutum, ignauia ſua conſpurcent. Quo maiore, inquit, cum laude cœpiſtis euangelicam doctrinam & profeſſionem, hoc maiore cum dedecore recidetis ad priorem uitam. Quod ne fiat, reuocate uobiſipſis in memoriam tempora ſuperiora, in

quibus per euãgelicam doctrinam ac fidem illuminati, & per baptiſmum ſpiritu ſancto edocti, non tãtum idololatriam tenebras eſſe, legemq; Moſaicam umbram uerorum bonorũ, uarias & grauiſſimas afflictiones propter nomen Chriſti pertuliſtis, ſtrenuos & infracti animi athletas uos exhibuiſtis, ſpe futuræ uitæ: partim dum probris & moleſtijs affecti, ſpectaculo fuiſtis omnibus qui doctrinã Chriſti execrantur: partim dum ob euangelicam charitatem ultro ueniſtis in conſortium probrorum & afflictionum, quibus afficiebantur alij Chriſtiani ſiue apoſtoli, qui contempto mundo, regulam euangelicam ſectabantur: ſiquidem afflictionum probriq; quod ex uinculis meis apud homines impios uidebatur accidere, fuiſtis ultro participes: & alieno dolore doluiſtis, alienam contumeliam, ueſtram eſſe duxiſtis. Nec hucuſq; tantum præſtitiſtis uos ingenue Chriſtianos, uerumetiam direptionem facultatum ueſtrarum gaudẽtibus animis accepiſtis, nimirum re ipſa declarantes, uos ſcire & credere quod habeatis potiores & meliores opes repoſitas in cœlo, quas nec fur clancularius nec prędo uiolentus poſſit eripere: imò creſcunt illę iactura bonorum huius mundi, quã ob Chriſti nomen patimur. Eatenus autẽ licet reſpicere in opera bona, ut quæ pro eis patimur, alacri animo perferamus, ut dei auxiliatricem uirtutem in talibus glorificemus, adq; maiora animati augeſcamus continuo uirtute fidei & charitatis, quæ adminiſtrat deus. Diſcimus autẽ hic, quanta pij in eccleſia primitiua pro Chriſto ſint paſſi, primum opprobria: Chriſtiani enim facti, maxime ex Iudæis, omnibus ludibrio erant, maxime Iudæis, à quibus apoſtatæ habebantur & blaſphemi & peſſimi hominũ: ſic enim ab hoc mundo excipiuntur ueritatis zelatores. Et ea quoq; opprobria, ſi oc culta fuiſſent, fortè animus generoſior negligere potuiſſet, ſed publica nemo niſi Chriſtianus ferre poteſt. Tempore autem Domitiani famoſi libelli in Chriſtianos paſſim ſcripti ſunt, ut fierent toti orbi ſpectabiles, & item latere plerunq; cogerentur. Nam nullibi patrocinium inueniebãt, rerum omnium penuria laborabant, ut eſt apud Euſebium. Conſtat ergo optimos fuiſſe uiros, qui talia ferre pro Chriſto potuerunt. Socij quoq; & compatientes talibus ſanctis, ſæpe pro alijs plus q̃ pro ſe merebant. Tantus in eis ardor charitatis erat, ut quicquid alteri accidebat, quiſq; ſuum hoc putaret. Vltimo laudat uirtutem, qua omnia pro Chriſto relinquere poterant: quãdoquidem lex erat tyrannorum, ut qui Chriſtum fuiſſet profeſſus, illius bona diriperẽtur. Addit autem, Scientes uos habere potiores &c. Incomparabiliter enim potiores ſunt animi diuitiæ externis & fluxis. Quicquã pro Chriſti nomine pio animo relinquere, eſt hic centuplum recipere, & in futuro uitam æternam.

13 Nolite itaq; amittere confidentiam ueſtram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim uobis neceſſaria eſt, ut uoluntatem dei facientes, reportetis promiſſionem.

Hortatur à magnitudine præmiorum illos expectãtium, ſi aduerſa patienter ferantur pro deo, quæ et ipſa nõ mediocrem uim habent ad excutiendum ſomnolentiam. Hæc, inquit, prędicta & facta addant uobis magnam fiduciam aſſequendi promiſſa Chriſti, debentur enim tam inuictæ fidei ſumma præmia, & hauddubie perſoluentur à deo iuſto & benigno, ſed ſuo tempore. Nunc certandi tempus eſt, poſt diſtribuentur coronæ: interim neceſſaria eſt uobis patientia, ut ubi conſtãtibus animis obſecuti fueritis uoluntati diuinæ, uictores reportetis promiſſam coronam æternæ gloriæ.

14 Adhuc enim modicũ aliquantulumq; qui uenturus eſt ueniet, & non tardabit.

tardabit. Iustus autem meus ex fide uiuet. Quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ.

Dicerent pij Hebræi, Patienter quidem ferremus omnia mala, si non tam longum esset tempus. Respondet Apostolus, Nondum quidē apparet ille dies, quo sublato certamine præmia reddentur: tamen haud procul abest, & imperator noster ascensurus in cœlum, pollicitus est sese denuo ad nos rediturum, nec diu morabitur. Interim iustus ex fide sua uicturus est, quantumuis afflictus, quantūuis irrisus, quantumuis extinctus, tamen expectatione promissorū sustinebit fortem animum. Quantumcunq; autem temporis sit triginta uel 60. annorū, aut eo amplius, tamen parum est quod finem sortitur, & uix momentū ad æternitatem collatum tempus. Citat autem Apostolus hoc testimonium ex Abac. 2. non tamen uerbotim, sed fideliter. Sic enim habent Hebræa, Si moram fecerit, expecta eum, quia ueniens ueniet, & non tardabit. Ecce uiri superbi, nō est recta anima in eo. Iustus autem in fide sua uiuet. Quem locū inuenies proprie explicatum ibidem. Ponit autem propheta duos hic populos, unum fidei, alterum pertinaciæ uel subtractionis. Vnum, qui deo probatur ad uitam. Alterum, reprobatū ad interitum, qui & ludibrio Christum habent, & pro fabula quicquid dicitur de pietate uel uita secūdum deum instituenda. Iustus autem uaticiniū non negliget, credit nanq; deum ueracem, uel prophetam etiam dei nuncium, fidemq; certissimam collocat in uerba dei. Pereuntibus ergo incredulis uerbo prophetico peste, fame, gladio, bellijs, ut contigit Hierosolymitanis Ieremiæ & Abacuc temporibus, Dominus liberauit credentes tunc, & postea suo tempore remisit liberatos.

Nos autem non sumus subtractionis filij in perditionem, sed fidei in 15
acquisitionem animæ.

Non sumus ex numero illorum qui Christi promissis & dictis non credunt, sed ex credentibus & acquirentibus per obediētiam fidei uitam æternā, utcunq; contrarium nōnunquam in sanctis appareat. Christū enim sequentes, se aliquando perire uidēt, præsentia admirantes, dum interim iniusti & impij animas suas seruant, sed ad interitum & ad gehennam. Cæterū hoc dicto, Iustus ex fide uicturus est, Apostolus ad Rom. & Gal. utitur, contra pharisaicam superbiam paulò aliter quàm hic. Fidem autem non intellígit falsam illam de deo opinionem & asseuerationem, sed constantem animorum persuasionem de diuinis rebus, factam per spiritum sanctum, adeoq; ueram de rebus diuinis cognitionem, ubi & locum habet certissimum fiducia minime otiosa: quæ fides deo eatenus placet, ut ea sola salus parari possit. De qua fide latius nunc sequenti capite disputare instituit.

CAPVT XI.

EST autem fides sperandarum substantia rerum, argumentū non 1
apparentium.

Ne quis putet Apostolū superiori testimonio nimiū fidei tribuisse, hic fidem definit, esse argumentum animi optime de deo sentientis, nihil addubitantis de dictis illius, cum nec appareant usquam humanis sensibus quę dicūtur, nec humana ratione probari queant. Vulgus inania somnijsq; similia ducit ea quæ cum nusquam re extent sensibiliter, tantum animi spe concipiuntur, & stulte uera credi putat, quę non possunt oculis demonstrari. Atqui hæc fides per quā iustus uitam tuetur, alijs pereuntibus, non est aliqua uulgaris credulitas, sed est solida firmaq; basis earū rerum, quæ nec sensibus nec rationibus humanis deprehendi possunt, sed eas firma spes ita repræsentat animo, quasi coràm cernerētur,

quasi manibus tenerẽtur, quæq; per se uideri non possunt, eas persuadet esse certissimas, non argumẽtis humanis, sed spiritu dei afflati per gratiam, certaq; fiducia erga deum authorem suum. Res autem quæ sperantur, sunt remissio peccatorum, regeneratio in nouam uitam, iustitia acquisita nobis per Christum, & uita sempiterna & beata post has miserias, cũ cæteris articulis: & quicquid cœlestium donorum nomine appellatur. Istæ res quodammodo in animo hominis tanquam in sede sua insident, & per spiritum dei firmiter consistunt, suntq; gustus quidam & experientia eorum quæ sperantur & non uidentur, interim tamen habentur pro certissimis. Consiliũ autem Apostoli hoc loco fuisse uidetur, inuitare fideles ad curã maiorem fidei, tum ex fidei essentia & natura, tum exemplo sanctissimorum, qui deo propter huiusmodi fidẽ fuerũt charissimi, tum ut in præsentibus malis tali fide sese consolarent, qua etiam infracto animo fide & patientia freti, peromne aduersitatum genus perrumperent, & ad cœlestem patriam tenderent. Est autem hæc fides minime res otiosa, sed maxima operatur, & tantum sancta, ut patet in patrum exemplis, uita & operibus.

2 In hac enim testimonium consequuti sunt senes.

Fides talis res est sacratissima, & scientiã omnem certitudine superans, & deo omnium gratissima, quæ nos deo gratos, probatos charosq; reddat. Neq; nos solum, uerum si quis repetat ab orbe condito, reperiet maiores nostros omnes, quorum memoria celebris est ob laudem pietatis, fidei commendatione potissimum promeruisse quod assequuti sunt. Hæc subsequentibus per multa exempla maiorum manifesta facit.

3 Fide intelligimus aptata esse sæcula uerbo dei, ut ex inuisibilibus uisibilia fierent.

Fide cognoscimus uniuersum hunc mundũ, cum his quæ complectitur, conditum fuisse uerbo dei, soloq; iussu conditoris. Quis enim alioqui persuadeat, ex inuisibilibus gigni uisibilia, aut ex his quæ non sunt, fieri quæ sunt? Philosophi ratiocinationem humanam sequuti, mundum putant ingenitũ esse: neq; magis habuisse exordium, q̃ habuerit opifex ipse. Nos autem quod nec uideri potuit, nec humanæ mentis ratiocinatione colligi potest, perinde credimus ac si uideremus, nimirum freti libris diuinis, & ipso dei uerbo, qui narrant mundum esse iussu dei conditum, & id quoq; propter hominem, ut bonitas, sapientia & potentia dei ab hominibus cognosceretur ex uerbo dei, quem scimus nihil non posse, nec posse mentiri. Qui uero sui causa mundum credit conditum, & digne perpendit, fieri non potest, quin tantum opificem, qui in manu habet mundum, redamet, & huic per omnia placere cupiat. Hinc enim fides assurgit, & paulatim etiam alia æque sublimia, sicut & remissionem peccatorum, resurrectionem mortuorum, & ultam æternam credere assuescit. Porrò sæcula non solum facta sunt, sed & perfecta uerbo dei, hoc est uirtute & iussu dei: hoc autem qui nouit, non ratione sed fide cognoscit.

4 Fide plurimam hostiam Abel quàm Cain obtulit deo, per quam testimonium consequutus est esse iustus, testimonium perhibẽte muneribus eius deo, & per illam defunctus adhuc loquitur.

Mouentur homines magis exemplis q̃ ratione, quia exposita sunt magis sensibus. Voluit ergo Apostolus ijs præclaris ueterum exemplis ad fidem illos atq; adeo nos inhortari. Multa autem exempla maiorum proponit, quibus nos ad perseuerantiam

seuerantiam animat, omnem adimens excusationis causam, postquam alij homines & patres nostri ac fratres tanta fide claruerunt, tantaq; peregerunt, ut habeamus quos imitari possimus quemadmodū debemus. Et profecto non potest non aggrauare damnationem nostram, qui tot & tam preclaris exemplis inuitati, deo nos cōcredere, illiq; fidem habere adhuc dubitamus. Abel primus omnium iusti cognomen promeruit, atq; hoc sanè maiore cū laude, quod nullius exemplis prouocatus, fidem exercuit, & innocentem se deo præbuit, non sine preueniente dei gratia. Quæ tandem res effecit, ut hic charior esset deo, q̄ Cain frater? Nimirum fides, qua totus pendebat ab eo, cū Cain ceu diffidens, & infidelior in sacrificijs deo offerendis, nempe non de melioribus ut Abel, hostias dño offerebat. Vterq; itaq; offerebat, sed solius Abelis sacrificium fuit acceptū deo, quod uir innocens, syncero pectore fideret illius bonitati: neq; circumspectaret huius mundi cōmoda, sed pietatis suæ mercedem expectaret in cœlis. Non igitur hostia sed fide promeruit, ut deus igne de cœlo demisso, ostenderet se complecti clementer illius donaria, testaretur q; eum esse iustum, atq; hoc pulcherrimo elogio, nunc etiam post tot annorum millia sic uersaretur in ore hominum, ut mortuus etiam uiuere loquiq; uideatur. Occiderat Abel fratri, cum innocens esset interfectus, at non occiderat deo, cui sanguis eius adhuc clamabat de terra. Nec putetur hoc loco deus permotus ob munera Abel, qui externa illa non moratur, sed fidem appretiatus est, qua ista obtulit meliora, & summo cordis studio. Ex moribus enim utriusq; satis perspicitur, qua quisq; mente præditus fuerit. Vbi enim fides, ibi charitas: ubi nulla est charitas, certum est nullam adesse fidem, sed inuidiā & ferocitatem: qua quia deum lædere non potuit, seruum illius aggressus est, & occidit eum, qui nullam prorsus sæuiendi illi occasionem præstitit, quamlibet esset natu maior, & authoritate potior.

Fide Enoch translatus est, ne uideret mortem, & non inueniebatur, 5
quia transtulit eum deus. Ante translationem enim testimonium habuit
placuisse deo. Sine fide autem impossibile est placere deo. Credere enim
oportet accedentem ad deū, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.

Secūdo loco Enoch laudatur, septimus ab Adam, qui numerus mysterio non uacat. Translatio illa, si omnino fuerit in uita conseruatio, difficile est credere, & ut probetur impossibile. Vnus Christus primogenitus est mortuorum, qui tunc nondum persoluerat redemptionis pretium, necdum flammeus gladius & uersatilis ablatus legitur, qui aditum paradisi non impedierit. Non uidisse mortem dicitur, quia non habet testimoniū è scriptura, ipsum uere mortuum, sicut nec genitum Melchizedech. Verum ante tempus raptum dicunt Hebræi, omnibus patribus iunior discedens è uiuis. Ablatus est autem, quia deo placuit: ergo in fide fit sine fide, si fides haberi per ætatem potest: ad impossibile autē nemo obligatur. Vnde & qui nesciunt discernere inter sinistram & dexteram, proprie fidere non obligantur. Pueris quoq; inscriptis libro uitæ, salus à domino negari non potest, ideoq; nec ad salutem necessaria aberunt. Aetas ergo & habendæ uel confitendæ fidei impotentia, diuinæ gratiæ in electis nihil præiudicat. Hinc autem uel hoc discas, præcipuum accedenti ad deum esse, inesse ei fidem, ut credat deum: deinde ut credat illum quærentibus se in ueritate sufficientissimum remuneratorem, hoc est beneficum. Quomodo enim quisquam se ei addicere possit, à quo nulla bona sperat? à quo non se credat curari? Fidei ergo debetur felicitas, qua ut deo placēs

ablatus est, quomodocũq; id actum sit, de quo non libeat fidelibus Lectoribus anxie, sine omni profectu delitigare.

6 Fide Noe responso accepto de ijs quæ adhuc non uidebantur, metuens, aptauit arcam in salutem domus suæ, per quam damnauit mundũ, & iustitiæ quæ per fidem est, hæres est institutus.

Insignius quoq; exemplum fidei erga deum præbuit Noë, qui cum esset oraculo admonitus, futurum ut inundatio deleret uniuersum animantium genus interris, propter immensa crimina hominum: nec tamen apparerent argumenta, quibus id futurum colligi certo posset, ut totam terram operirent aquæ. Id quod prædicebat oraculũ, eo quod naturæ impossibile uideretur, cœlumq; uideretur serenum, hominesq; securi conuiuantes, & matrimonium celebrantes, ridebant oraculi minas: ipse tamen indubitatum habens, euenturum quod deus illi euenturum prædixerat, contra omnem rationis certitudinem apparauit multis annorum laboribus arcam, prout iubebat deus, & ad eius præscriptum. Qua simul & fide & arca seruauit suam familiã, & reliquos homines non credentes condemnauit, adeo diffidẽtes sermoni diuino, ut adornantem fabricam in futurũ diluuium, uelut insanum irriderẽt. Neq; solum seruatus est à diluuio, uerumetiam successit in laudem maiorum suorum, Abel & Enoch, qui celebres sunt ob iustitiam, quæ per ueram fidem commendat hominem deo. Sic ergo haud modice tentatus Noë difficultate rei, quã facto prædicare cogebatur mundo, contemnẽti tam uerba q; facta ipsius, quo minus pœnitentiam agerent, ipse tamen credens perstitit, & sese nihilominus credidit cum suis liberandum, quia religionis & dei metus illum sedulum fecit in omnibus quæ sibi præcepta erant. Mundum autem condemnasse dicitur, non machinam dei, sed mundanos homines, mundum amantes & uiuentes, cœlestia ac diuina iam omnia aspernabantur, adeoq; uerbũ dei. Et nos quoq; per fidem arcæ nostræ, quæ Christus est, adhæremus, cuius etiam corpus sumus credentes in illum, & aquas interitus euademus, salutem & requiem animabus nostris inuenturi.

7 Fide, qui uocatur Abrahã, obediuit in locũm exire, quem accepturus erat in hæreditatem, & exijt, nescius quò iret.

Abraham quoq; quoties insignis erga deum fiduciæ dedit documentum? Primum, cum nihil homini sit dulcius natali solo, tamen cum à deo iuberetur, relicta patria & affectibus suis, commigrare in terram ignotam, nihil cũctatus, obediuit uoci diuinæ, nullius exemplo prouocatus, nullis probabilibus argumentis spem facientibus fore, ut relictis agris paternis, terram, nescio quam, hæreditate possideret, cuius neq; nomen neq; situm adhuc nouerat. Adeo certa erat illi fiducia, fore quicquid deus esset pollicitus. Propter quam tam inclytam fidem pater gentium & credentium appellatur, qui huius fidem imitantur. Claruit & multis aljs uirtutibus, ut obedientia, mansuetudine, hospitalitate, de quibus passim in Genesi multa. Fide autem iustificatus est coram deo, & clarior redditus coram mundo, contra rationẽ credẽs diuino præcepto, ut relinqueret opes, amicos, patriam cognatosq;, nihilq; antiquius duceret q̃ simpliciter domino obedire. Hũc patriarcham uidemus apostolis non minorem, quorum alij à retibus, alij à telonio uocati, omnibus relictis, etiam patribus, sequuti sunt dominum. Vt nos quoq; discamus, à domino uocati, nihil excusare, sed alacriter sequi, eidem cõmittendo euentum negotij nostri.

Fide

Fide demoratus est in terra repromissionis, tanquam in aliena, in ca- 8
sulis habitãdo cum Isaac & Iacob, cohæredibus repromissionis eiusdem.
Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & con-
ditor deus.

Eximium erat fidei & uirtutis opus in Abraham, in ipsis diuitijs contemnere diuitias, habere omnia, & nihil possidere: posse abundare, & pati penuriam. Fuerat illi diuinitus promissa terra Chanaan, non tamen inde animo efferebatur, sed se semper gerebat pro peregrino. In quam cum deuenisset, neq; succederet res ex animi sentẽtia, nec ipsi nec filio Isaac, sed nec nepoti Iacob, cum tamen non Abrahæ tantum sed posteris etiam illius esset promissa eius hæreditas, sed ipse subinde conflictari cogeretur cum hostibus, & Isaac moleste negotium exhiberent Philistæi, & Iacob per Esau fratrem profligatus esset in Mesopotamiam, unde reuersus tandem coactus est paulum emere locelli, ubi figeret tabernaculum: tamen nihil omnibus hisce rebus commotus est Abrahã, ut diffideret deo pollicito terram: neq; questus est se exulem esse, non hæredem: neq; flexit animũ ad ea quæ uidentur in terris, sed ad cœlestia, quæ non cernuntur nisi oculis fidei. Sensit enim non hanc esse terram, de qua sensisset promissio diuina, quam adeo nõ magnifecit, ut nec ædificium ullum aut oppidũ in ea putaret extruẽdum, sed uelut hospes mox aliò migraturus, in tabernaculis sese cõtineret cum suis. Quid igitur expectabat, cum cerneret hæc non apparere promissa, nimirum expectabat aliam ciuitatem stabilem ac perpetuam, unde nunquam esset depellendus, longe dissimilem his, quas & condunt & demoliũtur homines, cuius opifex & conditor esset deus. Huiusmodi ciuitatem illi expectantes, peregrinos se in hac terra dixerunt, sicq; animis suis nullis sæculi huius delicijs & uoluptatibus addicere se uoluerũt. Quam ciuitatem deus ab æterno prædestinauit, cum in dilecto suo nos elegit, & spiritu sancto congregat electos atq; conseruat.

Fide & ipsa Sara sterilis, uirtutem in conceptione seminis accepit, e- 9
tiam præter tempus ætatis, quoniam fidelem credidit esse eum qui repromiserat. Propter quod & ab uno orti sunt (& hoc mortuo) tanquam sydera cœli in multitudinem, & sicut arena quæ est ad oram maris innumerabilis.

Quin & huius uxor Sara, cum & maritum haberet uetulũ, & eò processisset ætatis, ut matrici natiua uis deesset ad semen uirile attrahendum ac retinendum, tamen concepit & peperit Isaac: diffisa quidem naturæ uiribus, sed confisa deo, qui per angelum illi fœtum masculum promiserat in annum proximum: non aut diebat reclamantem naturã, tantum habebat persuasum, deũ mentiri non posse. Promiserat deus Abrahæ posteritatem stellarum numero, parem arenæ littorali, nec ullam spem prolis dabat natura, nihil tamen ille diffisus est. Atq; ob id ex uno fene, iam annis effœto, prognati sunt posteri tanto numero, quãto sunt stellæ cœli, quãto arena quę est in littore maris. Siquidem ille filios ac nepotes expectabat, non tam iuxta sanguinis cognationẽ, quales tamen est assequutus copiosissime, quàm iuxta fidei imitationẽ, quo nomine nos omnes posteri sumus Abrahæ, qui fidimus promissis euãgelicis. Ergo nec Abrahæ tantum, sed & posterorum illius germanorum tam constans fuit fiducia, ut illis nec mors eam ademerit. Cætera in locum intelligendum accommoda, uide suis locis.

Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, 10

sed à longe eas aspicientes & salutantes, & confitentes, quia peregrini & hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere.

Mortui sunt omnes hi cum nondum tenerent promissa, sed procul ea fide uiderent crederentq; præq; desiderio consalutarent, adeo non fidentes huic terræ, in qua nemini diu uiuere licet, ut sese confiterentur hospites ac peregrinos esse, non solum in Palæstina, sed in toto mundo. Frequenter enim uitam hanc peregrinationem uocant & incolatum. Et in Psalmo mystico Dauid profitetur se peregrinum in terra, quemadmodum fuissent omnes patres ipsius, & tamen is regnabat etiam in Palæstina, & ciuitatẽ condiderat. Atq; hæc sanè regio finibus admodum angustis circumscribebatur, & magna ex parte non cessit Hebræis Abrahæ posteris, eo q; pristinos possessores non possent loco depellere. Nec tamen hanc quoq; ingressus est Moses, sed procul è monte conspectam salutauit moriturus, neq; desperauit tamen de promissis. Itaq; quum se fateantur esse peregrinos, satis declarant sese desiderare patriam. Quam autem patriã inquirunt, quibus hic mundus totus exilium est? Chaldeam patriam reliquerant, cuius desiderium, si illos ciuasset, nõ adeo procul aberat, quin potuissent eò cõmode redire. Non igitur illã patriam desiderabant, sed aliam hac meliorem, in qua liceret æternũ uiuere, prorsus exemptos ab omni dolorum molestia. Hæc erat illa patria cœlestis, in quam illos euocarat deus, & cuius amore uolebat eos sic in hoc mundo uiuere, quasi in mũdo non essent. Atq; hac de causa, deus cum sit conditor ac princeps omnium, tamen peculiariter se uocat deum Abraham, Isaac & Iacob. Siquidem illorũ proprie deus est, qui fiduciã omnem, & omnia felicitatis præsidia in ipso collocarunt: ac talibus parauit ciuitatem non terrenam, sed cœlestem, in qua semper felices regnant cum deo, cuius amore omnia contempserunt. Interim tamen ob spei certitudinem, quam fideles ex spiritu percipiebant, apostolico more, uere dici poterãt & erant non iam hospites & aduenæ, sed ciues cœli, & sanctorũ, & domestici dei. Aliquo enim modo eius quod pij sperant gustum assequuntur. Hanc sententiam confirmat ratione, qua dicit, Qui talia dicãt, declarare se alibi patriam & amicos non inquirere, nec adeptos esse. Huc faciunt etiã quæ Apostolus subijcit, dicens,

11 Et si quidem ipsius meminissent de qua exierunt, habebant utiq; tempus reuertendi, nunc autem meliorem appetũt, id est cœlestem. Ideo non confunditur deus uocari deus eorum, parauit enim illis ciuitatem.

Si ut dictũ est de terrestri patria uult dicere, Nihil omnino obstitisset, quominus in eam redijsse potuissent, cum undequaq; opportunitas illos inuitasset, sed meliorem & cœlestem expetebant. Sed & si spem suam in terrenis collocassent, certe deus meliorum bonorum dator erubuisset deus illorum uocari. Hoc cum dici nõ debeat uel possit, sequitur cœlestem eos patriam expetiuisse. Certe elegit eos, ut essent principes in ecclesia sancta catholica, suosq; agnoscit & cœlestis. Quamuis enim in carne uiuerent, carnales tamen non erant, sed spirituales. Vrget ergo hic Apostolus sensum spiritus, non nudam literam.

12 Fide, obtulit Abraham Isaac cum tentaretur, & unigenitum offerebat, in quo susceperat repromissiones, ad quem dictum est, In Isaac uocabitur tibi semen, arbitratus, quia & à mortuis suscitare potẽs est deus, unde eum & in parabolam accepit.

Quandoquidem Iudæi nunquam non gloriantur de patre suo Abraham, cuius

lus tamen fidem & pauciſſimi ſunt æmulati, libuit Apoſtolo, hoc tanquam præcipuum exemplum cum primis conſiderãdum proponere. Inſigne enim fuit fidei documentum in Abraham, quod cum deus explorans, & ex animo ſibi fideret, iuſſiſſet ut immolaret filium ſuum Iſaac, cum is & unicus eſſet, & cuius nomine promiſſa fuerat poſteritas. Siquidem hic erat ſermo promittentis, In Iſaac uocabitur tibi ſemen: nihil tamen cunctatus, aggreſſus eſt facere quod iuſſus eſt, nihil interim ſecum diſputans, Vnde mihi poſteritas, ſi hunc occido, in quo uno ſpes eſt poſteritatis? Sed illud in animo perpendebat, deum qui promiſerat mentiri non poſſe: & ſi libeat, uel à mortuis excitare poſſe filium extinctũ, generis propagatorem. Et quia credidit reſurrectionem mortuorũ, idcirco datum eſt illi, ut filium, quod in ipſo fuerat, extinctum, domum ueluti uitæ redditum reducere: iam tunc imagine quadam adumbrantem futuram reſurrectionem Ieſu Chriſti. Vide relicqua ſuo loco. Diſcamus nos tentati à domino, dũ in anguſtijs duo nos urgent prę cepta, illi potius adhæreamus, quod nobis magis notum & certum fecerit diuina uoluntas. Sed hic perſpicacibus oculis opus eſt, ne ſatan ſe in angelum lucis transfigurans, incautiores ſpecie pietatis decipiat. Quemadmodum temporibus prophetarum contigit, qui imitaturi exemplum Abrahæ, filios ſuos & filias immolauerunt idolo Moloch, contra præceptum, Non occidas. Stulta nimirum erat hæc imitatio & planè impia, imò ab ipſo ſatana inuecta. Non abſimilia habuerunt & noſtra tempora, & habent. Deus autem timẽdus, & ſimpliciter ei in timore & tremore ſeruiendum, qui & edocebit indubie quid te facere uelit, & quid fugere. Nam non mentietur ſpiritus, qui dixit, Prope eſt dominus omnibus inuocãtibus eum in ueritate. Quemadmodum autem Iſaac ad pœnam poſtulatur à domino, ſic omnes ut filij mortis poſtulamur ad gladium. Diuinæ autem benignitatis eſt, nos alio ſacrificio ſatisfactionem pro peccatis noſtris ſumere, nempe Chriſto, qui deſignatus fuit per arietem hærẽtem in uepribus. Aries autem naturam quidem ouis habet, eas tamen tanquam dux antecedit, ſic etiam Chriſtus: & cætera de his multa.

Fide, & de futuris benedixit Iſaac, Iacob & Eſau. 13

Erat iam & illud euidens animi bene fidentis deo documentum, quod Iſaac moriturus, cum ipſe nondũ accepiſſet promiſſam à deo felicitatem, tamen auſus eſt polliceri iam filijs ſuis Iacob & Eſau, cum utrique benediceret, pręuidens uitam utriuſque, ac diuerſum utriuſque præmiũ. Adeo res eſt oculata fides, ut ea quoque cernat ueluti præſentia, quæ procul ſemota ſunt à ſenſibus corporeis. Sed multa qui dem fideliter geſſerunt Abraham & Iſaac, quæ tamen hic Apoſtolus non commemorat, apud Moſen tamen iſta copioſe legũtur. De hac autem benedictione filiorum ſuorum ab Iſaac, lege Gen. 27. cap.

Fide, Iacob moriens ſingulos filiorum Ioſeph benedixit, & adorauit faſtigium uirgæ eius. 14

Iacob moriturus, poſteritatis curam gerens, ut pios redderet & dei ſtudioſos cultores, prædixit quid ſequentibus annis unicuique tribui futurum erat. Ante omnes autem benedixit filijs Ioſeph, Gene. 48. Cui ſciens & prudens primogenituræ ius dedit, nimirum ex reuelatione edoctus. Ephraim enim & Manaſſe duæ tribus ſunt factæ, quia Leui non erat ſortem in terra habiturus. Et ita ex benedictione dei fuit, quod una tribus in duas diuideretur, & regnum Iſraelis Ephraim daretur poſt Salomonis deceſſum. Quod autem hic dicitur, Faſtigium uirgæ, Hebræus legit, Ad caput lecticuli: utrunque recte, quãdo dictio מטה ambiguum eſt ad

utrunq;. Virga symbolum regni est, ad quod adorans, ostendit regnum manere posteros eius. Ex filijs nempe Rachel, tam regnum Saulis q̃ Ieroboam, Christi autem regnum de tribu Iuda clarius prædixit.

15 Fide, Ioseph moriens, de profectione filiorum Israel memoratus est, & de ossibus suis mandauit.

Eximiæ fidei documentum exhibuit Ioseph, de reuersione Israelis in terrã eis promissam, post 200. annos: nam quadringentis annis seruituti subiectus fuerat. In cuius testimonium certum præcepit de ossibus suis perferẽdis, quo certius crederent futurum aliquando, quod promiserat dominus patriarchis. Nam alioqui omnem terram domini esse sciuit, & sepeliendis piorum corporibus à domino ubiq; benedictam & consecratam, dum dixit, Terra es, & in terram redibis.

16 Fide, Moyses natus, occultatus est mensibus tribus à parentibus suis, eo quod uidissent elegantem infantem, & non timuerunt regis edictum.

Cum enim rex Aegypti edixisset, ut quicquid ex Hebræis nasceretur sexus masculini, statim interimeretur. Parentes Mosis ut filium cõspexere, ipsa statim indole uultus magnum quiddam præ se ferentem, interpretantes deo gratũ esse, ut infans bono publico populi seruaretur: neglexerũt regis edictum, & puerum apud se tribus mensibus occultarunt, deinde scriniolo inclusum reponũt in ripa fluminis: non dubitãtes, quin deus seruaturus esset puerum, cui tantam gratiam offuderat ex aspectu, magisq; metuerint offendere deum q̃ tyrannum: nimirum intelligentes eos qui pietatem colũt, utcunq; res hominũ cadant, non posse destitui præmio suo.

17 Fide, Moyses grandis factus, negauit se esse filiũ filiæ Pharaonis, magis eligẽs affligi cum populo dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æstimans thesauro Aegyptiorũ improperium Christi, aspiciebat enim in remunerationem.

Laus prædicta fidei debebatur parentibus Mosi, uerũ illa fuit huius propria, quod posteaquam adoleuisset, & adoptatus esset à filia Pharaonis, respuit honorem regiæ cognationis, maluitq; palàm professus Hebræum esse se, communibus malis adfligi cum populo dei, q̃ ex impia simulatione capere commoda huius uitæ: feliciores diuitias esse iudicans, iam tum pro seruando populo ferre probra malorũ, in typum Christi, qui olim erat grauiora passurus pro salute gentis suæ, quàm uniuersos Aegyptiorum thesauros. Contempsit quod erat in manibus, & fidei oculos uertebat in ea quæ procul aberant à sensibus, deo fretus, qui non patitur hominum pietatem fraudari meritis præmijs. Temporale autem peccatum intelligit, nolle simul affligi cum fratribus, & malis illorum compati, uitam aulicam eligere, mundanis uoluptatibus deditum esse, multo maius peccatũ est consentire affligentibus bonos. Probrum autem Christi uocat, quicquid populo dei mali & opprobrij irrogatur: quod enim membra patiuntur, etiã caput experitur. Populus iste æque Christi fuit ut dei, & eadem fides illis tunc fuit in Christũ, quæ nobis. Sanctorum est ergo & Christum agnoscentium, sequi crucem, opprobria, conuicia: non quærere mercedem in mundo, sed certa fide expectãda est sanctis à deo, iuxta promissiones quas diligentibus se exhibebit.

18 Fide, reliquit Aegyptum, nõ ueritus animositatem regis, inuisibilem enim tanquam uidens sustinuit.

Dei præsidio fretus, ausus est his etiam maiora. Non dubitauit moliri fugam ex

ex Aegypto, secumq; populum educere, nihil ueritus tyranni ferocis iram uel minas. Contẽpsit regem quem oculis cernebat, neglexit minas tãti principis, quem armatum uidebat imminere ceruicibus suæ gentis. Nec aliter animo infracto fuit inuisibilibus pręsidijs inuisibilis dei, ac si eum coram oculis suis conspexisset. Quamuis autem primum timuerit fugiens ad Iethro propter occisum Aegyptiũ, postea tamen promissionibus diuinis in monte animatus fide redijt, magnanimiter aggrediens & conficiens quæ dominus iniũxerat, cuius uocationi ui spiritus & fide sese accommodauit fortiter.

Fide celebrauit pascha, & sanguinis effusionem, ne qui uastauit primi 19
tiua, tangeret eos.

Eiusdem fidei fuit, quod cum intellexisset fore, ut angelus ultor obambulaturus esset per uniuersam Aegyptũ, & occisurus quicquid esset primogenitorum, suis Hebræis nihil omnino metuerit, quibus id temporis sub exitum instituit solennem ritum edendi agnum paschalem, è cuius sanguine conspergebant limen ac superliminare, simulq; postem utrunq; domus. Atq; hoc signo freti, nihil sibi metuebant in media cæde Aegyptiorum. Eadem quoq; fide agnouit quoq; Moses mysteria nostra & Christi, nempe quod satan primogenita hominũ perimens, nihil in fideles iuris habeat, modo illiti simus & aspersi mentibus, sanguine agni immaculati Christi, qui tollit peccata nostra, & liberat à malo fideles.

Fide transierunt mare rubrum tanquam per aridam terram, quod ex 20
perti Aegyptij, deuorati sunt.

Simili statim fiducia cum mare rubrum obstaret fugiẽtibus, atq; id ictu uirgæ Mosaicę diduxisset sese: sic uia relicta in medio, ut tanquam per siccum iter euadèrent Hebræi, totus populus deo fretus, incolumis effugerit. Cæterum Aegyptij cum ira præcipites sese credidissent eidem mari, mox coëuntibus undis, dimersi sunt, ut legitur Exod. 14. Nos fide in Christi sanguinẽ freti, spirituq; illius baptizati, incolumes mundi huius mare in terram promissam pertransimus, pereuntibus infidelibus, & hostibus pietatis.

Fide muri Iericho corruerunt circumitu dierum septem. 21

Syncera huiusmodi in deum fides effecit, ut olim mœnia Iericho septimo die septies ambita, subito corruerint, nullis impulsa machinis, sed uirtute dei uiuentis ad sonitum sacerdotalium tubarũ, populiq; clamorem, sic ut Hebræis urbem cingẽtibus, qua quisq; steterat ingressus daretur. Nónne fide Iosue hæc sunt confecta? Persuaserat sibi nihil non posse deum, & hauddubie futurum quod ille se facturum promiserat. Historiam hanc latius lege Iosue 6. cap.

Fide Raab meretrix non perijt cum incredulis, excipiẽs exploratores 22
cum pace.

Quin & illud fidei non leue documentũ fuit, quod Raab meretrix, quæ prius missos exploratores exceperat hospitio, cum intellexisset eum populum esse deo charum, maluit illis cum suæ uitæ periculo consulere, q; apud ciues impios inire gratiam. Ac fidei suę mercedem tulit, quod unà omnium cum sua familia seruata est, ne periret cũ ijs, qui suis uiribus freti, non crediderãt deum, ubi uellet, euersurum ciuitatem. Certe hoc exemplo Apostolus nonnihil Iudæos cõfundit. Qua si dicat, Si Abrahæ, Mosis, & patriarcharũ exempla uos ad fidei firmitatem non cõmouent, moueat uos saltem fides ignominiosæ mulierculę, qua totam domum suam seruauit. Cuius tamen mulieris fides commẽdatur, non ut scorti, sed ut iam

pœnitentis, & deum Israelis cognoscentis. Quamuis & pro hospita accipi potest dictio Hebraica, ut exponunt etiam Hebræi.

23 Et quid adhuc dicã? Deficiet enim me tempus, enarrãtem de Gedeon, Barac, Samson, Hiephthe, Dauid, Samuel, & prophetis.

Cum, inquit, inter tot prodigiosa facinora maiorum nostrorum nihil omnino gestum sit insigniter absq; fidei præsidio, quorsum attinet singula commemorando persequi? Tempus enim citius nos q; exempla deficient, si pergam referre de duce Gedeone, qui fretus dei præsidijs, ausus est cum trecentis uiris adoriri Madianitarum copias, & uiris, & armis, reliquoq; belli apparatu instructissimas, & immẽsam multitudinem fudit, fugauitq; clangore tubarũ, crepituq; lagenarum, & lucernarum miraculo: sic ut Hebræis non stringentibus gladium, ipsi se hostes mutua cæde conficerent. De quo Iud. 6. & 7. cap. De Barac, Iud. 4. & 5. cap. legimus, quomodo fretus uaticinio Dibborę mulieris, cõgressus est cum instructissima acie Cyzarę ducis, & ad internetionem concidit omnes, rege Iabin in fugam acto, qui mox manu fœminea confossus est. De Samsone, qui fultus ope diuina, multa prodigijs simillima gessit, aduersus Philistæos pro gente, quæ nec à pluribus simul iunctis, nec ullo robore humani corporis geri poterãt. De quo Iud. 14. De Hiephthe, qui cũ esset nothus, & abiectæ fortunæ apud suos, tamen fretus auxilio dei, pulcherrimam uictoriam retulit ab Ammonitis hostibus populi sui. De Dauid, qui præter tot uictorias auxilio diuino partas, præter tot uitata pericula seruatore deo, non dubitauit adolescens congredi cum Goliad armato gigante, quem ictu fundæ prostrauit, ut uictoriæ gloria penes deum esset, non penes hominem. De Samuele autem, cæterisq; prophetis clarissimis, satius est nihil dicere quàm pauca: partim quod mira & uaria sunt illorum gesta, paucis non cõplectenda: partim quod cuiuis fideli notissima esse debent, quorum libri fidem docent præcipue.

24 Qui per fidem uicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones.

Possunt hæc recte ad superiora referri, sicut & ad posteriora, ad eos patres, qui insignibus fidei gestis claruerunt. Regna enim uicerunt Iosue, Samuel & Dauid, sicut & Abraham & Moses. Operari quoq; iustitiam, est aliquando uindicare se ab aduersarijs, quandoq; pro iuste & pie uiuere, ad quod præparat dei spiritus & fides, qua quis totus à dei bonitate pendet. Quibus & promissiones factæ sunt præcipuæ ac cœlestes, ut bene eis esset, deq; potestate & regno Christi. Quorum omnium fidei tribuendum est, quod cæteris omnibus rebus impares, auxiliante deo expugnauerunt opulentissima regna, nec ullis terroribus potuerunt abduci ab obseruatione traditæ legis, præmium expectantes à deo in Christo promissum.

25 Obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra uerterunt exterorũ, acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos.

Exempla ista promiscua, in duo genera diuidi possunt. Quidam enim sanctorum martyrũ in hac quoq; uita remunerati sunt, & fidei robur senserũt: quidã in tormẽtis defuncti, potiora præmia acceperunt. Priores isti impetrauerunt à deo uotis fidentibus, quod iuxta naturæ cursum fieri non poterat, erepti sunt de summis periculis, seruatore deo. Leones in alios inuictæ sæuitiæ aut uicerunt aut sen-

serunt

ſerunt innoxios, uelut occluſo ore, aut obligatis unguibus lædere non poſſent, eos quos deus uolebat innoxios. De Daniele dicit, qui de lacu leonũ illæſus euaſit. Quod autem de uno legitur, pluribus tribuitur, tropo nõ inuſitato ſcripturæ. Verum poſt Chriſtum paſſum, martyres plures legimus obiectos leonibus, relictos immunes. Sed Apoſtolus de prioribus loquitur, addẽs, Quidam in medium ignis coniecti, ſic illæſi perdurauerunt, quaſi ſuis corporibus natiuam ignis uim extingueret. Hoc de tribus in caminum coniectis pueris intelligendũ, de quibus Dan. 3. E mediſs quoq; enſibus hoſtium in ſe diſtrictis, incolumes effugerunt protectore deo. Vt de Helia legimus, & Dauide, deq; Machabæis. Et ſanctus populus quoq; propter ueritatẽ & iuſtitiam contra impios pugnans, intactus plerunq; permanſit, hoſtibus ſeſe mutuis uulneribus conficientibus. Eadem quoq; fide imbuti à ſumma nonnunquam rerum deſperatione ſummum animi robur collegerunt, adeo, ut paulò ante pro mortuis habiti, ſubito fortiter ſe geſſerint in bello, et hoſtium incurſiones ſtrenue repulerint. De Ezechia intelligit, qui uicinus morti per deum conualuit, & ſpatiũ uitæ prolongatum accepit. Meruit quoq; fides mulierum, ut liberos defunctos ad uitam reuocari conſpicerent. Id legimus de miraculis Heliæ, de Sunamitide & Sareptana. Iſti omnes fidẽ habuerũt, multa quoq; ſunt paſſi, ſed domino adiuuante ſunt liberati. Nũc de his loquetur, qui in hac ui ta ab impijs tyrannis affecti tormẽtis & periculis grauibus erepti ſunt gratia dñi.

Alij autem diſtenti ſunt, non ſuſcipientes redemptiones, ut inuenirẽt 26
meliorem reſurrectionem. Alij uero ludibria & uerbera experti, inſuper & uincula & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt.

Poſſunt quidem quæ hic dicit Apoſtolus, etiam accipi de martyribus noſtris poſt Chriſtum, & de ipſorum fide & meritis. Sed tamen & ante Chriſtum talia leguntur in hiſtorijs, maxime Machabæorũ. Sic etiam Ammon, Manaſſes, Achab, Ieſabel, per tyrãnidem perſequuti ſunt multiphariam prophetas domini, quibus tamen melius fuit ſic affligi pro iuſtitia, q; in hac uita redemptos, diutius priuari cœleſtibus bonis. Omnes quoq; reſurgemus, ſed ſancti dei martyres potiorem reſurrectionem habebunt, reſurgent enim ad gloriam. Quamuis enim in eculeis diſtenti fuerint, uarijſq; tormentorum generibus examinati, maluerũt tamen in his exalare ſpiritum, q; obſequentes impijs principum iuſſis, eximi à tormentis. Ingẽti fiducia uitã deo impendẽtes, quã ſcirẽt ſe cum fœnore recepturos in reſurrectione mortuorum. Multoq; ſatius iudicauerunt, breuis huius uitæ iactura adipiſci immortalitatem, q; ob lucellũ exigui temporis perdere uitam æternam. Alij rurſus ob ueritatis ac iuſtitiæ pertinax ſtudium ludibrio fuerunt hominibus, deriſi traductiq; uelut amentes & ſceleroſi, neq; probris tantum affecti ſunt, ob fiduciamquam habebant erga deum, uerumetiam flagris explorata eſt illorum ſynceritas, inſuper uinculis & carcere. Teſtantur id Ieremias, Micheas & Helias, quorum Ieremias ſicut et Stephanus cũ Zacharia lapidati ſunt. Diſſectus ſerra Iſaias dicitur. Horrendo ſupplicio corporis membra ſunt in diuerſa diſtracta, & nullo genere malorum nõ ſunt tentati, ut diceretur etiam à Chriſto de Ieruſalem, quod occideret prophetas qui ad ſe miſſi ſunt. Et Herodes quoq; Iacobum fratrem domini occidit, & alij eo tempore plures: de quibus iſtius temporis plures nominare potuit Apoſtolus. Iſti omnes ſic fide perſuaſi ſunt, ut nec morte à deo diuelli potuerint. Quibus autem non cõtigit morte finire cruciatus, ijs uita nihil aliud contulit, q; ut longo martyrio cruciarentur.

27 Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cauernis terræ.

Paucis omne genus incommodorꝫ ferè recenset quę pij sustinent. De quibus & 1. Corinth. 4. Ad hoc usqꝫ tempus & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, &c. Videtur in ouillis & caprinis pellibus alludere ad Heliam, pilosum zonaqꝫ pellicea accinctum renibus: deinde & ad Ioannem Baptistam. Interim quoqꝫ alios innumeros, quos scriptura non memorat, quorum multos constat eiectos oppidis, ferarum ritu oberrasse per eremum, laborantes inopia rerum necessariarum, imminente undiqꝫ persequutorum sæuitia, uarijsqꝫ huius uitæ incommodis affecti sunt, usqꝫadeo non digni malis huiusmodi, ut uiris tam sanctis mũdus ipse potius esset indignus, ut deus uel ob hoc uideri posset illos semouisse ab hominũ consortio, ne puri castiqꝫ inter pollutos & inquinatos uitam agerent. Itaqꝫ uagabantur incertis sedibus per auios montes, pro tectis speluncis utentes, ac terræ cauernis, ut plus fuerit clementiæ feris qꝫ hominibus. Tempore Achab, Abdiam nouimus centum prophetas in speluncis pane & aqua pauisse. Simile quiddam & Iudæis contigit pijs temporibus Machabæorum.

28 Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, deo pro nobis melius aliquid prouidente, ut non sine nobis consummarentur.

Omnes hi cum nondum assequuti sunt promissam pietatis mercedem in suis corporibus, quæ continget in resurrectione, tamen ob fidei constantiam æterna gaudia meruerunt, & acceperunt in animis. Repromissionem siquidem hic non intelligit quietem simpliciter, sed omnimodam & perfectam felicitatem, tam corporis qꝫ animæ, quam isti non quidem sunt assequuti, quamuis iuxta potiorem hominis partem, quę anima est, felicissime habeant in sæculo animorũ, cum Christo & omnibus sanctis. Placuit enim deo, illos non sine nobis cõsummare, uespere autem diei post labores diurnos, adueniente, dominus salutis denarium omnibus laborantibus in uinea dabit, interea sanctorũ corpora ad resurrectionis tempus in terra quiescunt, donec toti cum corporibus socijs glorificentur in cœlis.

CAPVT XII.

1 Ideoqꝫ & nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum, per patientiam, curramus ad propositum nobis certamen.

Varijs locis cohortatus est Apostolus fratres ad fidei constantiam, digressus etiam in commendationem fidei, unde nunc dicta colligens, transitũ facit ad conclusionem argumenti tractati in hac epistola, in hunc sensum, Cum tanta turba & ueluti nube frequentium testimoniorũ & testium sepiamur, qui de sternendis huiusmodi malis testati sunt se pectore toto fidere promissis dei, etiã in ueteri testamento, nimirũ horum exemplis animati, curemus & ipsi, ut abiecto onere sarcinaqꝫ rerum corporalium & cupiditatum, quæ remorantur onustum curis animum, ab expetendis cœlestibus, excussoqꝫ peccato, quod nos undiqꝫ complectebatur rerum cœlestiũ spe inflammati, strenue curramus in hoc nobis proposito certamine, nec ullis afflictionibus aut auocamẽtis retardemur ab instituto cursu, nunquam oculos dimouẽtes à Christo. Quid uero per onus intelligat, statim subijcit, peccatum nempe, quod proxime nos circumstat, & inhæret tenacius, tanta prauitate

prauitate naturæ, ut per omnem uitam satis abradere nõ possimus. Deponere autem hoc onus dicuntur, qui per omnem uitam carnem domant, spiritumq; & nouam uitam assumere conantur.

Aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum, qui propo 2
sito sibi gaudio, sustinuit crucem: confusione contempta, atq; in dextera sedis dei sedet.

Attendẽdus nobis est Iesus Christus, qui ut nobis author est huius de deo conceptæ fiduciæ, ita quod cœpit in nobis, consummabit. Consideremus ergo quauia ingressus sit ille, & quò peruenerit, cum innocenti liceret fugere mortem, & tam abesse ab omni cruciatu, q̃ aberat ab omni peccato, tamen contemptis huius uitæ gaudijs, subijt mortem: & quo malum esset grauius accessione ignominiæ, subijt mortem crucis, nam gloriosam mortem facilius perferunt homines. Duce ergo nostro in castris agente, turpissimum fuerit domi nos uelle desidere, neq; unquam militiã ingredi, præsertim eam, unde tanta liceat nobis sperare bona. Eum quoq; unice fideles imitari debere hic discimus. Sanctos autem non aliter q̃ quatenus isti Christum sunt imitati. Qui quantũ quidem ad spiritum desiderabat pro nobis immolari, & calicẽ bibere, animamq; suam pro nobis dare. Ad carnem autem respiciẽs, à morte abhorruit, & tristis fuit usq; ad sanguineũ sudorem. Quem tamen horrorem superauit, ut diceret, Non mea uolũtas sed tua fiat. Nobis quoq; quid pro cruce ferenda boni maneat considerandum est, nimirum summa felicitas, exemplo eius, confessus ad dexteram throni dei, qua quatenus deus est, neq; ad dexteram neq; ad sinistram sedet patris, sed quatenus homo proximam à deo potestatem habet in cœlo & in terra.

Recogitate enim eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum se 3
metipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis uestris deficientes.

Amplificat exemplum propositum, ab innocẽtia passi Christi, ut qui mortem tam ignominiosam perpessus est. Contemptu autẽ uitæ huius assequutus est immortalitatem: contemptu ignominiæ apud homines, assequutus est æternã gloriam in cœlis. Ad huius gloriæ consortium cum per ignominiam uariasq; dolorum afflictiones properetis, ne quando defatigemini, fractis animis à cursu proposito. Reputate potius uobiscum, quod dux uester nescius oñis peccati, tamen ut nobis ostenderet exemplar ueræ tolerantiæ, tantum probrorum, tantum ignominiæ, tantumq; criminationum perpessus est, ut ad crucis usq; supplicium adigi sese passus sit. Ne uos abijciatis animum, qui nõ immunes ab omnibus peccatis, leuiora patimini: præstat millies mori, q̃ in pristinam uitam relabi. Cedunt enim nobis omnia hæc aduersa in maximum lucrum, si infractus animus perduret.

Nondum enim usq; ad sanguinem restitistis, aduersus peccatum repu 4
gnantes, & obliti estis consolationis, quæ uobis tanquam filijs loquitur, dicens, Fili mi, noli negligere disciplinam domini: neq; fatigeris, dum ab eo argueris. Quem enim diligit dominus, castigat: flagellat autẽ omnem filium quem recipit.

Hortatur, ne propter perpessa mala iam deficiant, non enim esse tam grauia, qualia pro nobis Christus sustinuit, pro nobis crucifixus. Quamuis enim grauia sint, tamen cõparatione eorum quæ Christus pro nobis passus est, & qualia multi sustinent, uel etiam demeremur, minutula iudicari possunt. Nondum enim uitam perdiderunt pro Christo, quod extremũ malum esse uidetur, quod infligunt

tyranni quoq;,nec niſi permittente patre noſtro cœleſte, qui & capitis noſtri ca-
pillos in numerato habet. Peccatum autem cui repugnãdum ſit, defectio dicitur
à Chriſtiana pietate. Hortatur ergo,ne propter aduerſa mala immiſſa, à dilectio-
ne domini declinent. Qui enim multum corripiuntur,maxime à deo diliguntur;
ſi tamen non ut rei & criminoſi, ſed tanquam ueritatis ſectatores huiuſmodi pati
antur. Arguere autem,uel correptionem in genere intellígit,ſiue per prophetas,
ſiue per tyrannos,ſiue per morbos,ſiue per inopiam, aut per aliam aliquam ratio
nem adductam: nam iſtis & alijs modis ſæpe deus ſuorum ad ſe fidem exercet ac
tentat. Quomodocunq; autem id fiat,ne diſſoluantur,& abiecto ſint animo,ſed
alacri. Quos enim dominus corripit,tanquam clementiſſimus pater curat, iuxta
illud Apoc.3. Ego quoſcunq; amo, arguo & caſtigo. Sic enim ad ſalutem pij eru-
diuntur. Et quandiu filij flagellãtur, tandiu à gratia patris non ſunt abiecti, qui
ſtimulis ſuis ueluti ignauos ad diligentiã incitat & accẽdit. Alioqui qua eſt ineffa
bili miſericordia,non delectantur in noſtris flagellis,ſed quia noſtri plærunq; offi
cij obliuiſcimur,mederi neceſſe eſt iſti malo noſtro,nos corripiendo.

5 In diſciplina perſeuerate. Tanquam filijs uobis offert ſe deus. Quis
enim filius,quem non corripit pater? Quod ſi extra diſciplinam eſtis,cu-
ius participes facti ſunt omnes,ergo adulteri & non filij eſtis.

Locus ultimus Paulo adhortandi Hebræos ad fidei conſtantiã ac patientiam,
dicenti,Si caſtigationem huiuſmodi patiẽter fertis, agnoſcit uos ſuos deus filios,
ſeq; uiciſſim illis offert,ut patrem propitium & amantem,nec excludit ab hæredi
tate uitæ cœleſtis. An ideo uos putatis inuiſos ac neglectos deo,quod affligimini
malis huius mundi? Imò hoc ipſum argumento eſſe debet,uos eſſe deſtinatos hæ-
reditati paternæ. Quis eſt enim pater qui non corripiat aliquando filium ſuum,
quem ut germanum agnoſcit? Porrò cum omnes pij qui deo chari ſunt aut fue-
runt, afflictionibus temporarijs eruditi ſint ad ueram pietatem, ſi uos immunes
eſtis ab huiuſmodi caſtigatione paterna, nimirum argumentum eſt, uos nothos
eſſe,non germanos filios. Intelligit autem utriuſq; teſtamenti ſanctos.

6 Deinde patres quidem carnis noſtræ eruditores habuimus, & reuere
bamur eos,num multo magis obtemperabimus patri ſpirituum, & uiue
mus? Et illi quidem in tempore paucorum dierum,ſecundum uolũtatem
ſuam erudiebant nos,hic autem ad id quod utile eſt in recipiendo ſancti-
ficationem eius.

Proſequitur quam caſu inciderat parentum ad filios caſtigationem,ut dei pa
tris noſtri redargutiones patienter feramus. Si,inquit,parẽtes noſtros,ex quibus
ſecundum corpus tantum ſumus progeniti, non modo paſſi,ſed etiam reuerenti ſu
mus,dum nos conuitijs ac uirgis erudirent ad inſtitutionem uitæ communis, ni-
hil illorum authoritati reluctantes,ſed ſic interpretantes, quaſi quibuſcunq; mo-
dis tractarẽt nos,amico id animo facere: an non multo magis ſubijciemus ac per-
mittemus nos patri cœleſti,qui non corporum tantũ,ſed & ſpirituum eſt author.
Hoc ſemel nobis habentes perſuaſum, quibuſcunq; malis ille nos patitur affligi,
tamen paterno animo noſtræ ſaluti conſulere. Quemadmodum pater corporalis
non ita ſæuit in filium ut occidat,ſed ut ſeruet meliorem q; reddat: ita deus in hoc
caſtigat nos in hoc mundo,ut uiuamus inæternum. Atqui illi quidem parentes
pro ſuo arbitratu nos inſtituebant, nonnunquam abutẽtes authoritate ſua, & in-
ſtituebant ad breue tempus,in rebus fluxis mox q; perituris,nimirum in his quæ

ad

ad rem familiarem parandam ac tuendam pertinent, nonnunquam & suis commodis consulentes, ut obsequio nostro iuuarentur. At hic nostri non egens, perpetuo consulit nostris commodis, nec his sanè uulgaribus. Nec enim hoc agit ut terrenis opibus diteſcamus, nec ut in aliquot iugerum hęreditatem succedamus, sed ut sua cœlestia bona nobis impertiat, hoc est, sanctimoniam in hoc mundo, in futuro sæculo felicitatem æternam. Hunc fructũ tam eximium, qui suo cum animo reputabit, facile patietur temporariam huius uitæ molestiam. Quãdoquidem crux est, quæ ad sanctimoniam promouet, ut sicut ipse est sanctus, ita & nos per eum castigati sancti reddamur: alioqui facile nobis obrepit dei obliuio in prosperis: quid quæso fieret, si nulla omnino intercederet amaritudo?

Omnis autem disciplina in præsenti quidem uidetur non esse gaudij, 7
sed mœroris, postea autem fructum pacatissimũ exercitatis per eam, reddet iustitiæ.

Cum cæteri parentes corripiunt liberos suos, habet ea castigatio non uoluptatem, sed molestiam in præsenti quidem: cæterum ubi iam grandiores facti, sentire cœperunt, quanto bono sibi fuerit ille cruciatus, magnopere gaudent se fuisse cæsos & obiurgatos, & cum risu gratias agunt his, quos ante lachrymantes ferebãt. Sic huius mũdi calamitas grauis quidem interim est sensibus nostris, dum immanet ac premit hæc mortalia corpora. Cæterũ hic dolor, ille tumultus, quo turbantur & animi nostri ob corporis commercium, tranquillum ac suauem iustitiæ fructum reddit suo tempore. Afflictio docet pietatem, pietas adfert gaudium bonæ mentis, bona mens parit immortalitatem. Concludit nunc testimonio ex Isaia capite 35. desumpto, & dicit,

Propter quod remissas manus & soluta genua erigite, & gressus rec- 8
tos facite pedibus uestris, ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur.

Aliquanto uariatis uerbis legitur id in propheta, sed imitantur Apostoli uulgatam translationem. Vult autem dicere, iuxta Erasmum, Ne quem in hoc pulcherrimo certamine destituat animus. Sudor est ingens, sed eximia prędmia, sed fidus agonotheta. Imitemini fortes athletas, & strenuos cursores, manus lassescentes excitate, genua soluta labantiaq; surrigite, recto cursu properate ad metã proposita, neq; pes huc aut illuc deflectens aberret à recta uia: imò si quid aberratum est, si quid cessatum est, id alacritate noua sarciatur. Pergit consequẽter commendare quoq; alias uirtutes, cum primis uero pacem & sanctimoniã uitę, quam & paulò ante ex cruce impartiendam nobis asseruit.

Pacem sequimini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo uide- 9
bit deum, contemplantes ne quis desit gratiæ dei, ne qua radix amaritudinis, sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi.

Vobis non satis sit, ut sibi quisq; certet, securus aliorum. Imò pax & cõcordia uos omnes ita iungat & conglutinet, ut communi studio alij pro alijs soliciti sint, curentq; ne quis in communi cursu decidat à gratia dei, ne quis alienus à sanctimonia, quæ decet membra Christi, & sine qua nemo uidebit deum, grauis sit corpori, & indignus qui braueo proposito potiatur, ne properantibus ad cœlestia, radix aliqua amarulentiæ suppullulans ac fructificans, obturbet aliorum pijs studijs, eaq; latius serpens, complures inquinet suo contagio. Videtur autẽ Apostolus alludere ad illud Exo. 19. de sanctificandis Israelitis, triduano ieiunio, ut ad di

uina redderẽtur magis idonei. Etenim soli mundi corde deum uidebũt. Pulchre autem uocat animi amaritudinem, radicem amarulẽtiæ suppullulantem uel germinantem, malorum omnium maximum prouentum & feracitatem adfert, parq; uoq; tempore in proxima quęq; naturam suam transfundant, adeoq; corrũpant.

10 Ne quis fornicator aut prophanus ut Esau, qui propter unicã escam uendidit primitiua sua. Scitote enim, quoniam & postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est, non enim inuenit pœnitentiæ locũ, quanquam cum lachrymis inquisisset eam.

Nemo sit inter uos scortator, aut alioqui prophanus, gulæ uentriq; deditus. Siquidem huiusmodi cupiditates remorãtur cursum uestrum, ac deflectunt à recto tramite, sitq; ut dum ad huiusmodi fucata bona respicitis, summũ illud et æternum braueum amittatis. Sic nimirum euenit Esau, qui famelicus ob unius edulij uoluptatem uendidit ius primogeniti, breui uoluptatula perpetuam emens pœnitudinem. Nam illud meminisse debetis, quo uobis sit exẽplo, quod postea cum conaretur benedictione patris sibi restitui ius primogeniti, reiectus est: nec profuit illi sera pœnitentia, tametsi lachrymis profusis testaretur sibi dolere quod fecerat. Amarulentia quæ nascitur ex odio, liuore & arrogantia, uitiat fraternam concordiam: libido, luxus, cæteraq; rerum solidarum cupiditates uitiant puritatem & sanctimoniam uitæ. Atqui duas hasce res oportet inter uos esse saluas, nec altera sine altera constat. Nec enim est inter impuros grata deo concordia, nec ille est in suum ordinem, quemadmodum & alij discipuli. Et de maledictione uel benedictione Esau, lege quæ habentur suo loco, Gen. 15. & 27. cap.

11 Non enim accessistis ad tractabilem montem, & accessibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ sonum, & uocem uerborum, quam qui audierunt, excusauerunt se, ne eis fieret uerbum. Non enim portabant quod dicebatur, Et si bestia tetigerit montem, lapidabitur. Et ita terribile erat quod uidebatur. Moyses dixit, Exterritus sum & tremebundus.

Frequens argumentũ Apostoli hoc est, ut nos maiorem curam sanctimoniæ impendere deceat, quã qui sub Mose uixerunt, eo quod in maiore luce sub Christo uersemur. Cauendum, inquit, est nobis, ne cœlestem hæreditatem cum huius mundi delectamentis stultissime commutemus. Cœlestia sunt ad quæ properamus, puri accedamus oportet, in euangelica luce uersemur, tam sanctæ professioni nostræ uitæ sanctimonia respondeamus oportet. Pontifici nostro atq; huius legi respondere necesse est. Non enim accessistis quemadmodum olim maiores uestri, cum Moyses legem ferret, ad montem Sinai, qui corpore contingi potest, & ad ignem incensum, qui sensibus humanis percipitur, ac turbinem ac caliginem procellamq; ac tubæ sonitũ, quæ auribus atq; oculis percipiuntur: nec ad uocem uerborum, quæ licet aëre pulso sentiri poterant auribus humanis, ac tenuem modo imaginem habebant uocis ueræ diuinæ, tamen non carebant maiestate sua, adeo ut populus qui audiebat expauefactus horrore uocis, deprecabatur, ne pergeret loqui deus. Sed ipse Moses sua uoce pronunciaret quæ mandasset ille: alio-

qui

qui terribilior erat illa uox, quàm ut humanarũ aurium imbecillitas ferre posset. Tantum autem habebant religionis ac formidinis, quæ per typum tantum euangelicæ legis gerebãtur, ut à contactu montis procul arceretur populus, & edicto publicaretur, Vt bestia quæ tetigisset montem, lapidaretur, aut iaculo configerebãtur. Nam usq; adeo terrifica species erat rerum, quæ sensibus corporalibus exhibebantur, ut ipse Moses expauerit, ac tremuerit horrore spectaculi. Et nos quoq; quoties iudicia domini tremenda perpendimus, haud mirum si cõtremiscamus, maxime solam legem audientes, quam nemo mortalium se impleuisse gloriari potuerit. Quod si Moses expauit, quanto magis nos, qui nondum eò pietatis peruenimus. Cætera uide Exod. 19. & 20.

Sed accessistis ad Sion montem, & ciuitatem dei uiuentis, Ierusalem 12
cœlestem, & multorum millium angelorum frequẽtiam, & ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cœlis, & iudicem omnium deum, & spiritus iustorum perfectorum, & testamẽti noui mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem, melius loquentem quàm Abel.

Ad prædictũ huiusmodi sensibile spectaculum uos non accessistis, quod umbras ac typum habebat rerum longe meliorum, sed accessistis ad res, hoc ueriores quod animo non sensibus corporis percipiuntur, ad spiritualem montẽ Sion, qui spiritu contingitur, non manibus, ad ciuitatem dei uiuentis Ierusalem cœlestem, ubi pax est æterna, quæ nostra est mater, ad quam quotquot à condito orbe fuerunt iusti pertinẽt. Hæc autem ecclesia dei humanis oculis non cernitur, ad eam pertinent fideles omnes, mortui & adhuc in carne uiuentes, & nos secuturi. De eadem ecclesia etiam sunt angeli. Vocat eam ciuitatem dei uiuentis, qui illam gubernat & possidet, gratiaq; sua prosequitur. Cœlestem quoq;, quia nihil continet sordium terrenarum. Concionem primitiuorum, hoc est sanctorum, & fratres reliquos excellentium uel participãtium cum Christo capite. Primogenitus quoq; dicitur mortuorũ Christus, à quo huius nominis participatio illis donatur. Christo primum hæc competit dignitas, fidelibus non nisi per gratiam prædestinationis & electionis. Iudicem omnium dicit, quem nihil latet eorũ quæ sunt uel fiunt. Perfectionem autem non assequũtur, beati etiam, donec deus fiat omnia in omnibus sanctis: quibus accedere cupiamus, ad quem deum iudicem uniuersorum & electorum omnium principem, & ad spiritus iustorum hominum, quos perfecta pietas cœlesti contubernio copulauit, ac iudicis assessores reddidit. Ad noui testamenti pontificem Iesum, qui non perdit sed reconciliat, & ad huius sanguinem, cuius aspersione purgãtur animæ, quiq; multo meliora loquitur q̃ sanguis Abel. Siquidẽ ille flagitat ultionem, hic impetrat remissionẽ. Fuit autem sanguis Abel figura sanguinis Christi pretiosissimi, qui nos emũdat ab omnibus peccatis & sordibus, ne subinde coinquinemur uitijs & peccatis.

Videte ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recusantes eum qui super terram loquebatur, multo magis nos qui de cœlo loquentem nobis auertimus, cuius uox mouit terram tunc: nunc autem repromittit, dicens, Adhuc semel & ego mouebo, non solum terram, sed & cœlum. 13

Quo clementius & amantius Christi sanguis loquit̃ pro nobis, hoc magis cauendũ est, ne aspernemur Christũ sic nobis loquentẽ. Etenim si pœnas nõ effugerunt contempti sermonis, qui Mosen hominem in terra loquentem auersabãtur,

multo grauiores pœnas dabimus nos, si Christum è cœlo nobis loquentem aa-
uersemur, cuius uox tum concussit terram, ut sensibili terrore deterreret à pec-
cando. At nunc quid è cœlis comminatur se facturum per Aggæum prophe-
tam? Adhuc semel, inquit, & ego mouebo non modo terram, uerumetiã cœlum,
ut expauescãt non solum homines terrena, uerumetiam cœlestia. Qualis autem
olim fuit commotio cum lex daretur, talis etiam commotio & perturbatio facta
est euangelio in toto orbe annunciato. Id quod adumbrabatur, quando in missio
ne spiritus sancti, locus ubi erant apostoli congregati cõmotus est, &c. Quadrant
autem quædam prophetæ dicta in primum Christi aduẽtum humilem, quædam
in secundum glorioſum. Cætera ad hunc locum declarandum pertinentia suo lo
co quære cap. 2. Aggæi.

14 Quod autem adhuc semel dicit, declarat mobilium trãslationem tan-
quam factorum, ut maneant ea quæ sunt immobilia.

Quicquid fecerunt hominum manus, id necesse est concuti, moueri, deficere
& alterari, transferri quoque à specie in speciem. Quod genus sunt, tabernacu-
lum, aræ, templum, Hierosolyma. Manent autem quæ hominum manibus facta
non sunt, quia concuti non possunt, cum sint æterna. Gloriantur de huiusce mo-
di rebus Iudæi, de sua urbe & templo, sed aliquãdo & propediem non erunt. Ex
pectant regnum terrenum, sed iamdudum uidetur aliò translatum. Simpliciter
autem nulla creatura proprie est immutabilis, quia cœpit esse, etiã angeli natura
immutabiles sunt, sola autem dei gratia, qua & consistunt, fruuntur. Vita autem
æterna, charitas in deum, ueritas uerborum dei, æterna sunt bona. Sic & de sacer
dotio Leuitico, & cæteris ceremoniis iudicandum.

15 Itaq; regnum immobile suscipientes, habemus gratiam, per quam ser
uiamus, placentes deo cum metu & reuerentia. Etenim deus noster ignis
consumens est.

Hic se aliquo modo explicat. Quapropter, inquit, qui cœpimus eniti ad re-
gnum cœleste, quod labefactari non possit, idq; beneficio spiritus diuini perseue
remus in beneficio dei. Itaq; uersemur in hoc templo cœlesti, sic deum cum reue
rentia ac religione colentes, ut puritate mentis illi placeamus, qui non requirit
posthac aliud sacrificij genus. Si religio erat olim in peragendis sacris quicquam
admittere, quod offenderet oculos hominum, quanto magis nobis obseruandum
in hostijs spiritualibus, ne quid offendat oculos dei? Si olim periculum erat, non
rite adeunti loca religiosa, quanto plus erit periculi, si parum puris mentibus ad-
eamus ipsum deum, qui non ignis est corporeus, qui sicut accenditur, ita restin-
gui potest, sed ignis est efficax, ad nihilum etiam redigẽs quæ uult? Zelotes est e-
nim dominus, non parcit delinquentibus, sed uisitat in tertiam & quartam gene
rationem. Quemadmodum ignis stipulis, sic non parcit nisi innouationem uitæ
meditãti: resistere illius iræ nemo potest, nisi resipiscens & in Christum credens.

CAPVT XIII.

1 CHaritas fraternitatis maneat in uobis, & hospitalitatem nolite
obliuisci: per hanc enim latuerunt quidam angelis hospitio re-
ceptis.

Commemoratas iam ante duas uirtutes præcipuas, pacem & sanctimoniam,
eas nunc latius prosequitur. Perseueret, inquit, apud uos fraterna charitas, cum
sitis eiusdem corporis membra: neq; solũ eos amore cõplectamini, qui uobiscum
assidue

assidue uiuunt, uerumetiam eos qui hospites ad uos diuertũt. Neq; enim mediocris laus est hospitalitatis apud deum, per hanc enim Abraham meruit & Lot, ut angelos nescies exciperet hospitio, cum se crederet hoc officium in homines conferre. Et tamen non quosuis uult suscipi hospitio, sed peregrinos & ignotos, qui rependere tibi non ualeant. Id eximiæ charitatis est argumentum, etiam gentilibus celebratum, apud quos ius hospitij summum illis est habitum, ut ne quis hospitem læderet. Nec tamen requiritur à te magnus sumptus, iuua quãtum potes, amplectere, solare, indica saltem uiam, & beneuolum te exhibe, supra uires ut agas, nemo sanus requiret. Et illi quidem angelos receperũt, nos peregrinis expositi, ipsum Christum recipimus.

Mementote uinctorum, tanquam simul uincti, & laborantium tan- 2
quam & ipsi in corpore morantes.

Ordine quodam Apostolus commendat misericordiæ opera. Hospitalitatem hactenus, nunc compassionem & auxiliũ ad incarceratos, propter ueritatis confessionem maxime. Postulat enim Christiana charitas, ut eorum qui sunt in uinculis ob Christi professionem, calamitas, uos æque moueat, ac si ipsi essetis in uinculis, & cruciatus eorum, qui alioqui uarijs malis affliguntur, sic uos afficiat, ut appareat uos meminisse, quod corpus habetis ijsdem obnoxiũ malis, nec alienos esse à sensu dolorum, quos patiuntur eiusdem corporis membra. Agat autem hic quisq; pro suo modulo, & ea prudentia, qua non nocere sed prodesse periclitanti ualeat. Sed hic charitas docebit quid sit faciendum uel obmittendum. Nunc ad alteram uirtutem, quæ sanctimonia dicitur, explicandam progreditur.

Honorabile cõnubium in omnibus, & thorus immaculatus. Fornica- 3
tores enim & adulteros iudicabit deus.

Docet omnino nuptias & rite seruatũ cõiugium honorabile esse apud deum & homines, nec pro pollutis censendas. Et religiosuli isti male feriati, putant matrimonium impedimento esse contemplationi sanctę, & spiritus sancti instinctui, cum contrarium prorsus uerum esse, tot & tantorum exempla persuadeant. Moses cui loquutus est dominus facie ad faciem, Abraham, Isaac & Iacob, Isaias, David, & uiri multi sanctissimi, qui ex connubio cõtaminati non sunt. Quid autem sanctimoniæ hactenus ostenderint nostri episcopi & monachi, utinam nescire- tur. Cubile impollutum, intelligit legitimum & moderatum debitæ beneuolẽtiæ usum, qui nemini pollutioni esse potest per se, sed quieti & tranquillitati animorum. Notius est dictũ Paphnutij, q̃ ut hic sit referendũ. Vnde patet omnino, diabolicam doctrinam esse, matrimonia prohibere eis, quos constat uri, & scortationi fenestram aperire, infinitisq; & grauissimis facinoribus & impudicitijs. Sanctimoniam ergo perdit & polluit, non matrimonium à deo præceptum, sed scortatio, & adulteriũ à deo prohibitum. Et id quoq; contra eos militat, qui scortationem extenuãt, quos deus non minus q̃ adulteros iudicabit. Certe neq; scortator neq; adulter habebit hæreditatem in regno Christi & dei, Ephes. 5. cap.

Sint mores sine auaritia, contenti præsentibus: ipse enim dixit, Non 4
te deseram, neq; derelinquam. Ita ut confidenter dicamus, Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.

Respondet obiectioni tacitæ, qua dicitur, Si omnia mea in stipem erogauero, necessarijs tandẽ carebo. Nostrum, inquit, qui omnia Christo postposuimus, non est animo defigi in fluxis rebus, ad longe maiora uocamur: non ergo præ a-

more auri uel argenti uiscera misericordiæ claudamus egeno, sed contenti simus his quæ adsunt, paucissimis est natura contenta. Affatim nos alet filios pater benignissimus, qui uolucres cœli pascit, & lilia agri uestit. Vult ergo nos Apostolus alienos ab omni auaritia, ut nedū non rapiamus aliena, sed nostra egentibus eroge-mus. Scripturæ autem authoritate utitur, primum Iosue 1. cui dominus dixit, & in hoc omnibus ipsi fidentibus, Non te desero neq; derelinquo. Prope est enim dominus omnibus inuocantibus se in ueritate. Et quæ scripta sunt, scimus ad nostram admonitionem scripta omnia. Qui Iosue non deseruit, nec nos illi fidentes deserere uolet. Secundo allegat Dauidis uerba, Psalmo 117. Dominus mihi adiutor &c. Qui dominū pro se habet, quis ei præualebit? In omnibus ergo deo fidendum tam magnis quàm paruis cladibus. Nemo à deo recte æternam sperabit salutem, qui illi de pane quotidiano diffidit. Sic sanctorū exemplis propulsemus auaritiam, qui omnia terrena facile reliquerunt, deo soli contenti optimo bono.

5 Mementote præpositorū uestrorum, qui uobis loquuti sunt uerbum dei, quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem.

Discipuli estis apostolorum qui uos præcesserunt, & eorum qui succedūt, uobisq; sermonem dei loquuti sunt, horum imitemini fidem atq; doctrinam, summa charitate coniunctam: & conuersationem, ab omni auaritia alienam. Tanti illis fuerunt cœlestia, ut præ illorum amore etiam sanguinē parati fuerint effundere. Iam si quis uile argentum & modicū pro fratre recreando dubitat exponere, quo modo animam suam pro illo ponet? Neq; tamen Paulus aliter se quoq; imitādum Corinthijs proposuit, q; quemadmodum ipse Christum imitaretur. Ista est imitatio deo unice grata, adeoq; uerus sanctorum cultus, non quadragesimale uel monachicum ieiuniū, non adnumeratæ orationes, non uita cœlebs & solitaria, quæ deus non docuit, nec natura fert, nec sacris literis commendantur.

6 IESVS CHRISTVS heri & hodie, ipse & in sæcula.

Firmat adhuc fidem in deum, dicens, Iesus Christus, qui heri fuit, hoc est, illorum tempore iam præterito, idem & hodie est, & perdurabit in sæcula. Eadē eius est benignitas, manus illius non sunt abbreuiatæ, qui Heliam & populum Israeliticum per annos quadraginta in deserto manna & aquis de petra & pauit & potauit, idem poterit & uos alere. Si enim benignitas eius cessaret, & deus esse desineret. Aliter, Eadem credatur salutis ratio ante incarnatū Christū ab initio mundi, & post incarnatum Christum: ab æterno enim fuit, est, & erit. Quod si cui placet ad sequentia referri, is erit sensus, Euangelium semel recte traditū, semper est constantissime tenendum. Vt enim Iesus Christus & heri fuit, & est hodie, sempérq; futurus in omne tempus, nec unquam mutabitur: ita semper manebit illius doctrina.

7 Doctrinis uarijs & peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis.

In doctrina igitur Christi persistite stabiles ac firmi, neq; ceu nullo certo fundamento nixi, circūferamini doctrinis subinde nouis ac uarijs. Non aliud docuit lex Mosaica, q; docet euangelium, sed aliter. Stultum est autem umbris inhærere cum illuxerit ueritas. Et tamen nō desunt, qui ueterem Iudaismum iam antiquatum renouent, in escis ciboq; corporis pietatem constituentes, in quarum rerum obseruatione qui superstitiose uersati sunt, nullum inde fructum iustitiæ retulerunt. Qui solidam ac ueram pietatem assequi uelit, quæ non tantum umbram habeat iustitiæ, sed animum ipsum bona conscientia cōfirmet apud deum, in gratia fideq;

fideq; consistat, huic fundamento quod iecit Christus innitatur, & non uacillabit Iudaicis superstitionibus. Sed & commode ista quoq; superioribus coniungi possunt, hoc modo, Si aduenerint qui secus doceant q̃ apostoli & ipsorum discipuli, illorum uestigijs adhærentes, suspectum sit quicquid uere nouum dixerint. Probãdi sunt enim spiritus, si sint ex deo. Audisse uarias doctrinas non obest, sed exercitatis sensibus: simplicioribus autẽ & qui impostoræ expositi sunt, multum obest. Cauete à curiositate nimia, ne errores incidatis. Peregrinę autem doctrinæ habeantur, quæ non ædificãt in domino, & sacris literis euinci non possunt: siue iste à philosophis, siue à Iudæis, siue à falsis apostolis, inuehantur. Artes liberales interim laudamus, modo studiosus earum nihil approbes, quod diuinę scripturæ repugnet, & fidem in deum labefacter. Legẽdi sunt prophani, sed post necessario sciẽda, & citra superstitionem. Consequenter reprehendit delectum ciborũ, die rum, & operum legalium, unde cor non firmabitur unquam, sed magis gratia, id est fide, misericordia charitateq; erga proximum. Per cibum autem ceremonias Mosaicas intelligit, inutiles ad cordis & conscientiæ pacem. Cibus nobis operandus est qui non perit, sed permanet in uitam æternã. Sine fide nihil est quo te deo placiturum credas. Quod si deus ceremonias à se præceptas non uult agnoscere, multo minus acceptas habebit traditiones humanas, absq; uel cõtra dei uerbum institutas.

Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernacu 8
lo deseruiunt.

Qui adhuc uersantur in ceremonijs Iudaicis, qui legem æmulantur, & uigere contendunt, qui fidunt illi, nondum uere sunt participes altaris nostri, quod Christus est, quãdo ceremonijs legalibus astricti, eam ut unicam salutis rationem suspiciunt, cum Christus alterum sit nostrum sacrificium & sacerdos. Locum autem hunc desumpsit ex Leuit. cap. 24. Vno uerbo ostendit nostram religionem esse longe potiorẽ Iudaica. Quo plenius Christi cognitio in te crescet, eo propius ad hoc altare accedis, magisq; sacerdotali dignitate excelles: saluo officio ministerij uerbi, quod eorum est tantum, quos deus ad hoc destinauit, & ecclesia rite uocauerit, 1. Tim. 3. & Tit. 1.

Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per 9
pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & Iesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populũ, extra portã passus est.

Apostolus nunquam satis sibi uidetur inculcare Iudæis sacrificium nostræ redemptionis, si quo modo digne æstiment quod à Christo est gestũ. Ponit autem figuram ex Leuit. 4. & Numerorum 19. Qua figura innuitur, ut sint duo in nobis sacrificanda, Caro & spiritus. Spiritũ quidem, fide, spe & charitate deũ colendo. Carnem autem mortificando, & spiritui subiugando. Siquidem, inquit, iuxta legis præscriptum, animantium quorum sanguis offerri solet pro peccato, per pontificem in tabernaculis, quæ dicuntur sancta, cadauera cremari iubẽtur extra castra, perinde quasi sanguis habeat aliquid sacri, cum corpora ceu polluta deferantur foras, in prophanis locis exurenda, atq; ob id ab his uelut ab impuris abstinent cibis. Vmbram habent ista, sed nos amplectimur id quod umbra significat. Illi nihilo sanctiorem mentem habebant, posteaquã fuerant aspersi sanguine: neq; puriores erant, quod ab esu corporum abstinerent, cum animi uitijs maderent. Nos Iesum Christum uictimam nostram ac pontificem amplectimur, qui uelut alludens ad legis imaginem, ut proprio sanguine purgaret populum suum extra

portam Hierosolymitanæ ciuitatis uoluit crucifigi. Cuius exemplũ oportet nos non superstitiose sed religiose imitari: id faciemus, si & ipsi sublata cruce nostra, sequamur illum exeuntem à contubernio hominum ueluti sceleros um.

10 Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium eius portantes. Non enim habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.

Hortatur obiter, exemplo Christi nos abnegationem nostri. Si enim Christo conregnare uoluerimus, necesse est simul cum eo patiamur extra castra, hoc est, Egrediamur à commercio mundi huius, nobisq; dulcius sit subire probrum pro Christo, q̃ mundi gloria frui. Valeat nobis hæc ciuitas terrena, qui non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram ac cœlestem æternamq; desideramus. Exit autem ciuitatẽ, quisquis affectus abiicit carnis, totoq; studio cœlestia meditatur. Hoc qui animo pio reputarint, nũquam immisericordes & duros erga fratres se exhibebunt.

11 Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper deo, id est fructum labiorum confitentium nomini eius.

Sacrificiorum tria genera proponit nobis Apostolus. Primũ corporis, quod mortificandum, & in obsequium spiritus redigendum est. Secundũ animi, quod fructus labiorum siue laudis hic dicitur. Tertium, beneficentiq; in proximos. Istiq;, inquit, sunt hostiæ quibus deo placetur. Verum non consistit laudis sacrificium in solis labijs, sed in animo & corde. Habet enim cor & sua quoq; labia, ut genua, pedes, & alia: sic anima fidelis suum esum & cibum. Non itur ad deum externis pedibus, sed animi. Animus humili gratiarũactione domino incuruatur. Moses clamat solo corde. Labia mentis solus deus aperit, & in laudem sui nominis. Suffi cit quoq; deo, si cordis nostri labia laudant, dum os non potest. Corde quidem cre ditur ad iustitiam, & ore fit confessio ad salutem, sed alterum altero maius est. Sic ergo per Christum sacerdotes creamur, & populus sanctus, & electum genus, ut oculos in cœlũ leuantes deo nostro sacrificemus, peccata confiteamur, per ipsum aditum ad patrem nos habere gaudeamus. Quod autem addit de hostia laudis, al ludit ad Psalmum 49. Non propter uictimas tuas arguam te &c. Et tibi sacrifica bo hostiam laudis. Quod autem addit Semper, alluſit ad illud Psalmi 33. Benedi cam dominum in omni tempore &c. Quasi diceret, Nullum tempus elabetur, si ue aduersum sit siue lætum, in quo dominũ non laudauero. Quod dicitur de fru ctu labiorum, sumitur ex ultimo cap. Oseæ, iuxta LXX. Hebræi, Vitulos labio rum, propter æquiuocationem dictionis Porim, si sine punctis legatur: ut satis li queat ex trãslatione Græcorũ, istis temporibus puncta non fuisse Hebræis, quic quid illi nugentur pro suo more. Siue autem legas Fructus siue Vitulos, sensus erit, Esto captiui simus, & desint nobis hodie uituli, uel primitiui fructus terrę no stræ ad sacrificandum, non tamen deerunt nobis uituli labiorum, hoc est gratia rumactio quę sonat in ore nostro. Non sunt quidem omnibus fruges & uituli, sin gulis autem labia sunt, quibus deo confiteantur, hoc est gratias agant, & ipsum magnificent. Vult Apostolus nomen Christi magnificari, ut creatorem & salua torem per omnia agnoscamus & ueneremur.

12 Beneficẽtiæ autem & communicationis nolite obliuisci, talibus enim hostijs promeretur deus.

Tertium sacrificiorum genus est, beneficentiæ, quam hactenus multis com mẽdauit & ursit, quãuis obiter. Saluator quoq; phariseis dicebat, Misericordiam uolo,

uolo,& non ſacrificium. Si igitur humiliter de teipſo ſentias, optima de deo ſpe-
res,proximos pro uiribus adiuues: longe acceptabilius ſacrificium deo offeres,q̃
omnes Iudæi externis ſuis ſacrificijs. Miſericordiam enim & beneficentiam Chri
ſtus iudex uenturus requiret. Significat autem communicatio iſta, omnia tam læ
ta q̃ triſtia proximorum, noſtra eſſe debere: & nos afficere, non ſecus atq; dolor
unius membri etiam ſana membra cõtriſtat. Si peccatores & gentiles amicorum
docent communia eſſe omnia, multo magis nos Chriſtiani inuicem fratres agno
ſcamus. Talibus ſacrificijs placidus nobis ſit deus. Reſtat ergo Chriſtianis aliud
nullum ſacrificium quod offerant, præter gratiarumactionem & miſericordiam,
à quo nemo ſit fidelium excludendus. Qui & omnes iuxta ſcripturam ſacerdotes
ſunt, corpora ſua offerentes: non miniſteria eccleſiaſtica uſurpantes, niſi uocati
legitime.

Obedite præpoſitis ueſtris, & ſubiacete eis, ipſi enim peruigilant, qua 13
ſi rationem pro animabus ueſtris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant &
non gementes, hoc enim non expedit uobis.

Concludit epiſtolam docendo obedientiam. Quaſi dicens, De omnibus iam
dixi pertinentibus ad ſalutem, præter quæ, ſi quid neceſſe fuerit diſcere, habetis
præpoſitos, à quibus requirere debeatis, quos audire & reuereri æquum fuerit et
neceſſarium. Subiacete uel concedite dicit, etiamſi ſint imperfecti, parendum il-
lis eſt tamen, modo doceant ſecundum pietatem, ſecundum quod Chriſtus dixit
de ſedentibus in cathedra ſcribis & phariſæis, &c. Vita mala, doctrinę bonæ præ
iudicare non debet. Magiſtratus tamen eſt curare, ut eccleſijs adſint ſancti mini-
ſtri, non tantum docti. Si uero reſpicienda foret miniſtrorum perfectio, prædica-
ret nemo: omnes enim peccatores ſumus, & in multis offendimus omnes. Quàm
uigilare autem debeant pro animabus, diſcant ex Ezechielis cap. 3. Monet diſci-
pulos ad diligentiam, quo alacriores fiant doctores, in profectum diſcipulorum
& eccleſiæ totius. Gaudium enim doctorum eſt, incrementũ diſcipulorum. Eſto
autem gemitibus illorum nõ permoueamini, deus tamen permouetur in eos qui
ſpernunt miniſtros ſuos.

Orate pro nobis. Confidimus enim quod bonam conſcientiam ha- 14
bemus in omnibus, bene uolentes conuerſari. Amplius autem deprecor
uos hoc facere, quo celerius reſtituar uobis.

Solicite cupio uos orare pro nobis omnibus, ut uerbũ domini currat, & pro-
pter nullum noſtrum euangelium domini male audiat. Polliceor quidẽ mihi opti
ma de ſingulis, quod bonam omnes conſcientiam habeant, quibus & ſancta con
uerſatio cordi ſit. Et orat quidem ſpiritus pro omnibus, ardentius autem pro his
quos uidet ad promulgandam ueritatem magis inſtructos. Cupit ipſis reſtitui, ut
ſi quid illis deeſſet, ſua præſentia reſarciret, & per mutuam fidem conſolaretur.
Charitas autem urget, ut pro miniſtris uerbi oretur, quo dignius diſpenſent
uerbum.

Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis paſtorem magnum ouium, 15
in ſanguine teſtamenti æterni, dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum, aptet
uos in omni bono, ut faciatis eius uoluntatem, faciens in uobis quod pla
ceat coram ſe, per Ieſum Chriſtum. Cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum.
Amen.

Concludit oratione epistolam ad deum, qui solus absolutos reddere potest. Vult autem dicere, Deus qui solus dat incrementum, successum & felicitatem in omnibus, pacemq; ueram largitur per Christum pro nobis oblatum sacrificium, pro peccatis nostris, in quo pacem habemus cum deo, & remissionem omnium peccatorum, quem & pater reduxit à mortuis, & templum triduo collapsum redificauit. Cui & potestatem dedit, ut quos uult uiuificet. Pastorem aũt esse Christum, non est ut probetur, qui pastorũ quoq; maximus est, qui in tempore cibum dispensat ecclesiæ, & ad omne opus bonum instruit ministros, quos posuit pastores, qui qualescunq; sint, uiam quidem ad perfectionem ostendere possunt, perfectionem in opere bono præstare non possunt, id quod à domino precibus erit obtinendum. Voluntas autem dei agenda, ut in illum credamus, & innocentiam uitæ sectemur, agamusq; quod acceptũ sit in conspectu ipsius: idq; per Iesum Christum, qui semper adest, commendans sacrificia nostra, cui debetur omnis gloria, non solum in hac uita, sed in omne tempus. Amen. Character est precũ, ut de exauditione diuina nihil addubitetur.

16 Rogo autem uos fratres, ut sufferatis uerbum solatij. Etenim perpaucis scripsi uobis.

Modestia Apostoli notatur orãtis, ut sermo & epistola eius admittatur, in qua nihil aliud cupiebat assequi, q; ut Christum audirent, & eidem adhæreant, nõ obstantibus tentationibus iniquorum. Duriuscule tamen scripserat quædam, 4. 6. & 10. capitibus, non pręter rem: id tamen quod nunc sibi cupit condonari, dicẽs, Hæc exhortandi gratia scripsi uobis: id boni cõsuletis, quod à nobis bono animo factum est. Scripsi autem paucis, ipse uos breui forsan uisurus.

17 Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum, cum quo si celerius uenerit, uidebo uos.

Scire uos uolo, quod Timotheus in præsentia mihi nõ adest, sed aliò dimissus, uel solutus à uinculis, in quæ ob Christi fidem cõiectus fuerat. Alicubi filium nominat, quia per euangelium genuerat: hic fratrem, propter communem in cœlis patrem, quem uterq; colebat.

18 Salutate omnes præpositos uestros, & omnes sanctos. Salutant uos de Italia fratres. Gratia cum omnibus uobis. Amen.

Prælatos intelligit episcopos & doctores, pastores & presbyteros, in quibus non parum salutis populũ manet fidelem. Sanctos autem intelligit reliquos pios Christianos re & nomine, qui adhuc in uiuis Christo adhærent: sanctificantur enim à Christo per effusum ipsius sanguinem, & spiritum sanctum. Fratres dicuntur omnes, qui corpus Christi cõstituunt, cuius ipse est caput, ut sese meminerint obligatos ad mutuam charitatem: membrorum enim est, ut aliud alij & animo & corpore charitatem exhibeant. De Italis loquitur, nam ab Italia epistola missa creditur. Concludit consueta particula de gratia, nimirum dei, cuius regnum dilatari cupit per omnia sæcula in tota terra.

FINIS.

COMMENTARIVM IN EPISTOLAM D. IACOBI APOSTOLI CANONICAM.

ARGVMENTVM.

IACOBVS apostolus, & Hierosolymitanorum episcopus, uir planè diuinus, & dei gloriæ studiosus in primis, cum uideret uanæ & mortuæ fidei iactatores sua tempestate plurimos esse, qui euangelio quidem credentes, & Christũ confitentes, nihilominus secundum carnem & mundum uiuere non cessabant, ad fidei uiuæ & ueræ uera opera prouocat, sine quibus fides non magis fides est, quàm homo sit corpus anima destitutum. Fidem quidem iustificare & beare hominem, adeo uerum est, ut inficiari non possit, quando id ipsum Paulus irrefragabili disputatione euincit, in epistolis ad Romanos & Galatas, sed ea non est sine fructibus suis, qui & conspiciũtur in uere fidelibus, sine quibus fidei dignitas & uirtus uane iactatur. In hac ergo parte, ueri apostoli diuina quidem prudentia, sic utrinq; sermonem attemperat, ut fidei sanctimoniam necessariam doceat, & fructus fidei & sancta sanctificatorum opera, apostolica authoritate urgeat, necessariaq; ad salutem ex fide non taceat. Versatur præterea in locis communibus, quod genus sunt, Ob Christũ fortiter toleranda aduersa: homines non naturæ deiue uitio, sed suapte culpa fieri malos: non temere loquendum: iræ non indulgendum: euangelicam professionem non sufficere, nisi factis & affectibus exprimamus: ueram pietatem in temperantia linguæ & officijs charitatis sitam esse: neminem æstimandum è bonis externis, sed è ueris animi bonis: præcipuam uitæ pestem nasci ex lingua effreni, quemadmodum contrà, bona moderataq; lingua nihil utilius: plurimum interesse inter mundanã & Christianam sapientiam: non constare pacem, nisi submotis ex animo cupiditatibus humanis: nihil conuenire huic mũdo & deo: à deo destitui, qui elati suis fidunt operibus, cum ijs faueat qui sibi diffisi, ab eo pendeant: deo facere iniuriam, qui condemnat ac iudicat proximum: euanidam ac fugacem esse præsentis uitæ felicitatẽ: potentes quibus hic impune licet quod libet, post acerbissimas daturos pœnas: uindictam malorũ deo iudici relinquendam esse: preces piorum hominũ plurimum ualere apud deum: peccantibus in nos fratribus condonandum, aberrantesq; in uiam reuocandos. Eos uero qui utili & sanctæ epistolæ derogare procaciter ausi sunt, responsione nostra arbitramur indignos, quando ueritas permanet, & à maioribus nostris ecclesiasticis non sine causa Canonica dicta est, & in ecclesijs lecta cum honore & fructu inter reliquas prima.

CAPVT PRIMVM.

Iacobus dei & domini nostri Iesu Christi seruus, duodecim tribubus quæ sunt in dispersione, salutem. 1

Quandoquidem apostolorum quoq; temporibus erãt, qui Christo diuinitatem derogabant, satis rationabiliter hic dici potest, apostolum hunc sicut & alios scribentes apostolos, sese seruos confessos simul dei & domini nostri Iesu Christi, sine distinctionis nota. Seruum autẽ se Christi dicit, adeoq; dei cultorem in spiritu & ueritate, non in Mosaicis iam ceremonijs, quamlibet iam tunc quoq; adhuc stante templo, quædam in Christi ecclesia tolerarentur, conuersorum à Iu-

daismo ad Christum. Scribit autem eisdem potissimum hanc epistolam, deinde etiam alijs qui ex gentibus crediderant. Hoc enim ab apostolis ferè omnibus obseruatum uidemus, ut primum Iudæis per synagogas in mundo toto sparsas, maxime uero per Syriam, Christum annunciarent: sic tamen ut & gentes maiore numero ad Christum conuersas, non excluderent. Iudæis enim in lege & prophetis promissus erat, & simul quoq; gentibus. Quo cum se Iudęi indignos facerent, conuertebãtur ad gentes apostoli. Precatur autem omnibus ueram salutem, non corporis tantum, quam mundus optat, sed eam quam Christus suis etiam in medijs exitijs & mortibus largitur.

2 Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes uarias inciderítis, scientes quod probatio fidei uestræ patientiam operatur.

Cum communis euangelij Christi domini professio, cum idem baptismus in nomen patris, filij & spiritus sancti, qui Christianorũ tantum est, & per Christum saluari credẽtium, quibus Iacobus scribit, eos omnes fratres efficiat, atq; inter uere fratres oporteat lętorum pariter ac tristium esse societatem, uehementer discruciaret animũ meum ista uestra calamitas, quam pro Christo passim fertis, nisi de uestra pietate cõfiderem. Vos autem qui in uno Christo beatitudinis puppim ac proram collocastis: qui felicitatem uestram non in hoc mundo sed in futuro sæculo expectatis, oportet ab horum sententia longissime abesse. Siquidem ista nõ immittuntur à deo irato, sed maxime propitio: nimirum hoc agente, ut temporarijs afflictionibus, quas immerentes pro Christo patimini, & patientia uestra reddatur spectatior, & præmiũ uestrum cumulatius, ut quoties uarijs procellis undiq; tundimini, non solum intelligatis uos non oportere consternari animis, quasi destitutos à deo, sed potius toto pectore gaudendum esse, quod hoc argumento deo chari curæq; sitis, exploranti tolerantiam uestram: quæ si perstiterit, nec cesserit ullis malorum assultibus, nimirum liquebit esse solidum euangelicæ fidei fundamentum. Nam nisi uobis penitus persuasum esset, immortalitatis præmium esse paratum ijs qui hic pro Christi gloria malis affliguntur, non tantum malorũ, uolentes & alacribus animis toleraretis. Porrò cum deus nostram salutem fidei potissimum uelit acceptam ferri, pertinet hoc ad euangelij gloriã, ut certis argumentis homines intelligant, uestram fiduciam non esse uulgarem aut uacillantem, sed firmam ac inuictam. Etenim quod fucatum est, aut uanum, aut imbecille, ad ingruentem malorum procellam loco dimouetur. Verum ac solidum sit oportet, quod nec exilio, nec inopia, nec ignominia, nec carceribus, nec flagris, neq; morte denique uincitur aut expugnatur. Admirabilis animi constantia habetur, si quis aduersam fortunam infracto toleret animo. Cæterum ubi conspicient uos per se graues & acerbas, alacribus etiam & gaudentibus animis perpeti, ignominiam ob Christi professionem inflictam, pro summa gloria ducere, facultatũ iacturam pro lucro opimo habere, molestos corpori cruciatus, æternæ uoluptatis pignus existimare: mortem, qua nihil horribilius, nihil aliud arbitrari, q̃ limen & ingressum immortalitatis futuræ: nimirum intelligent spem uestram, qua fulti ista contemnitis, nõ esse uulgarem, nec ab humana duntaxat persuasione profectam, sed afflatu numinis confirmari. Hęc uero D. Erasmi dicta religiosius hic leguntur, & in ecclesia prędicantur, q̃q; poëtarum lenocinia, & epistolæ huius & scriptoris apostolici impia præiudicia, eius, qui in hanc male feriata diligentia scripsit, authoris nominis sui memoria indignus.

3 Patientia autem opus perfectum habeat, ut sitis perfecti & integri, in

in nullo deficientes.

Vt fides nondum est probata, nisi sese per uitæ pietatem & officia erga proximos exerat: ita tolerantia non habebit laudem absolutam, nisi quemadmodum in malis tolerandis fortis est & alacris, ita in bonis operibus exercendis sibi constet. Magnum est, mala libenter perpeti, sed ob Christi gloriam dũtaxat: at perfectum est, cum ipse malis afficiaris, omnibus benefacere, non solum his qui promerẽtur, uerumetiam his à quibus affligeris. Sic enim fiet, ut membra respondeant capiti, discipuli præceptori, filij patri, si sitis undiq; perfecti & integri, necq; quicquam in uobis desideretur, quod ad absoluendũ euangelicæ pietatis orbem pertinet. Hoc fateor, non hoc exigebat Mosi lex, stultum etiam uidetur huius mundi sapientibus, sed hanc nouam sapientiã nos docuit noua philosophia, quam Christus cœlestis doctor inuexit orbi.

Si quis autem uestrum indiget sapientia, postulet à deo, qui dat omni 4
bus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.

In ea noua philosophia, si quis nondum satis confirmatus est, non est cur confugiat ad huius sæculi philosophos, quorũ doctrina dilutior est, q̃ ut ad rem tantam præstãdam sufficiat. Supra uires mortalium est quod præstatur, cœlesti opus est præsidio, proinde cœleste præmium paratum est. Qui res suas omnes huius mundi bonis ac malis metiuntur, si quando premuntur malis, ab hominibus consilium petunt, ab hominibus implorant præsidium. Affluenter autem dat, hoc est copiose, simpliciter, sine fraude uel inuidia, ut intelligamus dei naturam & benignitatem erga rite precantes, ut mentibus alliciamur, & ad hunc unũ curramus in cunctis necessitatibus nostris. Fons est enim inexhaustus, indeficiens, obuius, & expositus omnibus, qui ultro sua bona omnibus offert. Sapientiam autem precemur, qua per spiritum sanctum mens illustrata, ut quæ digna sunt uelimus, petamus & agamus: nam alioqui quid oraturi simus, ut oportet non nouimus. Ideo subiungitur,

Postulet autem in fide, nihil hæsitans: qui enim hæsitat, similis est flu- 6
ctui maris, qui à uento mouetur & circunfertur: non ergo existimet homo ille quod accipiat aliquid à domino.

Plura ex affectibus oramus, quæ si nobis daret deus, non solũ inutilia essent, sed & noxia. Distinguendum ergo inter affectus & fidem, dum orationi mens est intenta. Fidelis autem contra deum nihil postulat, nec hæsitabit, quin quæ utilia nobis sunt daturus sit deus. Quod pulcherrimo exemplo Christus ob oculos ponit, de patre, qui puero piscem postulanti, serpentem non porrigit. Sic enim deus natura bonus, ultro cupit oĩbus benefacere: ab hoc qui petit, non petet frustra, uult enim benefacere, et potest quicquid uult. Non moratur merita nostra, fidem erga se requirit, ut à nobis cogitetur optimus & potentissimus. Qui ergo totus fidit opi diuinæ, solidus est & firmus. Inconstantem autem ac uacillãtem animum pulchra similitudine explicat. Quid enim magis inconstans, q̃ mare tempestatibus ac uentis iactatum? Sic mens, dum quolibet uento huc atq; illuc iactatur, rapitur ac impellitur. Cæterum qui solida petra deo nituntur, sic fixi & immobiles stant, ut nulla tempestas eos mouere nedum deijcere possit. Sola autem fide mens in deum figitur, ea sola impetrat in orante. Qui autẽ facillat, male sentiens de eius beneuolentia & auxilio quem implorat, non solum nihil impetrat, sed deum irridet, & ignominia afficit.

6 Vir duplex animo, inconstans est in omnibus uijs suis.

Sententia est generalis, sed post prædicta huc ueluti causa superiorum annectitur. Cuius, inquit, animus bifariam diuisus est, hac parte deum respiciens, illa mundum, is inæqualis est & inconstans, non tantum diffidens in precibus, sed in omnibus etiam quæ agit, aliud habens in ore, aliud in pectore, reflatuq; fortunæ solitus uertere animum, quemadmodum uulgus hominum facit. De quibus dicitur, Væ ingredientibus terram duabus uijs.

7 Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua, diues autem in humilitate sua, quoniam sicut flos fœni transibit: exortus est enim Sol cum ardore, & arefecit fœnum, & flos eius decidit, & decor uultus eius deperijt: ita & diues in itineribus suis marcescet.

Erigat animum humilis Christianus, & uarijs malorum molibus pressus, & uel hoc nomine glorietur, quod mundo contẽptus sit, non sit contemptus coram deo: qui nihil offensus humilitate conditionis aut fortunæ, dignatus sit illum consortio sanctorũ, nec excludat ab hæreditate regni cœlestis. Contrà diues hoc nomine sibi gratuletur, quod qui ob falsa huius mũdi bona magnifiebat apud mundi cultores, nunc ob Christi professionem spretus sit & contemptus: & quem ante tumidum inanibus bonis, fastus exagitabat, nũc apud homines deiectus & calcatus, ueris bonis ditescat apud deum. Hoc pacto fiet, ut nec pauperem sua deijciat humilitas, nec diuitẽ insolẽtem reddat sua fortuna, maxime si cogitet uterq;, & mala quibus grauãtur inopes, & bona quibus sibi placent diuites, non esse diuturna, sed celeriter euanescere: non aliter q; herbarum flosculos, qui ut blandiente Fauonio, ad uernum rorem subito proferunt sese, & mox ad Boreæ flatum ac Solis ardorem emarcescunt atq; emoriuntur: adeo, ut flosculum qui natus ad Solis exortum, gratissimo colore blãdiebatur oculis hominum, Sol occidens uideat morientem. Arbores, quoniam altis nituntur radicibus, ac solido robore fulciuntur, diu uirent, quædam etiam perpetuò: nec uentorum iniuria, nec brumæ rigore uiroris gratiam ponentes; at herba, quoniam ijsdem rebus non fulcitur, mox ubi Sol efferbuit, succo suo destituitur, quo temporariam illam floris gratiam alebat. Itaq; caulis languescens, iam florem suum nec alit nec sustinet, sed arescit, senescit, emoritur, collabitur, quod paulò ante tanta gratia blandiebatur oculis hominum. Ne quis igitur in his quæ nec solida sunt nec diutina, Christianus glorietur, magis ea spectet quæ sunt æterna, quæ blandiuntur oculis dei: magis studeat esse palma uirens, q; herba mox ad leuem iniuriã moritura. Vides modo natum florem, qui decor, quæ facies, quæ coloris, quæ odoris gratia? quæ foliorũ uirentium pompa, qui nitor, qui succus, quę iuuẽtus? At mox ad Austri flatum, ad Solis æstum, qui languor, quod senium, quis interitus? Idem dies & nascentem conspicit florem, & pubescentem, & adultum, ac senescentem & mortuum. Huic ad similes est diuitum felicitas, qui nunc purpura conspicuus, auro lucens, gemmis refulgens, magnifico famulitio stipatus, supinus uehitur, ac ueluti numen quoddam inter homines colitur, si reflauerit fortuna, aut exutus bonis omnibus, mendicabit exul, aut plorabit in carcere, aut sublatus in crucem pascet coruos: aut si nihil horum acciderit, certe mors inopina subito strepitum omnem auferet.

8 Beatus uir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam uitæ, quam repromisit deus diligentibus se.

Gentilium est huiusmodi bonis metiri felicitatem, quæ præterquam quod (ut nihil

nihil aliud) unà cum hac uita nos deserunt, nisi contemnantur, perniciem adferunt. Christianorum est, ea sequi quibus æterna parantur bona, in quę nec fortuna, nec senium, nec mors ullum ius habet. Non enim ideo beatus quisquam est, quia diues, sed ita demum beatus erit, si ob euangelij professionē spoliatus ijs quę possidebat, si spretis uoluptatibus huius uitæ quibus affatim fruebatur, pro Christo suffert cruciatus & carceres, si eius amore in malis omnibus ad mortem usq; perdurat infracto pectore, sic interpretans, quo pluribus huius mundi malis premitur, hoc se chariorem esse deo, qui ad suam gloriā explorat cultoris sui tolerantiam, quo simul & alijs exemplo sit, ad contemptum huius mundi, & ipse postea quam se strenue gesserit in certamine, ueræq; uirtutis & fidei documentum dederit, palmam & coronam ferat: non quernam aut lauream, nam marcescūt & hæc quod genus accipiunt, qui præmium ac laudem uenantur ab hominibus, sed coronam immortalis uitæ, quam pollicitus est non homo quispiam, qui fallere possit, sed deus. Pollicitus est autem non ijs, qui plurimum opum congesserint, non ijs qui corporis robore præcelluerint, qui plurimū hostiū fuderint, sed qui ipsius amore, huius mundi bona spreuerint, huius mundi mala fortiter pertulerint.

Nemo cum tentatur, dicat quoniam à deo tentatur. 9

Duplex est tentationis genus, utrunq; & pijs & impijs commune, quamuis diuersa ratione. Alterū, quum rebus aduersis homines explorat deus, ut piorum tum imbecillitas tum fides fiat spectatior, nō solum alijs, sed & sibijpsis quoq; malorum ex aduerso impietas, quam uel impudenter negant, uel falsa religionis specie cælant, palàm fiat, simulq; puniatur. Alterum, quum satanæ suggestionibus & carnis affectibus tentantur, tentationibusq; non raro succumbunt, ubi alij ad mortem æternam sic cadunt, ut nunquam resurgant: alij post casum humiliores & cautiores redduntur. Occurrere autem apostolus hic uult eis, qui peccatorum suorum culpam in deum authorem reijcere non uerentur: ut est tota ferè hæc epistola scripta contra eos, qui fidem uerbis professi, factis & uita negāt, interim scelerum culpam, ut ipsi essent excusati, deo authori adscribentes.

Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminē tentat. Vnusquisq; uero tentatur, à concupiscentia sua abstractus & illectus. 10

Si sit in nobis syncerus amor dei, explorāt huius mūdi blandimenta, sed multo magis tumultus afflictionū. In nobis autem est situm, ut dei præsidio fulti, nec blandimentis emolliamur, nec terriculamentis frangamur. Quod si quem illecebrę sæculi dimouent à recto mentis statu, aut si quem afflictionum molestia deducit à uera pietate, nō est quod imputet deo. Qui uincit, dei pręsidio uincit: qui uincitur, suo uitio uincitur. Neq; enim deus præbet hominibus occasionem ut peccent, sed quod ille largitur pro sua bonitate in materiam segetemq; pietatis, hoc nostrer animus affectibus corruptus, ac uelut inescatus, contra rationis & inspirationis diuinę dictamen sibi uertit in occasionem exitij. Deus enim in hoc aliquando nobis donat, rerum affluentia uitæq; commodis frui, ut ipsius benignitate pro uocati, gratias illi agamus. Rursus, patitur aliquoties nos rebus aduersis affligi, quo & nostram pietatem reddat spectatiorem, & præmium augeat. Quod si res tura bonus, nullis malis solicitari potest: ita neminē ad mala solicitat. A nobis est illud, quod nobis dei bona uertit ad malum. Largitur ille ciborum copiam, dictamen recte utendi inspirat crebro, uini quoq; liquorem, ut moderate refecti, agnoscamus datorem. Quod si quis uino temulentus fit, non deum in ius uocabit, sed

ſuum accuſet animum, cuius uitioſa cupiditas illexit ac pertraxit ad ebrietatem, reclamante non raro conſcientia, & uerbo dei damnante.

11 Deinde concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum uero cum conſummatum fuerit, generat mortem.

Quæ ſimpliciter dicere potuit, uenuſta comparatione mulieris parturientis exornat, ortum & progreſſum peccati elegãter depingens, & quid peccatũ commiſſum ſequatur, in hanc ſententiam, Ex primorum parentum uitio inſita eſt animis noſtris quædam ad uitia procliuitas, ea ceu peccati ſeminarium eſt, & ipſum peccatum dicitur. Et niſi uitioſa cupiditas pellatur ab animo, paulatim grãdeſcit & inualeſcit malus ille fœtus, donec pariatur capitale peccatum. Quod ubi ſuis numeris fuerit conſummatũ, rurſum incipit & ipſum gignere. Gignit autem fœtum omnium peſſimũ, nempe mortem æternam, atq; hic eſt fructus longe triſtiſſimus uoluptatis illius, in ſpeciem blande & neſcio quid ſuaue pollicẽtis, dum mortiferum eſt uoluptatis eſca prætexit. Quemadmodum igitur hic mũdus inferior nihil habet undiq; purum ac perfectum, ſed bona malis uitiantur; & quæ læta ſunt, triſtium uiciſſitudine miſcentur: aërem uitiat lues, corporum ualetudinem infeſtat morbus & ſenium, lucis gratiam interrumpũt tenebræ: ita in noſtris animis donec his corporibus obnoxij ſunt, uix quicquam eſt ex omni parte beatum ac purum, quod non aliqua labe cupiditatũ humanarum aut erroris & ignorantiæ tenebris uitietur.

12 Nolite itaq; errare fratres mei dilectiſſimi.

Quicquid in nobis eſt mali, nobis imputare debemus, non deo. Etenim ſi puris eſſemus affectibus, ſi toto pectore fideremus deo, ſi totis uiſceribus ad æterna cœleſtiaq; aſpiraremus, quicquid hæc uita nobis obijceret, ſeu triſte, ſeu lætum, uerteret in pietatis incrementũ. Proinde fratres dilectiſſimi, nolite facere quemadmodum uulgus ſtultorum hominum facit, qui quo ſuis uitijs blandiantur, naturæ conditorem in ius uocat, uelut authorem peccati. Procul abſit hic error à uobis, qui didiciſtis euãgelicam philoſophiam. Sequitur encomiũ diuinæ bonitatis.

13 Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, nec uiciſſitudinis obumbratio.

Vt deus ſuapte natura ſumme bonus eſt, ita nihil ab illo proficiſcitur niſi bonum. Si quid igitur in nobis eſt uitioꝝ, non deo ſed nobiſipſis feramus acceptũ: ſi quid bonæ rei, ſi quid ueræ lucis, ſi quid illibatę ſapientiæ, id totum authori deo aſcribamus. Si quid lucis habet hic orbis craſſior, à cœleſtibus illis corporibus habet, & potiſſimum à ſole. Quicquid in nobis eſt ueræ cognitionis, quicquid ſyncerię affectus, id à nobis non oritur, qui alioqui nihil aliud ſumus, q̃ peccatores & ignorantes, ſed è ſublimi proficiſcitur, ab authore bonorum omnium uenit quicquid uere bonũ eſt, à fonte totius perfectionis obtingit quicquid legitimum ac perfectum eſt, taleq; ut nos deo commendet. Quicquid uere lucidum eſt, id nobis ex ſeſe mittit ille pater, & princeps omnis ueræ lucis. Hæc non impertit meritis noſtris, ſed gratuito nobis largitur, ut eſt natura benignus: dona ſunt uerius q̃ præmia: liberalitas eſt potius q̃ merces. Fas igitur non eſt, ut hinc quicquam nobis arrogemus, ſed pro noſtris malis dei miſericordiam interpellemus: pro bonis nõ noſtris illius liberalitati gratias agamus. Vt ille ſua natura optimus eſt, ita non poteſt dare niſi quæ ſunt optima: ut incommutabilis eſt ſemperq; ſui ſimilis, ita nihil eſt apud deum, quod ulla uiciſſitudine caliginis offuſcetur. Noſtrũ hunc diem nox

nox succedens excipit, nubes intercedentes obducunt, humanam sapientiam ob nubilant errores opinionum, humanam probitatem inficiunt malæ cupiditates: apud illum nulla malorum mixtura, nec ullæ caliginis uices.

Volũtarie enim genuit nos uerbo ueritatis, ut simus initium aliquod 14
creaturæ eius.

Quum in mentionem diuinæ bonitatis incidisset, eiusdem nobis quendã gustum propinat, ubi primũ ostendit, prædestinatione, electione, & gratuita dei munificentia ac liberalitate omnia nobis donari. Ad dei bonitatem ac simplicitatem oportet & nos pro uiribus adniti, ut pijs studijs præbentes nos magis ac magis capaces donorum illius, uelut in illum transformemur: conuenit enim, ut filij naturam parentis referant. Male reddidimus Adam huius crassæ corruptæq; natiuitatis principem, is peccatorum tenebris obscuratus, genuit nos tenebris obnoxios. Quod fastidimus cœlestia, quod inhiamus terrenis, illius ingenium referimus. Quod cæcutimus, quod hallucinamur, quod labimur, terreni parentis est. Sed felicius nos regenuit pater ille cœlestis, ut iam ueluti denuo conditi, innocentia uitæ & ueritatis æternæ cognitione nouæ origini respondeamus. Ille seductus fallacibus promissis serpentis, genuit nos tenebris: hic rursus nos genuit, non ex corrupto semine terreni patris, sed ex purissimo semine sermonis æterni ac ueridici. Mendax erat sermo serpentis, & à statu innocẽtiæ deiecit: uerax est sermo doctrinæ euangelicæ, per quem cooptamur in hæreditatẽ immortalitatis, & ascisimur in consortium Iesu Christi filij dei. Erat ille lux uera, de summa luce profectus, cuius doctrina mentes hominũ illustrauit, & ab huius mũdi tenebris asseruit. Tam efficax autem est sermo cœlestis, ut nos non mutarit solum, sed uelut prorsus in alios homines transformauit, execrantes iam quæ prius adamabamus, adamantes quę prius execrabamur. Atq; hoc honore dignatus est nos pater cœlestis, non nostris meritis prouocatus, sed sua gratuita bonitate, qua sic illi uisum est ab æterno, ut inaudita ratione conderet in terris nouam creaturam, nosq; huius nouæ cõditionis ueluti primitias quasdam esse uoluit, qui inter primos sumus ad euangelicam uocati doctrinam.

Scitis fratres mei dilectissimi. Sit autẽ omnis homo uelox ad audien- 15
dum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram: ira enim uiri iustitiam dei non operatur.

Ostensa dignitate, ad quam optimus pater nos euexit, cauere monet à uitijs, quæ hominem incautũ à tanta sublimitate deijciant. Gratuito, inquit, sumus admissi ad hanc felicitatem, ut filij dei nominemur & simus, sed à qua interim possimus nostro uitio excidere, nisi quod gratuito donatũ est, pijs studijs tueri studeamus. Frustra cooptati fuerimus per baptismum, & euãgelicæ doctrinæ professionem, in consortium filij dei, nisi castis purisq; moribus nostræ professioni respondeamus: ut quemadmodũ nobis æterna lux illuxit per filium dei, ita uita nostra omnis testetur, quod ad lucis consortium pertineamus. Semel exuimus ueterem hominem cum erroribus, cum affectibus, cum uitijs suis: nunc æquum est ut diuersa sequamur. Antehac maluistis uideri magistri q̃ discipuli: nam id uobis persuadebat ambitio, quod doctior habeatur uulgo, qui loquacissimus sit: maluistis irasci recte monenti, q̃ agnoscere culpam: maluistis obsequi libidini perniciosæ, quàm ea sectari quæ salutem adferunt: nunc fratres mei charissimi, quisquis uult haberi nouus homo, tardus sit ad loquendum, uelox ad audiendũ, paratus à quo uis discere. Cæterum docendi partes ne quis sibi temere sumat, neq; præpropere.

Et quemadmodum non abeſt à periculo lapſus, qui præceps eſt ad loquẽdum: ita uergit ad iniuriam, qui facile commouetur animo. Oportet enim pios homines procul abeſſe non ſolum ab omni uindicta, uerumetiam ab omni maledicentia. Tutior autem erit à conuitio qui nihil reſpondet: nulli faciet iniuriam, qui neceſſitus iraſcitur. Apud homines fortaſſis iuſtus uidetur, qui conuitium cõuitio, qui maleficium maleficio retaliat, ſed idem multum aberit à iuſtitia dei, qui perfilium ſuum nos docuit, bene loqui de nobis obtrectantibus, bene uelle nobis male uolentibus, bene mereri de male merentibus. Hæc non facit, qui linguæ laxat habenas membro uolubili & lubrico, qui iram habet in conſilio.

16 Propter quod abijcientes omnem immunditiam, & abundãtiam malitiæ, in manſuetudine ſuſcipite inſitum uerbum, quod poteſt ſaluare animas ueſtras.

Qui ſemina terræ mandant, curant ut habeant aruum bene repurgatum ſentibus & lapidibus. Animus hominis mũdanis cupiditatibus infectus & obſitus, ſemen cœleſtis uerbi aut non recipit, aut receptum ſuffocat, ut ad iuſtam frugem non perueniat, iubet ergo repurgare pectus ab omni ſorde, ab omni ſuperfluitate, ut ſemen uerbi dei locum habeat, & fructum ferat. Fructum, inquam, non temporarium uel uulgarem, quo ad tempus reficiãtur corpora, ſed æternam ſalutem animarum. Tempeſtatem ergo & turbam iræ & omnium cupiditatum ex animo propellite, & inſerite ſemen uerbi diuini, quod inſitum mentes ueſtras conſolari, erigere, tranquillare, firmare, certas reddere, æternumq; beare poteſt. Monetur quoq; his uerbis homo, ut carnis contumacia & immunditia poſita, aditum & locum faciat uerbo & conſilio domini, quo hominẽ ſaluare decreuit, utq; agnoſcatur optimi patris uolũtas, qui electos per crucem reformat ad filij ſui imaginem: fidem probat & auocat à terrenis ad cœleſtia, totosq; in ſe trahit, & ſibi unit, ut ſit ipſe omnia in omnibus.

17 Eſtote autem factores uerbi, & non auditores tantum, fallentes uoſmetipſos.

Iudæi legẽ ſuam ſchedulis & fimbrijs circunferunt, & memoriter tenent, nec eam tamen exprimunt uita. Philoſophi ediſcunt bene uiuendi rationes, & id ſatis eſſe putãt, longe fallentes ſemetipſos, quum non in lingua ſed in uita ſit hominis felicitas. Vobis autem ſatis eſſe non debet, quod catechumeni audiſtis euangelicam doctrinam, quod baptizati, admiſſi eſtis ad magis abſtruſa euãgelicæ doctrinæ myſteria, quod uniuerſam Chriſti philoſophiam omnemq; illius uitam perdidiciſtis, quod accepiſtis promiſſionẽ immortalis uitæ. Quod Chriſtus docuit, moribus eſt exprimendum: quod ille geſſit, nobis eſt pro utribus imitãdum. Mortui cupiditatibus huius mundi, cum illo ſepeliamur oportet, cum illo reuiuiſcamus ad innocentiam, cum illo feramur in cœlum. Denicq; ſic uiuamus in terris, ne indigni uideamur prẽmijs cœleſtibus. Quamuis ergo iuſtificatio & ſalus omnis electionis ſit & fidei, opera tamen charitatis certiſſima ſunt ſigna nobis electionis & fidei, adeo ut ſi illa abſint (quod ad humanum iudicium attinet) certum ſit & electionem & fidem non adeſſe, quum ex fructibus arbor cognoſcatur. Vrget ergo totius epiſtolæ ſtatum, de eo, quod multi multa de fide loquentes & uirtutibus, cum fructu bonorum operum prorſus deſtituti cernantur, ut uerius hypocritæ quàm Chriſtiani dicantur.

18 Quia ſi quis auditor eſt uerbi, & nõ factor, hic cõparabitur uiro conſideranti

ſideranti uultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo, conſiderauit enim ſe & abiit, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit.

Commoda ſimilitudine rem clarius explicat. Vultis, inquit, audire q̃ nullum fructum referat, qui leuiter & incogitanter euangelicum ſermonem audierit? Similimus eſt homini contemplãti faciem ſuam in ſpeculo: contemplatur, ſed contemplatur tantum. Nec enim poteſt mutare faciem natiuam, nec alius diſcedit à ſpeculo quàm acceſſerat. Imò quoniam ideo tantũ acceſſit, ut uideret qua forma eſſet, ne cogitat quidem de mutandis formæ uitijs, ſed ſimul atq; recedit de ſpeculo, ne meminit quidem qualem ſeſe conſpexerit. At euangelicæ doctrinæ ſpeculum non oſtendit neuos aut tubera corporis, ſed omnes animi tui morbos tibi ponit ob oculos: nec ſolum oſtendit, uerumetiam medetur. Sed & ſacræ literæ non tantum in Socratico ſpeculo iubentur cõtemplari uitam, ſed multo magis in lege dei, quæ certiſſimum ſpeculum eſt probe peccatorum labes oſtendens.

Qui autem perſpexerit in lege perfectæ libertatis, & permanſerit in 19
ea, non auditor obliuioſus factus, ſed factor operis, hic beatus in facto ſuo erit.

Lex Moſaica magis prodebat animi mala q̃ ſanabat. Erat enim lex pro tanto imperfecta, & magis metu deterrebat à malis, q̃ efficiebat, ut homines ſponte recta ſequerẽtur. At euangelica lex per charitatem à uolentibus ac liberis plus impetrat, q̃ extorquebat illa: & quod incipit, perfecit, quum illa nihil ad perfectum adduxerit. Ad hoc igitur ſpeculum, quiſquis diligenter contemplabitur, & mentem & uitam ſuam, idq; fecerit aſſidue, nunquam dimouens oculos ab exemplo & doctrina Chriſti, hoc eſt quiſquis doctrinam ſacram non ſic leuiter audierit, ut mox ad curas mundi huius uerſus, uideatur oblitus quod audijt, ſed ad eius normam uitam omnem cõponat, pijs operibus exprimens, quod animi medullis penitus infixit, hic demum beatus erit: nõ quod audierit, ſed quod affectibus ac moribus præſtiterit legem. Audis à Chriſto ſupplicium gehennæ manere illum, quiſquis dixerit fratri ſuo, Fatue: ac mox oblitus quod audieras, ad leue conuitiũ mouues arma. Audis negligendas opes, tineis ac furibus obnoxias, ſed ueras eſſe recondendas in cœlo. Verum digreſſus à prædicatore, ſic omnibus ſtudijs pergis, per fas nefasq; congerere diuitias, quaſi crederes poſt hanc uitam non eſſe præmia pietatis.

Si quis autem putat ſe religioſum eſſe, non refrenans linguam ſuam, 20
ſed ſeducens cor ſuum, huius uana eſt religio.

Si quis inter uos abunde ſibi religioſus uidetur, ſi manus contineat à furto, et pugnis, cæteris q; uitijs, ſed interim non refrenans linguam ſuam ab obtrectationibus, à cõuitijs, à turpiloquijs, nec; cor ſuũ à turpibus cogitationibus, huius inutilis infrugiferaq; eſt religio. Fortaſſe nõ punitur humanis legibus, qui loquitur tantum adulteria, nõ etiam patrat: at is apud deum iam adulter eſt, qui animo patrauit adulterium, nec odit, ſed delectatur uel commemorando, & alijs audientibus ſcandalum ponendo. Non dat pœnas hominibus, qui rem alienam concupiſcit ſi liceat impune, ſed apud deum furti reus eſt, qui furtum concepit in animo. Exactis illis manifeſtis æſtimamur apud homines, quibus animus non eſt conſpicuus. Cæterum deus intimos animi receſſus intuetur, & ex ijs nos æſtimat: porrò corruptus animus ſolet plærunq; in linguam erumpere. Apud Chriſtianos conuitium homicidij genus eſt: tantum abeſt ut cum linguæ petulantia cohæreat ue-

ra pietas. Videtur autem quibusdam sub uno linguæ uitio paruo & communi, cætera omnia comprehendisse, ne leue habeatur, uel minimum peccatum commisisse Christianum.

21 Religio munda & immaculata apud deum & patrem, hæc est, Visitare pupillos & uiduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo.

Non sufficit ad Christianam religionem, abstinuisse à peccãdo, oportet & bonis operibus abundare. Siquidem à malo temperant & serui, nimirum supplicij metu: at filios decet charitas, ea non est res otiosa, sed efficax, in omne bonũ opus sese promẽs ultro. At dixerit aliquis, Quæ nã igit̃ sunt ista facta, quæ uos fideles uere reddunt religiosos? Qui Iudaismum sapiunt, religionis laudem constituunt in pallijs, phylacterijs, delectu ciborum, in lotionibus, prolixis precibus, ieiunijs, oblationibus, cæterisq; ceremonijs, putãtes per hæc quenquam fieri religiosum, quæ citius reddunt hypocritam. Cum uera pietas sit in ipsis animis, & operibus charitatis, quæ longe certius significant pietatem, sese promentem operibus quæ dominus mãdauit. Vera autem religio apud deum patrem est, qui non humano iudicio æstimat, ut quemadmodum nos experti sumus, dei erga nos & misericordiam & beneficentiam: ita nos uicissim erga proximum, & misericordes simus et benefici. Idq; non aliqua spe rediturí ad nos officij mutui, sed ex mera syncera q; charitate: præmium officij nostri non aliunde quàm à deo expectãtes, qui sibi patitur imputari, quicquid in fratrem collocauerimus. Pius ac purus apud Iudæos est, qui morticinum non cõtigerit, qui lotus sit uiuo flumine. Apud deum pius & purus est, qui ex fide in deũ & charitate adfuerit afflictis orphanis & uiduis, qui fratrem afflictum subleuauerit, qui egentem pecunia iuuerit. Deniq; mundi iudicio uilis habetur, quisquis pauper est: honoratior, qui plus opum possidet: ideoq; præcipuum illis studium, ut q; maximam uim pecuniæ sibi comparent. Ignauus & ignaui spiritus habetur, qui ad iniuriã illatam obmutescit: stultus habetur, qui pro maleficio refert beneficiũ: splendidus habetur, qui luxui indulget: sordidus, qui sectatur sobrietatem: magnus habetur, qui fastu turget, qui inferioris notę homines è sublimi despicit: felix habetur, cui res è sententia succedũt, qui delicijs ac uoluptatibus affluit, qui uentri ac gulæ seruit. Hęc tamen res sunt, quæ uere reddunt impium & impurũ hominis animum, à quibus quisquis abfuerit, is demum uere religiosus est apud deum patrem, qui nos exemptos à terrenis, euocauit ad cœlestia: à perituris et caducis, ad æterna. Docuit autem nos, ut ueris bonis digni tatem hominis æstimaremus, ad ipsius tantum gloriam spectaremus, à quo solo sperանda est benefactoris compensatio, qui ueræ pietatis officia immortalibus bonis & beatis remunerat. Religiosus est ergo, qui sese totum purũ seruat ab omni huiusmodi contaminatione, totum se diuinæ consecrat uoluntati, uerisq; incumbit uirtutibus.

CAPVT II.

1 FRatres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem domini nostri Iesu Christi gloriæ.

Scopum huius epistolæ intendit, mortuam & non ueram fidem esse quæ sit sine charitate, commode quoq; principium huius capitis connectit superioribus. Nam cum dixisset, ueram religionem esse orphanos inuisere, per contrarium nunc taxat hypocritas, qui spretis pauperibus, & neglecta charitate, di-

uites

uites & huius mundi potentes in pretio habebant, à quibus uel lucelli uel gloriæ quidpiam sperare licuit. Et quemadmodum ipsi intus fide & charitate uacabant, ita & proximos non ex uerís animi bonís, sed ex fucatis & fallacibus fortunæ rebus æstimabant. Dicit ergo, Ne habeatis fidem, id est, ne putetis uos habere fidem domini nostri Iesu Christi glorioſam, fallimini opinione uestra, quum charitatem non habeatis. Hanc uos non habere, id planè arguit, quod respectum habetis personarum, cum quo nec fides nec charitas conueniũt. Personas autem respicere, est oculos & animum in externum hominis habitum defigere, eumq; ex hoc uel æstimare uel cõtemnere. Ex hoc respectu ei deferre, metuere uel amare, inq; gratiam illius cõmittere quod fas non est. Quoniam autem deus humilibus gaudet, ab omni fastu mundi abhorrens, huius rei uiuum exemplar in Christo Iesu filio suo proposuit: qui cum diues esset, pauper pro nobis factus est: quumq; omnium rex esset, seruus pro nobis esse elegit, ut disceremus humiles esse & pauperes: nec mirari nec amare quæ mundus miratur & amat. Pro omnibus ex æquo mortuus est Christus, & omnes ex æquo uocantur ad immortalitatis hæreditatem.

2 Etenim si introierit in conuentum uestrum uir aureum annulum habens, in ueste candida, introierit autem & pauper in sordido habitu, & intendatis in eum qui indutus est ueste præclara, & dixeritis ei, Tu sede hic bene: pauperi autem dicatis, Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum. Nónne iudicatis apud uosmetipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquarum?

Arguit fidem & charitatem abesse, ubi personarum sit acceptio: & fœdus amicitiæ quod inter Christianos constare debet, irritum fieri, ubi ex affectu carnis diues pauperi præferatur. Fides enim Christiana longe augustior & glorioſior est, q̃ ut sese adulando, uel sua tantum quærendo commoda, tam turpiter demittat, & diuitum fauorem eblandiatur. Hanc autem saluberrimam doctrinam, exemplo satis aperto declarat ac probat, morem simul adulatorum indicãs, & diuitum uanitatem ac fastum. Olim ingenui homines, & qui rebus bene gestis præclari erant, uirtutum insignijs ornabantur: ubi non ex splendore & fortuna, sed solida uirtute honores ac merita decernebantur. Nostra tempestate inani maiorũ stemmate quidam se uenditant, solis titulis gloriantes, quum ipsi interim ab auita uirtute & probitate longissime degenerent. Quę res longe pernicioſissima omnium rerum publicarum, statum, tranquillitatem ac salutem eneruat & subruit: quum scilicet non ex recte factis, sed ex stultis titulis & opibus, æstimati homines stulti, ad rerum gubernacula admouentur, in quibus potius relucere, & quos cõmendare oportebat fidei synceritas, animi modestia, zelus iustitiæ, amor reipublicæ, sobrietas, castitas, sapientiaq; insignis, & rerum experientia, odium quoq; auaritiæ & dissensionis. Quæ uere magnum ac splendidum reddunt uirum.

5 Audite fratres mei dilectissimi, Nónne deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni, quod repromisit deus diligentibus se? Vos autem exhonorastis pauperem. Nónne diuites per potentiam opprimunt uos, & ipsi trahunt uos ad iudicia? Nónne ipsi blasphemant bonum nomen, quod inuocatum est super uos?

Latius argumentum institutum prosequitur, haud obscure indicans de quibus pauperibus & diuitibus loquatur, utrorunq; ingeniũ & mores graphice de-

pingens. Neq; enim diuites & pauperes simpliciter dicit, sed notas certas adficiens per quas sensus fiat clarior: ut cum pauperes nominat, Huius mundi addit: pauperes scilicet spiritu. Mox fide diuites, Fide, inquit, & regni hęredes, quod electis promisit: non simpliciter regibus & opulentis, sed ijs à quibus uere diligitur, quicunq; fuerint illi, siue serui siue liberi, siue diuites siue tenues. Et uos inuitato diuite ad honorificum consessum, paupere ad ima subsellia relegato: prætulistis eum qui deo est uilior: & contemptui habuistis eum, qui deo & diues est, & honoratus. Illi habitus est honos, qui fortasse diuitijs, fraude aut rapina partis sese uen dítat. Hic cõtemptus est, qui pauper esse maluit, q̃ cum iactura pietatis ditescere, qui exhaustis in pauperum subsidia diuitijs, ultro pauper factus est, ut pietate ditescere. Non est quidem impius, quisquis diues est: sunt enim qui diuitijs affluentibus, non cor apponunt, non seruiunt diuitijs, nec sperant in eis, habentq; quasi non habeant: utũtur diuitijs non ut domini, sed ut dispensatores: sed hij sunt admodum rari. Haud autem temere diuitibus huius mundi conuenit cum euangelica pietate, uerum ex hoc hominum genere potissimum existunt, qui repugnant euangelio Christi. Nam qui sunt tandem qui tyrannidẽ exercent in uos odio pietatis? nónne diuites? Qui sunt qui uos peragunt reos, & pertrahunt ad tribunalia? nónne diuites potissimum? Qui sunt, qui male loquuntur & execrantur sanctum nomen domini nostri Iesu Christi, per cuius inuocationem uos assequuti estis salutem, & in quo gloriamini? nónne diuites? Qui in tantum non fauent uestræ professioni, ut nomen quod uobis est salutiferum & adorandum, illis sit exitiabile & abominandum.

4 Si tamen legem perficitis regalem secundum scripturas, Diliges proximum tuum sicut teipsum, bene facitis: si autem personam accipitis, peccatum operamini, redarguti à lege quasi transgressores.

Per gradus quosdam sese subinde clarius exponit, ostendens authoritatem et dignitatem præcepti. Regalem legem dicit uel regiam, præceptum de charitate, quoniam ea summa est & præcipua, reliquas omnes in se complectẽs. Hinc Paulus omnia præcepta in charitate summatim comprehendit, & in uno omnia comprehendi ait: sicut & Iacobus infra dicit, omnium esse reum, qui in uno offenderit. Sic ergo uult dicere hoc loco, Præmium insigne constitutum est ei, qui præceptũ dei factis pręstiterit, quod illum latere non potuit. Illud autem huiusmodi est, Diliges proximum tuum sicut teipsum. An proximum ad hanc regulam diligit, qui pio pauperi præfert diuitem impium? Euangelica lex charitatis lex est: quicquid aduersus hanc committitur, etiamsi non sit nominatim uetitum, tamen peccatũ est, & uos ipsa lex tacite redarguit, quæ præcipit omnibus & in omnibus diligẽdum proximũ tanquam seipsum, & procul abesse fidelibus acceptionem personarum inter fratres.

5 Quicunq; autem totam legem seruauerit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Qui enim dixit, Non mœchaberis, dixit &, Non occides. Quod si nõ mœchaberis, occides aũt, factus es trãsgressor legis.

Quisquis à charitatis regula deflectit, legis transgressor conuincitur. Neq; uero sibi quisquã ita blandiatur, Leue est admissum, hac parte duntaxat lex est uiolata: imò lex euangelica talis est, ut nisi tota seruetur, tota uideatur esse uiolata. Cum enim summa totius legis contineatur in charitate dei & proximi, quisquis excidit à charitate, quę radix est totius legis, nimirum totam legem uiolauit, legis

authorem deum offendit, incidit indignationem, & reus factus est iræ dei: hacte-
nusq; factus est omniū reus, quod qui semel aberrauit à scopo totius legis, quod
quidē in ipso est, aberraturus uideatur, quoties se dederit occasio. Veluti si quis
in tenebris ambulat, non refert in dextrum aberret an in sinistrum, certe cuilibet
errori expositus est, qui semel excidit à luce. Neq; leuiter offendit deū, qui legem
illius ausus est aliqua in parte uiolare. Qui semel præcepit charitatē, semel eadem
opera uetuit quicquid pugnat cum charitate proximi. Etenim qui legem tulit,
Ne mœcheris, idem statuit, Ne quem occidas. Quod si abstinueris quidē ab adul
terio, cæterum perpetraris homicidium, an ideo nō uiolasti totam legem? Quod
una in parte uiolasti, idem utrunq; uetuit & eadem de causa uetuit; nempe quia
domino displiceat, & quod aduersetur charitati proximi. Sed non ea tantum ue-
tuit quæ legibus puniūtur, etiam ethnicorum, ueluti furtum, homicidiū, & adul-
terium, sed omnia prorsus quæ dissident ab euāgelica charitate, siue id fiat uolun
tate, uerbo uel opere, trāsgressor eīm legis dicet & erit. De pœna nihil hic dicitur.

Sic loquimini, & sic facite, sicut per legem libertatis incipientes iudica 6
ri: iudicium enim sine misericordia illi qui non facit misericordiam: super
exaltat autem misericordia iudicium.

Sic loquimini, & sic omnem uitam uestram componite, ut cum tempus iudi-
cij appetierit, lex nihil iuris in uos habeat, sed à lege sitis liberi: quod tum fiet, cum
fide in Christum syncera firmati, & immoti contra hostis impetum steteritis, ne di
gitū latum cedentes, nihil unq; uel tantillum cōtra legem admissuri. Quandoqui
dem aūt de iudicio mentionē fecerat, simul indicat qua uia quis effugere iudiciū
possit, idq; ratione forti, quo simul ad charitatem & misericordiam prouocet du-
ros & immisericordes. Iudicium absq; misericordia, inquit, habebit, qui misericor
diam non præstiterit. Hanc sententiam Christus tulit, quum inquit, Sic & pater
meus cœlestis faciet uobis, si non remiseritis quisq; fratri suo de cordibus uestris
delicta illorum. Et alibi, Remittite, & remittetur uobis. Qua enim mensura men-
si fueritis, eadem remetietur & uobis. Qui ergo peccatorum remissionem à deo
petit, ipse quoq; fratribus remittat offensas. Porrò quod dicitur, Superexaltat mi
sericordia iudicium: quod alij transferunt, Misericordia gloriatur aduersus iudi-
cium: hunc habet sensum, Misericordia recte facta, superat & excellit. Misericor-
dia & charitas iustitię præstat, ut præstabilius sit deflectere, ut misericordię quàm
ut iudicio nitamur. Cum eīm penè totum sit misericordiæ diuinæ quod habemus,
magis q; iustitiæ: potius adnitendum est, ut deum misericordem q; ut seuerum ex
periamur. Ille nos seruauit sua misericordia, æquum est & nos uicissim erga pro-
ximum ad misericordiam q; ad seueritatem esse propēsiores. Nec enim paulò plu
res colliguntur lenitate, clementia, beneficentia, q; austeritate, ut hoc nomine me
rito glorietur misericordia, præferens sese iudicio: quod qui iudicium experti fue
rant perituri, misericordiæ beneficio seruantur. Nemo nostrum non labitur quo
tidie, talem experturus deum in condemnandis admissis suis, qualem se præstite
ritis erga fratrem suum.

Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem 7
non habeat? Nunquid poterit fides saluare eum?

Nihil minus hic sanctus apostolus Iacobus dicere uoluit, q; opera iustificare,
maxime, si à fide seiuncta fuerint. Atq; hic à multis in utranq; partem peccatur.
Alij enim fidem ab operibus separant, qui ex lege & legis operibus iustitiam quæ
runt, ut faciunt Iudæi, & hypocritæ; & hi ad dexteram aberrant, Christi gratiam

spernentes, imò Christi meritũ non agnoscentes. Alij uero fidei charitatis opera adimunt, inani tantũ fidei uocabulo gloriãtes, quum interim non Christo, sed libi uiuant & mũdo, libertatem Christi uelamen scelerum suorum faciunt, rursus crucifigentes sibimetipsis Christum, & sanguinem eius pedibus conculcantes, et ludibrio exponẽtes, sues scilicet & porci, rursum ad cœni uolutabrum redeuntes postquam fuerint loti: & hi ad sinistram declinant. Porrò inter hos electi dei filij, regia uia inter metum & spem incedunt, morbum suum humiliter agnoscentes, unde in eis generatur peccati horror & pudor, salutis desiderium excitatur. Rursus quum charitatem illam pientissimi patris, qua eos ab æterno complexus est, perpendunt, & quod illorum gratia filium unigenitum in hunc mundum misit, fiduciam certam & spem in deum concipiunt, in quem se totos conijciunt. Summa illis cura est, ut patrem tam beneficum nusquam offendant, sed ut ad uoluntatem illius se totos componant, mundo sint mortui, & deo uiuant. Hæc uero fides quoniam ex deo est, per spiritum sanctum in corde credentium excitata, sine charitate esse non potest, quæ se in usus proximorum totam effundit: & ita filios dei accendit, ut patrem suum in cœlis beneficentia in omnes referant. Apostolus ergo Iacobus, quum fidem iustificare negat, non de uera illa & efficaci, perq; charitatem operante intelligit, cui in scripturis iustificatio & salus tribuitur, sed eam quam iactant quidam, quæ non est fides, sed potius opinio, taxat. Quam & idcirco mortuam fidem appellat, quod charitate, quæ uera uita est, careat. Mortua autem fides dicitur, quod simulachrum fidei sit, non fides uiua: quemadmodũ mortuum corpus hominis nomine appellatur. Hanc ob causam prudenter dicit, Si dicat quis se habere fidem &c. Non dicit, Si quis habet fidem, non potest eum saluum facere. Fidei ergo ueræ, de qua Christus loquitur, Qui credit in me, habet uitam æternam, & quæ tantam laudem obtinet in scripturis, nihil derogat, sed in simulatores, & sterilis fidei iactatores, inuehitur.

8 Si autem frater & soror nudi sint, & indigeant uictu quotidiano, dicat autem aliquis ex uobis illis, Ite in pace, calefacimini & saturamini, non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? Sic & fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa.

Res uiuida charitas est, non cessat, non est otiosa, exerit sese benefactis ubicunq; adest. Quæ si desit, fratres mei, quæso an inanæ fidei nomen seruabit hominem? Infrugifera fides est, quæ per charitatem nõ operatur, imò titulotenus dumtaxat fides est. Quod dixi, clarius fiet exẽplo collato, Si quis fratri aut sorori, cui uestis desit aut uictus quotidianus, dicat blandis uerbis, Abite cũ pace, dominus uobiscum sit, donet uos necessarijs, calescite & saturamini. Atq; hæc loquutus nihil dederit eorum quæ corpori sunt necessaria, nónne huius blandiloquentia inutilis erit egentibus? Nihilominus algebunt aut esurient ob huius orationem, quæ necessitati non opitulatur: uerbotenus quidem subleuat, re nihil præstat. Sic nimirum inutilis erit fidei professio, quæ uerbotenus cõstat, neq; quicquam agit, sed ueluti mortua torpet: neq; magis est dicẽda fides, q̃ cadauer hominis hominis uocabulũ. Quod corpori est anima, hoc est fidei charitas: hac igitur subducta, mortua quædam & inefficax res est fidei uocabulum. Neq; magis tibi profuerit apud deum, ore profiteri fidem otiosam, q̃ proximo egenti oratio blanda, quum re fuerit subleuãdus. Rideri se putant quibus dicis, Saturamini, calescite, quibus nec uestis datur neq; cibus. Ita deum ridere uidetur, qui quotidie repetit, Credo in deum, cui nulla præbeat argumenta fidei.

Sed

Sed dicet quis, Tu fidem habes, & ego opera habeo, ostende mihi fi- 9
dem tuam sine operibus, & ego ostendam tibi ex operibus meam fidem.

Non docet quod quis sic dicere debeat, aut separare fidem ab operibus, aut opera esse sine fide; sed exempli gratia duos fingit, quorum alter dicat se habere fidem quam factis nō exprimat: alter qui fidem habeat operibus ornatā, qui prio- rem ijs uerbis compescat, Tu quidem fidem habes, ut tibi quidem uidetur, ego ue- ro non solum fidem, sed & opera fidei habeo, atq; hanc meam fidem tibi ex operi- bus certo demonstrare possum. Tu uero fidem tuam si quā habes, & mihi ex ope- ribus ostende, & crediderim te fidelem esse: quod si non potes, conuincam te fi- dem utcunq; eam iactes, nequaquam habere. Impossibile est enim ut fides uera opera charitatis non proferat. Et fidei natura est, ut per charitatem operetur, ut ignis natura est, ut luceat & ardeat. Quicūq; ergo siue Christus siue apostoli fidei salutem & æternam uitam tribuunt, de fide efficaci & per charitatem operante lo quuntur. Qui uero fidem sufficere negant, ut Iacobus & Chrysostomus, de inani & mortua fide intelligunt & loquuntur, de qua gloriātur hypocritæ. Quod enim in arbore sunt flores & frondes, hoc in nobis sunt officia charitatis: quę si prorum punt suo tempore, declarant arboris radicem esse uiuā, cuius succo aluntur. Pro- inde ita demum proderunt benefacta, si non præstantur ad inanem gloriam, non ad humanam gratiam, non ob metum aut pudorem, non spe lucri, sed ex fide uiua, quæ nobis persuasit, deo præstari quicquid præstatur ob ipsum proximo, nec alio q; ab illo sperandum esse præmium.

Tu credis quod unus est deus, bene facis; & dæmones credūt, & con- 10
tremiscunt.

Tu tibi places, quod persuasum habeas unum esse deum, cum error pagano- rum credat innumeros esse deos, recte facis, nā isthoc nomine præcellis. Sed fru- stra credis esse deum, & esse deū unum, nisi sic credas, ut ab illo salutē speres, con- sequaris. At id non facies, nisi fidei iungas uel iunctam ostendas charitatem, & ijs ex fide operibus testeris, & quod credis, & quod amas. Si deū credis esse, cre- de & salutis authorem esse, crede promissis illius: & ita uiuas, ut illius dignus ui- deari promissis. Promisit misericordiam, sed ijs qui hic misericordiam suam exer cent in proximum dum possunt; promisit uitam æternam, sed ijs qui huius mun- di gaudia spernunt. Ita non solum credes unum esse deum, sed omnem fiduciam in uno illo collocabis, alioqui quis erit fructus credulitatis tuæ? Dæmonia quoq; credunt esse deum, credunt Iesum Christum esse filium dei, & adeo credunt, ut contremiscant. Sed quoniam credunt tantum, non etiam amant, supplicium ab il lo metuunt, præmium non sperant, & iustum sentiūt, misericordiam eius sentire non merentur, cum ipsi crudeles sint in alios. Contrà autem, pij homines & ange li lucis æternæ, radijs non tantum illustrantur, sed accenduntur, transformātur, ac noui quidem homines fiunt; cognitum deum ut patrem amant, colunt, uene- rantur, tremūt, ad sermones eius metuunt quidem, sed ne tantum benefactorem & patrem offendant, omnem fiduciam in eum collocant, ab ipso toti pendent, se- se totos in hunc conijciunt.

Vis autem scire, ô homo inanis, quoniam fides sine operibus otiosa 11
est? Abraham pater noster nónne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? Vides quoniam fides cooperabatur ope- ribus illius, & ex operibus fides consummata est? Et suppleta est scrip-

tura, dicens, Credidit Abraham deo, & reputatum est illi ad iustitiam, & amicus dei appellatus est. Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum?

Exemplis stringit hypocritas, & uanã fidem explodit. Si, inquit, adeo stultus es, ut adhuc tibi blandiaris inani fide, age, proferam exemplum familiarius ac notius, quod te doceat, inutilem ac mortuam fidem, quæ per dilectionem non operetur. Abraham quo generis authore potissimum gloriamur, primam ac præcipuam fidei laudem meruit apud deum, à quo tributũ est illi iustitiæ elogium, sed in hoc fides nequaquam sterilis fuit. Neq; enim solum ore professus est, se illius promissis fidere, uerumetiam non dubitabat Isaac unicũ filium altari impositum mactare, iubente deo, cum iuxta naturæ ordinem non aliunde sperari posset illi posteritas, sed fretus dei promissis, quem sciebat & mortuos reuocare in uitam quum libet, nihil cunctatus est peragere quod iussus erat. Ex factis igitur iustitiæ laudem meruit, sed quæ ex fide proficiscerentur. Sunt enim & operæ legis Mosaicæ, quibus frustra fidunt, qui sunt expertes euangelicæ fidei. Quid autem non facturus erat egregius ille patriarcha, qui promptus & alacer accedit ad mactationem unici filij Isaac, quem eo etiam tenerius diligebat, quod in extrema sua senectute esset natus, quodq; huius nomine promissa esset felix illa posteritas? Pronũciatus est iustus, & antequam immolaret, sed à deo, qui nouerat uiuam & efficacem senis fidem nihil recusaturam, si dedisset occasio, ergo res utraq; alteri fuit auxilio, fides addebat animum, ut non trepidaret immolare filium, quem non dubitabat mox iussu numinis reuicturum, sed factum insigne ueluti colophonem imposuit: etiam apud homines declarans, Abrahæ fiduciam nec mortuam esse nec uulgarẽ. Neq; enim fingit neq; dubitat, qui non contatur in unico filio unice charo periculũ facere. An grauetur pecuniã pro Christo negligere, qui filium patri chariorem q̃ ipse sit sibi, promptus ducit ad mortem? Ex hoc igitur tam insigni documẽto fidei profectum esse constat quod dixit scriptura, Credidit Abrahã deo, & imputatum est illi ad iustitiam, & amicus dei uocatus est. Quod si Abraham fidei fructum & iustitiæ laudẽ amissurus erat, si grauatus fuisset ad dei iussum immolare filiũ, an illi proderit sua fides, qui iubente deo, grauatur impertiri uestem algenti proximo? qui grauatur impertiri cibum esurienti, potũ sitienti, quasi deus passurus sit eum perire frigore aut fame, qui de suis facultatibus aliquid erogarit in fratris necessitatem? Porrò si priscis illis non contigit laus iustitiæ, nisi factis fidem comprobantibus, multo minus id sperandum est ijs, qui perfectæ charitatis legem profitentur. Quod autem dicit, Abraham filium obtulisse, eatenus uere dicit, quod enim ad uolũtatem eius pertinet, obtulit filium, nisi angelus domini intercepisset. Sic enim facere aut perficere uoluntatem dei pij dicuntur, quum diuinæ uoluntati ex corde assentiunt & student, & ad hanc perficiendam sponte accinguntur, quantumuis carnem sentiant reclamantem spiritui.

12 Similiter & Raab meretrix, nónne ex operibus iustificata est, suscipiens nuncios, & alia uia eijciens? Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.

Tantum ualet apud deum misericordia & beneficentia in proximum, ut mulier, ut meretrix, ut alienigena hospitalitatis officio commendata, meruerit in catalogo piorum, in catalogo ciuium, in catalogo probatissimorum patriarcharum annumerari. Raab Iudæa non erat, meritorio diuersorio præfecta erat, quæstu non

non admodum probato uictum parans, & tamen in diuinis libris iustitię laudem promeruit, non ex fide tantum, quod persuasum haberet deo remuneratore nulli sua benefacta perire, præsertim quod in bonos, aut certe dei respectu conferretur, sed ex eo quod contempto periculo uitæ suæ, exploratorum uitæ consuluit, quod nuncios, quos exploratum miserat dux Israelitarum, ne perirent furtim alia uia emiserit. Poterat inire gratiã non mediocrem apud suos, si, quod ipsi erat in manu, prodidisset exploratores, sed maluit seruire uoluntati diuinæ q̃ suo compendio: necp̃ diffidebat, quin ab illo præmium copiosius penderetur q̃ ab hominibus. Quemadmodum igitur Abraham non ex fide nuda iustitiæ laudem promeruit, sed ex fide factis comprobata: ita & Raab frustra credidisset deum Israelitarum esse uerũ deum, nisi, cum esset obiecta occasio, factis declarasset sese ex animo credere: alioqui fides, ut dixi, quæ friget absq̃ charitate, nec se profert quum res postulat, ne fides quidem est, tantum est inane fidei nomen. Etenim quemadmodum corpus anima destitutũ mortuum est & inutile: ita fides, si desit charitas non otiosa, mortua est & inefficax.

CAPVT III.

1 Nolite plures magistri fieri, fratres mei, scientes quoniam maius iudicium sumitis.

Hoc capite eos præcipue taxat, qui ad magistratũ docendi officium adspirant, ad docendum q̃p ad faciendum magis cupidi. Interim per egressionem linguæ malum (quod supra Paulũ delibarat) latius prosequitur. Postremo à contentione & zelo amaro ad spiritus mansuetudinem auocat. Magna est humanæ linguæ utilitas, si quis ea doceat & loquatur quæ pertinẽt ad ueram pietatem, periculosa tamen est functio, doctoris obire munus, & hominem requirit, primum insigniter eruditum in his quæ sunt euangelicæ doctrinæ, deinde purgatissimis affectibus, cuiq̃ non satis sit docere recta, sed qui nõ aliò spectet, q̃p ad Christi gloriã. Talis doctor, ut plurimũ prodesse ualet, si quod docet etiã amet: ita cuius doctrina & animus est corruptus prauis cupiditatibus, odio, ira, uindicta, auaritia, ambitione, libidine, magno plebis exitio doctoris locũ occupat. Proinde fratres mei, nepassim ambiatis esse magistri. Tutius est auscultare q̃p loqui. Et pauci doctores sufficiũt pluribus eruditis. Proinde q̃ locũ episcopi ac doctoris capessit, etiam atq̃ etiam semetipsum excutiat, an par sit oneri suscipiẽdo, atq̃ illud in primis secum cogitet, quod prouinciam aggreditur ingenti obnoxiam periculo, rationem exactissimam redditurus supremo iudici, si secus docuerit q̃p oportet. Siquidem huius sermo hoc latius ac periculosius spargit suum uenenum, quod authoritate dicentis commendetur.

2 In multis enim offendimus omnes. Si quis in uerbo non offendit, hic perfectus est uir, potens etiam freno circundare totum corpus.

Nihil difficilius q̃p sic undiq̃ moderari linguam, ut nunquam labaris. Etenim cum ea sit humanæ naturæ infirmitas, ut nemo non quotidie labatur in multis, si quis linguæ lapsus omnes uitare potest, hic uir perfectus uideri possit & idoneus, qui totum etiam corpus ueluti rationis freno moderetur, posteaquam membrorum illud maxime lubricum potuit cohibere, ne quid peccet. Ab hoc periculo longius abest, qui mauult discipuli q̃p doctoris uicem gerere. Est aliquid impetrare uentri, est nonnihil temperare oculis atq̃ auribus, est aliquid continere manus, sed omnium difficillimum est, perfecte moderari linguam. Pusillum est membrorum lingua, sed à quo ferè pendeat corpus uniuersum. Efficax quædam ac prę-

potens res est hominis oratio, siue ad utilitatem, siue ad perniciem multorum, penetrat enim in animos auditorum, inserit aut exerit pestilẽtes opiniones, excitat aut sedat odia, commouet ad bella, componit ad pacem, & auditorem huc aut illuc impellit.

3 Si autem equis frena in ora mittimus ad consentiendum nobis, omne corpus illorum circunferimus. Et ecce naues cum magnæ sint, & à uentis ualidis minentur, circunferuntur à modico gubernaculo, ubi impetus dirigẽtis uoluerit. Ita & lingua modicum quidem membrum est, & magna exultat (uel iactat.)

Sic frenos equis in ora immittimus ut nobis obediant, ac exiguo ferro totum corpus beluę pro nostro arbitratu circumagimus. Quod os frenatum sessori, hoc lingua domita homini. Videte quantæ sint nauium moles, heæ cum passis uelis miro impetu uentorum rapiantur in undis, tamen minimo gubernaculo circumaguntur quocunq; naucleri temonem regẽtis animus inflectere uoluerit: impelit arte clauum, & tam ingens illa moles sentit minimę partis imperium. Non est igitur contemnenda linguæ moderatio: pusillum est membrum, sed turgidum & iactabũdum, lateq; miscens exitium, & ingentes excitans tumultus, ni freno animi cohibeatur. Hęc totos populos, tota regna inter se committit. Libet intueri similimum exemplum.

4 Ecce quãtus ignis, quàm magnam syluam incedit. Et lingua ignis est, uniuersitas iniquitatis.

Vnde sæuum illud & latissime uolans incendium? ex una scintilla natum est: ea initio minimo negotio poterat opprimi, neglecta colligit undiq; uires, et eò tandem euadit, ut nulla ui possit obrui. Vt autem ingens ac uarius est usus ignis, si recte adhibeat, summa pernicies, si sinatur quò uolet euagari: ita ex hominis linguæ plurima utilitas, & ex eadem extrema pernicies humanæ uitæ. An non uidetis hoc ipsum naturæ opificem significasse, qui linguam hominis & specie & colore ignis esse uoluerit, nec aliter uolubilem ac rotatilem q̃ est flãma? Nec tamen in hoc simplex est malum, uelut in alijs fermè mẽbris. Mundus est & cõgeries uirium omnium. Quemadmodum enim exigua scintilla ueluti seminarium est totius incendij: ita quicquid est malorum in uita, ex mala lingua uelut è mundo promitur.

5 Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis nostræ, inflammata à gehenna.

Quemadmodum materiarum aceruo miscetur paulum ignis, ut paulatim totam congeriem incendio misceat: ita lingua sic admixta est membris corporis, ut nisi coërceatur, inficiet & inquinet sua luce corpus uniuersum, totamq; hominis uitam, ab incunabulis ad extremam usq; ætatem inflammet, omnium uitiorum incẽdio. Porrò uim huius mali nõ illi indidit natura, quæ uallo dentiũ & maceria labiorum admonuit, oportere linguæ usum circumspectum esse ac moderatum, sed afflata est ex igni gehennæ, unde primũ per impios spiritus inficitur animus, & animi lues per organum linguæ prorumpit in maius, & hominem è malo reddit pessimum, ac pestis contagio corripit & cæteros, sic ut nulla ui, nulla ratione possit cohiberi malum impotens.

6 Omnis enim natura bestiarum, & uolucrum, & serpentũ, & cetorum domantur,

domantur,& domita sunt à natura humana, linguam autem nullus hominum domare potest,inquietum malum,plena ueneno mortifero.

Quid est usquam tam impotens,quod non aliqua ratione mãsuefaciat humana cura? Nulla est fera tam fera,nulla est auis tam immanis,nullus serpẽs tam pestilens, nulla maris belua tam immitis,quin hominum ingenio beneficijs q̃ mansuescat. Cicurãtur leones,mansuescunt tigrides & dracones, seruiunt etiam elephanti,subiguntur etiam crocodili,mitescunt aspides,redduntur familiares aquilæ & uultures, ad amicitiam etiam alliciuntur delphini. Nulla adhuc ratio, nulla ars reperta est mortalibus,quæ linguam intemperãtem domaret, cum & olim domitum sit,& quotidie dometur omne genus animantium, quotquot habet terra, quotquot mare,quotquot aër,usq; adeo malum hoc est efferum ac uiolẽtum, nec impotens modo, uerumetiam letali ueneno tinctum. Vnguibus ac dentibus sæuiunt leones,at uenenum non habent. Veneno sunt armatæ uiperæ, cæterũ nec habent ungues nec cornua. Sola lingua gemino modo noxia est, & feritate insuperabili,& ueneno letali, quod procul etiam afflat quibus uult, cum scorpij non lædant,nisi caudæ cuspide ictos: uipere non lædãt,nisi infixo denticulo fistulato. Atq; hæc pestis minus esset formidabilis, si simplex foret, & unico modo noxia. Nunc uarium est malum,& in omnẽm se uertẽs speciem,quo grauius ac facilius lædat,sæpe nocentius,cum boni speciem præ se fert. Nihil melius,nihil apud omnes commendatius pietate. Huius prætextu lædit potissimũ,ea miscens quæ non possunt cohærere. Neq; enim potest esse pius in deum,qui crudelis & maledicus est aduersus proximum.

In ipsa benedicimus deum & patrem, & in ipsa maledicimus homi- 7
nes, qui ad imaginem & similitudinem dei facti sunt. Ex ipso ore procedit benedictio & maledictio. Non oportet fratres mei hæc ita fieri.

Eodem quamlibet infecto organo laudamus deum,Patrem illum appellãtes, cum eodem uituperemus & infamemus proximum ad dei similitudinem conditum. Lingua canimus deum omniũ bonorum authorem, quum eadem summis malis affligamus hominem,quasi huius contumelia non pertineat ad deum conditorem. Deus neq; laudibus nostris honestatur,neq; conuitijs lęditur. Homo homini uel pestilens esse potest uel salutaris. Et quod in hũc præstiterimus,hoc deus putat ad se pertinere. Proinde, ne quis credat suos hymnos deo gratos esse quos lingua promit,non animo,cum eadem lingua maledicentiæ uirus euomat in proximum. Quid enim pugnatius q̃ laus & uituperium? tamen res tam diuersæ ex eodem ore proficiscuntur, atq; hæc geruntur inter impios. Inter uos,qui professi estis euangelicam simplicitatem, nõ oportet hoc eodem modo fieri,quibus turpe est aliud sonare lingua q̃ sentiat animus, qui didicistis amare deum in proximo, & proximum in deo,qui didicistis adeo neminem esse lædẽdum linguæ petulantia,ut ad exemplum Christi,iubeamini bene loqui illis,qui uobis ingerunt conuitia. Leuius autem nocens est,qui simpliciter & absq; fuco malus est. Cæterũ male dicentia pietatis imagine commendata, quid aliud est, q̃ cicuta admixta uino? quo præsentius sit uenenum,quod rei saluberrimæ miscetur.

Nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amarã aquam? 8
Nunquid potest,fratres mei,ficus uuas facere,aut uitis ficus? Sic neq; salsam dulcem potest facere aquam.

Sunt fontes scaturientes aquis salubribus, sunt q̃s gustasse mortiferũ sit,sunt

qui ſuffundant aquam dulcem ac potabilem, ſunt rurſus qui præbeant aquã amaram ſalſamq;. Nec id mirum uideri poteſt, cum per diuerſas uenas fluens liquor, calcis, aluminis, ſulphuris, alteriúsue metalli, ſeu terrę dulcis ſaporem referat. At qui fit, ut cum ex eodem corde proficiſcatur oratio, quum per eandem ſcateat linguam, adeo ſit ſui diſſimilis, cum inter tot fontium diſcrimina, nullus reperiatur, qui ſimul ex eodem ore dulcem & amaram aquam proferat? An eadem arbor diuerſi ſaporis fœtus ędit? Videte fratres mei, nũ ficus natura dulcis, producit amaras olei baccas? nũ uitis ædit ficus? minime, ſed ſuæ quiſq; arbori fructus reſpondet, & radicis ſuccũ ſapore refert. An non igitur monſtri ſimile uidetur, eundem hominem ex eodem corde, per eandem linguam pietatem & impietatem, ueritatem & mendacium, ſalutem & exitium depromere? Itaq; cum improba lingua nihil ſit pernicioſius, bona & erudita nihil ſalubrius. Cumq; rarus inuentu ſit qui membrum hoc modis oĩbus queat moderari, etiam atq; etiam è multis deligendus eſt, qui doctoris prouinciam ſuſcipiat.

9 Quis ſapiens & diſciplinatus inter uos? Oſtendat ex bona conuerſatione operationem ſuam in manſuetudine ſapientiæ.

Redit ad propoſitum, taxauerat enim eos qui magiſtri & doctores eſſe, & per hoc prudentes, ſcientes & ſapientes uideri uolebant, inter quos tamen erat zelus & contentio; interim per digreſſionem declarauit, quantum ſit malæ linguæ incommodum. Doctori eccleſiæ oportet animum eſſe ab omni cupiditatum tumultu tranquillum, & uitam ab omni turpitudine ſemotam, ut non ſolum ea doceat quæ ſunt ueræ pietatis, uerumetiam cum omni manſuetudine doceat: nam contentioſa pertinaxq; doctrina nihil aliud gignit q; factiones & diſſidia. Atq; inter huius mundi ſapiẽtes is primas tenet, qui pertinaciſſime diſputat, qui linguæ uolubilitate nulli cedit. Nec hoc agitur, ut auditor diſcedat melior, ſed ut elatior qui uicit, deiectior qui uictus eſt. Vulgus interim uariis ſtudiis inter ſe diſtrahitur, ut nec dicenti ſit ullus ſolidus fructus, nec audienti. Inter uos aũt qui philoſophiam euangelicam profitemini, quiſquis uere ſapiens eſt, & ſcientia uera præditus, ne faſtu ſermonisq; contentione declaret ſeſe ſapientem, ſed piis & integris moribus teſtetur qualis ſit potius q; uerbis. Vt enim inutilis eſt fides, ut inutilis charitas, quæ uerbotenus præſtatur: ita inutilis eſt ſapientia, quæ non prius ſe probat manſuetudine morum: hoc enim præcipuum eſt argumentum, quo liceat humanam philoſophiam ab euangelica dignoſcere. Illa moroſos, pertinaces ac feroces habet profeſſores: hæc quo ſyncerior eſt, quo præſtantior, hoc minus habet ſupercilij. Cuius præcipua uis eſt ſita non in argutiis ſyllogiſmorum, aut phaleris eloquentiæ, ſed in ſynceritate uitæ, & lenitate morum, quæ cedit contentioſis, & allicit dociles: nec aliud ſpectat q; ſalutem auditorum. Cœleſtis eſt ſapientia, hanc qui docet, mentem habeat oportet ab omnibus terrenis cupiditatibus repurgatã, è ſyncero uaſe depromatur neceſſe eſt. Cauendum tamen, ne ſocordiam & ignauiam manſuetudinis uocabulo amiciamus, ut quum maxime uelimus uideri mãſueti, negligentes, ne dicã, crudeles ſimus. Præpoſtera hæc eſt manſuetudo, mater mulctorum criminum. Pietas quoq; eſt maxima, ſcelera punire, & inſontes tueri uel diſſimulare loquendo.

10 Quod ſi zelum amarum habetis, & contentiones ſint in cordibus ueſtris, nolite gloriari & mendaces eſſe aduerſus ueritatem: nõ eſt enim iſta ſapientia de ſurſum deſcendens à patre luminum, ſed terrena, animalis, diabolica.

Si

Si habetis animos amarulenta inter uos æmulatione uitiatos, si cor habetis contentionibus & pertinaci uincendi studio inuidiaq; corruptum, cedite potius docendi munus, quàm ut gloriæ uestræ contentioniq; seruientes, mentiamini aduersus euangelicam ueritatem, quam nemo syncere tradere potest, nisi cuius animus liber fuerit ab omnibus humanis affectibus. Proinde quisquis ad hanc professionem accedit, si senserit animum suum infectum amore aut odio humano, si liuore, si studio gloriæ, si cupiditate pecuniæ, si uoluptatum amore, prius diligenter expurget intima cordis, ut ad purissimam doctrinam purus accedat. Alioqui si præteritis ijs quæ uere faciunt ad pietatem, fumos obijciũt perplexarum quæstionum, qui loquuntur ad gratiam principum, qui dicunt ad quæstum, qui doctrinam euangelicam detorquent ad uentris sui negotium, qui uenantur gloriolas humanas, qui grauem sarcinam imponunt humeris aliorum, quam ipsi digitulo nolint attingere, pro diuinis præceptis docent ceremonias & humanas constitutiunculas, qui pro philosophia euangelica tradunt nouum Iudaismum, deniq; qui seipsos prædicant uerius q̃ Christum: horum sapientia non est illa sapientia, quam pater nobis per filium demisit è sublimi, ut nos à terrenis studijs auocatos in cœlum subueheret, sed crassa est atq; terrena, & ideo terram sapit: sed animalis est, & ideo magis illa spectat quæ conducũt ad hanc uitam, q̃ ad uitam æternam: sed dæmoniaca est, quia nõ ex afflatu spiritus diuini, sed ab instinctu dæmonum, qui ea suggerunt quæ nos alienent ab euangelica syncerítate.

Vbi enim zelus & contentio, ibi inconstãtia & omne opus prauum. 11

Inter mundanæ sapientiæ professores uidetis quãta sit æmulatio, quæ pugnę, quæ dissidia, quod uincendi studium, quanta opinionum ac morum inconstãtia, & interim omnis uita omni uitiorum genere contaminata.

Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis, iudicans sine simulatione. Fructus autem iustitiæ in pace seminatur facientibus pacem. 12

Sapientia nostra ediuerso quæ & è supernis proficiscitur à spíritu Christi, primum casta puraq; est, nullis prauis affectibus inquinata. Deinde pacifica, & ab omni studio contentionis abhorrens. Ad hæc modesta, minimeq; torua, prętera tractabilis & morigera: neq; grauate cedens ei qui doceat meliora, clemens & misericors erga lapsos & errantes, quos magis studet seruare q̃ perdere, leuiter tolerans, & nihil non tentans ut resipiscant, plena fructibus bonis, dum nunquã cessat de omnibus benemereri: impios conuertens ad pacem, errantes reuocans, indoctos docens, lapsos erigens, cessantes extimulans, afflictos consolans. Nec interim quenquam damnat, sanandi q̃ damnandi studiosior, nihil habens fuci neq; simulationis, sed ex animo syncero bene uolens omnibus. Ad hunc modum, qui puram tranquillamq; serunt doctrinam euangelicam, & sibi metũt fructum uitæ æternæ, & alios ad studium uitæ cœlestis adducunt, quos erant contentionibus ac sæuitia alienaturi. Habet & mundana sapiẽtia suum fructum, sed aut inanem aut mortiferum. Cæterum fructus iustitiæ, qui confert & hic innocẽtiam, & post immortalitatem, non seminatur per contentionem, sed in cõcordia paceq; ijs qui pacem amplectuntur. Neq; enim boni doctoris est, odiose digladiari cum ijs qui uidentur obstinatiores, quàm ut uideantur obtemperaturi euangelicæ doctrinę. Hos præstat suæ pertinaciæ relinquere, si spes non est fore ut resipiscant.

CAPVT IIII.

1 Nde bella & lites in uobis? Nónne ex concupiſcentijs ueſtris, quæ militant in membris ueſtris?

Omnibus modis adnitendum eſt uobis, ut concordibus animis agatis. Atqui id fieri non poteſt, niſi cupiditates mundanas, cõcordiæ peſtem, & diſſidiorum ſemina, penitus ex animis ueſtris exigatis. An negabitis uos eſſe cupiditatibus huiuſmodi obnoxios? Vnde igitur bella? unde pugnæ ac lites inter uos? unde contentionum ac diſſidiorum tumultus? Pacem ac concordiam uos docuit Chriſtus, & unde diſſenſio, niſi ex eo quod magis ſeruitis líbidíni cupiditatũ humanarum, quàm charitati euangelicę? Eæ niſi militarent, & exercitum ducerent in membris ueſtris, neq; lingua proximum laceraret, neq; manus fraudaret fratrem. Adhuc ueteris uitæ reliquiæ deprehenduntur in uobis, nondum exuiſtis totum hominem ueterem, alius concupiſcit gloriam, alius inhiat lucro: hic ſtudet regno, ille uoluptatem uenatur.

2 Concupiſcitis, & non habetis: occiditis & zelatis, & non poteſtis adipiſci: litigatis & belligeratis, non habetis, propterea quod non poſtulatis. Petitis & non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiſcentijs ueſtris inſumatis.

Multa ſimul uitia aggreditur. Primum autem uitiorũ omnium radicem concupiſcentiam, quæ poſtquam animum incenderit, ut petat quæ adipiſci non poteſt, inuidentiã & æmulationem parit. Dum, inquit, nõ aſſequímini quod quiſq; uehementius appetit, protruditis competitorem, inuidetis aſſequuto, decertatis cum eo qui uidetur aſſequuturus. Animo diſcruciamini, uarijſq; curarũ tumultibus diſtrahímini, dũ quod impenſe petitis, nõ poteſtis aſſequi. Ita nec unicuiq; ſecum pax eſt, neq; cum alio. Cupiditates tumultuantur in pectore, lingua, manus, cæteraq; membra pugnant ac belligerantur foris cum proxímo. Atqui interim neq; ſatisfit cupiditatibus ueſtris inſatiabilibus, & à ueris bonis excidítis. A deo poſtulandum erat ſi quid opus eſſet, aut ſi quid ad ueram felicitatem pertineret. A mundo petitis, quod à deo petendum erat: ab hoc aut non petitis, aut ſi petitis, non petitis quod oportet, neq; quomodo oportet. Siquidem aut petitis noxia petitis pro ſalubribus, aut petitis diffidẽtes, aut in uſum ímpium petitis: nimirũ ut quod ex benignitate contigiſſet ad ſubleuãdam uitæ neceſſitatem, aut ad egeſtatẽ proximi refocillandam, id explendis uoluptatibus ueſtris inſumatis. Cum iſta facitis, quo tandem nomine uos compellabo? Chriſtianos? Facta ueſtra reclamant, titulum Chriſtianorum audio, cæterum adulterorum & adulterarum facta uideo.

3 Adulteri, neſcitis quod amicitia huius mundi inimica eſt dei? Quicunq; ergo uoluerit amicus eſſe ſæculi huius, inimicus dei conſtituitur.

Semel addicti eſtis ſponſo Chriſto, ſemel in illius uerba iurastis, ille uos redemit à tyranníde uitiorum, ille uos ſuo ſacroſancto ſanguine purgauit, ut ſibi exhiberet ſponſam immaculatã. Et quomodo profeſſionis obliti, obliti beneficij ſponſi, obliti fidei coniugalis, in adulterinos huius mundi amores relabamini? An neſcitis deum zelotypũ eſſe amatorem? Totus amari uult, ſolus amari uult, non patitur mundũ riualem, à cuius amore uos tanto pretio uindicauit, ſolus ille ſufficit ad omnia præſtanda. Quid igitur eſt, quod à mundo petatis partem ueſtræ felicitatis? An neſcitis quod deus odit utroq; genu claudicantes? Non tolerat ille ſeruum non contentum unico ſe domino. Quis eſt maritus tam patiens, qui ferat amicum

amicum rivalem in uxoris consortium? Et uos existimatis fieri posse, ut simul & mundo placeatis & deo? An non intelligitis, quod quemadmodum sponsa, si se iunxerit adultero, protinus excidit ab amore mariti: ita Christianus, si denuo tenet amicitiam habere cum mundo, protinus suscipit inimicitiam cum deo, cui nihil conuenit cum mundo. Illud igitur habete certum, quicunq; studuerit esse amicus huius mundi, is eadem opera reddit sese inimicum deo. Nihil est commercij luci cum tenebris, nihil deo cum Belial. Sponsus homo non fert sponsam cũ adultero colludentem, non patitur diuidi connubiales amores, & tamen duxit dotatam, duxit ingenuam, duxit rebus integris, Christus sponsam suam, quam seruauit ab exitio, quam asseruit à seruitute, quam abluit à peccatorũ sordibus, quam uestiuit nudam, quam tot donis gratuitis abũde dotauit inopem, rursus patietur cum diabolo adultero habere commercium?

An putatis quod inaniter scriptura dicat, Ad inuidiam cõcupiscit spi- 4
ritus qui habitat in uobis? Maiorem autem dat gratiam.

Hæc uerba in scripturis diserte non leguntur, quamuis quod ad sensum attinet in scripturis contineãtur. Nihil petendũ à domino, nisi quod deo sit dignum, idq; cum instantia magna, & sine cessatione uel fastidio, ut habet Psalmista infinitis locis. In lege Mosaica nonnihil dabatur humanis affectibus, licebat odisse inimicum, fas erat studere parandis opibus, non habebatur iniustus qui uim ui, qui conuitium conuitio retudisset. Sed spiritus Christi, qui nunc habitat in uobis, zelotypus est: &, ut ita loquar, inuidus, plus exigit, uult redamari uehementer, usq; ad uxoris, usq; ad liberorum, usq; ad uitæ contemptum. Non fert domiciliũ mundanis cupiditatibus inquinatum, pura requirit, requirit cœlestia: resilit, aufugit, offenditur, si mundi huius sordes in ipsius templum inuexeris. Sed ut exigit à nobis eximium quendã amorem, longeq; puriorem q̃ lex Mosaica: ita confert uberiorem gratiam. Difficillimum est præstare quod exigit, sed in hoc ipsum largitur uires, ut facile possimus. Amanti nihil est difficile. Hoc ipsum illius donum est, ut illum amemus uel redamemus potius. Attraxit nos charitate sua prior, auersos si bi conciliauit. Augebit in nobis sua dona, si modo nos illi uacuos ac totos præstemus, si ab ipso solo pendeamus, si nihil habemus commune cum hoc mũdo, nihil cum huius mundi principe diabolo. Cum mũdum dico, nihil aliud sentio, quàm prauas cupiditates rerum uisibilium, quibus hic mundus falsam quãdam felicitatem pollicetur. Magna sunt quæ exiguntur, sed maiora sunt quæ promittuntur. Qui largiri potest immensa, idem & robur addere potest: qui summa largiri uult immeritis, idem & uires addere dignabitur infirmis. Tantũ nostris & huius mundi præsidijs diffisi, totam fiduciam in illum collocemus.

Propter quod dicit, Deus superbis resistit, humilibus autem dat gra- 5
tiam. Subditi ergo estote deo, resistite autem diabolo, & fugiet à uobis.
Appropinquate deo, & appropinquabit uobis.

Destituit deus eos qui suis operibus arroganter fidunt, opitulatur ijs qui sibi nihil tribuunt, sed fidunt bonitati diuinæ. Nimirum hoc est quod olim Salomon dixit, Deus elatis ac ferocibus resistit, sed humilibus & abiectis impertit suum fauorẽ. Deus uult uos sibi q̃ coniunctissimos esse, prębere uos illi morigeros, quem admodum sponsa obtemperat marito. Quod si uos diabolus conatur ab huius amore seiungere, repellite adulterum cum suis præstigijs, & desinet esse molestus: metuet uos, si uiderit in amore sponsi firmos & constãtes. Ab hoc igitur seiungite uos, siue terreat siue blandiatur, & pijs studijs, sanctis castisq; uotis applicate uos

deo,& ille uicissim applicabit se uobis, quocunq; uergunt animi cupiditates,eò tenditis.Si affectus rapiunt ad honesta,ad cœlestia,ad deum accedítis:sin ad illecebras carnis,ad diabolum properatis. Eôdem perpetuò properandum est, non oportet nunc huc nunc illuc uacillare.

6 Emundate manus peccatores,& purificate corda duplices animo.

Si Christũ sponsum agnoscitis,puri sitis oportet.Proinde qui adhuc estis peccatorũ cœno obliniti,emundate manus uestras, abstinentes ab omni genere malefactorum,purificate corda uestra,ne quid illic resideat impiarum cupiditatum: qui nunc estis animo duplici,partim amãtes quæ sunt dei,partim quæ sunt mundi,totũ pectus uni Christo dedicate. Et est hæc loquutio ex prophetis desumpta, qui sanguine plenas dicunt manus,quum omnium scelerum commaculationem significant.

7 Miseri estote,& lugete,& plorate:risus uester in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem.Humiliamini in conspectu domini, & exaltabit uos.

Cur hic felicitatem quæritis, quæ promissa est in cœlis? Cur inanibus huius sæculi uoluptatibus deliniti,negligitis æterna gaudia? Si uultis uere felices esse, hic sitis afflicti:si uultis æternum gaudere, hic plorate:si sine fine lætari, hic flete. Stultus iste & pernicioſus risus,uertatur in luctũ salutarem:exitiale gaudiũ,commutatur in salutiferum mœrorem:inanis ista celsitudo, conuertatur in humilitatem.Nemo semet erigat in altum, quin potius deijcite uosipsos in conspectu dei: ipse sic deiectos eriget, ac uere sublimes reddet. Quanto minus ipsi uobis arrogabitis,tanto maiora largietur ille.

8 Nolite detrahere alterutrũ,fratres mei. Qui detrahit fratri,aut qui iudicat fratrem suum,detrahit legi,& iudicat legem.

Arrogantia comitem habet liuorem,ex liuore nascitur detractio. Sceleratissimum autem superbiæ genus, fratris famæ detrahere, quo tu uidearis honestior. Perinde quasi quis alienam faciem luto conspergat,quo ipse uideatur formosior: alienam uestem sordibus contaminet,quo ipse uideatur cultior. Quid autem impius,q̃ ut frater fratri detrahat,inter quos oportet esse omnia cõmunia? Non secus q̃ si dextra manus sinistrã mutilet,quasi futura felicior, si peius habeat sociũ membrum. Et tamen qui uitant adulterium,qui furtum,qui periuriũ,detractionem non horrent,quasi leue sit crimen,cum hoc sit pernicioſius,quo se magis tegit specie religionis. Nam qui in aliena uitia debacchatur, primũ uidetur ab his uitijs abhorrere quæ in alijs detestatur. Deinde simulat sese non liuore,non odio, commoueri, sed studio probitatis. Et habet hoc uenenum suam etiam blãditiem. Mutua detractio facit,ut de utrisq; peius sentiant cæteri,nec aliud uenenum pernicioſius sentius Christianæ concordiæ. Iam qui obtrectat fratri, quiq; condemnat proximum,non solum facit iniuriam ei qui detrahit, uerumetiam legi, cui detrahere, quamq; condemnare uidetur.

9 Si autem iudicas legem,non es factor legis,sed iudex. Vnus est enim legislator & iudex,qui potest perdere & liberare.

Si frater est innocens,si non est lege uetitum quod ille facit, qua fronte tu damnas,quod non tam damnat lex euangelica? Sin peccat, cur eum obtrectatrice lingua traducis,quem oportebat lege puniri? Lex euangelica uetat,ne nos uicissim iudicemus,ne uicissim cõdemnemus,& sub legis prætextu nostris affectibus indul-

indulgeamus. Habet is qui peccat suum iudicẽ, cur tu huius partes occupas ante tempus? Non enim das operam ut corrigatur, sed ut traducatur. Itaq; quisquis obtrectat proximo, is aut legem condemnat, quod non corrigat turpia: aut detrahit, ueluti nimium dilutæ lentæq;, cuius officium occupat detractor. Habet mundus hic publicas leges coërcendis sceleribus: at Christianæ mansuetudinis est, studere corrigendis omnibus, magis q̃ iudicandis: unus est legis conditor, qui potest & seruare & perdere. An hũc putas latere quid quisq; peccet? Tolerat ille fortasse peccãtem, ut aliquando resipiscat: tolerat, ut suo tempore grauius puniat. Cur tu quilibet è plebe uindicas tibi iudicis partes? Cur ante tempus pronũcias? Monere fraternum est, rogare charitatis, increpare benuolentis est: sed obtrectare pestilentis, iudicare superbi. Si legi obtemperas, cur legis uices arroganter occupas? Si legi præis, non es obseruator legis, sed iudex. Qui legi præit, præit deo legis authori. Is non sinet quicquam inultum, & nouit quid quatenus sit puniendum, qui solus nulli crimini est obnoxius.

Tu autem quis es qui iudicas proximum tuum? 10

Condemnas fratrem, ipse grauioribus commissis obnoxius. Etenim intendis perdere, quem seruare non possis. Postremo in seruum alienũ ius tibi uindicas, haud citra contumeliam domini communis. Relinque illum suo domino, qui solus iuste iudicat: tu tibi iustum esse persuades, quod tibi dictauerit ambitio, quod odium, quod ira, quod liuor, ac frequẽter offenderis festuca in oculo fratris, cum trabem habeas in tuo. Nemo uirulentius detrahit alienæ famæ, q̃ qui longissime abest à uera laude. Nemo leuius fert alienam imbecillitatem, q̃ qui plurimum in ueræ pietatis studio profecerit.

Ecce nunc qui dicitis, Hodie aut crastino ibimus in illam ciuitatem, & 11
faciemus ibi quidem annũ, & mercabimur, & lucrum faciemus, qui ignoratis quid erit in crastino. Quæ est enim uita uestra? Vapor est, ad modicum parẽs, & deinceps exterminabitur, pro eo ut dicatis, Si dominus uoluerit: &, Si uixerimus, faciemus hoc aut illud.

Pulchre & propriè animum tumentem, & fastuosa magnificaq; diuitum uerba exprimit, quę adimunt uel abesse ostendũt timorem dei, quo sublato omne malum progerminat. Hi enim tanto studio moliuntur ea quæ sunt mundi, neglectis bonis cœlestibus, uel ipsa uitę huius incertitudine breuitateq; debebant admoneri, dementiam esse in his bonis collocare felicitatem, quæ ut contingant, tamen aliquoties arbitrio fortunæ subito auferuntur: aut si illa non aufert fortuna possessori, mors ipsum possessorẽ eripit bonis. Hoc ita esse quum quotidianis discant exemplis, tamen uelut horum omnium obliti, somniant longæuitatem, & quasi semper uicturi in plurimos annos sibi congerunt opes unde uiuant, quum hoc ipsum sit incertissimum quandiu uicturi sint: certissimũ autem sit, non diu uicturos, ac non potius uiaticum sibi parant in eam uitam, quæ nunquam est habitura finem. Agite stulti, qua nam igitur fronte dicitis, Hodie & cras proficiscemur illuc, peracturi illic annum unum, facturiq; lucrum amplum, quod sufficiat in multos annos, quum sitis incerti quid futurum sit die postero? Vitam per se breuissimam, tot casus, tot morbi reddunt etiam incertissimam: & uos ueluti pacti cum morte, per maria uolitatis ac terras, quo uiaticum paretis senectuti, fortassis nunquam uenturæ, quum nemo sibi crastinum queat polliceri. Quid ita uitæ huic fidelitis, quasi rei firmæ stabilique? Quę tandem est ista uita uestra, cui uni prospicitis, cui uni laboratis ac molimini? nimirum uapor est, ad breue tempus apparens, ac

mox euanescens. Absit igitur istiusmodi oratio ab ore Christianorũ. Vos in diem potius uiuite, à dei pendentes arbitrio, dicentes, Si dominus uoluerit, & si nobis uitam supereſſe uolet, hoc aut illud faciemus.

12 Nunc autem exultatis in superbijs uestris. Omnis exultatio talis mala ligna est.

Leuiter curãda sunt quæ faciunt ad breuem iuxta & incertã corporis uitam, sed omnis solicitudo conferenda est ad eas res, quæ faciunt ad uitã immortalem. Et tamen cum hæc uita nihil habeat quo possitis tuto fidere, cum tot casibus, tot morbis sit exposita, cum tot ærumnis sit obnoxia, cum tam sit euanida, tamq; fugax, tamen perinde quasi sitis immortales, sic erigitis animos, & iuuẽtutis opũq; fiducia turgetis. Diuini præsidij fiducia fortes & animosos esse rectum est, cœlestium bonorum expectatione, alacres esse pium est. Sed omnis ista exultatio, quã uobis placetis de bonis, primum falsis, deinde mox auferendis, non solum impia est, uerumetiam stulta.

13 Scienti igitur bonum facere, & non facienti peccatum est illi.

Sententia grauis est, cõmode seruiens proposito apostoli, nam huc tendit doctrina eius, ut ueros non fictos habeat Christianos. Fortassis, inquit, tolerabilius sit hoc in his, quibus persuasum est à maioribus, à rogo nihil hominis supereſſe, et excusatius tam auide fruuntur hac uita, qui non expectant aliam. Vos euangelica philosophia docuit hanc uitam esse negligendam, omniq; studio properãdum ad uitam illam cœlestem, quæ non opibus sed pijs factis paratur. Porrò grauius peccat, qui cum ex euangelica doctrina sciat quid sit agendum, tamen corruptus malis affectibus, sequatur eadem quæ sequuntur ij qui Christum ignorant.

CAPVT V.

1 AGite nunc diuites, plorate, ululantes in miserijs uestris, quæ aduenient uobis. Diuitiæ uestræ putrefactę sunt, & uestimenta uestra à tineis comesta sunt. Aurum & argentum uestrum ærugi-nauit, & ærugo eorum in testimonium uobis erit, & manducabit carnes uestras sicut ignis.

Ad diuites redit, quos superius perstrinxerat nonnihil, in quorum uitia acerrime inuehitur, moreq; prophetico. Taxat autem in primis eorum securitatem, quod delicijs & uoluptatibus carnis immersi, imminentem calamitatem minime præuideant, simulq; istorum insanum gaudiũ, quod mox excepturus sit grauissimus luctus. Agite, inquit, nunc diuites, qui felicitatem uitæq; delicias, quas æternas oportebat expectare in cœlis, hic in terris occupatis præposteretus, omittite uoluptates & insana gaudia. Si mentem habetis, plorate & ululate, reputantes æternas illas calamitates, quæ mox imminent uobis. Fingite iam aduenisse tempus, quod propediem est uenturũ, cum ablatis ijs opibus, quibus nũc stultissime fiditis, sero sapietis, agnoscentes præclaras illas possessiones iam non esse uobis præsidio, sed pro fucata felicitate adesse ueram & æternã calamitatem. Vbi nunc sunt opes, per fas nefasq; congestę? Diuitiæ uestræ putrefactæ sunt, uestimenta uestra tineis obnoxia facta sunt. Aurum & argẽtum uestrum ærugine uitiatum est apud parcum & sordidum hæredem. Eaq; ærugo testabitur uestram impietatem, qui malueritis situ perire, q̃ in usus egentiũ expromere. Harum rerum impendio poteratis emere uitã æternã. Nunc defossæ æris ærugo exedit intima animarũ uestrarum, non secus atq; ignis. Sero fruſtraq; macerabit uos male seruatæ

seruatæ pecuniæ pœnitudo, duplicabit infelicitatem uestrã, quod male parta, male seruastis. Pro misericordia dei, quam licebat opum iactura mercari, collegistis uobis iram & ultionem diuinam. In quam sententiam Paulus loquitur in epistola ad Romanos.

Thesaurizastis uobis iram in nouissimis diebus. Ecce merces operariorum, qui messuerũt regiones uestras, quæ fraudata est à uobis, clamat, & clamor eorum in aures domini sabaoth introiuit. 2

Magnum scelus est mercedem operis negare, differre aut fraudare. Hoc enim dominus odit & uetat Deute. 24. Non solum, ait, non fuistis benigni in fratrem egentẽ, sed tenuem quoq; debita mercede fraudastis. Ecce fraudatus sua mercede messor, qui sudans demessuit segetes uestras, clamat ad deum, & uindictam flagitat, & ita clamitat, ut uox illorum penetret in aures domini sabaoth, qui uobis etiã est formidandus. Non poterant illi ulcisci potẽtiores, non audiebãtur ab homine iudice, qui ferè fauet opulentioribus, obticescebant illi, sed ipsa impietas uociferatur apud iudicem deum, qui nec metuit opulentos, & oppressi pauperis iniuriam ad se pertinere putat. At nos nihil interim cõmouebat pauperum esurientium & sitientium calamitas, alienus sudor uos alebat, aliena fames ac sitis uos saginabat. Illi ringebantur, illi algebant, illi fame sitiq; enecabantur, uos interim

Epulati estis super terram, & in luxurijs enutristis corda uestra. In die 3
occisionis adduxistis & occidistis iustum, & non restitit uobis.

Vos, inquam, interim suauiter & in delicijs uitam transigebatis in terra, lasciuiebatis, & omni uoluptatum genere pascebatis animos uestros, agitantes quotidiana conuiuia, non minus splendida q̃ alij solẽt festo die mactata uictima. Neq; contenti fraudasse pauperem, condemnastis & occidistis innocentem, non reluctantem. Putastis hoc uobis impunitũ fore semper, quod apud homines impune licebat. Homicidij genus est tenues suo fraudare uictu. Nec ea tamen crudelitas sufficiebat immanitati uestræ, sitiebatis illorum sanguinem, & innocentum supplicijs pascebatis animos uestros: nũc rebus in diuersum uersis, illi fruũtur æternis uoluptatibus, uos breues & insanas delicias, æternis cruciatibus luitis. Alloquitur consequenter inopes, & uim passos, ut cum tolerantia iudiciũ domini expectent, & ei causam suam committant.

Patientes igitur estote fratres, usq; ad aduentum domini. Ecce, agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum & serotinum. Patientes igitur estote & uos, & confirmate corda uestra, quoniam aduentus domini appropinquauit. 4

Ne despondeatis animũ fratres, nec uos pœniteat sortis uestræ, ne diuitibus, quibus hic res uidentur ex sententia succedere, inuideatis: ne quam uindictã moueamini in illos, sed toleretis usq; ad aduentũ domini. Nunc sementis tempus est, tunc metendi tempus erit. Nondum apparent præmia pietatis uestræ, sed tamen in uto sunt suo tempore reddenda. Ecce qui terram colit, quantum laboris sumit suo interim impendio, nimirum expectans futurum, ut terra suo tempore multo cum fœnore reddat quod accepit, & tamen terræ prouentus nõ usq; quaq; certus est. Ni cœlum faueat, pluuia tempestiua, quæ solum proscissum humectet, & sero tina, quæ grandescẽtem segetem ab æstu tueatur, luserit operam agricola. Atqui quum hic bona spe fructus temporarij diuturnos toleret labores, neq; postulet ut protinus appareat quod seminauit: quãto magis æquum est, uos ob immortalita-

tis fructum huius uitæ incommoda patienter ferre, præsertim cum uestra merces in tuto sit, modo uos interim bonã sementẽ feceritis? Et uos igitur ad exemplum agricolæ bona certaq; spe confirmate & obdurate animos uestros, neq; uindictæ cupidi, neq; in pijs operibus lassescentes. Aderit dominus, & impios ulturus, & uos pro temporarijs afflictionibus immortalitate donaturus. Nec procul abest il le dies, ueniet citius expectatione.

5 Nolite ingemiscere fratres in alterutrum, ut non iudicemini. Ecce iudex ante ianuam stat.

Nemo uestrum fratres sibi uideatur infelicior, quod pluribus malis affligitur: néue quis inuideat ei qui mitius habet. Nec enim ille qui grauiora patitur, à deo destitutus est, sed exercetur ad maiora præmia: nec hic ideo deo charior est, quod rebus utatur tranquillioribus, sed esse uult aliquos, quorum pietas subleuet aliorum calamitates. Ne sit igitur inter uos impius ille gemitus, index liuoris & diffidentiæ, ut ne condemnemini: nam huiusmodi gemitus animi præludia sunt uergentis ad desperationẽ. Consoletur uos ipsa temporis breuitas. Ecce iudex adest, in promptu sunt præmia sua, cuiq; pro meritis actæ uitæ.

6 Exemplum accipite fratres, exitus mali laboris & patientiæ prophetas, qui loquuti sunt in nomine domini, Ecce, beatificamus eos qui sustinuerunt.

Sanctorũ patrum exemplis interim fulcite animos uestros. Si uobis solis ista contigissent, erat fortasse quod admiraremini. Grauiora passi sunt prophetæ, qui promebant impijs oracula dei. Vt tum non ferebant impij diuites uaticinia prophetarũ, ita nunc non ferunt doctrinã euangelicã, uidelicet aduersam et pugnantem ipsorum studijs. Nemo tamen illorũ sortem deplorat, nemo iudicat infelices, quod carceres & compedes perpessi sunt, quod uarijs cruciatibus enecati, sed felices ducimus deoq; charos, quod ob iustitiam occisi sunt.

7 Sufferentiam Iob audistis, & finem domini uidistis, quod misericors dominus est & miserator.

Audistis nobile exemplum patientiæ Iob, quantum malorum ille pertulit impetente satana? Spectastis certantem, sed spectastis & uincentem præsidio domini, cuius bonitate pro singulis malitia satanæ ereptis, dupla recepit. Non destituerat dominus athletam suum, sed obiectis tot malis testatam ac spectatam esse uoluit illius patientiã. Sed misericors dominus, ac natura propẽsus ad clementiam, alienam malitiam nobis uertit in cumulum lucrumq; felicitatis.

8 Ante omnia autem fratres mei, nolite iurare, neq; per cœlum, neq; per terram, neq; aliud quodcunq; iuramentum. Sit autem sermo uester Est est, Non non: ut non sub iudicio decidatis.

Sit animus uester purus ac simplex, animoq; respondeat oratio: nemo fucatis uerbis imponat proximo, sed in primis fratres mei nolite iurare, ne paulatim assuescatis peierare. Inter Iudæos & ethnicos fidei causa interponitur iuramentum, inter Christianos, qui nec diffidere debent cuiquam, neq; uelle fallere, supruacaneum est iusiurandum. Affinis est autem peierandi periculo, quisquis assuescit iurare. Neq; solum religiosum sit uobis iurare per deum, uane & sine fructu, & temere in negotijs priuatis, humanis & leuiculis, uerumetiã ab omni genere iurandi temperate, ut neq; per cœlum, neq; per terram, & cætera iuretis, quæ uulgo sancta ac religiosa habentur. Quisquis audebit mentiri iniuratus, idem & iuratus

ratus audebit, si libeat. Porrò qui bonus est, fidet etiam iniurato: qui malus, diffidet etiam iurato. Inter uos autem euangelica simplicitate præditos, nec diffidentiæ locus est, nec fallendi studium, sed sermo uester simplex, non minus habeatur uerax ac firmus, & quodcunq; quamlibet sanctum Iudæorum aut paganorũ iusiurandũ. Quoties confirmatis aliquid, ex animo confirmate, & re præstate quod dicitis. Quoties negatis aliquid, ex animo negate: nec aliud sit in pectore, & sonat in ore: ne sit in uobis simulatio, cum sitis ueritatis discipuli. Accipitur autem hoc loco iusiurandum, non exacte pro rogatione iuramenti, quæ iudici fit aut magistratui, sed pro deieratione simplici, quę fit quotidiano sermone, quem inter se habent homines.

Tristatur autem aliquis uestrum? oret. Aequo animo? & psallat. 9

Si quis afflictus est inter uos, ne confugiat ad huius mundi remedia, ad anus, ad incantamenta, ad reliqua lenimenta mœroris, sed ad preces erigat animum in deum cum summa fiducia, & experietur præsentaneum mœstitiæ leuamen. Rursum si quis est æquo animo in rebus prosperis, ne semet efferat insolenter aut inepte gestiat, sed sanctis hymnis celebret authoris dei benignitatem.

Infirmatur quis in uobis? inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super 10
eum, ungentes eum oleo in nomine domini. Et oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.

Si quem affligit aduersa ualetudo, ne confugiat ad magica remedia, non ad dios uel idola, nec spem suam omnem ponat in medicos, sed accersat ad se presbyteros & seniores congregationis, qui scilicet authoritate, prudẽtia, fide & rerum experientia cæteros antecellũt, qui uitæ sanctimonia, morum innocentia, & sanctarum doctrinarum peritia cæteris præficiuntur: hi enim dicuntur Seniores in populo. Hi fusis pro ægroto precibus ad deum, ungant eum oleo, non adhibitis precaminibus magicis, quemadmodum ethnici solent, sed inuocato nomine dñi nostri Iesu Christi, quo nullum est incantamenti genus efficacius. Adsit autẽ precibus fiducia, & audiet deus, seruabitq; laborantem. Neq; solum restituetur ei sanitas corporis, si quidẽ expediat ægroto, uerum si fortè fuerit peccatis obnoxius, ut plærunq; morbi corporis ex animi malis oriuntur, remittentur ei ad seniorum preces: si modo fides commendet & hos qui precãtur, & illum pro quo deprecantur. Apud istas quoq; Orientales gentes, & in Iudaico populo, mos fuit, oleo corpus ungere, quod & Christus discipulis suasit. Et oleum ad multas infirmitates salubre est. Potest & unctionis nomine omne charitatis officium accipi. Consolatoriis enim uerbis & exhortatoriis agendum est cum ipsis, ut in fide charitateq; consistant, & in domini clementiam sese offerant, Christoq; commoriant in fide, cum eodem resurrecturi: ut pontificiorum oleo non egeant, sed merito sanguinis Christi, pro saluandis credentibus effusi.

Confitemini ergo alterutrum peccata uestra, & orate pro inuicem, ut 11
saluemini: multum enim ualet deprecatio iusti assidua.

Quoniam uita humana non constat sine leuibus & quotidianis offensis, conueniet uti quotidiano remedio, ut uos uicissim mutuis precibus subleuetis ad deum omnium patrem clementissimum, suum quisq; delictum agnoscentes. Ita demum ualebit remediũ, si morbum agnoscas, & implores opem. Superstitiosi putant occultam ineſſe uim incantamentis & precaminibus suis, sed re uera plurimum ualet hominis iusti ad deum deprecatio, quæ per fidem nihil non impetrat adeo. Hac lege nobiscum pactus est Christus, ut quicquid ipsius nomine petieri-

mus cum fide, impetremus: nisi tale sit, ut expediat non impetrari. Et uidetur hic quoq; locus adhuc intelligendus de laborantibus & infirmis, qui ad hoc officiose sunt admonendi, ut aut his qui se læserunt remittant, & cum eis in gratiam redeant: aut ut ab alijs quos ipsi iniuria affecerunt, ueniam reatus & animorũ reconciliationem uicissim impetrẽt, ut iam tunc quoq; orare audeant, Remitte nobis, ô pater cœlestis, debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris, &c.

12 Elias homo erat similis nobis passibilis, & oratione orauit, ut nõ pluret super terram, & nõ pluit annos tres, & menses sex. Et rursum orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum.

Si precibus unius uiri pij cœlum obtemperat uelut incantatum, mirum non est, si deus ad ignoscendũ facillimus placatur precibus multorum. Iam illud perpendite fratres, si pium est, si Christianæ charitatis communibus precibus subleuare morbum corporis alieni, quanto magis par est, ut animi morbo laborãtibus subueniamus, dei misericordiam & indulgentiam implorando. Neq; enim magnum est hoc impetrare precibus, ut huic aut illi mors aliquanto serius accidat, omnino tamen aliquando uentura, sed magnum est uitasse mortem animi.

13 Fratres mei, si quis ex uobis errauerit à ueritate, & conuerterit quis eum, scire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore uiæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum.

Insigni doctrina absoluit epistolam. Si quis, inquit, extiterit inter uos, qui aberret ab euangelica ueritate, siue nimium adhuc adhærens legi Mosaicæ, siue paganismi à maioribus tradiți pertinax cultor, ne quis hunc existimet conuitijs exagitandum, sed huc potius oportet omnibus studijs adniti, ut conuersus respiscat ad fidem uerborũ dei ab errore suo. Quisquis enim hoc fecerit, magno sacrificio demerebitur deum, qui non optat mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur & uiuat. Rem enim magnam præstat, qui seruat animã à morte, fratrem liberans à peccatis, per quę tenebatur morti obnoxius. Nec interim is carebit suo prẽmio, siquidem Christus uicissim huic sua peccata cõdonabit, etiam quamlibet multa, qui fratrem ab exitio reuocauit. Illa autẽ reuocatio fiat in spiritu charitatis & humilitatis, non rigore præsumptæ potestatis. Patiamurq; nos uicissim ignorantiæ & erroris admoneri. Errare enim, ignorare, & labi omnibus agnatũ est, & in multis offendimus oms, ideo afflictas alioqui conscietias non amplius cõcutiamus. Qui firmiores sunt, præbita manu ducant infirmiores & ferant. Qui docti, & rerum diuinarum sunt gnari, errantibus amice fraterneq; uiam demonstrent, alterius onus ferre satagat. Excusemus quoq; aliorum peccata, quantum per gloriam dei licet, saluaq; ueritate catholica. Mutuaq; charitate sic nos mutuum complectamur, ut unum simus inter nos, & cum capite nostro Iesu Christo. Cui cum patre & spiritu sancto sit honor & gloria in sæculum. Amen.

COMMENTARIVM IN EPISTOLAM D. PETRI APOSTOLI PRIMAM.

ARGVMENTVM.

PETRVS quemadmodum & Iacobus Iudæis ſcribit, ſparſim incolentibus gentium regiones, ad Chriſtum cõuerſis, epiſtolam profecto dignam apoſtolorum primario, plenam authoritatis ac maieſtatis apoſtolicæ, uerbis parcam, ſententijs differtam. Hortatur autem ad tolerantiam malorũ, quæ ob euangelij inuidiam perpetiebantur, ſpe præmiorum. Ad hęc admonet, ut iuxta prophetiarum oracula, ad tantã dignitatem uocati gratis, uitã præſtent ſua profeſſione dignam. Chriſtianiſmum enim non in titulo aut baptiſmo tantum, ſed in morum innocentia ſitum eſſe. Alioqui quod affliguntur malis, non ceſſurum ad gloriam Chriſti, ſi ob malefacta pœnas dare uideant. Ad hæc admonet, ne freti Chriſtianiſmo, detrectent parere magiſtratibus, licet ethnicis, ne prouocati nec cõuertantur ad Chriſtum, & acrius ſæuiant. Item ne ſerui negent officium ſuum heris, licet ethnicis. Chriſtianæ bonitatis eſſe, omnia perpeti. Item ne mulieres Chriſtianæ uiros ſuos licet ethnicos, contemnant, ſed moribus ſuis ad meliora ſtudeant prouocare. Maritos admonet, ut uxoribus ſuis deferãt, ut à coitu nonnunquam temperent, quo magis uacet orare. Deinde exemplo Chriſti prouocat ad tolerantiam malorum, ne conentur iniuriam iniuria penſare, ſed manſuetudine et benefactis uincere ſtudeant male meritos. Atq; hæc agit tribus primis capitibus, & inde quarti. Poſt hæc hortatur ad nouitatem uitæ, dehortans à uitijs gentium, inuitat ad ſobrietatem, ad uigilantiam, ad preces aſſiduas: in primis ad mutuam charitatem, ad hoſpitalitatem, ad officia mutua: rurſus ad patientiam perſecutionum, ob Chriſti nomen illatarum. Mox epiſcopos inſtituit, & his ſubditum populum. In calce reſtatur ſeſe & alterã epiſtolam ad eoſdem ſcripſiſſe per Syluanum, quæ interciſſe dicitur.

CAPVT PRIMVM.

PETRVS apoſtolus Ieſu Chriſti, electis aduenis diſperſionis, 1
Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ & Bithyniæ, ſecundum præſcientiam dei patris, in ſanctificationem ſpiritus, in obediẽtiam & aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti: gratia uobis & pax multiplicetur.

Petrus, id eſt Cephas, qui dicit̃ Simon BarIona, diſcipulus & conuictor quondam, nunc euangelij prædicandi legatus & orator domini noſtri Ieſu Chriſti, omnibus qui ſparſim habitant in minoris Aſiæ regionibus, Ponto, Galatia, Cappadocia, eaq; parte quæ eſt Epheſiorum, ac proprie ſibi nomen Aſię uindicat, Bithyniaq;, quos uel olim bellorum procellæ alios aliò diſpulerunt, nunc ad Chriſti fidem conuerſos, uel nuper eorum ſæuitia, quibus Chriſti nomen erat inuiſum, patrijs ſedibus exegit innoxios, atq; ideo nunc extorres inter peregrinas nationes uelut exulãt, non tamen abdicati ab euangelij munere, quod omnium dominus ita largitus eſt, primum terræ gentiq; Iudaicæ, ut tamen omnibus uelit eſſe commune, quoſcunq; delegerit ipſe. Nam ut fruſtra nati ſunt ac uiuũt Hieroſolymis, qui Ieſu Chriſti doctrinam aſpernantur: ita nullis futurum eſt fraudi, quod inter gentes incircunciſas habitant, ſi modo gratiam euãgelicam amplectant̃, gratuita electione aſſumpti, ut Ieſum Chriſtũ agnoſcãt uerę ſalutis authorẽ, non uni genti

mortuũ, ſed orbi terrarũ uniuerſo. Vt aũt hunc agnoſcamus, nõ debemus obſeruatæ legis merito, ſed gratuitę dei bonitati, q̃ ex omni natione delegit, uocatq̃ ad euãgelij̃ munificentiã, quoſcũq̃ ipſi uiſum eſt aſciſcere. Neq̃ em̃ hoc ideo temere nuper uenit in mentem, ut hac ratione ſeruaret uniuerſum genus mortaliũ: neq̃ noſtris benefactis impulſus, hoc ceu præmium nobis reponit, ſed æterno conſilio fuerat hoc deo patri decretũ, ut non Iudæis tantum, ſed uniuerſis gentibus aperiret portũ ſalutis: non per circunciſionẽ, neq̃ per ſabbathiſmos, neq̃ per ciborum delectũ, neq̃ per alias Moſaicæ legis ceremonias, quæ corporales ſunt, & rerum ſpiritualiũ umbrę duntaxat ad tempus datæ, ſed per uerã ſanctificationẽ ſpiritus, quem nobis impertit lex euangelica ſpiritualis, qua uere purgamur ab omnibus peccatis noſtris: non ex eo quod obſeruauimus legis ueteris præſcripta, ſed q̃ ſimpliciter prompteq̃ fidimus euãgelicis promiſſis; non ex aſperſo uituli ſanguine, ſed ex aſperſione pretioſi ſanguinis illibatæ, deoq̃ gratiſſimæ uictimæ Ieſu Chriſti, cuius immerita mors, nobis ſemel omnia uitæ ueteris commiſſa delet, ac per baptiſmum, uelut in ipſum renatos, nouæ uitæ reſtituit. Quos quoniã baptiſmus exemptos huic mundo cœleſti municipio inſeuit, non precabor ea bona, quibus parandis & accumulandis ſibi felices uidentur mũdi cultores, ſed ea potius, quæ nos à terrenis contagijs purgatos, cœleſti principi Chriſto dignos reddant, uidelicet gratiã, ut ueſtris ipſorum meritis diffiſi, diffiſi etiã legis ceremonijs, è ſola gratuita dei beneficẽtia, fideq̃ euangelij̃, uerã expectetis ſalutem. Ad hoc pacem, ut deo per Chriſti ſanguinem reconciliati gratis, concordiam & inter uos habeatis, & cum cæteris omnibus: non ſolum neminem lædentes, uerumetiã aliorum admiſſa condonãtes, & malefacta benefactis repenſantes. Quoꝝ bonorum ſortem ut gratis accepiſtis à deo, ita pijs ſtudijs adnitẽdum eſt uobis, ut bonorũ operum uſura magis ac magis diteſcatis: non modo perſiſtentes in eo quod cœpiſtis, uerumetiam indies in melius progredientes, donec ille uenerit dies, quo præmium immortalitatis exhibebitur, cuius nunc certam ſpem hauſiſtis ex euangelio.

3 Benedictus deus & pater domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſecundũ miſericordiam ſuam magnam regenerauit nos in ſpem uiuam, per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis.

Proœmium eſt dignũ apoſtolici paſtoris, taleq̃ auſpicium, quo declarare incipit quid Chriſtus ſit, & quid per eũ conſequamur. Laudãda eſt à nobis plurimũ benignitas dei, à quo nobis per Chriſtũ proficiſcit, quicquid uere beatos reddit. Is eſt non Moſes, ſed deus ipſe, & idẽ pater dñi noſtri Ieſu Chriſti, qui parũ feliciter natos ex Adam peccato & morti, denuo nos genuit innocentię, genuit immortalitati uitæ, nullis noſtris meritis prouocatus, ſed ultro ſua miſericordia extimulatus. Idq̃ fecit impendio proprij̃ filij̃ ſui Ieſu Chriſti, quem mortẽ ſubire uoluit, ut nos alioqui deploratos, à peccati mortiſq̃ tyrãnide liberaret, quem à morte reuocauit ad uitam, ut interim mortui cupiditatibus mũdanis, & ad illius exemplum morum innocentia reſurrectionẽ, ueluti meditãtes, certam ſpem habeamus fore, ut nos quoq̃ aliquando his exẽpti malis, unà cum Chriſto pertingamus ad æternam illam hæreditatem, quam ut aſſequutus eſt Chriſtus caput noſtrum, ita conſequemur omnes quicũq̃ Chriſti membris inſiti, illius imitatione meremur illius dici fratres, & eiuſdem patris filij̃: ut quemadmodum afflictiones ſunt nobis cum illo communes, ita ſit & cum illo commune præmium.

4 In hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſſibilem, conſeruatam in cœlis, in uobis, qui in uirtute dei cuſtodimini per fidem

fidem, in salutem, paratam reuelari in tempore nouissimo.

Quãdiu fuimus filij peccatoris Adæ, manebat nos infelix hæreditas: postq̃ facti sumus filij dei per Christũ in ipsum credẽtes, ad cœlestem hæreditatem properamus. Decet em̃ ut è cœlo nati, cœlestia spectemus: ex deo nati, diuina sectemur. Qui mundo militant, caduca præmia fluxamq̃ mercedẽ ambiunt. Nos post has temporarias afflictiones manet illa felix hęreditas, quę neq̃ morte possit corrũpi, neq̃ tædio contaminari, neq̃ senio sitúue marcescere. Non est q̃ metuamus, ne quis hanc opimã hæreditatem nobis interuertat. Habemus certæ fidei promissorem, apud illũ nobis in tuto est, conseruatãq̃ in cœlis: sed ita, ut interim certa spes, ac ueluti pignus quoddã sit penes homines in terris: nõ quoslibet, sed qui similes uestri, quibus Christi spiritus arrabonis uice datus est. Quiq̃ licet interim uarijs malorũ procellis undiq̃ tundamini, quibus humana imbecillitas prorsus ex se sit impar, tamen dei præsidio, qui nihil nõ potest, seruamini, fide fiduciaq̃ in deum: qui etiamsi patiatur uos interim uelut opprimi, tamen incolumes uos sit exhibiturus in extremo tempore: post quod non erit amplius ista rerum humanarũ confusio, sed mali addicti suis supplicijs, neminem lædere poterunt, & boni ab omnibus malorũ incursibus tuti, æterno fruentur gaudio. Nunc enim latent præmia, & sæpe iuxta uulgarem æstimationem, peius habent qui meliores sunt: & perire uidentur, qui maxime sunt incolumes: & florere uidẽtur, qui maxime pereunt. Hic exercendæ pietatis est tempus, præmio suum præscriptum est tempus, quod non oportet anteuertere. Nobis interim sit satis, quod æterna felicitas nobis est in tuto, quam nullus hominum aut dæmonum potest intercipere, modo ne nos deficiat fides, qua neglectis rebus mortalium, toti pendeamus è cœlo.

In quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in uarijs tentationibus, ut probatio uestræ fidei multo pretiosior auro quod per ignẽ probatur, inueniatur in laudem, & gloriam, & honorem in reuelatione Iesu Christi. 4

Sint interim feroces, qui deo rebelles, fidũt mundi pręsidijs, insultent interim. Cæterũ ubi uenerit ille dies, uersis rerum uicibus, affligentur illi, uos exultabitis uictores. Imò nunc etiam exultare debetis, indubitata tantæ felicitatis expectatione. Non uobis magnũ uideat̃, si per breues afflictiones molestiasq̃ peruenitis ad nunq̃ interituram beatitudinẽ. Forsitan & persecutionũ harum aliquando finis erit, quæ tamen quoties ingruunt, spe uitæ futuræ infracto animo ferẽdæ sunt ob dei gloriã. Sic enim permittit sapientia dei, ut fidei uestræ synceritas constãtiaq̃, uarijs malorũ incursibus exploretur. Etenim si aurũ, res alioqui peritura, nõ solũ exploratur per coticulã, uerumetiam per ignem examinatur, quo magis deinde sit in pretio, quo fuerit exactius repurgatũ: multo magis deus uult fidem uestram uarijs experimẽtis probari, cui tantum honoris debetur, ut cum ex his malorum incendijs emicuerit, longe purior ac fulgentior quouis auro purgatissimo, pretio sit apud deum, cedatq̃ in laudem & gloriam, cumulumq̃ honoris, eo die quo Iesus Christus, cuius uis nunc agit in uobis, occultis rationibus palàm sese profe ret omnibus, suum cuiq̃ præmium pro meritis rependens. Quid enim glorioſius q̃ore Christi laudari? cum audietis, Venite benedicti patris mei. Quid honorificentius, q̃ à deo patre recipi in consortium regni cœlestis unà cum filio? Hæc autem gloria, quanquam erit omnium piorum communis, tamen copiosior contingęt̃s, qui maiora pro Christo passi sunt in terris.

Quem cum non uideritis, diligitis: in quẽ nũnc quoq̃ nõ uidentes, cre 5

ditis. Credentes autem, exultatis lætitia inenarrabili & glorificata, repor
tantes finem fidei ueſtræ ſalutem animarum ueſtrarum.

Si promiſſa uobis à deo præmia nunc apparerẽt, non eſſet admirabile fidei ro
bur aut præmiũ. Nunc in hoc eſt præcipua laus bonorũ, quod Chriſtũ, quem cor
poreis oculis nunq̃ uidiſtis, oculis tamen fidei conſpectum amatis. Cumq; dolor
uis palàm ac præſens urgeat, præmia uero quæ ſunt in diem, nondũ appareant,
tamen illius promiſſis fiſi, non alio animo toleratis iſta, q; ſi coràm adeſſet parata
gloria: nec toleratis modo fortiter, uerumetiam in mediis afflictionibus exultatis
inenarrabili gaudio, plenoq; gloriæ apud deum, uidelicet bene ſperãtis conſcien
tiæ, pleni certa fiducia, quod iſta præter meritum tolerantes, uolente deo, reporte
tis abunde magnum fructum fidei ueſtræ, nimirum æternam ſalutem animarum
ueſtrarũ. Ingens enim lucrum eſt, cum iactura caduci corporis ſeruatur immor
talis anima. Sic uiſum eſt æterno conſilio dei, ut his rationibus ſalutem conſeque
rentur homines, quibus & Chriſtus ipſe peruenit ad æternã beatitudinem. Neq;
enim hæc fortuitu geruntur, ideo additur,

6 De qua ſalute exquiſierunt atq; ſcrutati ſunt prophetæ, qui de futura
in uobis gratia prophetauerunt, ſcrutantes in quod uel quale tempus ſig
gnificaret in eis ſpiritus Chriſti, prænũcians eas quę in Chriſto ſunt paſ
ſiones & poſteriores glorias.

Reuocat nos Petrus ad ſcripturas. In hoc eñ deus prophetas ſuos ad Iudæos
miſit, ut de futuro illis Chriſto teſtarentur: unde & multa ex prophetis deſumpta
in nouo teſtamento leguntur, quibus apoſtoli probarunt, omnia ſic geſta atq; fue
rant à prophetis prædicta. Quanq; aũt prophetæ certum atq; defintũ tempus non
planè traderent, omnes tamen temporis & locorum circunſtantias deſignarunt,
quomodo Chriſtus, & ubi, quandoq; naſciturus, paſſurus, à gentibus audiẽdus,
in quem eſſent credituræ, adeo ut per ſigna quæ prædixerũt, aduenìſſe illud tem
pus potuerit certo cognoſci, ut patet in Daniele de hebdomadibus. Et quamuis
apoſtoli pleni eſſent ſpiritu ſancto, certiq; de ſuo euangelio, nihil tamen ſibi credi
poſtularunt, quod non ſolide ex ſcripturis probaſſent. Quod uero hic dicitur de
utriſq; afflictionibus, tam quas Chriſtus pertulit, q̃ quas nos perferimus, poteſt
intelligi: nam & Paulus Chriſti paſſionem uocat, quæcunq; quilibet patitur Chri
ſtianus. Omnia, inquit, quæ nos prædicauimus, pridem prophetæ prædixerãt fu
tura, reuelãte eis ſpiritu ſancto, qui illis ſignificabat quid eſſet paſſurus Chriſtus,
ac mox ad quantam gloriam euehẽdus, quo uel quali tempore id eſſet futurum:
non ſcilicet ſuis tunc tẽporibus, ſed noſtris nunc, quæ tamen uobis proderãt non
minus q; ſibi.

7 Quibus reuelatũ eſt, quod non ſibimetipſis, nobis aũt miniſtrabant,
ea quæ nunc nunciata ſunt uobis, per eos qui euangelizauerãt uobis, ſpi
ritu ſancto miſſo de cœlo, in quæ deſiderant angeli proſpicere.

Optaſſent quidẽ illi uidere ſuis temporibus, q̃d uobis uidere contigit: ſed ideo
præceſſerunt illorũ uaticinia, quo certior eſſet fides nobis apoſtolis, qui eadẽ uo
bis annũciamus facta, quæ prædixerãt illi uentura: quoq; minus dubitetis, idem
Chriſti ſpiritus tacitis afflatibus illos docuit olim quid facere decreuiſſet, qui nos
nuper in igneis linguis è cœlo delapſis inſtruxit, ut eoꝝ quę geſta ſunt, in toto ter
rarũ orbe ſimus præcones. Prędicamus enim Chriſtũ noſtræ omniũ ſalutis cauſa
factũ hominem, uerſatũ in terris, probris & cruciatibus afflictũ, deniq; cruci ſuffi
xum,

xum, pro nobis obijſſe mortem, mox reuocatum ad uitam, ſubuectũ in cœlum, ubi nũc cum patre præfulget, maieſtate gloriaq; ſublimis, qui prius uidebatur in terris uilis & abiectus, eôdem ſubuecturus & ſuos. Hæc tam ineffabili dei cõſilio geſta, non mirum, ſi prophetæ concupiſcebant cernere, cum ipſis etiam angelis ſit admodum iucundũ, gratumq; ſpectaculum, cuius contẽplatione non queunt expleri. Quo maius eſt beneficium quod uobis offertur, hoc auidius eſt uobis amplectendum, ne ueſtro uitio fiat, ut non aſſequamini.

Propter quod ſuccincti lumbos mentis ueſtræ, ſobrij, perfecte ſpera- 8
te in eam quæ offertur uobis gratiam, in reuelatione Ieſu Chriſti, quaſi filij obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ ueſtræ deſiderijs, ſed ſecundum eum qui uocauit uos ſanctum, ut & ipſi in omni conuerſatione ſancti ſitis: quoniam ſcriptũ eſt, Sancti eritis, qm̃ ego ſanctus ſum.

Certum quidẽ eſt præmium, ſed interim ueſtræ partes ſunt, ita uos gerere, ne uideamini indigni promiſſis. Aderit ille dies inexpectatus, qui proferet in apertũ piorum & impiorũ præmia. Is quandocunq; ueniet, lætus ac felix ueniet ijs quos paratos offenderit: contrà, formidabilis ijs, quos diffidentia torpentes repererit et oſcitãtes. Quoniã autem Chriſtus incertum nobis eſſe uoluit diem illũ, non oportet uos unq; eſſe ſecuros, ſed ſemper accinctis animæ lũbis, ceu paratos in occurſum aduẽtantis dñi, uigilantes ac ſobrios, certa firmaq; ſemper erectos ac ſuſpenſos expectatione felicitatis æternæ, quæ nunc offertur omnibus qui obtemperãt euangelio, ſed tum demũ poſſidebitur, cum palàm oſtẽdet maieſtatem ſuam cunctis hominibus & angelis ac dæmonibus dñs noſter Ieſus Chriſtus. Verũ ad eam immortalitatem non peruenient, niſi qui hic eam quodãmodo fuerint meditati, atq; ad exemplũ Ieſu, mortui cupiditatibus huius mundi, cum illo reuixerint ad innocentiam, atq; in ea conſtanter perſtiterint, tanq; legitimi ueriq; filij, fidentes promiſſis dei patris, & illius præſcriptis obtẽperantes, nec unq; relabẽtes in ueterem uitam, ob ignorantiã euangelicæ doctrinæ, mundanis obnoxiam cupiditatibus. Conuenit enim, ut à quibus diſſidetis profeſſione, ab ijſdẽ diſſideatis affectibus & moribus. Mundus malus eſt, à quo iampridem eſtis exempti, Chriſto iuſto ſanctoq; & innocẽti inſiti, ad hoc delecti uocatiq; à patre, ſanctitatis omnis fonte, ut uos quoq; quemadmodũ eſtis ſancti profeſſione, ita ſitis & omni uita factis q; puri, integri et inculpati. Non em̃ agnoſcet pater filios, niſi ſui ſimiles, nimirũ hoc ſenſit, cum loqueret̃ maioribus noſtris, Leuit. 19. Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum, dñs deus ueſter. Non uobis ſuffecerit Moſaica puritas, ut abſtineatis à cõtactu cadauerum, ut lotos habeatis pedes, ut abſtineatis à thoro immaculato, totam uitam ac totũ pectus ueſtrũ deus uult procul abeſſe ab omnibus uitiorũ inquinamentis. Siquidem hæc ſunt, quæ nos uere reddunt impuros coram oculis dei.

Et ſi patrem inuocatis eum qui ſine acceptione perſonarũ iudicat, ſe- 9
cundum uniuſcuiuſq; opus, in timore incolatus ueſtri tempore conuerſamini, ſcientes, q̃ non corruptibilibus auro uel argento redempti eſtis, de uana ueſtra conuerſatione paterna traditionis, ſed pretioſo ſanguine, quaſi agni immaculati Chriſti & incontaminati.

Quamuis etiam dñm deum patris nomine compellatis, in omnibus imploran- 17
tes opem illius, nõ eſt tamen quod ſperetis uobis illum fore propitiũ, aut pro filijs agniturũ, qui non æſtimat quenq; ex genere aut fortuna, ſed ex uitæ meritis. Nec em̃ ille purus erit Iudæus, ſi uita, ſi animus fuerit inquinatus: nec hic erit impurus

præputiatus, si piam, si innocentẽ uitam egerit. Superest igitur, ut qui patrẽ hunc cupitis habere propitium, illius inculpabile iudiciũ semper habentes præ oculis, donec agitis in hoc exilio, sic moderemini uitã uestrã, ne sit, ob quod offensus pater, uos ceu degeneres parũq; morigeros filios, ab hæreditate patriæ cœlestis merito secludat. Quo maius est pretium, quo uos Christus gratis redemit, hoc magis cauendũ est, ne uolentes & ingrati, in pristinã seruitutem reuoluamini. Nulla seruitus miserior, q; mancipium esse uitiorũ. Qui pauculo ære liberantur à seruitute heri, & ex seruis fiunt libertini, modis omnibus aduigilant, ne ob ingratitudinem possint in relictam retrahi seruitutẽ, & uos cõmittetis, ut in ueterem tyrannidem recidatis? ut denuo Mosaicæ legis uelitis esse mãcipia? malitisq; seruire uanis obseruatiũculis, à maioribus uobis per manum traditis, q; obtemperare euangelio dei? Cum sciatis uos ab illis semel esse liberatos, non pretio uulgari, uelut auro argentóue, sed hostia longe sacratiore quàm norit lex Mosaica. Non enim aspersó sanguine uituli, sed pretioso cruore Iesu Christi, qui uelut agnus omnis macula nescius, purus ac illibatus ab omni uitiorum inquinamento, pro nostris peccatis immolatus est in ara crucis.

10 Præcogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati aũt nouissimis tẽporibus, propter uos qui per ipsum fideles estis in deo, qui suscitauit eũ à mortuis, & dedit ei gloriã, ut fides uestra & spes esset in deo.

Nec est immolatus Christus pro mundo fortuitu, sed ab æterno & ante condi tum mundũ destinatus est huic sacrificio dei filius, ut sua morte nobis reconciliaret patrem. Cæterũ diuinæ mentis consiliũ ac decretum, quod multis sæculis orbi fuit incognitũ, nunc tandem his extremis temporibus patefactũ est, & oculis hominũ exhibitũ nouum spectaculũ, quod in mẽte diuina nouũ non erat. Exhibitũ est aũt uestrę salutis gratia, quibus Christus homo factus, mortuus ac prędicatus, hoc præstat, ut qui ante frustra fidebatis legis ceremoniis, nũc uobis difflui, fidatis deo patri: qui ut eum mori uoluit expiandis peccatis uestris, ita suscitauit ex mortuis, proq; toleratis huius uitæ laboribus, dedit immortalitatis gloriã, ut quod credidistis ab illo factũ, æmulantes speretis & uobis idem præmiũ, uidelicet authore deo freti, qui quod in filio præstitit, hauddubie præstaturus est in omnibus qui sic uixerint, ut inter Christi mẽbra numerari mereamini, in cuius corpus estis insiti, posteaq; per baptismũ in eum fuistis renati, & fide donati in deum, qua ceu filius patri plena adhæreatis fiducia, ut de eo tanquã de patre gloriemini. Idq; propter unicum filium suum uobis mediatorem datum & seruatorem.

11 Animas uestras castificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde inuicem diligite attentius.

Antehac obtẽperastis cupiditatibus uestris, utpote carnales umbras rerũ pro ueris amplectentes: nunc posteaq; purificastis animas uestras, non obseruatione lustrationũ Mosaicarũ, sed ex eo quod per fidem obedistis euãgelicę ueritati, quę spiritu Christi purgauit animos uestros, adnitendum est, ut & innocẽtia uitæ capiti uestro & uehemẽti planeq; fraterna, minimeq; fucata inter uos charitate concordiæ corporis respondeatis: ut quẽadmodũ Christus uos dilexit, nõ amore uulgari, nec carnali: ita uos inuicẽ spirituali charitate, psequamini, neminẽ excludẽtes. Nihil em̃ dilectio uidere debet in homine, sed deũ attẽdere qui eam præcepit, & nos dilexit cũ essemus inimici, & eius dilectione modis omnibus indigni. Hoc est quod addit Petrus, Ex toto corde, & attẽtius. Hic de fraternitate uera & falsa plura adduci possent, contra eas quæ uulgo erectæ fuerant, & adhuc defenduntur,

duntur, cum re uera fratres sint omnes, quicũq; Christi sanguine sunt redempti.

Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per uerbum dei 12
uiui, & permanentis inæternum: quia omnis caro ut fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni. Exaruit fœnum, & flos eius decidit, uerbum autem domini manet inæternum. Hoc est autem uerbũ quod euangelizatum est in uobis.

Noua cognatio nouum desiderat affectum. Antehac Iudæi Iudæos diligebatis affectu carnali, nunc longe alio modo renati, non ex semine mortali terreno q; iuxta corpus, sed ex semine immortali cœlesti q;, per sermonẽ dei uiuentis ac permanẽtis in ęternũ, cuius euãgelio credidistis, fratres cœlesti charitate prosequimini. Mosi lex ad tẽpus erat data, sermo dei nobis prodidit euangelicã legem, nunq; desiturã. Quod ab hominibus profectũ est, temporarium est: quod è cœlo uenit, æternum est. Quemadmodũ prædixit Isaias, Omnis caro ueluti fœnũ, & omnis gloria quasi flos agri. Exaruit fœnum, & flos eius decidit, at uerbum domini manet inæternum. Sumptus est hic locus ex Isaia 40. ubi expositionem quære. Hoc autẽ uerbum aliud non est, q̃ sermo dei patris, æternus æterni, quem legis prioris umbræ uobis deliniarunt. Cæterũ per euãgelij præcones aperte prædicatur, non uobis solum, sed omnibus qui Christũ syncera fide recipiunt. Euangelium quoq; est illud uerbum, nempe pro nobis incarnatũ, uerbum Christum pro nobis mortuum, nostra tulisse peccata, cœlum nobis meruisse credẽtibus, & donasse nobis quæcunq; habeat. Illud uerbum transiens ex ore, susceptum si fuerit corde, iam nõ potest amplius excidere, nulla illud poterit creatura deijcere. Est enim dei uirtus, ad salutem omni credenti.

CAPVT II.

DEponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simu- 1
lationes, & omnes detractiones, sicut modo geniti infantes, rationabile & sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem, si tamen gustastis, quoniam dulcis est dominus.

Docere incipit qui sint Christianæ fidei fructus & opera. Quoniã, inquit, nuper estis per euangelicã doctrinam fideq; in Christũ cœlesti generatione renati, prorsusq; abiectis omnibus ueteris uitæ uitijs, si quid erat malitiæ, si quid doli, si quid simulationis, si quid inuidentiæ, si quid obtrectationis aut maledicẽtiæ, post hac uelut infantes recens nati, auide concupiscite lac illud, non corporis, sed animi: lac doli nescium, & aptum ætati uestræ innoxiæ, magis q; robustæ, lac institutionis euangelicæ. Habet enim euangelica doctrina sua quoq; rudimenta, habet infantiam suam, habet pabulũ accommodum ætati imbecillæ, habet & profectus suos, demũ habet ætatem perfectam. Non sunt illa prima fastidienter haurienda, sed auide, sed sitiẽter: nec in his tamen persistendũ, sed ab his usq; proficiendũ ad perfectiora. Siquidem & absurdum fuerit, si quis à matre natus, semper infans, nihil aliud q; lac expetat. Oportet & uos grãdescere, donec adolescatis ad perfectã salutem: neq; semper hærere in fundamẽtis, sed paulatim assurgere ad perfectam structuram domus: siquidem iuxta Psalmographi consilium, gustastis quod suauis sit dominus. Oportet hoc gustu accendi ad appetenda maiora. Non enim sufficit semel duntaxat audisse euangelium, sed est continuo inculcandum, ut per illud crescamus: ut unusquisq; fide præditus est, ita ei prospici oportet, ita quoq; pasci. Quod si quis non audierit euangelium, ei non sunt hæc dicta, quia nesciunt, quia nondum gustauerunt, quàm suauis sit dominus, quo minus sint intenti.

Christum autem gustare, est credere Christū pro se natum, passum, mortuum, re surrexisse, & ascendisse, ut illius omnia bona eius sunt credentis. Id cum corde su scipitur, mire sapit, maxime eis qui urgentur aduersitatibus huius uitæ, corporis & animi, conscientiæ & mortis. Ideo dicit Apostolus, Si modo gustastis. Quasi di cat, Si hoc nondum gustastis, frustra uobis hæc prædico.

2 Ad quem accedentes, lapidem uiuum, ab hominibus quidem repro batum, à deo autem electum & honorificatum, & ipsi tanq̃ lapides uiui superædificamini, domus spiritualis, sacerdotiū sanctum, offerentes spiri tuales hostias acceptabiles deo per Iesum Christum.

In humanis ædificijs lapides non mouentur de loco ad locū, sed suis cōsistunt locis, nec crescunt. In hoc aūt ædificio ecclesiastico (quod constat uiuis lapidibus, & semper proficiētibus, cuius præcipuus & omnia continens lapis est Iesus Chri stus, uiuus & æternus, prudem, iuxta Psalmographi uaticiniū, ab hominibus reie ctus, hoc est à pharisæis, qui suo templo perituro freti, structurā hanc cœlestem ac spiritualem non nouerant, sed dei iudicio selectus, multoq̃ in pretio habitus) ni hil obstat, quo minus paulatim, ut dictum est, ad structuræ perfectionem proficia tur. Igitur ad Christum lapidem uiuum, lapidem electū, lapidem in dei oculis pre tiosum, oportet uos uirtutū profectibus accedere, ut ipsi quoq̃ tali fundamēto ni xi, paulatim superstruamini, fiduciam totam & spem in ipsum ponētes, quo solo etiam sustentamini, qui & gestat ecclesiam atq̃ suffert, donec efficiamini tēpla spi ritus sancti, longe sacratiora templo, quo gloriantur Iudæi, & in quibus sacerdo tium exerceatur multo sanctius q̃ in illo consueuit. Siquidem in illo Leuitæ & sa cerdotes pecudes immolabant, in his spiritualibus templis uosipsi spirituales ho stias offertis, longe gratissimas deo: qui ut est spiritus, nō corpus: ita spiritualibus hostijs delectatur, ne quid desideretis Moysi ritus, per euangeliū Christi iam suo modo antiquatos. Pro uarijs animantiū generibus mactatis affectus mundanos brutosq̃, libidinem, superbiā, iram, inuidiā, uindictę cupiditatē, luxum, auaritiā: pro thymiamate puras preces, è synceri pectoris ara subuolātes in cœlū. Hęc sunt sacrificia, quæ nunq̃ non immolant in templo spirituali, quæ nunq̃ non sunt gra ta deo. Tria ergo hic D. Petrus fidelibus cūctis, de quibus hic loquitur, officia cō, tulit & mādauit, ut gloriā dei prædicēt factis & uerbis, pro modo uocationis suę, priuatim uel publice. Apud deū pro nobis inuicē intercedamus, ut Christus do cuit: demūq̃ nosipsos deo offeramus. Denicq̃ sicut Christus sumus pontifex solus suū corpus obtulit, ita oportet nos quoq̃ nostra offerre corpora, ferēdo crucem, quam nobis deus per se uel ministros suos malos aut bonos imposuerit.

3 Propter quod cōtinet scriptura, Ecce pono in Sion lapidē summū, an gularē, probatū, electū, pretiosum: & qui crediderit in eū, non cōfundet.

Plurima hic subinde loca scripturę apostolus insulcit. Primū ex Isa. cap. 28. di cente de Christo lapide primario, pretioso, angulari. Nec loquitur de corporali lapide, cum sequat, Qui credet in eum, &c. Spiritualis aūt sit necesse est, si crede re in eum iubeor. Deinde & necessario deus est, in quem solum credere nos iubet decalogus. Quin & fundamentū ecclesiæ aliud non est, nisi deus. Quia uero par ticeps est ædificij, & insuper caput, eiusdem conditionis cū membris reliquis, se quitur ipsum nobis similē quoq̃ hominē & uerū esse: nunc quoq̃ cum caput est tam triūphantis q̃ adhuc militantis ecclesiæ. Summū aūt lapidem intelligit funda mentalē: neq̃ enim nos eum sed ipse nos gestat: cui quandiu innitimur, hoc est in illū confidimus, necesse est nos manere in illo. Etiā angularem appellat prophetā Christum,

Christum, quia gentes simul & Iudæos coniunxit prius inimicos, unamq; ex eis collegit ecclesiam per fidem, qua utriq; fateamur, nos nihil habere boni à nobis, sed peccatores esse, per Christũ patri recõciliatos. Probatus dicitur, tunsionibus scilicet, & pressuris passionũ, quas ex charitate pro nobis sustinuit, in exemplum fidelibus. Electum, quia primitiæ electorum omnium in eo erant ante mũdi constitutionem, propter quem electi sunt reliqui omnes fratres sui inæternũ uicturi. Pretiosus quoq;, propter electos, quibus in hoc mũdo nihil est pretiosius: sentiũt em in ipso sibi uerũ & stabile conseruari gaudiũ, & uitam æternã. Confundi aũt, est damnari non credentes, iuxta illud, Qui aũt non crediderit, condemnabitur.

4 Vobis igitur honor credentibus, non credẽtibus autem, lapis quem reprobauerũt ædificantes, hic factus est in caput anguli, & lapis offensionis, & petra scandali, his qui offendunt uerbo, nec credunt in quo & positi sunt.

Quod prædixit propheta de ecclesiæ fundamento Christo, iam uidemus exhiberi. Idem ille lapis alijs pretiosus fuit ac salutaris, alijs noxius ac pestilens. Vobis merito pretiosus est, qui illi fide et charitate nitimini, qui eo fiditis, aduersus oẽs tempestatũ procellas tuti eius præsidio. Cæterũ ijs qui Mosaicis ceremonijs maluerunt inniti q̃ huic, qui hunc reiecerunt, nolentes eum poni in ædificio, quod ipsi parabant ædificare, uersus est in probrũ ac perniciem. Etenim quem illi suo ædificio dignati non sunt, hunc deus in suo ædificio uoluit esse caput anguli, quo ceu parietem utrunq;, gentem utranq;, gentium ac Iudæoꝝ, complecteretur & contineret, cuius munimento tuta esset aduersus omnes insultus structura, et in quem suo malo impingerent & incurrerent, quicunq; aduersarent huic nouo ædificio. Impingunt aũt, quoscunq; offendit sermo euangelicus: neq; credunt illi, cũ huc eos præparauerit lex Mosaica, ut crederent euangelio, simulatq; uere præstaretur quod adumbrasset illa. Proinde qui reprobauerunt Christum, hos uicissim reprobauit deus. Cætera uide Isaiæ 8. & Psal. 117.

5 Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut uirtutes annuncietis eius, qui de tenebris uos uocauit in admirabile lumen suum.

Manifestum est Petrũ ad totum Christi populũ, & ad uniuersos Christianos hoc loco uerba facere, cum dicit, Vos estis genus electum, & sanctus populus: ad eos loquit̃ solos & omnes, qui super angularẽ lapidem sunt ædificati atq; credũt. Vnde & sequitur, non esse eos sacerdotes qui non credunt. Iam non credunt hij tantũ qui uncti sunt & rasi, sed et alij multo plures. Et possunt quidẽ ac debent ex ecclesia seligi, qui officium prędicandi in ecclesia obeant, & sint ministri uerbi ad hoc constituti, & sacramenta administrent, nihilominus tamen omnes iuxta scripturam sacrã & uerbũ dei, sacerdotes sumus quotquot sumus Christiani. Collocati em̃ sumus super eum lapidẽ, qui summus est sacerdos corã deo, cuius & nos mẽbra & filij sumus, qui in cõspectum dei prodire audemus, nosipsos offerre illi, & pro nobis ac alijs orare, docere quoq;, quæ spiritu Christi edocti nouimus. Eodem quoq; modo & reges nominat fideles: nõ eo modo quo mũdi reges solent, ut coronã gestent, equitatu utentes, & regali pompa: sed quia pedibus fideliũ cũcta subiecta sunt in Christo, cuius sunt oẽmia. Quid aũt est sacerdotiũ? quod eius officium? Sequitur, Vt annũcietis &c. A deo in mandatis habet omnis Christianus, ut uerbũ dei annunciet, & mirabilia quæ deus fecit sanctis, ut è tenebris uos in lu

cem adduceret. Id frater etiam fratri annunciet opus illud magnificum, ac admirandæ uirtutis facinus, quod semel malis oīibus liberauerit Christus, & ad æternam uitam uocarit. Vbicunq; homines uideritis talia adhuc ignorantes, hos docete, quæ uos estis docti: nempe quod uirtute ac potentia dei in Christo salutem & lucem admirandam oporteat assequi, qua alioqui caremus.

6 Qui aliquando non populus dei, nunc autem populus dei: qui non consequuti misericordiam, nunc autem misericordiam consequuti.

Hic locus ad uerbum in propheta Oseæ 2. cap. habetur, quem & D. Paulus citauit ad Roma. 9. Huc autem spectat, quia deus populum Israel peculiariter elegerat, honorauerat multis, prophetas dederat, mirabilia pro eis fecerat, propter Christum ex eo populo promissum mūdo toti. Vos autem Christiani, ait Petrus, nunc estis populus dei, qui eratis aliquando non populus. Ad gentes enim hanc quoq; epistolam scribit, non tantum ad Iudæos conuersos, uolens ostendere dictum prophetæ nunc quoq; impletum esse, postquam ipsi, qui quondam idololatræ erant, & non populus dei, sanctus populus, dei peculium, sacerdotium & regnum facti sint in Christo, cui se credunt, & cui obediunt.

7 Charissimi, obsecro uos tanquam aduenas & peregrinos, abstinere uos à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam, conuersationem uestram inter gentes habentes bonam, ut in eo quod detrectant de uobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus uos considerātes, glorificent deum in die uisitationis.

Postquam ex his agnoscitis dei singularem erga uos beneficentiam, quos sanguinis pretio redemerit, quos filij morte sibi reconciliauerit, quos unigeniti sui membra, quos cœlestis structuræ lapides uiuos esse uoluerit, quos in filiorum ius adoptatos, & in conspectu suo honoratissimos, ad immortalitatis hæreditatem uocarit, obsecro uos charissimi, ut uitæ sanctimonia, & dignitati uestræ, & benignitati diuinæ, & tanto præmio & honori respōdeatis & officio. Cœlo renati estis, hic ueluti hospites ac peregrini, eò properate, ubi uobis est patria, ubi reposita est cœlestis hæreditas, ne quid ab hoc studio uos auocent terrenæ crassæq; cupiditates, quæ machinis omnibus militant ac belligerantur aduersus spiritum, rebus cœlestibus inhiantem. Congruat uita professioni, ut uestri mores, & alios allíciant ad Christum, quos habet paganismus, inter quos uiuitis, quibus in tantū non oportet ullam dare ansam, ut iure male sentiant de doctrina euangelica, si conspexerint uos ad communem uitæ consuetudinem nihilo meliores cæteris: ut obtrectationem illorum, qua de uobis maledicunt, odio Christi quem ignorāt, & odio religionis, quam existimant esse maleficam superstitionem, refellat integritas morum uestrorum, & in omnes beneficētia. Quibus rebus compertis, resipiscent & illi, agnoscentes errorem suum, afflati misericordia dei, cum illi uisum fuerit, & illos attrahere, qui uos delegit. Iamq; glorificēt eum ex uestris pijs operibus, quem ante ignoratum detestabantur.

8 Subiecti igitur estote omni humanæ creaturę propter dīm, siue regi, quasi præcellenti: siue ducibus, tanquam ab eo missis, ad uindictam malefactorum, laudem uero bonorum. Quia sic est uolūtas dei, ut benefacientes, obmutescere faciatis imprudentiū hominum ignorantiam, quasi liberi, & non quasi uelamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut serui dei.

Hactenus

Hactenus in genere disseruit quomodo instituenda sit uita, in quauis uitæ conditione: iam instruit quomodo erga prophanum magistratū quilibet se habere debeat. Habet hic quoq; mundus ordinem suum qui per occasionem religionis turbandus non est, quatenus id licet incolumi Christi gloria. Ita Christus uos uoluit esse liberos à peccatis, ut tamen ultro nihil non feratis ob euangelij negotium, obtemperantes ac submittentes uos, non modo Christianis, uerumetiã Ethnicis magistratibus: siue rex sit ille, obediendũ est tanquam authoritate publica pręminenti: siue præsides, per quos in prouinciã missos administratres publicas, obtemperandum est. Neq; uos moueat quod Ethnici sunt, quod idololatræ sunt, sed agnoscite functionem illorum necessariã reipublicæ, quæ constat è diuersis hominum ac religionum generibus: præsident enim isti cum authoritate ut nocentes ac scelerosos supplicíorum metu coerceant, ac probos præmijs inuitent ad officiũ. Non est uobis opus illorum metu qui sponte præstatis plus quàm exigant leges humanæ: non est opus humana laude quos inflammat cœleste præmiũ. Sed tamen oportet & hos cũ cęteris agnoscere. Sic enim uult deus summus ille princeps uester, ne quam ansam præbeatis illorum imprudẽtiæ, qua possint probaliter in crimen uocare professionem euangelicam, si senserint suam authoritatem à uobis negligi. Quod alij præstant metu legum, id uos ultro ex animo præstate, cumulatius etiam quàm alij, quo uos liberos declaretis. Nam liber est is qui sponte ac uolens recte facit. Abſit enim ut euangelicæ libertatis prætextu abutamini ad licentius peccandum. Non debetis seruitutem hominibus, sed quoniã estis serui dei, ob huius gloriam submittetis uos omnibus lubentes ac uolentes. Qui de Christiana uoluerit libertate gloriari, is ante præstet officium Christiani: nempe, ut proximis seruiat, ab omni iniuria temperet, charitatem exerceat, fidem præstet deo & hominibus, complacentiam habeat in omnibus legibus utiliter pro pace constitutis, abhorreat ut decet probum uirum ab omni malo, affectibus non turbetur uel pertrahatur, sed rationi obsequatur: is tamen non cadet sub lege, sed eam præcedet, amabit, gaudebit de ea, cupiet conseruari ab omnibus alijs, horror erit ei uel minimum transgredi, id uero toto libero ac alacri charitatis iudicio. Id agũt qui uere sunt Christiani, quibus lex nõ est lex, sed officij gratissimi optata occasio & pacis zelus pijssimus.

Omnes honorate, fraternitatem diligite, deum timete, regem honorificate. 9

Si quid officij, si quid honoris debetur etiã Ethnicis, uel ob munus publicum quod gerunt, uel ob affinitatem, id persoluite omnibus, ne quid offensi reddantur alieniores ab euangelij professione. Peculiari autẽ charitate par est prosequi quos communis professio fratres uobis reddidit, ut etiã inimici diligantur. Vnusquisq; quæ alterius sunt quærat non quæ sua, eo quod paria omnes habeamus à deo nobis dona donata. Deum timete, cuius oculos nemo fallit, cuius potestatem & manum nemo euadit. Timendus autem est, id est reuerendus, ne qualibet de causa in maiestatis diuinæ oculos offendere audeamus, qui non tantum dominus est, sed & pater. Proinde filiali ex charitate & syncera, nõ metu pœnarum est timendus, sed quia iustissima sanctissimaq; sunt omnia quæ uult & iubet, nobisq; saluberrima. Regem non est cur metuatis, qui non est formidabilis nisi maleficis, sed tamen authoritatem illius agnoscite in ijs quæ citra iacturam pietatis exigit à uobis, qualia sunt externa illa. Exposcit uectigal, soluite: exigit tributum, date.

Serui, subditi estote in omni timore dominis, non tantũ bonis & mo- 10
destis, sed etiam discolis.

Quod liberi præstare debent magistratibus licet Ethnicis, hoc serui præstare debent heris suis, à quorum obsequio non liberat illos baptismus: imò hoc maiore cum reuerentia debent illos agnoscere, non solum si boni sint ac modesti, uerum etiam si difficiles & asperi, ne forte offensi moribus uestris incõmodioribus incusent professionem, & ab ea reddantur alieniores, ad quam oportebat illos uestra probitate pellici magis & inuitari. Si igitur ex fide uerbi dei facis quod debes, certum habeas placere deo, hæc sunt uere bona opa tua: quicquid te iubet herus uel hera, id tibi deus faciendum mandauit.

11 Hæc est enim gratia, si propter dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniuste. Quæ est enim gratia, si peccantes & colaphizati suffertis? Sed si bene facientes, patienter sustinetis: hæc est gratia apud deum.

Dicet aliquis, Durum est ferre principum tyrannidem, durum est perpeti sæuitiam dominorũ, illi spoliant, exigunt, affligunt, hi flagris & colaphis conscindunt innoxios. Recte uiderentur hæc non ferenda si hoc illis tribueretur ac non potius deo. Non meretur hoc illorum impietas ut tolerentur, sed ita est dei uoluntas ut uestra bonitas illorum malitiam uertat in gloriam Christi. Nam ita demum grata est deo uestra patientia, cum præter meritum afflicti, tamẽ æquanimiter toleratis, non metu hominum, sed ob dei gloriam: uulgo nihil est impatientius contumeliæ quàm innocentia: at inter Christianos longe secus est, apud quos ut quisq; est optimus, ita deo cupit esse gratissimus, atq; hũc quo diligit impẽsius, hoc alacrius petitur quicquid ad illius pertinet gloriã. Quid autem laudis fuerit, si, cum obmalefacta colaphis cædimini, suffertis? Docet hoc mali conscientia, ut quisq; commeritas pœnas tacitus ferat. Verum cum pro benefactis illata mala patienter toleratis, gratiam initis apud deum, cuius causa uolentes perpetimini. Indignetur innocentia uestra, nisi Christus innocens grauiora passus est pro uobis.

12 In hoc enim uocati estis, quia & Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamini uestigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti se iniuste.

Hæc est uestra professio, hac lege asciti estis in corpus illius, ut exemplum tolerantiæ quod ille uobis reliquit sequamini, & ijsdẽ uestigijs ingressi grassemini ad æternam gloriam qua ille peruenit. Quid ille malorum non pertulit, qui cum latronibus crucifixus est? Quid eodem innocentius, qui adeò nullum admisit facinus, ut nec in lingua ipsius sit ullus unquam repertus dolus? Cum in illum conferrent acerba cõuitia, non regessit maledicta, quin potius patrem obsecrauit ut illis ignosceret. Cum uinciretur, cum cæderetur, cum crucifigeretur, non minitabatur uindictam, sed omnem uindictam reliquit patri, qui non ex affectu sed iustitiæ iudicat: ipse deprecatorem interim agens non instigatorem.

12 Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, iustitiæ uiuamus, cuius liuore sanati estis.

Mutuauit nonnulla uerba Petrus ex Isaia cap. 53. ubi quæ ibi dicuntur uidemas. Nos tametsi nunc sequimur innocentiam, tamen sceleribus nostris commeruimen sarcinam peccatorum nostrorũ, quo nos oneratos subleuaret, sustulit, in pro-

prio

prio corpore, & in ligno crucis uelut holocaustum pro nostris sceleribus immolatus est, suaq; morte immerita nobis debitam mortem depulit, ut illius mortem ac resurrectionem interim immitemur, ac mortui pristinis peccatis cupiditatibusq;, quibus addicti seruiebamus, posthac uiuamus innocentię, cui nos ille cõsecrauit, qui nostram impietatem in se transtulit, ut nobis suam conferret iustitiam: nos offenderamus, ille uapulauit: nostra erat culpa, in illum sæuijt animaduersio. Proinde iuxta uaticinium Isaiæ, Nos illius liuore sanati sumus. Huic igitur acceptũ ferre debetis innocentiam uestram, quod pristinæ uitæ peccata non imputat deus, huius uinculis, huius plagis, huius uulneribus, huius cruci, huius morti debetis. Hinc nobis discenda patientia, ut condolere magis lædentibus possimus ac pro ipsis dominum orare & in bono malum uincere, quàm contra redemptoris nostri exemplum uim ui repellere.

Eratis enim sicut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorem & 14
episcopum animarum uestrarum.

Iam antea uelut oues palantes absq; duce, alij alió aberrabatis, quò quenq; sua ducebat cupiditas, existimãtes licere quicquid liberet: sed ab errore pristino nunc conuersi estis ad Christum Iesum, pastorem & curatorem animarum uestrarum: hunc si sequamini, ferendis præter meritũ afflictiõibus malorum, illo duce peruenietis ad immortalitatis gloriã: is donato suo spiritu nos pascit ducitq; suo uerbo, ut iam certi per fidem simus salutis æternæ. Si igitur agnoscas per Christũ tibi esse sublata peccata, iam ouis es Christi, ipse tuus pastor & curator. Hæc nobis consolatio summa sit, quam Christiani ueri possident.

CAPVT III.

Similiter & mulieres subditæ sint uiris suis, ut & si qui non credũt 1
uerbo, per mulierum conuersationem, sine uerbo lucrifiant, considerantes in timore castam conuersationem uestram.

De uxoribus loquitur habentibus eo tempore infideles maritos, & de fidelibus maritis contra. Prædicantibus enim apostolis euangelium inter Gentes & Iudæos, frequenter unus cõiugum conuertebatur, altero in erroribus perseuerante. Docet ergo officium uxoris in statu suo ad maritum, dicens: Quemadmodum liberi principes ac magistratus publicos, serui dominos priuatos, debẽt obsequio, quod ubiq; parit beneuolentiam, ad euangelij fauorem pellicere, aut certe per occasionẽ non irritare, si forte sanabiles non sunt: ita debent uxores maritis suis morigeras præbere sese, non modo Christianis, uerumetiam ijs qui doctrinam euangelicam non sunt amplexi. Siquidem fieri potest ut quos non cõmouet nostra prædicatio, eos uxoris integritas, pietas, modestia, temperãtia, castitas, tolerantia permoueat atq; permolliat, ac denique Christo lucrifaciat. Etenim cum conspexerint eas à baptismo commutatis esse moribus, cum in eis uiderint exemplar ueræ uirtutis, fortassis inflammabuntur, huc etiam nonnihil appellente affectu maritali, ut qui thori consortes sunt uelint & professionis esse socij. Habet enim perquàm acres stimulos syncera probitas, quæ sæpenumero facit propius animaduersa ut carnalis amor uertatur in spiritualem. Illum excitat formæ uenustas, & formæ gratiam adiuuans cultus, hanc excitat mentis integræ pulchritudo, relucens in uerbis & moribus, dum nouit quàm deo gratum sit, sese marito exhibere modestam & obedientem.

2 Quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti ueſtimentorum cultus, ſed qui abſconditus eſt cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu dei locuples.

Vxoribus quæ Chriſtum profeſſæ ſunt, non oportet hoc eſſe ſtudium, ut iuxta uulgatam conſuetudinem compoſitis arte capillis, ut additis auro gemmisue & purpureo amictu, reliquoq; corporis cultu qui foris exhibetur, ſeſe commendent oculis uirorum. Quid enim aliud fiat hiſce rebus, niſi ut corpus uxoris adament ad uſum libidinis? At quota portio hominis eſt corpus? Illud magis debet eſſe ſtudio, ut morum ornatu prouocati mẽtem animumq; latentem adament ſi eam conſpexerint puram nulloq; uitiorum neuo contaminatam, ſi præter morem communem nihil uiderint in muliere muliebrium affectuum, nihil intemperantiæ, nihil iracundiæ, nihil inuidiæ, nihil ambitionis, nihil arrogantiæ, nihil procacitatis, ſed ſpiritum mitem, placidum, tractabilem ac manſuetum. Hic eſt cultus magnificus ac ſplendidus in oculis dei, hoc ornatu potiſſimum demerendus eſt maritorum animus: & hunc interiorem cultum etiam à uiris uxores requirant, neue in externum iſtum ornatum uterque uultum inſinuat. Chriſto ergo dedita mulier cogitet, nihili æſtimari tam deo quàm ſapientibus hominibus iſtum ornatũ externum: quod ſi eum aliqua ratione uel ob maritum geſtare cogatur, id fiat in gratiam tantum mariti, cui ſeſe ſubditam nouit uoluntate dei. Talis iam ſatis ſpiritu ornata uidebitur. Ad hæc diuus Petrus exemplum ſanctarum mulierum ſubiecit, ut Chriſtianas quoque ad ſimile prouocet.

3 Sic enim aliquando & ſanctæ mulieres ſperantes in deo ornabant ſe ſubiectæ proprijs uiris. Sicut Sara obediebat Abrahæ dominum eum uocans, cuius eſtis filiæ, benefacientes, & non pertimentes ullam perturbationem.

Hoc lenocinio & olim ſanctæ mulieres aliquot, quæ ſpem ſuam fixerunt, non in rebus fluxis atque caducis, ſed in deo, commendabant ſe uiris ſuis, non auro gemmisue aut purpura, ſed modeſtia & obſequio, quo facillime lenitur uirilis ingenij ferocitas. Sic Sara obediebat Abrahæ, dominum eum uocans cum uxor eſſet illius, non ancilla, modeſtiæ cauſa ſemet illi ſubijciens. Nam quanquam non competat uiro dominatus in uxorem, eſt tamen authoritas, qua etiam ſicubi abutatur: eſt tamen modeſtiæ muliebris obſequũdare in loco. Porrò ſicut Abrahæ germani ueriq; filij ſunt, qui fidem illius ſequuntur: ita uos eſtis Saræ filiæ, quæ mulieris optimæ mores & maſculum animi robur refertis, bonis operibus ornantes uoſmetipſas ac fiduciam omnem collocantes in deo: cuius præſidio fretæ, non eſt quod quicquam expaueſcatis imbecillitate muliebri, quæ ſibi omnibus in rebus metuant horreantq; facile & ad incantatiões leui de cauſa timentes currãt, ſed ſic animum obfirment, ut deo omnia committant, non dubitantes bene ceſſura omnia, ſi diuinæ ſe tutelæ commiſerint, qui omnia bene cedere faciat, ut nõ poſſis optare melius. Iam autem de uiris.

4 Viri ſimiliter cohabitantes ſecundum ſcientiam, quaſi infirmiori uaſculo muliebri impartientes honorem, tanquam & cohæredibus gratiæ uitæ, ut non impediantur orationes ueſtræ.

Vt matronarum officium eſt obſequio caſto ſanctisq; moribus ac manſuetudine

ne deuincere maritos suos: ita uestræ partes sunt ô uiri, nequaquam abuti uestra authoritate, ueluti tyrannidem agentes in uxores uestras quod uobis se submittant, imò hoc minus sitis in illas domini quod se faciũt ancillas, sociæ sunt fortunarum ac rerum omnium. Sentiant uos commodos conuictores, uestraq; sapientia subueniat imbecillitati sexus fœminei: quo plus ualetis animi corporisq; uiribus, hoc magis oportet opitulari mulierum infirmitati, ut uestra institutione uestraq; moderatione reddantur meliores, ac ueluti sexu posito masculescant ad euangelicam pietatem. Neque enim Christiani mariti sunt qui uxores tantum habent ad usum libidinis, imò magis adnitendum est ut sociæ fiant ieiuniorum, eleemosynarum, uigiliarum, precationum, quo quæ uocatæ sunt, ad commune præmium æternæ uitæ, communibus etiam studijs huc contendant. In Christiano coniugio nihil aut certe quàm minimum dandum est uoluptati, pietati plurimum, in qua si consensus erit, & subinde temporabitis à uoluptate, non interrumpentur uestræ precationes, quo sacrificio oportet quotidie litare deo. Vt igitur sunt aliorum alia peculiaria officia, ita sui quenq; hoc magis decet meminisse, quod qui Christum professus est, debet in his quæ probitatis sunt cæteris antecellere.

In fide autem omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, 5 misericordes, modesti, humiles, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes, quia in hoc uocati estis, ut benedictionem hæreditatis possideatis.

Illud autem est omnium commune officium, ut quemadmodum eadem omnibus est professio, sicut per baptismũ eidem estis insiti corpori: ita per concordiam sit idem omnium animus. Non uos ætas, fortuna, cõditio, patriaq; diuersa disiungat, quæ res apud alios sæpenumero ministrant odiorum ac dissidiorum seminarium. Vos oportet esse coniunctissimos, quos idem baptismus regenuit deo, qui patrem in cœlis habetis eundem, qui pendentes ab uno capite Christo, estis eiusdem corporis membra, quos enangelica professio fratres ex æquo reddidit. Et ob id ad idem immortalitatis præmium absque discrimine pater ille cœlestis uocauit omnes, siue pauperes siue diuites, siue seruos siue dominos, siue maritos siue uxores, siue Iudæos siue Gentes: in hac parte nullum est discrimen, & ideo non debet esse dissensio neque supercilium. Multo plus impetrabit Christiana charitas sese submittens quàm authoritas exigens. Neque enim conuenit inter arrogantes feroces suiq; amantes. Si in corpore animantis membra sibi uicissim sunt subsidio, & si quid uni cuipiam accidit commodi aut incommodi, id singuli suum esse ducunt: si quos sanguinis propinquitas coniungit, cognatorum cõmodis ac incommodis pariter gaudent & indolescunt. Quanto magis cõuenit uos tot modis coniunctos hunc præstare consensum, ut alienis bonis ac malis non minus tangamini quàm propriis. Ita demum præstabitis uere fraternam charitatem: si qui felicio res sunt, non fastidiant infortunatos, sed malis illorum indolescentes pro uiribus opitulentur: si qui potentia præeminent & authoritate, nõ premant ac despiciant humiliores, sed consuetudinis comitate affabilitateq; semet inferioribus accõmodent, ut sit æqualitas: & quos fortuna separauit, coniungat charitas Christiana. Absit autem à uobis uindictæ libido, quorum est alere concordiam, non solũ cum pijs ac fratribus, uerumetiam si fieri possit cum omnibus. Cum bonis oportet certare officijs, cum malis tolerantia, aut etiam beneficentia: qua ut uincuntur & feræ; ita mollescit aliquoties deplorata hominum malitia. Ne uelitis igitur iniuriam iniuria retaliare, aut conuitium conuitio. Sic enim fiet, ut ipsi mali sitis qui malos

imitemini, quin potius iniuriam officio, maledicentiam benedicendo pensate, ut uestra insuperabili bonitate uincatis, & obruatis illorum malitiam. Neque enim in hoc uocauit uos deus ut malefactis & maledictis superetis, sed omnibus bene faciendo, bene loquendo cunctis, mereamini audire uocem illam optabilem, Venite benedicti patris mei, possidete regnum.

6 Qui enim uult uitam diligere & dies uidere bonos, coerceat linguam suam à malo, & labia eius ne loquantur dolum. Declinet à malo & faciat bonum: inquirat pacem, & sequatur eam, quia oculi domini super iustos, & aures eius in preces eorum, uultus autem domini super facientes mala.

Bonis malefacere plus quàm ferinum est, in benedicos esse maledicum plus quàm scurrarum. De male merentibus bene mereri, & maledicentibus & obtrectatoribus bene loqui, Christianæ uirtutis est. Hoc si cui durum uidetur, audiat Psalmographum diuino afflatum spiritu idem præcipientem. Qui uult, inquit, uitam diligere, &c. Qui uult ut prospere sibi cedant omnia, is compescat linguam suam, & bono sit animo etiam erga inimicos, etiã cum irritatis, ubi etiam causam haberes conuitiandi. Etiam dolum compescat, quem cogitant in corde. A malo autem auertere se & bonum facere, significat maledicta obaudire, iniuriam negligere: sic pax inuenitur. Qui uero iniuriam retaliat, iniurius est: non autem repercutere, pacem conciliat. Tutor noster est dominus, non obliuiscetur nostri, non possumus excidere ex oculis eius. Quemadmodum autem intẽtos habet oculos suos in bonos cum gratia, ita tetricum intuetur malos iratoq; uultu. Cætera suis locis habentur.

7 Et quis est qui uobis noceat si boni æmulatores fueritis? Sed & si quid patimini propter iustitiam, beati.

Si deum uolumus in nos esse beneficum, simus ipsi benefici in omnes: si uolumus illius ultionem effugere, ne quem omnino lædamus. Nec audio quod hic forsitan obmurmurabit affectus humanus, Ni propulsaro iniuriã, impunitas inuitabit plurimos ad lædendum: imò nihil uos reddet tutiores ab iniuria, quàm si uel toleretis, uel officio pensetis etiam. Nullus est lædendi finis, quoties misera uicissitudine conuitium conuitio, iniuria conduplicatur iniuria: si nemo repugnet, consquiescet, aut certe langueſcet improbitas. Quis enim cupiat uos lædere, si studueritis omnibus benefacere, lædere neminem? Quod si qui reperiuntur adeò cæci, ut odio uirtutis aut errore uos persequantur, quæso qua in re possunt lædere, si studuerint pecuniam, mox alioqui relinquendã: affligent corpus, occident, breui aliqui morituros. Hæc omnia quoniam ob pietatem inferuntur, adeò nullum damnum adferunt, ut lucrum etiam augeant. His malis augent uobis æternæ felicitatis præmium. Qui bonæ mentis afficitur dispẽdio, is uere lædítur: ea incolumi, lucrum est quicquid mundus putat esse damnum, beatitudo est quicquid illis uidetur calamitas: in uobis igitur stum est efficere, ne qua uis malorum uobis noceat. Quicquid hominum improbitas ademerit, id diuina largitas immenso cum fœnore restituet.

8 Timorẽ autem eorum ne timueritis, & non cõturbemini. Dominum autem Christum sanctificate in cordibus uestris, parati semper ad satisfactionem, omni poscenti uos rationem, de ea quæ in uobis est spe.

Cum sic deo fruimur, nihil est quod terreant hominum minæ, aut perturbet malorum

malorum uiolentia. Ne in medijs quidem afflictionum procellis animo turbemini tanquam ope diuina destituti. Neq; maledicatis hominibus qui uos per ignorantiam affligunt, quin potius glorificate dominũ deum in cordibus uestris, qui suis famulis omnia uertit in bonum, siue læta accidant siue tristia. Semper itaque laudandus est, si uoce non licet, certe cordis affectu nusquam non licet. Huius hostes non sunt exacerbandi conuitijs, uerum ubicunq; offeret se spes aliqua, posse illos ad Christum pertrahi, sitis faciles promptiq; ad respondendum quibuslibet cupientibus cognoscere, qua fiducia, quaq; spe contemnatis huius uitæ commoda & incommoda toleretis. Hoc autem dicitur ad uniuersos Christianos, cuiuscunque tandem conditionis existant, ut fidei suæ rationem teneant, qua possint respondere pro ea ubicunq; id res postulet. Non ergo alicui Christiano interdici potest nec debet lectioni scripturarum sacrarum, ut cum moriendum, uel contra uitia et satanam pugnandum fuerit, spei tuæ fundamenta arripias, certus de eis quæ credere necesse est, nempe de uerbo dei intellecto & credito, etiam si nunquam futurum sit concilium. Quicquid denique doceant uel definiant præter scripturã uel contra episcopi cum suo Papa, hoc fundamentum fidei nemo Christianorum ignorare debet.

Sed cum modestia & timore, conscientiam habentes bonam, ut in eo 9
quod detrahunt uobis, confundantur, qui calumniantur uestram bonam in Christo conuersationem.

Rationem autem fidei & spei uestræ redditæ non indignabundi, non contumeliose, uelut illis infensi, sed cum omni mansuetudine ac reuerentia, freti nimirum uestra bona conscientia, etiamsi non possitis eadem illis persuadere. Neque enim satis est Christianis ut uera loquantur & Christo digna, sed ita loquantur ut ipsa sermonis ratio declaret uos nõ uestrum negotium agere, sed Christi gloriam & illorum spectare salutem. Hoc erit certissimũ argumẽtum quo pudefiant ij qui uitam uestram, quam agitis iuxta Christi doctrinam, calumniantur ut fucatam ac maleficam. Nam fucata uirtus quanquã aliàs fallat præstigio, tamen ubi uentum est ad afflictiones, erumpit ac prodit sese. Sola mens sibi bene conscia, totaq; pendens à deo, potest alacriter ferre omnia, & adeò non moliri uindictam, ut ijs etiam benefacere conetur à quibus affligitur. Egregiæ sunt istæ potẽtesq; sententiæ, quę animare & confirmare nos possunt, & simul in timore domini conseruare.

Melius est enim ut benefacientes (si uoluntas dei uelit) pati, quàm ma- 10
lefacientes, quia & Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, ut nos offerret deo, mortificatos quidem carne, uiuificatos autem spiritu.

Non uos moueat quod innocentes nocentium supplicia patimini, imò hoc nomine leuius ferendũ est quicquid infertur. Præstat enim uobis, ut si deo uisum fuerit ista uos pati, benefacientes perpetiamini quàm malefacientes. Etenim qui pro malefactis punitur, tantum luit quod cõmeruit, uestræ afflictiones cedunt in gloriam Christi uestræq; felicitatis cumulum. Glorioſum est uobis imitari principem uestrum: sic ille gloriam dei patris illustrauit, innocens captus est, uinctus est, cæsus est, consputus est, crucifixus est, pro nostris peccatis mortuus est, cum ipse nullum haberet peccatum. Iustus pro iniustis, insons pro sontibus, pœnas dedit, libenter obediens uoluntati paternæ, quo nos qui peccatores eramus, puros & illibatos exhiberet patri, ut & ipsi sequentes illius exemplum, inter

nocentes uiuamus innoxij, ac boni pro malorum salute patiamur. Semel ille dun taxat mortuus est, pro temporaria afflictione uita donatus æterna, ne nos semel exempti à peccatis ad eadem relaberemur. Expiauit autem nos Christus morti tradítus, ob imbecillitatem humani corporis quod assumpserat, sed reuocatus est ad uitam uirtute spiritus, qui nullis afflictionibus uinci poterat, iam superna turali conditione & immortali uiuendo, cuius nunc corpus beatum, uitam com plectitur summa felicitate donatam, quod hic fuerat mortuum. Quia autem hic lo cus cum sequenti difficillimus habetur, & insuper uariant multum exemplaria La tina, ut Græca quoq; nõ nisi immerito habeantur incerta. Et admodum interpre tes hic sudant, post uisos multos simplicior mihi expositio uisa est, quæ & antiquo rum fuit, & habetur ferè in Glossa, quæ Ordinaria dicta est, ne cogamur difficilem articulum, rari dogmatis, eruere ex loco incertæ intelligentiæ. Sequitur autẽ post prædicta in textu hoc modo, in translatione ueteri quam sequimur.

11 In quo & his qui in carcere erant spiritu ueniens prædicauit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca, in qua pauci, id est octo animæ saluæ factæ sunt per aquam.

Condependent hæc prioribus sicut posterioribus, unde hic sensus accipi potest: Christus dominus noster iustus & ipsa iustia mortuus est, sic uolens pro no bis hominibus iniustis à natiuitate nostra & ex iniustis operibus, quorum pecca ta tulit agnus dei innocens & immaculatus, ut nos qui malitia antiqui serpentis, & prauis studijs nostris abstracti eramus à deo, iterum offerret deo patri reconci liatos & gratificatos. Id autem Christus egit, ut dictum est, iuxta carnem & cor pus mortificatus, sic enim post Græcos legitur, in cruce, & repositus in sepulchrũ, sed spiritu uiuificatus tertia die, resurgens à mortuis uirtute diuina, & sic spiritua lis quoq; factus, ut esset postea, ut nunc est & semper, clarificatus, immortalis, im passibilis, beatus, & eatenus spiritualis, iuxta corpus & animã uerbo dei unitus, & ipse deus. Eodem autem spiritu diuino Christus quo fuerat reuiuificatus ue nit in die pentecostes, sicut promissus fuerat, in apostolos & reliquos discipulos, perq; eosdem prædicauit, eis hominibus qui erant in carcere uel carne, hoc est, Gentibus, idololatris, incredulis, errorum tenebris inuolutis, in potestate satanæ constitutis, carnalium desideriorum uinculis & carceri mancipatis per omnia ui tia, quæ explicat Paulus ad Romanos. Illis per apostolos prædicauit spiritus Chri sti, qui fuerant hactenus increduli in toto mundo, & ad pœnitentiam uocauit, ad fidem in deum uerum per Christum adduxit, salutem largitus est, & iustitiam ue ram, quæ est per fidem in Christum, in qua sancti omnes saluati sunt & saluantur, ut prædicatione Christi huiusmodi per apostolos saluus factus sit mundus: non ali ter quàm olim paucæ animæ saluatæ sunt per prædicationẽ Noe à diluuio uniuer sali, quo periit humanum genus reliquum, qui ad uerbum Noe exemplum hor tatumq; sese à criminosa uita centum annis continuo admoniti conuertere nolue runt. Quibus temporibus inuitabat quidem eos deus ad pœnitentiam, ostien dens quid futurum erat, hoc est diluuium, à quo nemo eripiendus esset nisi in ar ca Noe. Ea autem dei bonitate, patientia, & exhortatione non conuertebantur, indurati, & cõtemptores uerbi dei. Sicut ergo tunc maximo numero perierũt homines, inobedientes uerbo, & pauci sunt saluati credẽtes, octo tantũ homines: sic per spiritũ Christi in apostolis loquentem plures quidẽ saluati sunt, & ad deum conuersi

conuersi per fidem in toto mundo apostolorũ tempore, pauci tamen electi eorum respectu & comparatione qui credere renuerunt, maxime autem ex Iudæis, ut merito dicantur paucæ animæ. Increduli autem fuerant iam multæ gentes ab exordio mundi, maxime autem tempore apostolorum, quando idololatria & cultus superstitiosi, & eum se concomitantes impietates omnium generũ, maximi & fortissimi errores inualuerant in immensum, à quibus spiritu Christi apostolorũ opera & prædicatione saluatus & ereptus est mundus. Ne quid ex hoc loco de animarum in inferno conuersione per Christi prædicationem discere cogamur, cum satis hic locus clare pateat simpliciter intuentibus eum: uerum cui hæc non uidentur, habet quos sequatur alios doctos & magnos authores.

Quod & nos nunc similis formæ saluos facit baptisma, non carnis de- 12
positio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in deum, per resurrectionem Iesu Christi, qui est in dextera dei, deglutiens mortem, ut uitæ æternæ hæredes efficerentur, profectus in cœlum, subiectis sibi angelis & potestatibus & uirtutibus.

Iam quod illis fuit arca Noe, hoc nobis est baptismus: quod illis diluuium, hoc impijs æternum supplicium prædicatum ijs qui non obediunt euangelio, siue Iudæi sint siue Gentes. Satis erat Noe denunciasse uenturum diluuium, satis erat ostendisse quo pacto liceret effugere periculum, si pœnitentia placassent iram dei, quam in se suis sceleribus prouocarant, sed abusi sunt lenitate diuina. Vobis quoque satis sit innocentia uestra, satis sit alijs denunciasse quod præmium paratum sit credentibus euangelio, quæ pœna maneat incredulos. Si pauci seruantur per fidem, uobis non imputabitur: si bona pars hominũ perit incredulitate, suopte uitio perit. Sic deo uisum est apperire discrimen bonorum ac malorum. Baptismus rite acceptus, seruat ab exitio, ac diluit sordes non corporum sed animorum: repudiatus perdit in æternum, ac scelerum grauioribus undis inuoluit. Itaq; quod alijs saluti est, accedente fide, hoc incredulis ac rebellibus adfert exitium. Neque tamen uobis satis est quod per baptismi diluuium periere peccata, periere prauæ cupiditates pristinæ uitæ, nisi adsit conscientia, per omnem deinde uitam respondens beneficio diuino. Mortuus est Christus, sed semel duntaxat: resurrexit, nunquam moriturus: ac nobis per baptismum ita semel occiduntur scelera uitæ prioris per Christi mortem, ut post in illo rediuiui & innocentiæ restituti nũquam relabamur in peccata, quod quidem in nobis est: id fiet, si ueluti depositi mortalitate, totis animis ad cœlestem illam uitam aspiremus, cuius hæreditas manet obedientes euangelio. Sic enim resurrexit Iesus Christus, ut deinde non sit moratus in terris, sed à mortalium consortio sese subduxerit in cœlum, atque illic fruens immortalitatis gloria, assidet patri dexter, non sine corpore & anima, sed in quod nullum ius habeat mors, nec quæcunque miseria uel fatigatio: quæ mors dum absorbere conatur innocentem, prorsus absorpta est: dumq; sibi prædam opimam pollicetur, ipsa præda fuit. Porrò Christi uictoria nostra est uictoria, & quod in illo præcessit gloriæ nobis offeretur, si modo perseueremus in eo quod cœpimus, & illius uestigijs inhæreamus. In illum nihil ualuerunt improborum afflictiones, imò his tolerandis uicit, triumphat ac regnat sublimis sedens in cœlis, superior angelis omnibus, aut quicquid est alioqui uirtutum ac potestatum: uobis aperuit uiam in cœlum, ut eadem uia qua ille ingressus est uos quoque eodem gradiemini. Parata certaq; est hæreditas, cuius ille pro uobis quoq; possessionem adijt, si modo uos ea præstetis dignos, hoc est innocentiæ, quam ille gratis dona-

uit, iunxeritis ſtudium bene merendi deo mnibus, etiam de malis & affligenti
bus uos, quod quidem ſit in uobis.

CAPVT IIII.

1 CHriſto igitur paſſo in carne, & uos eadem cogitatiõe armamini. Chriſti uita & paſſio bifariam nobis in ſcriptura proponitur, ſemel ut donum fidem ædificans dum credimus ſanguine Chriſti expiata no ſtra peccata, nosq; aſſertos uitæ, quippe quibus Chriſtus ipſe donatus ſit. Et id quidem rei totius caput eſt, & in euangelicis literis præſtantiſſimum, ſicut & in propheticis & lege. Deinde datus eſt Chriſtus nobis atq; propoſitus ut exemplũ ac architectus, quem imitemur, ut ijſdem ſtudeamus quibus ille, ipſumq; tota uita & paſſione æmulemur. Cum enim Chriſtus princeps & caput ueſtrũ, ait Petrus, non obſequutus ſit huius uitæ uoluptatibus, ſed per tẽporarias corporis afflictio nes peruenerit ad cœleſtem gloriam, cumq; tolerantiæ armis deuicerit aduerſa rios, æquũ eſt ut qui profitemini uos illius diſcipulos ſimili animi propoſito uoſ metipſos armetis. Tutiſſima eſt armatura uitæ innocentia, inexpugnabile muni mentum eſt patientia Chriſtiana, cuius exemplum Chriſtum cogitantes, fortiter, non ignaui, mortem quoq; ſuſtineatis, & omnes afflictiones, anteſignanum mili tiæ ueſtræ Chriſtum habentes.

2 Quia qui paſſus eſt in carne, deſijt à peccatis, ut iam non deſideriſs ho minum, ſed uoluntate dei, quod reliquum eſt, in carne uiuat corporis.

Quiſquis Chriſto commortuus fuerit iuxta carnem, ſic deſtitit à peccatis uitæ prioris, ut humanis cupiditatibus planè ſit mortuus, ut non titilletur auiditate glo riæ, non irritetur uindicandi libidine, ſed quicquid eſt reliquum ætatis, quod datur in hoc corpuſculo, id totum uiuat uoluntati dei, cui uni placere deſiderat, à quo expectat bonæ conſcientiæ præmium, cui relinquit improborũ uindictam. Quiſquis ad martyrium paratus eſt, non tangitur huius mundi uoluptatibus. Sic enim apud ſe cogitat, Abſit ut ſemel cum Chriſto meo ſuffixus in crucem, deſcen dam ad relicta uitia, ſemel deſtinatus æternæ felicitati, reuoluar ad huius mundi non minus breues quàm inſanas delicias. Carnis autem nomine ſignificatur totus & integer homo ut in hac uita uiuit: opera quoq; carnis non ſolum ſunt craſſa illa carnis opera, ſed ſumma ac præcipua uitia, ut idololatria, hæreſis quoque, quæ non tantum in corpore, ſed in ratione potius hærent. Iſtis autem ſic carnalibus uti lis eſt crux & paſſio ut ea peccata reſtinguantur. Nam ubi ſerio te eorum pœni tere cœperit, ſtatim euaneſcit libido, inuidentia, odium, pertinacia in proprio ſen ſu. Cruce ergo dominus urget, ne conformemur uitijs carnis huic ſæculo.

3 Sufficit enim præteritum tempus ad uoluntatem gentium conſum mandam, his qui ambulauerunt in luxurijs, deſideriſs, uinolentijs, co meſſationibus, potationibus, ebrietatibus, & illicitis idolorum cultibus.

Plus nimio indulſimus nobis quod ante ſuſceptam fidem gentes omnes pro uo luntate Ethnica & carnali uitam detriuimus, alieni à uera religione, criminibus grauibus conſtricti fuimus, turpiſſime uiximus, addicti laſciuiæ & luxui, primum quidem in uerbis ac geſtibus, animi libidinem teſtantibus, loquẽdo & audiendo intemperanter, unde & praua deſideria ſuccendũtur, ſed & ad opus facto pergreſ ſum

sum est frequenter, dum desiderijs est satisfactũ, & perpotatio ad ebrietatẽ peruenit turpissimã, non sine comessationibus, unde & abominabilis succedit idolorũ seruitus. Hæc autẽ talia ac tanta gaudemus gentes tot & tantas à tergo reliquisse Christi beneficio, unde & quoties respicimus inhorrescimus tantam uitæ fœditatem, tantam ignorantiæ caliginem. Nunc autem dei gratia & fide in Christũ institutis pro libidine placet castitas, pro luxu frugalitas, pro uinolentia sobrietas, pro superstitioso simulachrorum cultu uera pietas religiosusq; cultus dei uiui, cui gratissimum sacrificiũ est, animus ab omni uitiorũ inquinamento purus & illibatus.

In quo admirantur non concurrentibus uobis in eandẽ luxuriæ con- 4
fusionem blasphemantes, qui reddent rationem ei qui paratus est iudicare uiuos & mortuos.

Quos adhuc habent ac detinent suæ tenebræ, isti mirantur tantam in uobis illam animorum ac uitæ mutationem, & indignantur uestra frugalitate damnari luxum ipsorum, uestra integritate notari uitam ipsorum omni intemperantiæ genere superfluentem: amarent socios turpitudinis suæ, nunc ob uitæ dissimilitudinem obtrectant uobis. Sed non est quod horum conuitijs cõmoueamini, nec sunt uicissim conuitijs insectandi, uobis satis sit mens sibi bene conscia apud deum: si qua potestis illos ad meliora conuertere conandum est, sed ita, ut à uestra synceritate non recedatis: si resipiunt, gratulandum est: si obdurati, conuitijs etiam insectantur beneuolentes, relinquite uindictam deo, cuius iudicium nullus mortalium potest effugere, is enim suo tempore iudicabit omnes, non uiuos tantum, uerum etiam mortuos, quando & rationem reddere nos oportebit deo, cui uos omnia iuste iudicaturo interim committatis.

Propter hoc enim & mortuis euangelizatũ est, ut iudicentur quidem 5
secundum homines in carne, uiuant autem secundum deum in spiritu.

Vt insolens uideatur textus, qui & non integre ad nos peruenire potuit, ut alias non raro, tamen simplex est intellectus ut uidetur, quem sequitur priscus glossator ordinarius. Tanta, inquit cura est deo, ut nosmet mortificemus in carne, et uiuificemur in spiritu Christi, ut his quoq; nimirum Gentibus de quibus loquitur hactenus, & incredulis, qui maioribus criminibus inuoluti sunt, ut dictum est, ne cessario & digne inter mortuos erant numerandi, uerbũ fidei per apostolos euangelizare præceperit, ut iudicentur quidem, id est condemnentur in sua propria conscientia secundum homines, hoc est, secundum hoc quod ad morẽ hominum peccatorum & carnalium uixerunt in carne, id est carnalibus desiderijs. Abiectis autem postea uitijs, per euangelium admoniti uiuant in spiritu, hoc est, spiritualiter & secundum deum, hoc est, iuxta uoluntatem & beneplacitũ dei. Vel iudicentur iuxta homines, id est, secundum rationem, quam deus dedit hominibus, ut ratio ipsa humana sensusq; communis, fide euangelij illuminatus, damnet mala, in his qui iam antea fuerant impij.

Omnium autem finis appropinquauit, estote itaq; prudentes, & uigi- 6
late in orationibus.

Cupit ille quidem omnes gentes reuiuiscere ad pietatem euangelicam quam prædicari uoluit, non modo Iudæis, sed & Gentibus, iuxta inueteratam consuetudinem omni uitiorum genere prorsus mortuis & sepultis. Et horum tenebris uoluit ingeri lucem euangelicam, hos uoluit cum omni mansuetudine tolerantiaq; doceri, ut & ipsi tandem expergiscentes contemptis his in quibus nunc cæci colluctant felicitatem suam, apud homines quidem habeantur ueluti corpore mortui,

quod nullis corporis affectibus tangantur, sed apud deū uiuant spiritu. Nō enim uere uiuit iudice deo, nisi qui sic mortuus est. Nihil autem hic diuturnum, & omnium rerum breui finis aderit: & illos cito relinquent suæ uoluptates, & uestræ afflictiones mox finientur, deinde uos manet æterna felicitas, illos æternum supplicium. Proinde modis omnibus aduigilandum ne uos ille dies offendat dormitabundos & oscitantes crapula socordiaq́, quin magis perpetuo præparetis uosmet ipsos aduersus eum diē sobrij ac uigilantes in assiduis precationibus: ueniet enim inexpectatus (sic Christo uisum est) sed in his si deprehenderit, non poterit non uenire felix.

7 Ante omnia autem mutuam in nobismetipsis charitatem continuam habentes, quia charitas operit multitudinem peccatorum.

Grata quidem est deo sobrietas, tutum est uigilare, lubens audit deus preces, temperantia uigiliaq́ commendatas, sed illud multo omnium gratissimum, ut iugi uehementiq́ charitate uos inuicem complectamini, mutuis officijs inuicē subleuantes, ut qui uigilantior est expergefaciat oscitantem, qui doctior eruditiorem, qui attentior admoneat cessantem, qui feruentior extimulet frigentem, qui perfectior est condonet per infirmitatem erranti. Nam hæc charitas ardens in proximum operit multitudinem peccatorum quibus obnoxij sumus deo: quod in illum deliquimus, optime diluitur collocandis in proximum beneficijs: ut cuiq́ facultas obtigit, ita hac studeat prodesse fratri. Vera enim dilectio omnia suffert, omnia credit, omnia sustinet, id est, de quibuslibet sibi optima pollicetur.

8 Hospitales inuicem sine murmuratione. Vnusquisq́ sicut accepit gratiam in alterutrum, illam administrātes sicut boni dispensatores multiformis gratiæ dei.

Cui res est hospitalem se præbeat, ac largiatur ijs quibus opus est, non graue neq́ cum murmure, sed lubens & alacer, existimans se beneficium accipere cum dat, & huiusmodi rei dispendium ingens esse compendium apud deum, omnia cumulatissime remetientem. Quin & illud cogitate, Quicquid iuuando proximo impenditis, dei beneficium esse, in hoc donatum ut hac ueluti sorte credita ditescatis usura piorum operum. Alijs alias dotes distribuit deus. Nemo sibi uendicet quod habet, cogitet dei munus esse quod per uos distribui uult in alios, ut ex mutuis officijs magis ac magis adglutinetur inter uos mutua charitas, & singulis per occasionem crescat præmium pietatis. Nemo sibi displiceat quod hac aut illa dote non sit præditus: nemo sibi placeat quod dotibus præcellat alios. Sic uisum fuit diuiti benignoq́ deo uarie partiri sua munera. Nemo dominus est eius quod accepit, dispensator tantum est, domini res est quam dispensat: id si bona fide, si alacriter, si sollicite facit, ne mercedem expectet ab homine, recepturus à deo.

9 Si quis loquitur, tanquam sermones dei: si quis ministrat, tanquam ex uirtute, quam administrat deus, ut in omnibus honorificetur deus per Iesum Christum, cui est gloria & imperium in sæcula sæculorum, Amen.

Si cui contigit doctrina sacra, si cui donum eruditæ linguæ, non abutatur ad quæstum, ad fastum, aut ad inanem gloriam, sed ad proximi salutem Christiq́ gloriam. Sentiant auditores esse dei sermones non hominum, & eum qui loquitur nihil aliud esse quàm organū diuinæ uocis. Si quis magis ualet functione quàm doctrina, sic administret dotem suam ut non sibi uendicet authoritatē, sed deo transcribat, qui uim & robur suppeditat ut efficaciter obeat quod agit. Ita fiet ut ex do

nibus

tibus uarie distributis, ex munijs uarie obitis, undiq; glorificetur deus, à quo ceu fonte nobis fluunt omnia, non per Mosen, sed Iesum Christum, per quem ut unicum filium, nobis largitur quicquid largitur pater. Huic acceptum refert, qui officio fratris adiutus est: huic gratias aget, qui suo ministerio gaudet adiutum fratrem. Summa igitur omnis gloriæ undiquaq; ad deum patrem redit ac filium, cui iugis est gloria ac imperium, nullo æuo finiendum. Amen. Nihil æque fœdum ac noxium, quàm ecclesiam dei aliter regere uel gubernare, quàm suo uerbo, & opere spiritus diuini: idq; ad priuatum commodum uel ad quæstum, non ad glorificationem diuini nominis.

Charissimi, nolite peregrinari in feruore qui ad tentationem uobis 10
fit, quasi noui aliquid uobis contingat, sed communicantes Christi passionibus gaudete, ut & in reuelatione glorię eius gaudeatis exultantes.

Nobis non est hic quærenda gloria, tantum oportet beneficij meminisse, quo placeamus deo. De præmio uiderit ille cui fidimus, qui se negare non potest, & est ipsa ueritas. Ille persequentium malitiam uobis uertet in bonum, cruciatus mutabit in gaudium, ignominiam in gloriam. Proinde charissimi, ne interim ceu re noua perturbemini, si cœlestis regni cõsortes futuri, temporarijs afflictionibus exploramini, uelut aurum igni: mox enim ut fidem estis amplexi, non differt deus crucem imponere, quo uos corroboret, & efficacem potentemq; reddat in uobis ueram fidem. Nouum igitur uobis uideri non debet, quod olim præcessit in probatis prophetis, quod nuper in Christo. Leuius ferendum est, quod uidetis cum omnibus deo probatis uiris uobis esse commune. At quod hac in parte discipuli præceptorem, membra caput refertis Iesum Christum, gaudere etiam ac uobis gratulari debetis, quod ut nunc uos habet dignos, quos uelit esse socios afflictionum: ita post, quum apparuerit omnibus maiestatem suam, pudefactis & attonitis qui illum & illius odio uos afflixerunt, exultabitis ineffabili gaudio.

Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniam quod est 11
honoris, glorię et uirtutis dei, et qui est eius spiritus, super uos requiescit.

Si interim probris uos afficiunt homines, nõ ob uestra flagitia, sed ob professionem Christi, quantumuis affligimini corpore, tamen hoc nomine estis beati, quod in medijs etiam cruciatibus, in medijs ignominijs gloriosus ille spiritus dei refocillatur in uobis, ob animum innoxium, sibiq; bene conscium. Dulce est pati cum Christo, gloriosum est pati pro Christo. Nam quod in ipsis est, probro afficiunt Christum, sed uestra innocẽtia, uestra tolerantia facit, ut id cedat in illius gloriam. Nihil ergo solicitos uos oportet esse aut angi, quando execrant uos, pro eo quod Christi nomen super uos requiescit. Ea enim blasphemia ad ipsum qui spiritus gloriæ est, non ad uos pertinet, qui eam probe ulciscetur, uosq; ab ea uindicatos adducet in gloriam. Ad uos enim dicit, Qui uos suscipit, me suscipit: & qui uos spernit, &c. Et alibi, Si audiẽtes audieritis ad præcepta mea, inimicus ero inimicorum uestrorum, &c.

Nemo autem uestrũ patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut 12
alienorum appetitor. Si autem ut Christianus, non erubescat, glorificet autem deum in isto nomine, quoniam tempus est, ut incipiat iudicium à domo dei.

Absit ut quisquam uestrum affligatur ob homicidium, aut conuitium, aut curiositatem eorum quæ nihil ad uos pertinent. Non enim cruciatus martyrem fa-

cit, sed causa. Quisquis autem patitur, nõ ob aliud nisi quod Christianus dicitur, non est quod pudeat supplicij. Furem appellari turpe est, Christianum appellari glorioſum est. Verbo dei fideliter adhærere tutũ est sanè intellecto, & collato cum scripturæ locis, quo firmari possit cõscientia contra omnes sine scripturis loquentes, & non solam dei gloriam quærentes. Beati sunt, quibus uel sic licet effugere supplicia gehennæ, quibus per momentarias afflictiones datur aditus ad æterna gaudia. Ad hæc non admittit deus, nisi multa malorum tolerantia spectatum probatumq;. Olim exercebit formidabile iudicium, ubi misericordiæ tempus fuerit exactũ, ubi pro meritis sua cuiq; reddentur præmia. Interim mitius est iudicium, cum temporarijs cruciatibus ad purum examinati, reddimur idonei consortio Christi, qui nihil admittet, nisi purgatissimũ ac defecatissimum. Iam tempus est, ut hoc iudicium exerceatur, quo magis sit euidens, qui uere fidant deo, qui uere diligant Christum. Res prosperæ trãquillæq; non arguunt ueram pietatem. Mosaicas ceremonias seruare potest & hypocrita, at iacturam rerum, probra, carceres, flagra, mortem, nemo fert æquo animo, nisi qui fidem inuictam cum euangelica charitate coniunxerit. Ad hæc se parent, qui uolunt olim regnare cum Christo. Iudicium hoc incipiet à domo dei, quæ est ecclesia. Infulcit hic simul duos prophetarum locos. Primum Iere. 25. dicentis, Ecce in ciuitate in qua inuocatum est nomen meum, ego incipio affligere, & primũ dilectissimos filios meos castigabo, eos primos omniũ experiri oportet ignem istum tribulationis, quo iusti probantur. Et uos inimici mei scilicet ignem hũc euadetis? Non fiet. Et 49. cap. Qui non meruerant ut biberent calicem, bibentes bibent &c. Percutiam charos, ut uideas quid hostibus meis sim facturus. Et Ezech. 9. de Tau signo in frontibus, ubi dicitur, Incipite à sanctuario meo.

13 Si autem primum à nobis, quis finis eorum qui non credunt dei euangelio? Et si iustus quidem uix saluabitur, impius & peccator ubi parebunt?

Si tanta purgatione nobis est opus, qui credimus euangelio, & uiuimus innocenter, quis finis, quod iudicium, quæ pœna manet illos, qui diffidentes euangelio dei, persistunt in suis flagitijs? Si sic examinantur qui simpliciter obedientes euangelio, relictis omnibus huius mundi delicijs, tradiderunt se studio pietatis: quid futurum est eis, quos euangelij prædicatio reddidit etiam deteriores? Et si qui iuste uiuunt, nullius mali sibi conscij, non sine periculo negotioq; perueniũt ad portum æternæ salutis: qua spe comparebunt impij ac sceleroſi in iudicio tam exacto, tamq; formidando? Et sumptus est hic locus ex libro Prouerbiorum 11. capite. Si iustus in terra recipit, quanto magis impius & peccator? Si cæditur pius, impius ubi manebit? Quando tanto impulsu fides concutitur, ut plane tremat & trepidet, quomodo poterit consistere qui fide uacat? Propterea sic concludit,

14 Itaq; & hi qui patiuntur secũdum uoluntatem dei, fideli creatori commendent animas suas in benefactis.

Tantum abest ut illic sibi sperent ullam salutem, ut hi quoq; qui non ob male facta, sed ob uoluntatem dei cruciantur in hoc mundo, non debeant sibi fidere, sed pro uiribus exercentes opera pietatis, hoc pacto deponant animas suas apud deum conditorem, cuius bonitas non sinet perire quod condidit, si benefactis immoriantur, sicq; suis diffisi meritis, ab illius benignitate præmium expectent. Danda illis est opera, ut Christiani nomen impleant, fidem testando bonis operibus.

bus. Vbi uero neglectim ita uixeritis, experientia discetis, quàm uosmetipsos fefellerint.

CAPVT V.

Eniores ergo qui in uobis sunt obsecro, cõsenior & testis Chri- 1
sti passionum, qui & eius quæ in futuro reuelanda est gloriæ communicator.

Quæ hic dicit, peculiariter ad episcopos & parochos attinent, qui hic dicũtur presbyteri, id est seniores ecclesiæ. Hoc, inquit, agite fratres, & seorsum singuli, & in communi omnes, ut Christi uestigia sequentes, ad illius consortium perueniatis. Sed par est, ut qui præcellunt ætatis authoritate, præcellant & studio pietatis. Ab horum exemplo, ab horum doctrina, ab horum authoritate pendet reliquus grex, quibus haudquaquam satis est, si suam tueantur innocentiam, ni multitudinis etiam curam agant. Nam his authoritatem addit canicies, prudentiam rerum usus, fidem integritas diu probata spectataq;. Vos igitur appello seniores, populi custodes, senior & ipse: qui quod doceo, re factisq; præstiti: quippe qui pro Christo carceres & flagra perpessus, ad crucem etiã paratus, ubi uolet deus: atq; idem optimam spem habens fore, ut quem ille dignum habuerit, ut pro ipso peteretur, eundem sit ad gloriæ cœlestis consortium admissurus, simulatq; uenerit ille dies, quo declarabit orbi maiestatẽ suam, & finitis certaminibus proferentur præmia. Seniores autem nominans Petrus, & se consenior em, indicat seniores & presbyteros se dicere, qui funguntur uerbi ministerio, & curam habent ecclesiæ gubernandæ, qualis ipse quoq; erat. Non se prælatum nominãs, sed testem afflictionum quæ in Christo sunt, hoc est, pro Christo inferuntur. Is apostolici tituli pars est, sed n[illegible]lto sublimior, quàm quo episcopi nostri hactenus insigniri maluerunt.

Pascite qui in uobis est gregem dei, prouidentes non coacte, sed spon- 2
tanee secundum deum: neq; turpis lucri gratia, sed uoluntarie: neq; ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.

Obsecro, ait, uos per cruciatus à Christo pro uobis toleratos, per meas afflictiones, quibus dominũ meum pro uirili sequor, præbete uos uere pastores multitudinis, quæ cuiq; fortè obtigit: uigilate, obambulate, despicite, curate, ne quid desit gregi, pro quo mortuus est Christus, ne consolatio sancta, ne doctrina salutaris, ne uitæ euangelicæ exemplum. Episcopi uocamini, re præstate quod appellamini. Pascite, curate, regite, custodite, ne quid pereat, ne quid aberret. Idq; facite nõ grauate, ueluti coacti metu, aut pudore, aut officij necessitate, sed prompte, sed libenter, sed ex animo, nihil aliud spectantes, q̃ quid deo sit gratum: illius negotium agitis, ab illo recepturi mercedem æternam. In hac uita ne quæritè præmium. Turpe est quæstus gratia curare populum Christianum, quod nemo cum laude facit, nisi qui sponte & gratis facit. Excidit à præmio cœlesti, qui uenat hic officij mercedem ab hominibus. Huic proximum est, si quis lucri quidem cõtemptor est, sed tamen ambit honorem ac dignitatem, gaudet imperare, gaudet colí: nec huic erit præmium apud deum, tulit hic mercedem suam. Multum abest episcopi munus à dominatu, non est tyrannis, sed administratio. Ideo præsidet episcopus, nõ ut plus auferat lucri, non ut regnet, utq; illi plus liceat, sed ut plus prosit. Meminerítis igitur seniores officij uestri: sic gerite uos in omnibus, ut uestra uita populo sit exemplar uitæ euangelicæ. Discant ex uestris moribus lucrum negligere, discant aspernari fastum, discant officiorũ suorum à Christo sperare mer-

cedem, nec aliud interim ſpectare, niſi quia ſic eſt honeſtum, ſic deo gratum, ſic quoq; hominibus utile & felix. Hinc breuiter diſcimus, epiſcoporum eſſe, paſce re uerbo dei eccleſiam, nihil minus quàm mactare & perdere. Eccleſiam eſſe gre gem non tam epiſcoporũ quàm Chriſti, qui epiſcopus eſt animarum noſtrarum. Vnicum officium eſſe, oues paſcere, non illaqueare conſcientias, ſed & lupos ar cere, hæreſes præcauere, cuſtodire quoq; oues, non ſubiectas pedibus, ſed quæ ſunt apud epiſcopum, proſpicere ſi quid deſit, ſi neceſſitas incidat: hæc enim ſunt officia epiſcopi, proſpectoris & excubitoris. Non eſt ergo epiſcopatus tam digni tas quàm officium, proſpiciendi eccleſiæ de neceſſarijs uitæ præſentis & futuræ, maxime autem de obſeruantia fidei, ſpei & charitatis, in quibus conſiſtit pietas.

3 Et cum apparuerit princeps paſtorum, percipietis immarceſſibilem gloriæ coronam.

Gratis interim agite paſtores bonos, quanquam id haud fiet gratis, imò cum die præfinito proferet ſeſe princeps paſtorum Ieſus Chriſtus, qui ſemet totum im pendit ouibus ſuis, quarum cuſtodiam nobis concredidit, tunc pro uili mortaliq; præmiolo percipietis glorioſam officij ueſtri coronam, quę nunquam marceſcet. Nolite igitur uobis ſumere, quod oportet à principe ueſtro expectare; nolite diẽ anteuertere, quem ille uobis incertum eſſe uoluit.

4 Similiter adoleſcentes, ſubditi eſtote ſenioribus. Omnes enim inui cem humilitatem inſinuate, quia deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.

Sequuntur & admonitiones ad eccleſiã. Et primo ad iuniores, ut ſenioribus obediant, & ad arbitrium eorum gubernentur. Loquitur autem hic de illis ſenio ribus, qui in ſpiritu ſancto docti ſunt atq; ſapiunt. Quemadmodum, inquit, ſenio rum partes ſunt, ut ſeſe patres præbeant iunioribus: ita iuniores uiciſſim oportet ſe morigeros & obſequentes præbere ſenioribus. Et quemadmodum ſeniores ſe ſe ſubmittũt per euangelicam charitatem omnibus, quo magis prodeſſe queant: ita iuuenes non debent abuti modeſtia facilitateq; ſeniorum: imò hoc promptius conuenit illis obſequi, quo minus abutuntur authoritate ſua. Vbi uera charitas eſt, ibi nec authoritas habet faſtidium, nec iuuentus ferocitatem. Qui dignitate præminet, hoc tantum agit, ut alijs ſit uſui: qui ſubditus eſt, ultro plus præſtat q; ille exigit. Sit igitur omnibus penitus infixa animi modeſtia, ea fiet ut neq; gratuis ſit ſenioribus ſua ſolicitudo, neq; iuuenibus moleſta ſit illorum authoritas. Odit deus in hominibus animi ferocitatem, delectatur animis ſubmiſſis, ac deijcienti bus ſeſe: his libenter impartit ſuas dotes, qui ſibi nihil tribuunt: illos repellit & a uerſatur, ut indignos ſuo beneficio. Qui ſe demittunt, hos euehit: qui ſemet effe runt, hos deijcit. Qui ſuis fidunt uiribus, hos non dignatur ope ſua: qui ſuis præ ſidijs diffiſi, toti pendent ab illius nutu, hos fouet & tuetur.

5 Humiliamini igitur ſub potenti manu dei, ut uos exaltet in tempore uiſitationis, omnem ſolicitudinem ueſtram proijciẽtes in eum, quoniam ipſi cura eſt de uobis.

Submittite uoſmetipſos non ob metum hominum, ſed freti potẽti manu dei. Non eſt periculum, ne cõculcemini perpetuò. Ille uos euehet in altum quum ue nerit dies præmiorum. Ne circumſpicite ad alios quoſcunq; diuos uel patronos interceſſores, quorum opus non habetis erga indulgentiſſimũ patrem. Ne diffi dite, pater eſt, & promiſit exaudire quoſcunq; in Chriſti nominẽ orantes, iuxta uerbum

uerbum dei. Nolite metuere, ne malorum undis indefensi neglectiq; inuoluami-
ni, quoniam ille qui nihil non potest, nihil nō uidet, curæ uos habet ceu filios, nec
patietur quicquam uestrum perire. Et hæc quidem plausibilia nobis uerba sunt,
quibus & ad humilitatem hortamur, ut sensui proprio facile renunciemus, quod
fit difficile, & ad fiduciam plenam in eum qui nostri curam gerit fideliter &
paterne.

Sobrij estote & uigilate, quia aduersarius uester diabolus tanquam 6
leo rugiens, circumit, quærens quem deuoret. Cui resistite fortes in fi-
de, scientes eandem passionem ei quæ in mundo est uestræ fraternita-
ti fieri.

Solet quidem maxime iuuenilis ætas propensa esse ad uoluptates, ad luxum
atq; lasciuiam, sed simul quoq; tota uita humana, quæ in hoc mundo subdi uide-
tur infestationi satanæ, adeoq; regno ipsius. Ideo admonemur, ut sedulo nobis
prospiciamus. Ideo ait, Sobrij estote, uigilate animis, semper attenti, semper cir-
cumspecti. Non enim dormit ille uestræ salutis aduersarius, sitiens hominum exi
tium, sed obambulat ueluti leo famelicus ac rugiens, undiq; captans quem deuo
ret, nullū non aditum tentans in uos, nunc insidians per uoluptates, nunc oppu-
gnans persecutionibus. Non date locum illi, sed infractis animis obsistite. Dice-
tis, Vnde uires aduersus tam potentem? Potentior est qui curam habet uestri, il-
li modo fidite totis animis, nihil poterit aduersarius. Erga diffidētes robur habet,
erga fidentes imbellis est. Si hunc aut illum impeteret, fortassis esset iure grauis
afflictio, nunc uniuersum piorum gregem pari impugnat odio, Christum in uo-
bis persequitur, inuidet saluti omniū, quo leuius erit ferēda communis omnium
afflictio, & concordibus animis standum aduersus hostem communem.

Deus autem omnis gratię, qui uocauit nos in æternam suam gloriam 7
in Christo Iesu, modicum passos, ipse perficiet, confirmabit solidabitq;.
Ipsi gloria & imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Istæ dæmonis insidiæ breui finem habituræ sunt. Nec interim uos destituet
deus, unde proficiscitur omnis beneficentia: imò quod cœpit in uobis, perficiet.
Dedit istos animos, ut ob amorem ipsius non dubitetis adire cruciatus, per quos
uocauit uos ad æternam gloriam suam. Non sinet uos excidere à palma, si forti-
ter certetis, aderit certātibus, uosq; fulciet, roborabit ac stabiliet, ut ad breue tem
pus afflicti, perueniatis ad coronā immortalitatis. Illius præsidio uincimus, illius
munificentia capiemus præmium. Non est quod nobis arrogemus laudem, soli
deo debetur omnis gloria, non solum in hoc mundo, uerumetiam in omnia sæcu
la. Addit adhuc paucula ad finem epistolæ.

Per Syluanum fidelem fratrem uobis, ut arbitror, breuiter scripsi, ob 8
secrans & contestans hanc esse ueram gratiam dei in qua & statis.

In præsentia non agam uobiscum pluribus, nam hac ipsa de re uobis opinor,
nuper scripsi, licet paucis, per Syluanum, qui non dubito, quin epistolam bona
fide reddiderit. In ea uos obsecrabam & obtestabar, ut in eo quod cœpistis perse-
ueretis, ne qua res dimoueat animum uestrum. Hucusq; progressi estis dei bene-
ficio, persistite fortiter eiusdem præsidio, donec pertingatis ad palmam uitæ im-
mortalis.

Salutat uos ecclesia quæ est in Babylone collecta, & Marcus filius 9
meus.

Saluere uos iubet congregatio Christianorum, quam unà uobiscum deus sibi elegit in Babylone. Existimatur à multis una Babyloniarum in Chaldęa, quod non est uerisimile: altera Aegypti, quam hodie Cairum uolunt dici, itidem non satis constat. Ideo quidam Romam allegoricôs dictam putãt, quod non satis quadrat honori & laudi, quam tunc habebat Romana sacrosancta ecclesia. Mihi uerisimilius uidetur, Petrum hanc epistolam scripsisse è Hierosolyma, quam ob sanguinem Christi, & omnium prophetarum & sanctorum, Ioannes in Apocalypsi frequenter nominat Babylonem. Non enim maior unquam fuit in Chaldæorum Babylone cõfusio quàm tunc cum hæc scriberet Petrus erat propter Iudæos Hierosolymis, maxime autem ante eiusdem ultimam destructionem, à qua iussi sunt Christi discipuli recedere. Idipsum quod in Apocalypsi dicitur capite 18. Quandiu enim Christi passioni & resurrectioni superfuit Ierusalẽ cum templo, grassabantur Iudæi, quantum per Romanorum præsides licuit in pios, & in euangelium Christi, quod etiam ex Iudæis conuersi docerent & uellent, non sine obseruantia legalium assumendum, ut patet ex epistolis Pauli & Ioannis. Vt non immerito hic à Petro quoq; Babylon fuerit nominata. Salutat & Marcus, quem filium nominat, spiritu genitum in Christo, qui & Euangelista non improbabiliter dicitur, quando à Petro suum, quemadmodum à Paulo Lucas suum, quoq; hausit & didicit euangelium, quod & fidelissime conscripserunt post Matthæum.

10 Salutate inuicem in osculo sancto. Gratia uobis omnibus qui estis in Christo Iesu. Amen.

Non osculo uulgari, quod ex more datur, non semper ex animo, sed sancto, puro uereq; Christiano, quod ab animo nõ dissideat, quod caste syncereq; amantis sit, non mẽdax symbolum. Atq; ut epistolam finiam, indidem unde sum exorsus, Gratia & pax uobis omnibus semper adsit, qui insiti corpori Iesu Christi, illius spiritu uiuitis, ut illa uos copulet, hæc uos mutua conglutinet concordia, quod fa xit deus optimus maximus.

FINIS.

COMMENTARIVM IN EPISTOLAM D. PETRI APOSTOLI SECVNDAM.

ARGVMENTVM.

HANC, ut apparet, scripsit admodũ senex, & iam morti uicinus, quan doquidem de obitu suo meminit. Scribit autem promiscue Christia nis omnibus, adhortans ad uitæ puritatem, ueterum exemplis ac ter rore iudicij extremi deterrens à turpibus: uehementer insectans eos qui simplicium animos peruersa doctrina corrumperent, negantes aduenturum Christum.

CAPVT PRIMVM.

SIMON Petrus, seruus & apostolus Iesu Christi, ijs qui coæ- 1
qualem nobiscum sortiti sunt fidem, in iustitia dei nostri & sal ua toris Iesu Christi.

Titulos hic iterum habes scribentis, & eorum ad quos scribit, de fidei doctri na conseruanda quam acceperant, qua & iustificantur, sed non otiosa. Simon, in quit, Petrus, quondam Mosaicæ legis cultor, & traditionum admirator paterna rum, nunc seruus ac legatus Iesu Christi, cuius euangelium ueluti lux discutit & dispellit omnes umbras figurarum ueteris testamẽti, absq; delectu seu gentis, seu religionis, seu sexus, seu status, aut conditionis, omnibus scribo. Omnes enim no bis cognatos ac coniunctissimos ducimus, quicunq; nobis æquari meruerunt in euangelicæ fidei professione, per quam nobis contigit uera iustitia, non per cir cunciſionem aut legis hostias, sed per bonitatem dei nostri & gratiam, perq; mor tem seruatoris nostri Iesu Christi, qui gratis condonauit nobis uetera peccata, ut sequamur iustitiam euangelicam, quæ sita est non in ceremonijs, sed in uera ani mi pietate. Et habet quiddam longe perfectius iustitia Iudaica, quæ ueræ iustitiæ umbra duntaxat est.

Gratia uobis & pax adimpleatur in cognitione dei & Christi Iesu do 2
mini nostri.

Precor autem, ut quemadmodum hactenus abunde profeciſtis in euangelica gratia, semper aliquid addentes pietatis incrementis, & indies arctius astringen tes fraternam inter uos concordiam: ita cõsummare dignetur diuina benignitas in uobis sua munera: quæ bona hoc uobis magis accrescunt, quo magis promo uetis in agnitionem dei patris, & huius filij domini nostri Iesu Christi. Quem ue re agnoscere, uita est æterna. Est enim caput salutis, authorem salutis agnoscere, ne quid hinc arrogemus meritis & uiribus nostris, aut præscriptis Mosaicæ legis, cum quicquid ad uerã pietatẽ pertinet, illius diuina uirtus nobis largita sit, absq; præsidio circunciſionis, tantum per fidem. Cognitionem autem dei, tam apostoli quàm prophetæ continuo in scripturis commemorant, ut Isa. 11. In uniuerso mon te sancto meo non nocebunt neq; occident, quia terra repleta est scientia domini, sicut aqua inundantis maris. Hinc tanta pax sequetur, ut nemo alterum ullo in cõmodo afficiat aut lædat. Cognitio autẽ dei uera est, ubi bonitati suæ quisquam se totum cõmittit & credit, in prosperis & aduersis. Hæc fides uera non caret san ctis exercitijs per opera uere sancta, id est deo grata.

Quomodo omnia nobis diuinæ uirtutis suæ quæ ad uitam & pieta- 3

tem donata sunt, per cognitionem eius qui uocauit nos propria gloria & uirtute.

Instituit Petrus exhortationem in hac epistola pro credẽtibus, ut fidem suam demonstrent bonis operibus. Qua fide agnoscimus deum patrem, à quo proficiscuntur omnia, & Iesum Christum, per quem unum nobis donãtur omnia. Non hæc præstantur meritis nostris, sed illius gratuita beneficentia, quæ ultro uocauit nos ad beneficium salutis, & inglorijs ac uirtute uacuis impertiuit suam & gloriam & uirtutem, ut qui nostris uitijs addicti, ueluti sordida fœdaq; mancipia seruiebamus idolis, insiti Christo, redderemur & puri & gloriosi, sublatis sceleribus quibus fœdabamur. Nostram ignominiam in se transtulit, ut ultro in suæ gloriæ consortium cooptaret: nostra commissa in se recepit, ut nos illius innocentia gauderemus: unde quicquid gloriæ, laudis, uirtutis & potentiæ in nobis ostendit, illi soli nos omnia transcribere oportet. Non enim nostrum sed ipsius est opus, unde & solus glorificandus sit à nobis, & gratiæ agendæ pro donato nobis euangelio cognitioneq; Christi, proq; ipsius gloria ac uirtute, qua & nos glorificabit, & uirtute perficiet olim.

4 Per quæ maxima ac pretiosa nobis promissa donauit, ut per hoc efficiamini diuinæ consortes naturæ, fugientes eius quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem.

Et hæc quidem maxima sunt, at longe maiora magnificentioraq; sunt, quæ nobis promittuntur in posterum per agnitionem Iesu Christi. Quid autem promittitur? Nimirum, ut etiam si ad genus Iudaicum non pertinetis, tamen efficiamini pariter consortes diuinæ naturæ, allecti in numerum filiorum dei, possessuri hæreditatem immortalis uitæ, si modo hic interim incorrupta uita, quandã immortalitatem meditemini, ac refugeritis ab omni corruptione uitiorum & cupiditatum, quibus infectus animus, ad mortem tendit æternam. Natura autem diuina quid aliud est q̃ æterna ueritas, iustitia, sapiẽtia, bonitas, uita perpetua, pax, gaudium, & uoluptas sanctissima, & quicquid potest boni nominari. Qui ergo consors factus per fidem & charitatem naturæ dei, hæc oñia assequitur, ut uiuat in æternum, perpetua pace fruatur, lætitia ac uoluptate purus, sanctus & iustus. Et hæc quidem magna sunt, sed credenti & Christi notitiam assecuto.

5 Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide uestra uirtutem, in uirtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem.

Quandoquidem tanta nobis bona per fidem contigerũt, ut uere omnia quæ deus est habeatis, agite nunc ne sitis ignaui, sed omni studio adnitentes satagite, ut benefactis locupletemini, ne fides sit otiosa, sed hanc comitẽt probitas, ne quid agatur dicaturq; nisi quod est honestum. Probitatem excipiat scientia, ut non solum sequamini quę recta sunt, uerumetiã perspiciatis quid, quo loco, apud quos, quatenus, & qua ratione sit agendũ. Scientiam comitetur temperãtia, ut animus inuictus aduersus omnes illecebras mundi, sine deflexu constanter sequatur, id quod optimum esse iudicauit, sine superfluitate, pompa, luxu, aut nimia magnificentia uiuat, sed modestiam sectetur in omnibus, uerum absq; hypocrisi. Temperantiæ iungatur patientia, ut dum benefacitis, mala quæ in mundo inferunt pie uiuere uolẽtibus, fortiter toleretis: nam quos blandimenta mũdi non emolliunt,

hos aliquoties frãgit impatiẽtia maloꝝ. Patientiæ adsit pietas, ut quicquid agitis patimini, ad dei gloriam referatis. Pietatem comitetur fraterna charitas, ut quem admodum deum amatis propter ipsum, ita illius gratia diligatis omnes qui deum profitentur, mutuum inseruientes, & solicitudinem gestantes alterutrũ, ne quis alterum odiat, contemnat, aut lædat. Fraternam charitatem augeat cumuletq; dilectio, quæ benemereri studeat de omnibus, non solum de pijs & Christianis, uerumetiam de impijs. His paucis uerbis complexus est Petrus, quicquid pertinet ad uitam Christianam, fidem ueram & opera cum fructibus, qui sunt scientia, dilectio, patientia, & fraterna concordia.

Hæc enim si uobiscum adsint, & superent, non uacuos nec sine fructu 6
uos constituent in domini nostri Iesu Christi cognitione.

Hi, inquit, sunt fructus euangelicæ fidei, qui si uobis adsint, atq; etiam exuberent, efficient, ut quod per fidem agnouistis dominum nostrum Iesum Christum, non fuerit uobis inutile atq; infrugiferum, etiamsi sitis à circuncisione alieni. Siquidem in his sita est summa Christianæ pietatis, quæ si cui defuerint, is frustra Christum professus est, secundum quod sequitur.

Cui em̃ non præsto sunt hæc, cæcus est, & manu tentans, obliuionem 7
accipiens purgationis ueterum suorum delictorum.

Si quis Christũ professus, ab euangelica luce prolabatur in ueteres tenebras, nec aliter quàm cæcus manu uiam tentans, per ambages cupiditatum mundanarum circumagitur, neq; cernit uiam, qua perueniatur ad Christi consortium, ingratus etiã Christi beneficio, à quo cum sit semel gratis purgatus à pristinis commissis, tamen uelut oblitus huius tantæ clementiæ, rursus in eadem relabitur.

Quapropter fratres, magis satagite, ut per bona opera certã uestram 8
uocationem & electionem faciatis.

Nec uos securos & oscitantes reddat, quod diuina bonitas uos nihil meritos, uocauit ad professionem euangelicam, semel condonatis prioris uitæ peccatis omnibus: imò tanto magis adnitamini, ut dei bonitas, qua uocauit uos, qua delegit, ne uobis uertatur in perniciem, & cumulũ damnationis, si benignitatis illius immemores, eò reuoluamini, unde uos sua morte redemit. Quin potius ambite benefactis, ne deus uos uideatur frustra uocasse ac delegisse. Hæc autem electio quæ & æterna dei prædestinatio, satis tibi firma erit, si euãgelium audiens, credas ac baptizeris: hoc est enim te uocari. Propter quod Petrus dicit, Operam demus, quatenus uocatio nostra atq; electio etiam apud nos firma sit atq; stabilis, non solum apud deum. Quamuis enim electio ista firma satis sit, tibi tamen firma nõ est uel stabilis, quandiu incertus es, ad te eam quoq; pertinere. Sic quoq; operibus charitatis ex fide, licet ꝓximo seruias, interim tamen & tibi frugi sunt, dũ ijs tua confirmat̃ & roboratur non solũ fides, sed & certitudo electionis circa te diuinæ.

Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter 9
ministrabitur uobis introitus in æternum regnum domini & saluatoris nostri Iesu Christi.

Si cogitaueritis unde uos uocarit deus, & ad quæ uocarit, quę præmia proposuerit: & si ad hęc ijs rationibus cõtenderitis, quas paulò ante cõmonstraui, nusq; à recto pietatis cursu prolabemini. Siquidẽ hac contendẽtibus, aderit abunde diuinum auxiliũ, suppeditabitq; uobis opem suã, ut tandẽ uictores huius mũdi, perueniatis in æternum regnũ dñi & seruatoris nostri, potituri cum illo bonis cœle-

stibus, cuius amore terrena contempsistis. Clarum est ergo de electione, quomodo trahit ad se & uocat prædicatione euangelica: quos autem uocauit, hos per fidem iustificat, & ad deo placentia opera impellit, uitæq; sanctimonia conformes reddit imagini filij sui, in cuius quoq; æternum regnum suo tempore certo ingredietur. Qui autem impure uiuunt, uerbo dei non credunt, uocationi dei non obaudiunt: ij quoq; sese à regno dei alieniores non dubitent, donec tales perstare egerint. Verum pœnitentia locum habet, donec peccator uixerit, & orare progratia uelle cœperit.

10 Propter quod incipiam uos semper commonere de his, & quidē scientes & confirmatos uos in præsenti ueritate.

Quapropter non cessabo uos unquam hisce de rebus commonefacere, tametsi non arbitror esse necesse, cū & faciatis & memineritis quid uobis sit agendum, iamq; longo progressu pietatis confirmati etiam sitis, iam diu cognita ueritate, quam hucusq; constanter sequimini semel amplexi. Hinc quoq; discimus, etiam prædicato quamlibet clare euangelio, nunquam tamen cessandum à docendo & admonendo, quin & ab inculcādo quotidie. Officium enim duplex Paulus uult esse in ecclesia, docendi & hortandi. Si docet quis, inquit, doctrinæ incumbat: si exhortetur, exhortationi incumbat. Est autem docere, fidei fundamentum ponere: exhortari autem, prædicare his qui audierunt & iam didicerunt, ut gnauiter illis incumbant, & eos excitare ne cessent, sed magis, ut uiriliter pergant ac proficiant. Torpor enim corporis animū deprimentis, necessarias habet crebras ac solicitas exhortationes, ne spiritus obruatur à carne, & fides infirmetur.

11 Iustum autem arbitror, quādiu sum in hoc tabernaculo, suscitare uos in commonitione, certus quod uelox est depositio tabernaculi mei, secundum quod & dominus noster Iesus Christus significauit mihi. Dabo autem operam & frequenter habere uos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.

Quo magis ac magis uigiletis in eo q̄d cœpistis, partes meas arbitror, ut memor præcepti dominici, qui iussit, ut ipse conuersus, confirmarem fratres meos, quandiu uobiscum uersor hospes in terris, in huius corpusculi tabernaculo, excitare atq; extimulare studium pietatis in uobis, atq; eo sanè magis, quod sciam breui futurum, ut exutus huius corpusculi domicilio, terræ exilium cœli municipio commutem. Nam id mihi significauit dominus noster Iesus Christus, cui hactenus milito in hoc tentorio. Nunc igitur dabo operam, ut hæc interim sic infigantur animis uestris crebra admonitione, ut possitis & post obitum meum meminisse, cum nō licebit uos admonere uoce. Cum enim certissimum sit, quod à nobis accepistis, non oportet ab eo deflectere. Satis autem subindicare uidetur D. Petrus, sese sine magno timore, sed multa securitate consolari, ex domini quoq; reuelatione admonitus de futura felici cum Christo uita. Certo enim sciuit sese electum, quamlibet negando peccasset, quia à Christo intuitus respuerat, & à simili casu præseruatus postmodum fuerat. Id non paucis usu uenit electis, uerum abūde deus tales ante probat & purgat. Voluit quoq; fidelissimus apostolus Christi non tantum uiua uoce, sed & literis prodesse ecclesiæ, etiam post mortem, exemplum relinquens pijs episcopis, quod pauci sequuntur.

12 Non enim doctas fabulas secuti, notā fecimus uobis dñi nostri Iesu Christi uirtutem & præsentiā, sed speculatores facti illius magnitudinis.

Non

Non talis fuit doctrina nostra, qualis philosophorum, qui fabulis arte compositis & humanis argutijs persuadere conantur quod ipsi non intelligunt, inter se quoq; dissidentes. Nos haudquaquam ista sequuti, patefecimus uobis potentiam & aduẽtum domini nostri Iesu Christi, & illius maiestatem, quam his oculis conspeximus, uobis prædicamus. Dignatus est em̃ suis aliquot ante mortẽ suam, specimen aliquod exhibere, quanta cum potentia quantáue cum gloria sit olim uenturus iudex uiuorum & mortuorum, & q̃ admirabilem felicitatem sit largiturus ijs qui illum constanter diligunt, fiduntq; in eum toto corde. Hæc autem transfigurationis historia scribitur Matth. 17. Cum Christo, inquit, aderamus in monte, ibi supernaturali spectaculo maximeq; glorioso, uirtutem Christi uidimus, potestatem & gloriam, qui præsens semper est ecclesiæ. Quare autem potentiam Christi separat ab aduẽtu uel præsentia eius? Potentia est, qua est rerũ omniũ potens, quæ subiecta habet pedibus uniuersa. Ea uigebit perpetuò, dum steterit mũdus, donec caro & sanguis in terra uiuit, omnis potestas erit in regno Christi, id uigebit usq; in diem nouissimum: postea aliud sæculũ orietur, cum deo patri Christus regnum tradiderit. Primitiæ Christus, deinde qui Christo adhærent. Tunc deus erit omnia in omnibus, hoc est, quicquid desideret quis, quicquid habere potest beatus, deus erit: tunc fideles fratres Christi & filij dei erunt manifesti omnibus.

Accipiens enim à deo patre honorem & gloriã, uoce delapsa ad eum huiuscemodi à magnifica gloria, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Et hãc uocem nos audiuimus de cœlo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto. 13

Cum deus pater Christum tota gloria ac decore conuestisset, adeo ut uultus illius solis instar luceret, ac uestimenta niuis candorem superarẽt, in tantum ut humanus obtutus non ferret cœleste spectaculum, accessit & paternæ uocis multo honorificentissimum testimonium, quæ ad hunc delata est è sublimi à magnifica gloria patris. Erat autem huiusmodi, Hic est filius meus dilectus, qui complacuit animo meo, ipsum audite. Nullum poterit ædi testimoniũ, neq; plenius neq; magnificentius. Atq; id proditum est, non à propheta quopiam, sed ab ipsa patris maiestate: hæc oculis nostris aspeximus, hæc auribus hausimus, cum præsentes essemus illi in monte sancto Thabor. Tota aũt hac tam illustri uisione, quid aliud nobis proponitur, quàm ut credamus Christum dominũ esse naturalem dei filium, Messiam uerũ, promissum ab initio & per prophetas, maior angelis & patribus omnibus, hoc est dilectus & unicus dei patris filius, in quo sibi sic complacuit, ut per eum mundum totum sibi uoluerit reconciliari, quæ in cœlo & quæ in terra: & quod eum nobis dederit in doctorem, qui solus dicitur & præcipitur audiendus. Vnus Christus proponitur mundo doctor, in hoc uno & solo omnia habet fidelis anima.

Et habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in loco caliginoso, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus uestris. 14

Si maximũ pondus habẽt apud uos prophetarum oracula, qui per ænigmatum inuolucra uaticinabantur de Christo, grauius esse debet ipsius patris de filio præconium. Prophetæ cum patris uoce consentiunt, si modo quis recte interpretetur. Hi suis promissis ueluti præparant animos ad ueritatem euangelicam, dum adumbrãt aç ueluti deliniant, quod palàm exhibet euãgelica prędicatio. Proinde

non improbo quod Iudæi uehementer intenti uaticinijs prophetarum, scrutãtur illic aduentum Messiæ. Est enim nonnullus gradus ad fidem euangelicam, credere Christum uenturum: nam citius credet uenisse, cum iam certo persuasum fuerit uenturum fuisse. Bona spes igitur est de eo, qui nondum illustratus euãgelica luce, prophetis attendit ceu lucernæ apparenti. Præstat habere qualecunq; lumen q̃ nullum, donec aduentante sole, dies illucescat, qui dissipat omnem caligi-nem, & obscurat etiam ipsam lucernam. Iamq; exoriatur in cordibus uestris lucifer ille prædicationis euangelicæ, qui solem ipsum adesse nunciat.

15 Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim uoluntate humana allata est aliquando prophetia, sed spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti dei homines.

Prophetarum uaticinia ita demum erunt usui, si qui legunt, meminerint scripturam propheticam figurarũ inuolucris obscurã esse, neq; intelligi posse absq; interpretatione. Ea interpretatio non est cuiuslibet, nec arbitraria cuiuis. Siquidem prophetæ qui uaticinia prodiderunt, non è suo sensu animiq; arbitrio prodiderũt, sed cum essent homines sancti, puriq; ab omnibus humanis cupiditatibus, spiritus sanctus afflauit illorum animos, ac uelut organis abusus, per illos nobis suam mentem utcunq; significauit. Quod homines humano sensu proferunt, id potest humano ingenio percipi: cęterum quod afflatu diuini spiritus proditũ est, id requirit interpretem simili afflatum spiritu. Qui quod de Christo dictum est, ad mundanum aliquem regem accommodãt: qui quod de cœlesti uita, ad huius mundi felicitatem trahunt: quod de bonis animi dictũ est, interpretantur de commodis huius sæculi: multũ aberrant à mystico sensu prophetiæ. Nec his facile persuadetur uenisse Christum, quum ex falsa prophetiæ interpretatione terrenum quendã Messiam sibi finxerunt, qualem ille non præstitit. Et ideo non agnoscunt illum, non quia dissideat ab imagine spirituali prophetiæ, sed quod discrepet ab idolo falsæ interpretationis. Ex hoc primo capite huius epistolę discimus, quæ uere sint bona opera, quibus fidem nostram demonstrare debemus. Deinde quod in Christo ecclesia nihil prædicari debeat, q̃ solum uerbum dei, cuius nulla alia causa est, quia illud solum manet inæternum, & saluare potest animas, & præstare uitam æternam credenti, & per obedientiam reuerenti illud, ceu uerbum dei, non hominis.

CAPVT II.

1 Fuerunt uero & pseudoprophetæ in populo, sicut & in uobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum qui emit eos, dominũ negant, superinducentes sibi celerem perditionem.

Sequit̃ fida admonitio, quali tam Christus ipse q̃ apostoli nos admonuerunt, ut diligẽter nobis à falsis doctoribus caueamus, néue patiamur nobis auferri hoc ius, hanc q̃ potestatem examinandi & iudicandi omnem doctrinã: neq; sustineamus nos reduci ad omnem credulitatem docentium qualiacunq;, sed tantũ iuxta uerbum dei. Quisquis, inquit, ex sui animi affectu uaticinatur, falso nomine propheta dicitur. Quisquis prophetæ uaticinium ad suas cupiditates interpretatur, falsus est interpres. Fuerũt & olim apud Iudæos pseudoprophetę, qui uel ad principis gratiam, uel ad quæstum, uel in odium aliorum uaticinabantur: non quod dictabat spiritus dei, sed quod sibijpsi cõfinxerãt. Hi se pro ueris prophetis gerentes,

tes, decipiebant stultos, ac ueris prophetis obstrepebant suis mendacijs. Sic & post obitum meum exorientur qui se falso nomine iactabunt esse doctores euangelicos, cum sint futuri magistri falsitatis. Hi deflectentes ab euangelica doctrina, inducent hominum commenta pro salutari ueritate, ingerent sectas pernicioſas ad suum quæstum, ad suam gloriam ac tyrannidem spectantes potius quàm ad negotium Christi. Atq; eò uesanię progredientur, ut ingrati in dominum suum Iesum, cuius sanguine redempti sunt, cui semel dedere nomina, nõ uereantur abnegare, sceleratiores etiam Ethnicis qui Christum nunquam professi sunt. Quibus factis irritabunt in se diuinam ultionẽ, & non solum nihil eis proderit semel fuisse Christum professos, uerumetiam accersent sibi celerem interitum à uindice deo.

2 Et multi sequentur eorũ luxurias, per quos uia ueritatis blasphemabitur, & in auaritia fictis uerbis de uobis negotiabũtur, quibus iudiciũ iam olim non cessat, & perditio eorum non dormitat.

Parum erat si soli magistri illi perirent qui iam perditi sunt, multos etiã secum pertrahent in exitium. Inueniet enim falsa doctrina suos discipulos, his freti audebunt obtrectare euangelicæ ueritati, quam à nobis accepistis, neq; syncere tractabunt sermonem euangelicum, quem uident ad suas cupiditates nihil conducere, sed intenti priuatis lucris suis, fictis sermonibus imponent simplicitati uestræ, non hoc agentes ut uos lucrifaciant Christo, sed ut ex uobis sibi quàm plurimum aufe rant lucri. Vident enim euangelicam doctrinam parum esse plausibilem ijs qui capiuntur huius mundi delicijs, uident nõ esse rem delicatam, id quod nos facimus per omnes mortes constanter, aduersus impios tueri syncritatem euangelicæ doctrinæ. Proinde uitiabunt illi ueram doctrinam Christi, proq; hac docebunt quæ crassis auditoribus blanda magis quàm salutifera, quæq; ipsis rem & gloriam concilient apud mundum non apud deum. Mallent enim ob temporariã gloriam ac uoluptatem æternum exitium & sibi parare & alijs, quàm per momentarias afflictiones corporis ad immortalem felicitatẽ eluctari. Cauete ne hos duces sequamini, nisi recta uelitis abire in exitium. Neq; uos fallat quod hic fastu præminent, quod ditescunt, quod suauiter uiuunt, haud diu fruentur hac usura falsæ felicitatis. Vt enim pijs breui sua præmia contingent, iam olim apud deum decreta: ita his sua decreta pœna prorsus accelerat, neq; dormitat illorum pernicies, subito securos & oscitantes oppressura. Hominum iudicijs poterunt imponere, deum fallere non poterunt.

3 Si enim deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reseruari,

Vt prauis doctoribus ignoscant homines, apud quos ualent authoritate, deus non ignoscet, qui nullius magnitudinem ueretur. Cur enim his nunc parcat, qui olim nec ipsis pepercit angelis qui peccarant, sed è cœlo præcipitatos, uinctos æternæ noctis catenis in tartari carcerẽ detrusit, seruatos in hoc ut extremo iudicio damnati dedantur æternis supplicijs. An in hominibus feret impune superbiam, qui non tulit in angelis? Hoc seuerum illud iudicium est, & damnatio horrenda, cui deputati in idipsum captiui detinentur, ne è dei manibus elabantur, sed adseruantur probe custoditi, ut in externas illas tenebras abijciantur. Nondum enim nunc dant ultimam pœnam ad quam sunt damnati, sed perseuerantes obstinati in desperatione, singulis momentis expectant iudicium ultimum, seipsis semper peiores euadendo, donec de ipsis pœna ultima sumatur, seruantur uinculis tenebrarum, in obstinatione & desperatiõe. Et hoc primũ exemplũ est, sequitur secundũ.

4 Et originali mundo non pepercit, sed octauum Noe iustitiæ prædi-
cem custodiuit, diluuium mundo impiorum inducens.

An his erit impune quod faciunt, post euangelicam lucem patefactam, post tot beneficia gratis collata, qui nec rudi ac prisco mundo pepercit, sed offensus homi-num uitijs, orbi sceleribus inquinato diluuium induxit, deletis omnibus excepto Noe, quem octauum ex tam immensa mortalium multitudine uoluit esse incolu-men, quod cæteris contempta dei lenitate solus extructa arca testaretur se credere & metuere iuxta dei uerbum, de eo sibi reuelatum uindictam omnipotentis? Vi-xerat iam annis quadringentis cum mãdaret ei deus arcæ fabricationem, semper sancte & pie conuersatus, qui uerbo & exemplo quantũ omnino potuit in uarijs mundi partibus adhortatus est homines ad uitæ melioris institutionẽ, à quibus & ueriſimiliter multa passus est, quod ueritas semper odium pariat. Cum aũt frustra sæculi illius hominibus uir sanctus prædicaret, cõtemnentibus prorsus domini & amici sui admonitiones, continuoq; in peiora prolabentibus. Dixit tandem deus cum diu nimis suam exercuissent malitiam, Spiritus meus non perpetuo disceptra-bit cum hominibus istis quia caro sunt. Centum adhuc & uiginti anni eis reliqui sunt, post quos delebo hominem quem creaui. Hęc uerba Noe quotidie facto præ-dicans, inculcabat, simul ædificans arcã ad mandatũ dei, quem cæteri hominum irridebant, obstinati & pertinatiores redditi.

5 Et ciuitates Sodomorum & Gomorrhæorũ in cinerem redigens, euer-sione damnauit, exemplum eorum qui impie acturi sunt, ponens.

Hoc tertium exemplum est de quinq; ciuitatibus, quas deus deleuit, de quibus Gene. 19. An inquit hos non puniet, qui tot ciuitates ac tam florentem regionem tot urbium & populorũ sulphurea pluuia redegit in cineres, atq; ita funditus dele-uit, ut nihil supersit præter horrendum ac pestilentem lacum, qui testetur quæ poe-na maneat illos qui similibus flagitijs in se prouocarint iram dei. Quid autem pec-carint etiam Ezechiel prædicat cap. 16. Hæc fuit, inquit, iniquitas Sodomæ soro-ris tuæ, superbia, saturitas panis, abundantia, & otium eius, & filiarum eius, & ma-num egeno & pauperi non porrigebant, & eleuatæ sunt, & fecerunt abominatio-nes coram me, & abstuli eas sicut uidisti. Sic uidemus semper quãto ditiores sunt ciuitates, principes, episcopi, & Abbates, tanto in eis agi uitam corruptiorem. De quibus non est ut multa dicantur, notiora sunt proh dolor in uniuersis statibus, quàm ut propediem ferre ea deus possit & mundus.

6 Et iustum Lot oppressum à nefandorum iniuria ac luxuriosa conuer-satione eripuit. Aspectu enim & auditu iustus erat, habitans apud eos qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant.

Vt Sodomitis illis sua impietas fuit exitio, ita Lot sua innocentia saluti fuit, cui cum homines nefarij uim pararent, & abominandis libidinibus suis castum ac iustum uirum opprimerent, ut nec angelis quidẽ qui Lot adierant parcerent, idq; tam senes quàm iuuenes ubiq; & omnibus locis ciuitatis, deus tamẽ illum eripuit è commertio sceleratorum, inter quos erat illi grauissimum agere. Cum enim esset ipse & oculis & auribus purus castusq;, graue supplicium erat animo pio audire quotidie & uidere quæ toto pectore detestabatur, ut silere tandem ab exhortatio-ne oportuerit, quia nullum tantis remedium malis iam inueniret. Deinde conclu-dit Petrus quod cœperat, quomodo scilicet impij seruentur ad ultionem in nouis-simo die de ipsis sumendam.

7 Nouit dominus pios de tentatione eripere, iniquos uero in diem iu-dicij

dicij reseruare cruciandos.

Ex his satis declaratum est, nunquam committere deum ut cuiquã sua innocentia sit frusta, aut ut cuiquam sua impietas sit impunita. Etiamsi ad tempus leniter ferat aliquos, ut aliquando resipiscant, etiamsi patitur suos ad tempus aliquãdo tentari, tamen cum tempus adest nouit ab afflictionibus eripere pios, cõtra nouit impios reseruare puniendos æternis supplicijs in diem extremi iudicij.

Magis autem eos qui post carnem in concupiscentia immundiciæ ambulant, dominationemq; contemnunt, audaces, sibi placentes, sectas non metuunt introducere blasphemantes, ubi angeli fortitudine & uirtute, cum sint maiores, non portant aduersum se execrabile iudicium. 8

Nullum quidem genus iniustitiæ sinetur impunitum, sed præcipue pœnas daturi sunt, qui ceu diffisi promissis euangelicis, hic sequuntur quicquid collibitum sit corpori, seruientes fœdis libidinibus, quibus undiq; conspurcant omnẽ uitam. Quoq; sceleratiores sint, turpitudinem uiolentia conduplicant, contemnunt authoritate publica præditos, reges, principes & potestates. Episcopi autem nihil minus quàm domini esse debebãt uel imperare, sed seruire in uerbo dei prædicando, in pascendo gregẽ, propter quod & duplici honore dignos uoluit dominus. Vtergo sententia Petri est, eos qui Christi esse sese iactant, obedire magistratibus exteris, & dictis obaudire, quo in timore sit gladij potestas necessaria, ideoq; diuinitus instituta: ita doctores quoq; ecclesiæ ab æquis, iustis, pijs & necessarijs magistratuum legibus exempti esse non debent, multo minus sese asserere solem: qui ut superat lunam, sic se uolunt Cæsares & Reges superare, ad quos Christus dixerat, Vos autem non sic: sed qui maior esse uoluerit inter uos, &c. Subiecti potius esse debebant magistratibus, orare pro eis, docere & benedicere in nomine domini, non suo: quemadmodũ Christus ipse se Pilato subiecit & pendit Cæsari stateram. Tremere eos oportet ad quodlibet uituperium maiestatis. Iam autem tam sunt audaces, præfracti & impudentes, ut citra timorẽ audacissime ipsi eos blasphement, ingenti petulantia & intolerabili procacitate ut subditos etiam in rebus sæcularibus & temporalibus dãno afficientes. Et hæc audent homunculi, cum angeli longe præstantes uiribus ac robore, licet aliàs impij, non tamen eò sunt audaciæ progressi, ut sustinuerint deo maledicere, & qui in cæteris neglexerunt dei uoluntatem, in hoc tamen ueriti sunt illum offendere, deferentes authoritati diuinæ.

Hi uero uelut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem & in perniciem, in his quæ ignorant blasphemantes, in corruptione sua peribunt, percipientes mercedem iniustitiæ, uoluptatem existimantes diei delicias coinquinationis & maculæ. 9

At isti spiritibus impijs sceleratiores, ceu bruta pecora, nata in hoc ipsum ut capiantur ac perdantur, cum non uereãtur præfectis suis obtrectare & maledicere, ignorantes interim illud ipsum, cuius gratia de illis maledicunt: quemadmodum corruptis suis moribus accersunt sibi perniciem, ita pecudum ritu peribunt, percipientes impiæ uitæ dignam mercedem: qui quidem existimant suauem ac magnificã esse uitam, si prorsus exuti omni timore uel pudore, lucri quoq; luxui fœdisq; uoluptatibus indulgeant. Nam nonnullus adhuc pudor habet illos, qui hæc nocte faciunt. Quis istos credat homines? labes sunt uerius & maculæ, qui in fœdis illis suis comessationibus, in quibus miserabili errore ponunt summam felicitatis, uobis insultant uelut insanis qui præsentis uitæ commodis non fruamini;

ſuam autem interim uitam tam fœdam & ignominiæ tantæ obnoxiam, iuſtam & dignam honore arbitrantur.

10 Delitijs affluentes, in conuiuijs ſuis luxuriantes uobiſcum, oculos habentes plenos adulterij, & inceſſabilis delicti, pellicientes animas inſtabiles, cor exercitatum auaritia habentes, maledictionis filij: derelinquentes rectam uiam errauerunt.

Luxus interim inuitat libidinem, cumq; uino madent, oculos habent libidinantes, neq; quicquam aliud cogitantes quàm adulterium, aut alia flagitiorũ genera. Neq; enim ſemel excuſſa ratione, ſemel inflammati uino, norunt à peccando ceſſare, ſed à flagitio properatur ad flagitium, adeò, ut non ſat habeant ſi ipſi perdite uiuant, ni & aliorum animos, nondum uirtute confirmatos, ad ſuam turpitudinem pelliciant atq; ineſcent. Iam fortaſſe tolerabilius ſit, ſi tantum luxu libidineq; peccarent, nullum uitij genus abeſt, ut turpiter prodigunt quod habent, ita turpiter parant quod profundant, habentes animũ & ingenium ad auaritiam, ad fraudem, ad rapinam exercitatũ, quæſtus gratia nihil non facientes, ob lucrum male precantes pijs ac bonis, pecunia corrupti deflectunt à uia recta, & in hoc referentes patrem ſuum Balaam. Cumq; rectam uiam docere debuerant, quomodo fide uera domino adhæreretur, & per charitatẽ proximo ſuccurreretur, ferre crucem, & tolerare aduerſa propter ueritatem & iuſtitiã, ipſi nihil aliud docent quàm quæ faciunt ad ſuum lucrum.

11 Sequuti uiam Balaam ex Boſor, qui mercedem iniquitatis amauit, cor reptionem uero habuit ſuæ ueſaniæ: ſubiugale mutum animal, in hominis uoce loquens, prohibuit prophetæ inſipientiam.

Is Balaam cum ſciret optima, tamẽ iniqua mercede corruptus, maledicere ſtuduit ijs quibus propitium eſſe deum certo ſciuit, eoq; cæcitatis illum perduxit auaritia, ut ab aſina corriperetur, & cum homo ueſanus mentem exuiſſet humanam, brutum animal humana uoce loquens, coercuit prophetæ dementiam, plus cernens corporeis oculis quàm ille cernebat oculis animi, uidelicet exoculatus pecuniæ cupiditate. Sic nunc quoq; fieri cernitur, ut dum eccleſiæ prælati & doctores, uerbum dei repudiant, negligendo eius ſtudium & doctrinam, quando auaritiæ toti ſunt dediti & libidini, quid mirum uulgũ excitari: ut incipiant loqui & intelligere ueritatẽ, illaq; ſeſe conſolari in cõſcientijs, & quantũ licet etiã abijcere onus pharisaicum illorum, & libertate Chriſtiana frui, & ceu aſina Balaam loqui, & redarguere prophetas quoq; incipiant, deq; hoc caſu pueri quoq; ſapiãt, & in promptu habeant quod commode ex ſcripturis ſacris opponant: quo dementia illorum ita traducitur, ut quamlibet impudentes pudere huius ipſos neceſſe ſit.

12 Hi ſunt fontes ſine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reſeruatur. Superba enim uanitatis loquentes, pelliciunt in deſideriis carnis luxuriæ, eos qui paululum effugiunt, qui in errore conuerſantur, libertatem illis promittẽtes, cum ipſi ſerui ſint corruptionis. A quo quis enim ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt.

Hi pſeudapoſtoli, pſeudoctores, & pſeudepiſcopi, de quibus hic Petrus loquitur, miram quandam ac nouam doctrinam pollicentur, præter uerbum dei & ſacras ſcripturas, cum nihil adferant dignũ euangelica profeſſione, ſimiles fontibus aqua carentibus, ad quos ſi ſitiens accurras, præter ſordes & lutum nihil reperias, ſimiles nubibus uel nebulis, quæ huc & illuc impelluntur procella uentorum, ac ſpem

ſpem faciunt pluuiæ terræ ſitienti, cum interim ne gutta quidē ab illis deſtillet doctrinæ ſalutiferæ. Promittunt lucem doctrinæ eccleſiaſticæ & euangelicæ, ſed lucem inuoluunt ſuis tenebris errorum, quos æternæ quoq; tenebræ manent apud inferos. Cum enim uerbis mendacibus magnifica quædam profeſſi ſint, atque hac ſpe pellexerint & ineſcarint eos, qui cœperunt ad meliorem frugem reſipiſcere, deceptos inuoluunt carnis cupiditatibus & huius uitæ uoluptatibus pollicentes ſe liberaturos alios ab errore & hæreſi, cum ipſi uerſentur in ſummis erroribus, & de catholica doctrina ſint ſolliciti nihil, ſed de ſuo tantum luxu, faſtu, & quęſtu retinendo & promouendo: aliis promittunt libertatem à uitiis & peccatorum remiſſiones, cū ipſi ſint manifeſti ſerui turpitudinis. Etenim à quo quiſq; ſuperatus eſt, cuius arbitrio uiuit, huic iure ſeruus dicitur.

Si etenim refugientes coinquinationes mundi, in cognitione domini 13
noſtri & ſaluatoris Ieſu Chriſti, his rurſus implicati ſuperantur, facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus.

Non prodeſt illis ſemel gratis ereptos fuiſſe à uitiorū ſeruitute, ſi ſuapte ſponte eodem relabantur: imò hoc fœdior eſt ſeruitus, hoc miſerior, quia poſt guſtatam libertatem ultro accerſita. Quod commiſſum eſt ante prædicatū euangelium, magna ex parte datur errori, datur ignorantiæ: at qui ſemel agnito per euāgeliū prædicationem domino & ſeruatore noſtro Ieſu Chriſto, per baptiſmum aufugerūt ab inquinamentis huius mundi, ac uitam puram cœleſtemq; profeſſi ſunt, ſi rurſus ſuperati cupiditatibus, inuoluātur priſtinis ſordibus, iis non ſolū nihil opitulatur baptiſmus, uerumetiam peiore in ſtatu ſunt q̄ fuerint antequā Chriſtū agnoſcerent. Hoc ſanè pacto euenit hactenus in eccleſijs, maxime autē Romana, ibi enim euangelium purum auditum eſt & ſuſceptum, quamlibet difficultatibus multis. Cum tempore autem multum deflexit, & incidit in meras hominum doctrinas, in ceremonias infinitas, graues, & prorſus inutiles, donec nihil tandem illic ſtatuere tur non abominabile deo. Quare poſteriora eius multo ſunt peiora prioribus, & Ethnicorum pontificum ſplendor olim, ad noſtrorum pompam nihil appareat, & deorum illorum multitudo longe inferior ſit noſtrorum temporum tutelaribus diuis, & templa paſſim proſtent magnifica, plena idololatria, et aris innumeris, & cætera multa.

Melius enim erat illis non cognoſcere uiā iuſtitiæ, quàm poſt agnitio- 14
nem retrorſum reuerti, ab eo quod illis traditum eſt ſancto mandato.

Leuius peccat cuius peccatum ſubleuat ignorantia. Grauius damnabuntur qui crimen impietatis ingratitudinis uitio cumularunt. Itaq; præſtiterat illis omnino non nouiſſe doctrinam euangelicā, quæ docet innocentiam & puritatē, quàm poſt cognitam & acceptam deſciſcere à ſancto pręcepto, quod illis ſemel traditum fuit. Sic ergo docendi ſunt homines, Si cupis euadere pius, ora dominum pro ſyncera fide, largienda tibi gratia dei, hinc q̄ incipe pie uiuere, ut diſcedas ab omni impietate prioris uitæ, cuius te pœnitet, & quam abhorres ſciasq; tantopere diſpliacere deo. Vbi uero fueris aſſequutus fidem, ultro bona opera ſubſequentur, ut uiuas caſtus & purus. Alioqui nullo alio te remedio à peccatis liberum ſeruaueris: etiamſi impietatem in corde aliquandiu tegas, erumpet tandem. Addit autem prouerbium ex libro Parabolarum Salomonis cap. 26.

Contigit enim eis illud prouerbij, Canis reuerſus ad ſuum uomitum: 15
& ſus lota in uolutabro luti.

Fruſtra canis repurgauit uomitu ſtomachum, ſi repetit quod eiecit: fruſtra ſus

limpidis aquis abluit cœni fœtorem, si mox à lauacro redit ad sordes relictas. Ita isti cum per baptismum impietatem omnem euomuerint, & loti sint ab immunda uita, amplexi puram fidei & charitatis conuersationem, postea autem recidunt in infidelitatem, & conspurcantur in peccatorum stercoribus.

CAPVT. III.

1 HAnc ecce uobis charissimi secundam scribo epistolam, in quibus uestram excito in commonitione synceram mentem, ut memores sitis eorum quæ prædixi uerborum à sanctis prophetis & apostolorum uestrorum, præceptorum domini & saluatoris.

Pluribus uerbis hæc inculco charissimi, atq; adeò iam alteris hisce literis, eadē de re uos commonefacio, non quod dubitem de synceritate mentis uestræ, sed ut quod scitis ac tenetis magis ac magis memineritis, & quod facitis faciatis alacrius ac constantius. Minus erit periculi ab illorum scelerata doctrina, si memores fueritis hoc prædictum olim à sanctis prophetis, qui monuerūt hoc hominum genus esse cauendum. Sicq; memineritis idem esse præceptum à nobis, qui sumus apostoli domini & seruatoris Iesu Christi, qui uetuit ne quis huiusmodi qui pro ueritate euangelica pernicios am adferunt doctrinam, aures præbeat. Sicq; ueri præceptoris & fidi pastoris animarum officium implet, non tantum docendo, sed & perpetuo monendo & exhortando ad uerbi dei obseruantiam, quam per suos ministros administrat deus, ne caro & sanguis abhorrens à ueritate et uera iustitia, mentem repugnando impediat, & abducat ad falsa, quæ ueritatis speciem induunt, & quæ carni sunt gratiora sectetur.

2 Hoc primū scientes, quod uenient in nouissimis diebus, in deceptione illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes: Vbi est promissio aut aduentus eius? Ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseuerant ab initio creaturæ.

Illud in primis scitote, uēturos olim non prædicatores sed illusores, instructos præstigijs & imposturis, quibus fallant incautos, qui non sequētur ea quæ nos docuit Christus, sed ut uiuent pro cupiditatibus animi sui, ita etiam pro libidine sua docebūt, quæ tali uitæ cōgruent: quoniā illis turpiter uiuentibus nō erit optabilis aduentus domini, idcirco persuadebunt tum sibi tum alijs nunquā rursus aduenturum, non esse futurū diem iudicij uniuersorū, quo liceat tuto agere quicquid libet, sine iudicij diuini terrore, dicentes: Vbi est promissa resurrectio? ubi iudiciū? ubi præmia diuersa pro uitæ meritis? ubi aduentus eius in dies singulos frustra expectatus? Existimabūt enim nunquā futurū quod aliquandiu differtur. Quod, inquiunt, uestigium uel signum resurrectionis? Mortem obierūt alij post alios patres nostri, neq; quisquā adhuc reuixit. Et quemadmodū ab orbe condito morientium atq; nascentiū uicibus propagantur omnia: ita huc usq; manet idē cursus naturæ, cum ex mutatione mundi quæ præcessit colligere liceat nouationē futuram. Et ut illa accidit non expectantibus ijs qui pro sua libidine uiuebant, ita hæc eueniet siue credimus siue nō credimus. Præmonet ergo nos D. Petrus, ne ob hos impios sermones impingamus, imò eos sic loquentes, dum plures fuerint, & audacio res irrisores uerbi dei, certum tunc agnoscamus diem istum breui futurum.

3 Latet enim eos hoc uolentes, quod cœli erāt prius, & terra, de aqua & per aquam consistens dei uerbo: per quæ ille tunc mundus aqua inundatus periit.

Tam

Tam inconsiderati sunt obstinati illi illusores, dei iustitiam et iudiciū pernegantes, & absq; dei timore impie uiuentes, ut sancto spiritui eum habere honorē dedignentur, quo legerent uel crederent, quemadmodū in aqua deus mundū seruet omnipotenti uerbo suo, quo condidit oīa, cū aiebat, Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt in unū locū, & appareat arida, hoc est, aqua à suo naturali loco, quē habet circum terrā, sub aēre, secedat & det locū ut terra ꝓdeat & aqua nudetur, ubi hoīes habitent. Alioquí natura inundaret aqua in totā terram, & operíret eam totam. Ex quo id iuxta naturalē quoq; intelligentiā animaduertere possent, ut oīa in manu dei sunt, eoq; cum antea semel totā diluuio terram perdiderit, & nobis facile idem facturum. Nec tunc homines fuisse minus securos, & extra omnem metum dum Noa prædicaret, ut sanè mali prorsus nihil expectarent aut futurū crederent, nihilominus tamen uniuersos simul aqua perijsse. Si ergo tunc deus aqua mundum perdidit, atque exemplo demonstrauit se posse eum totum demergere, quanto magis id nūc alio quoq; modo, uel eodē si uelit posse dispdere uniuersam?

Cœli autem qui nunc sunt & terra, eodem uerbo repositi sunt, igni re- 4
seruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum.

Hoc uniuersale iudicium tunc deus exercuit in mundū diluuio ipsum perdendo, ut sacræ literæ testantur. At deus quoq; ibidem promisit se nequaquam aquis mundum uniuersum perditurum, dato in signū huius arcu pluuiali in cœlo: ideo igni eum consumet atq; abolebit, ut tum nihil nisi ignis appareat, quemadmodum olim non nisi aqua uidebatur. Vnde & flammas meminit in reuelatiōe Christi futura 2. Thess. 1. Et diem domini in igne manifestandum. 1. Corinth. 3. dicit, Itaque cum dies nouissimus uelut subito irruperit in momento ut fulgur, & dicto citius omnia ignis erunt, quo omnia immutabuntur elementa in melius, quemadmodū Noe tempore aquis omnia mutata fuerunt in peius. Deum autem hac comminatione nos minime falsurum signo esse debet, quod prius fecerit nobisq; in signum reliquit.

Vnum uero hoc non lateat uos charissimi, quod unus dies apud do- 5
minum sicut mille anni, & mille anni sicut dies unus.

Cum igitur certissimum sit uenturum diem illum, non refert admodum, serius an maturius ueniat: illud tantum curandum nobis, ne quādocūq; uenerit, offendat nos imparatos. Nobis pro nostro animo quædā longa uidentur, quędā breuia, at deo nihil est neq; breue neq; longū: in suis promissis non sequitur cupiditatem nostram, sed suum æternum & incommutabile consilium, cui nhil est neq; præteritum neq; futurum, sed omnia præsentia. Nobis autem quicquid promisit, exhibebit, tempore quod ipse sibi præscripsit. Alioquí nihil apud illum interest siue interceſſerit unus dies siue mille anni. Apud nos autem alia est hæc uita, alia uita futura. In futuram nemo peruenire potest nisi morte, hoc est, præsentis uitæ cessatione. Est autem uita præsens, edere, bibere, dormire, concoquere, gignere, &c. quæ omnia numero & successu fiunt horarum, dierum, & annorum. Cum ergo futuram uoles uitā considerare, necesse est ablegare huiusmodi corporeas cogitatiōes: quandoquidē ad modū præsentis uitæ numerare oīa non poteris. Oīa enim unus dies sunt, una hora, unū & idem momentum sunt, & ipsa æternitas apud deum.

Non tardat dñs promissi, sicut quidam existimant, sed patienter agit 6
propter uos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.

Eadem fide deus præstat quod serius præstat, qua quod maturius. Iam enim quod ad ipsum pertinet præstitit, quicquid decreuit præstare. Non enim mutato

consilio hominum contatorum more, recrastinat ac prorogat sua promissa, quem admodum falso opinantur quidam, deum è suis moribus metientes. Sed aliquando spacium longius præscribit uestri causa, pro lenitate ac mansuetudine sua, nolens quenquam perire, quod quidem in ipso est, sed cupit omnes aliquando resipiscere, ne qui pereunt, causari possint sibi temporis spacium defuisse mutandæ uitæ in melius.

7 Aduenietautem dies domini ut fur, in quo cœli magno impetu transient, elementa uero calore soluentur, terra autem & quæ in ipsa sunt opera exurentur.

Aderit ille dies inexpectatus, nec aliter obrepet mortalibus quàm fur nocturnus obrepit dormientibus. In eo tanta uis erit incẽdij, ut cœli magno impetu transituri sint in speciem illustriorem. Cæterum elementa quibus inferior hic mundus constat, æstu soluentur. Porrò terra, quæq; in ea continentur, exurentur igni, totaq; rerum natura purgabitur. Tunc scilicet irrumpet dies ille tanto fragore, atq; uelut ingens tempestas incidet subito, ut omnia uno momento uideantur consumata. Omnino enim exprimere uult apostolus id quod Christus dixit Matth. 24. & Paulus 1. ad Thess. 5. Latiorem autẽ expositionẽ huius totius capitis ferè quære in Augustino de Ciuitate dei, lib. 20. cap. 19. ubi simplicem inuenies intellectum, & translationem à nostra discrepantem.

8 Cum igitur hæc omnia dissoluẽda sint, quales oportet uos esse in sanctis conuersationibus & pietatibus, expectantes & properantes in aduentum diei domini, per quem cœli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent.

Si tunc oportet usq; adeò omnia esse pura, ut hæc etiam dissoluenda sint quæ non peccant, quantopere uobis adnitendum est, ut dies ille uos omni uitæ sanctimonia, omnibus pietatis studijs integros ac purgatos reperiat. Id interim agendũ magna celeritate, quo semper parati sitis quandocunq; uenerit ille dies domini. Cuius exactum iudicium nemini licebit effugere, qui usq; adeò nihil feret impurum, ut cœli ardẽtes soluendi sint, ut elementa æstuantia colliquescere cogantur, sub luna omnia & transformari conflagratione tali, quæ beatis corporibus obesse non possit, & iam glorificatis ut ubiq; locorum adesse possint, si cupiant, dote agilitatis ornandi. Expendendum igitur uobis, quàm sancta & pia uita ac conuersatione instructos, uos excipere hunc diem conueniat, qui instat nobis, ad quem ut semper parati uiuamus, non solum gaudenter aduentum ipsius expectemus, uerumetiam festinemus in occursum eius, ut quo tandem liberandos nos speramus ab omni malo.

9 Nouos uero cœlos & nouam terram, & promissa ipsius expectamus in quibus iustitia habitat.

Dominus per prophetas uarijs locis promisit nouos se cœlos, nouãq; terram conditurum, ut Isa. 64. & 30. Quo ista modo futura sint, nescimus, nisi quod promissum est huiusmodi futuros cœlos & terram, in quibus nullum peccatum, sed nihil nisi iustitia & filij dei habitabunt, hoc est, nihil nisi gaudium & regnum dei uigebit. Vbi autẽ beati futuri sunt, qui potest inquirat, certe cum domino erunt, qui paradisus est omnium beatorum. Erunt ergo electi ubi fuerit Christus, nimirum in cœlestibus & æternis.

10 Propter quod charissimi, hæc expectantes, satagite, immaculati & inuiolati

uiolati ei inueniri in pace, & domini nostri longanimitatem salutem arbitramini, sicut & charissimus frater noster Paulus, secundum datam sibi sapientiam scripsit uobis, sicut & in omnibus epistolis loquens in eis de his,

Iudicium hoc mundi tam horrẽdum ac rigidum semper præ oculis habentes, date operam, ut dominus aduenies uos reperiat purõs & inculpatos, non apud homines tantum, quorum iudicia sępenumero falluntur, uerumetiã apud ipsum. Nam is demum purus est, qui deo iudici purus est. Et si forte dies ille serius aduenerit, nolite sic interpretari, quasi uenturus non sit, sed hanc domini lenitatem qua facit omnibus spacium ad pœnitẽtiam, existimate consulere saluti hominum. Qui bus de rebus scripsit etiam uobis charissimus frater & collega noster Paulus, hoc copiosius, quo donum uberius sapientiæ donauit illi deus, & in omnibus fere epistolis hortatur ad huius diei expectationem, nonnunquam ita loquens, quasi iam instet dies domini, quo magis extimulet studium pietatis, cum dies ille (quoniam incertus est) sic expectandus sit, quasi hodie uenturus, sed ita ut nemo certum præscribat tempus.

In quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles 11
deprauant, sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem.

Hæc de die Christi domini & extremo iudicio, atq; alia quædam Paulus pro sua sublimi sapientia admiscuit epistolis suis, quæ cũ ab ipso rectissime dicta sunt, tamen imperiti, parumq; firmi, peruersa interpretatione detorquent, quemadmodum & cæteras scripturas ad suam ipsorum perniciem, ut quod bonis est saluti, id ipsorum uitio uertatur istis in uenenum. Faciles sunt multi hoc tempore scriptorum ad iudicandum de authoribus sacrorum librorum, & de apostolorum quoq; epistolis, desiderãtes nescio quam maiestatem apostolicã in dictione, quam tamen nec Christus dominus ipsa sapiẽtia elegit, nec prophetæ sanctissimi, nisi iuxta temporum rationẽ, in quibus unum sæculũ doctius fuisse uidetur quàm aliud. Tametsi enim prophetis & apostolis spiritus unus fuerit, & in die pentecostes collatus fuerit ex æquo spiritus sanctus, non tamen eadem mẽsura, non eisdem donis, non eodem supellectili spiritus & naturali felicitate donatis, idq; domini uolunrate & prouidentia, qua non omnia ex omnibus conficere decreuit dei uirtus & sapientia. Arrogantiæ est non modicæ indicium, tam friuole iudicare de sacrosanctis authoribus nostro tempore.

Vos igitur fratres, præscientes, custodite ne insipientium errore tradu 12
cti, excidatis à propria firmitate. Crescite uero in gratia & in cognitione domini nostri & saluatoris Iesu Christi. Ipsi gloria & nunc & in diem æternitatis, Amen.

Tot modis præmoniti fratres, tum à me tum à Paulo, cauete ne fraude nepha-
riorum hominum unà cum ceteris seducti, excidatis à uestra firmitate fidei, quam hactenus præstitistis, quin potius date operam ut assidue crescatis, ac progrediamini in donis & agnitione domini nostri Iesu Christi, ne quando per falsos magistros seducamini, neue illusores illi & peruersores scripturarum, uobis aliquatenus imponant, à quibus cauti abstinete, ne falsa doctrina abducti excidatis à fide, sed potius incrementa sumite, ut de die in diem spiritus instinctu promoti ad altiora corroboremini ad gloriam dei.

FINIS.

COMMENTARIVM IN EPISTOLAM D. IOANNIS APOSTOLI PRIMAM.

ARGVMENTVM.

COMMENDATVR nobis diuus Ioannes apostolus non solum ex uita & operibus, sed & ex euangelio suo sacratissimo & hac epistola, quæ & ipsa purissimum est euangelium. Quis enim de fide ipsius dubitet, cui in cruce Christus matrem cōmendare non dubitauit? Quis non eminentem diuinarum rerum notitiā ei tribueret, qui & supra pectus Christi in cœna recubuit, & ad sacratissima quæq; admissus est? Spectauit in monte Christi gloriam, spectauit & in horto sudantem sanguinem, affuit suscitatæ à mortuis Iairi filiæ, & ubiq; cū primis est. Bonis uidetur oratio eius blandior, testis quoq; suauitatis morum eius, sed non ita malis, aduersus quos zelo apostolico non caruit, siue uitā sumat Samaritanos, Christum excludentes. Vere dictus filius Tonitrui, quod impios eloquio suo terreat, & cœlestes doctrinas proferat. In hac autem Epistola hortatur fideles ad charitatem fraternam. Initio totum Christi negotium paucis proponens, redemptionis gratiam: docensq; nobis non esse peccandi licentiam præbitam. Fidem ueram testandam sanctis operibus, & studio charitatis ostendendæ in facto. Hæreticos fugiendos suadet ut antichristos, hærendum autem agnitæ ueritati. Iterum ad puritatem uitæ animat, & ad charitatis officia. Interserit quædam de probandis spiritibus. Epistolā claudit fidei & charitatis cōmendando studium.

CAPVT PRIMVM.

QVod fuit ab initio, quod audiuimus, quod uidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerūt de uerbo uitæ.

Neq; de rebus mediocribus leuibusq; aut incōpertis uobis scribimus, fratres charissimi, sed de re noua, uerum ita noua uobis, ut apud deum fuerit ab æterno. Is est sermo dei, Iesus Christus, idem deus & homo, qui cum nunquā non fuerit dei filius, nuper uoluit esse uirginis filius: & qui iuxta diuinam naturam erat humanis oculis inuisibilis, dignatus est humanū corpus assumere, dignatus est inter homines uersari familiariter, ut nos ab ignorantiæ nostræ tenebris subueheret, ad lucem euangelicæ cognitionis, ut quem coram oculis corporeis conspeximus, incipiamus & mentis oculis intueri. Postulabat quidē humani cordis incredulitas, ut crassis experimentis fides astrueretur ueritati: sed tamen illorū pietas ipsius uocem certissima persuasione crediderunt eū esse dei filiū, & unicū humanæ salutis authorē. Nostrū est igitur quod sensibus corporis cōpertissimum habemus, narrare ijs quibus uidere nō cōtigit, & tamē expedit credere quod nulli sit sperāda uita neq; salus æterna, nisi qui credat euangelicæ doctrinæ, cuius nos & testes sumus & præcones. Nō est humanus sermo neq; leuis momenti, sed neq; nouus, at diuinus est & cœlestis ab initio sæculorū euangelizatus & ꝓmissus, uitā æternā cōferens ijs qui credētes præbuerint aures morigeras, ac liberās à morte peccatorū, à quacūq; religione, à quocūq; uitæ genere sese huc cōuerterint. De hoc quod referimus, optima fide referimus, nimirū quod assidui eius sectatores nostris auribus audiuimus, oculis nostris uidimus, nec uidimus tamen procul aut in transitu, sed coràm

corâm & ad plenũ perſpeximus. Ad faciendã fidem hi duo ſenſus príncipes ſunt: atq; ſi id quoq; parum eſt, non ſolum audíuimus docentem, precantem, imperantem uentis ac dæmonibus, patrem non ſemel atteſtantem filío, non ſolũ uidimus ædentẽ miracula, morientẽ & reſurgẽtem, uerumetiã hiſce manibus contrectauímus. Siquidẽ rediuiuus à morte quo plenã faceret fidem, ſe nõ eſſe ſpectrũ inane ſed eundem hominem uiuum, quem príus uíderamus mortuũ, præbuit ſe noſtris manibus contrectandum & admotis digitis noſtris oſtendit uulnerum cicatrices. Mortuum erat mortalium genus, nimirũ uitijs ac peccatis obnoxium, ille pro noſtris ſceleribus dependit mortem, ut illíus beneficio iam uiuamus innocentiæ.

Et uita manifeſtata eſt, & uidimus & teſtamur, & annũciamus uobis 2
uitam æternam, quæ erat apud patrem, & apparuit nobis.

Diffidebamus & nos cum mortuum cum ſepultum cerneremus, ſed ille reuíuíſcens, ſpem certam uitæ nobis attulit. Nulla erat mortalibus æternæ uitæ ſpes, niſi ille ſe noſtris oculis ingeſſiſſet, niſi certiſſimis experimentis omnem dubitatiõnem nobis ademiſſet. Homo pœnas luit pro noſtris peccatis, ſed ídem deus largítur immortalitatem ípſi fidentibus. Semper ille uíuebat apud patrem, ſemper hæc uita nobis erat per filíum decreta, ſed nondum erat hoc conſílium orbi proditum, licet ex prophetarum oraculis íd ueluti per ſomniũ expectabat natío Iudæorum, ſed ſola ut ſibi uidebatur: interím regnabat mors, uita latebat, alij ſpem ſuam fixerant in Moſe, alij in mundana ſapientia, ſed ſalus ac uita omnium gentium erat Ieſus Chriſtus, ſermo dei patris, magíſter innocẽtiæ, & immortalitatis largítor. Neque enim uíuit, niſi qui pie uíuit: neq; uere mortem effugit, niſi qui conſequitur immortalitatem. Is ſeſe tandem per ſeipſum patefecit orbi, omnibus ſenſibus humanis ſemet exhibens, atq; ita inſinuans ſeſe in animas hominum.

Quod uidimus & audíuimus annunciamus uobis, ut & uos ſocieta- 3
tem habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cum patre, & cum filío eius Ieſu Chriſto. Et hæc ſcribimus uobis ut gaudeatis, & gaudium ueſtrum ſit plenum.

Nos apoſtolos ideo uoluit eſſe ſpectatores ac teſtes omniũ quæ geſſit in terris, ut noſtro præconio cum fide diuulgarẽtur per uniuerſum orbẽ terrarũ, ut quemadmodum nos per Chriſtum aſſequuti ſumus uitam ac ſalutẽ, ſi modo perſeueraverimus in doctrina euangelica: ita & uos nobiſcum ueníatis in conſortium & ſocietatẽ huius ſalutis, ſi quod ab ípſo non audíſtis, neq; uidiſtis, noſtra prædicatiõe diſcitis, noſtro teſtímonío creditis. Nõ ſumus neq; uani teſtes, neq; ultronei. Mandauit ille, ut fidi teſtes eſſemus, & teſtificamur apud omnes, magno capitis noſtri diſcrímine, nec aliud quàm quod omnibus corporis ſenſibus habemus compertiſſimum. Nos felices quibus aures & oculi fidem fecerunt, ſed uos nihilo minus felices, ſi teſtibus illíus fidem habuerítis. Noſtra fides conglutínauit nos Chriſto, reddiditq; filios dei ac membra Chriſti, ueſtra quoque fides inſeret uos eidem corpori, ut nobis ſocietate fidei coniuncti, conſtituatis unum corpus, idq; fiet ut non ſolum unanimes ſimus inter nos, uelut unius corporis membra, uerumetiam pacẽ ac fœdus habeamus cum Ieſu Chriſto, & per hũc cum patre illíus deo, à quo príus diffidebamus, ut quemadmodũ filío cum patre ſummus eſt cõſenſus, & omnium rerũ cõmunio: ita & nos per conſenſum euangelicæ profeſſionis coagmentemur in unũ corpus Chriſti, participes futuri bonorũ oĩm capitis noſtri. Scio uos gaudere de tã felici contubernio, ſed hæc ſcripto refrico uobis, quo plenius etiam gaudeatis, ſi nõ ſibi quiſq; tantũ de ſua ſalute gratuletur, ſed oĩm felicitas ſingulos

afficiat uoluptate. Facit enim hoc Christiana charitas, ut quisque de bonis alienis non secus gaudeat ac de suis: quo pluribus erit communis haec felicitas, hoc erit uberius singulorum gaudium. Inter nos non constabit unanimitas, nisi adsit gluti-
tinum mutuae charitatis. Cum deo pacem habere non possumus, nisi capiti nostro Iesu Christo respondeamus: quicquid habet ille, patri fert acceptū: nos quicquid habemus Christo feramus acceptum oportet. Christus lux est uera, à patre lucis omnis proficiscens. Nos esse Christi membra non possumus, nisi lucidi simus: nec lucem habere possumus, nisi in illum transformemur, & in illius consortio iugiter perseueremus. Veritas & innocentia lux est, animi peccata prauaeq; cupiditates tenebrae sunt: ubi lux est, ibi uita est: ubi tenebrae sunt, ibi mors est.

4 Et haec est annunciatio quam audiuimus ab eo, & annunciamus uobis quoniam deus lux est, & tenebrae in eo non sunt ullae.

Quid est igitur quod uobis annunciamus, quo plenius gaudeatis? Nimirum hoc est quod ab ipso etiam audiuimus, & auditum uobis communicamus, quod deus quia totus ac sua natura bonus est, totus sapiens, totus purus, totus etiā lux est & uita, neq; quicquam est in illo tenebrarum. In nobis nō itidem est, sed ex nobisipsis multum habemus caliginis: si quid habemus lucis, hoc totū illi debemus, cuius gratuita benignitate liberati sumus à priscis peccatis, liberati ab ignorātiae prioris tenebris. Per euangelicam doctrinam didicimus pie uiuere ad Christi capitis exemplum. Si quis gloriatur se per baptismum insitum esse corpori Christi, & per hoc societatē habere cum deo patre, cum interim uersetur adhuc in erroribus ac uitijs uitae pristinae, planè mentitur. Etenim cum, ut dixi, deus absit ab omni consortio tenebrarum, qui potest cum hoc ullum habere commertium, qui totus adhuc uersetur in errore uitijsq; pristinis?

5 Si dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & ueritatem non facimus: si autem in luce ambulemus, sicut & ipse est in luce, societatem habemus adinuicem, & sanguis Iesu Christi filijs eius emundat nos ab omni peccato.

Errat tota uia qui se putat innocentiam assequi posse nisi per Christum. Errat rursus qui satis esse putat baptismo lotum esse, nisi per innocētiam uitae professioni suae respondeat. Errat qui hoc sentit, mentitur qui dicit, Christus autem ueritas est, cui nihil commune cum mēdacibus. Primus ad lucem gradus, agnoscere suas tenebras: primus ad innocentiam profectus, agnoscere sua peccata. Vultis igitur audire quo argumento cognoscere possimus nobis esse uerum cum deo consortium? Nimirum hoc, Si quemadmodū ille lux est, omnis caliginis expers, ita nos ad exemplum illius ab omnium errorum ac uitiorum tenebris abstinebimus, ad lucem euangelicam uitam omnem attemperantes. Et si quemadmodum filius habet summam concordiam cum patre, ita & nos innocenter uiuentes unanimes simus inter nos. Non imputabit nobis pater cœlestis ueteris uitae commissa, quae simul abolita sunt uniuersa precioso sanguine filij ipsius Iesu Christi, si modo nos in reliquum ab omni peccato temperemus, quod quidem in nobis est. Omnes sordes abluit sanguis Christi, & ab omnibus abluit, sed non abluit nisi agnoscentes sua mala.

6 Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & ueritas in nobis non est.

Si nos penitius introspiciamus, ô deum, quantae nobis occurrunt tenebrae? quanae

quantæ abominationes? Quid enim omnis affectus carnis, & peccatum? & magna nobis ignorantia dei? Quid sapimus aliud, quid loquimur aliud & terram? Habet homo si recte discutiat, natura incredulitatem, odiumq; dei, amorem sui, rebellionem, inobedientiã, fugam crucis, odium mortis, hypocrisim: & quis omnia commemoret? Fermento ueteri fermentata est natura nostra, atq; adeo etiam intima infecit & corrupit morsus serpentis, ut nihil inde prodeat, quin uetustatem illam damnabilem sapiat. Quis est quæso qualis esse debeat? Esse autem alium & oportet, peccato non caret. Nullum opus nostrum est quale esse deberet. In hoc ardentiorem esse oportebat, in illo magis humiliatum: in alio prudentiorem, in omnibus simpliciorem. Videbat & hoc Paulus, dicẽs aliam se habere legem in membris, rebellãtem legi mentis. Sensus quoq; & cogitatio cordis humani propensus est ad malum omni tempore. Isaias omnes nostras iustitias uocat immunditias. Si ergo uere in nobis esset Christus & ueritas, lux mentis discuteret hanc arrogãtis ignorantiæ caliginem. Hinc est quod sancti omnes cum lachrymis precãtur, Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus. Qui frustra orarent, nisi essent oberati.

Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, ut remittat nobis 7
peccata nostra, & emũdet nos ab omni peccato. Si dixerimus, Quoniam non peccauimus, mendacem facimus eum, & uerbũ eius nõ est in nobis.

Si post acceptum baptismum & pœnitentiam, contingat in aliquam culpam ex infirmitate humana relabi, lucemq; nostram ceu nebula quæpiam obscurarit, cauendũ est ne nos arrogantia longius ac longius semotos à luce, reducat ad pristinas tenebras, sed adnitẽdum, ut per modestiam admoneamur lucis, caliginem omnem dispulsuræ. Si quid obiter deliquerit frater in fratrem, alter alteri condonet offensam, ut deus uicissim condonet illis quæ in ipsum admittũtur. Siquidem hac lege deus pollicitus est nobis se remissurũ, quicquid in illũ deliquimus, si fraterni delicti gratiam faciamus. Ad extremum enim usq; quadrantem debitũ exiget ab eo dominus, qui domini clementiam expertus, se parum clementem præbuerat in conseruum, uidelicet eum indignum iudicans diuina misericordia, cui is semel gratis uniuersa commissa condonauit, qui leuem offensam condonare reciset ei in quem ipse quotidie uel peccet uel peccare possit. Facile ignoscet delinquenti, qui reputat & multis modis ipse delinquat & in deum & in proximum. Atq; ut difficillimum est homini præstare, ne quid peccet: ita facillimũ est mederi delictis huiusmodi mutua cõdonatione. Ignosce tu proximo, & proximus uicissim ignoscet tibi, et utriq; uelut ex pacto ignoscet deus. De his loquor erratis, quę & inter bonos incidunt, sed homines tamen, quæq; lucem euangelicam ueritatis offuscant magis & extinguunt. Nam deus auertat, ut homicidiũ, aut adulterium, aut sacrilegium incidat in uitam eorum qui semel cooptati sunt inter filios dei. Nihil autem magis inuitat dei misericordiam & mitigat iram, & si quis apud deum agnoscat peccatum suum. Si ferox etiam homo condonat agnoscenti delictum, quanto magis id faciet deus quouis homine clementior? Nam propensus est ad misericordiam, & hac conditione nobis pollicitus est ueniam, Remittite, & remittetur uobis. Tu modo præsta conditionem præscriptam, ille non obliuiscetur pacti. Si nos ex animo cõdonauerimus proximo qui nos offendit, deus uicissim nobis condonabit, non solũ unam aut alteram noxam, sed omnia peccata, modo pro uiribus adnitamur, ut aliquando simus immunes ab omnibus uitijs. Id si nos ad plenum non poterimus assequi, ob humani corporis fragilitatem, ipse tamen de

ſua benignitate ſupplebit, quod deeſt noſtris uiribus, ac purgabit nos ab oĩbus commiſſis noſtris, qui fortaſſis ob hoc ipſum patitur in nobis reſidere nonnulla ueſtigia priſtinæ uitæ, ut agnoſcamus imbecillitatem noſtram. Siquidem plus illi placet, peccator ſibi diſplicens, q̃ iuſtus ſibi placens. Vult ille ſalutem hominum ſuæ miſericordiæ ferri acceptam, nõ noſtris meritis. Iamq̃ teſtatus eſt, nemínem eſſe mortalium in terris, qui non alicubi labatur. Quod ſi nos negauerimus in nobis eſſe peccatum, deum mendacem facimus, qui mentiri non poteſt: eiq̃ contra dicimus, cui quiſquis contradicit, mentiatur oportet.

CAPVT II.

1 Filioli mei, hæc ſcribo uobis, ut non peccetis. Sed & ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Ieſum Chriſtũ iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autẽ tantum, ſed etiam pro totius mundi.

Ex apoſtolico pectore nos blande alloquitur, ne putemus grauius quiddã nobis iniungendum. Scribo uobis, inquit, ne peccetis. Grauis pœnitẽtia, imò leuis, quam tamen à Chriſto didicerat, qui dixerat adulteræ, Vade, & noli poſthac peccare, ne tibi grauius quid contingat. Et tamen quicquid Chriſtus imperat, onus graue non eſt. Quamuis aũt noſtræ uires nihil geſtare poſſint, Chriſto tamen in nobis operante, & gratiã ſuppeditante, non eſt quod detrectemus. Studiũ autem noſtrũ ſit, ut tollatur uetus ille Adã totus. Id quamuis nunq̃ fiat, certandũ tamen erit ſpiritu, ut dicere poſſis, Hoc facio quod nolo: ſed à paruis quoq̃ abſtinẽdum, ut maiora effugias: contemptus minimorũ parit grandia. Poſteaq̃ Chriſtus ſemel nobis omnia commiſſa cõdonauit, huc oportet omnibus ſtudijs eniti, ut innocentiæ ſtudeamus, et eam ſeruemus illibatam. Et tamen ſi fors euenerit, ut relabamur in peccatũ, non eſt q̃ deſperemus de uenia, deum habemus exorabilem, & apud hunc habemus patronũ amantem & fidum, qui nihil non impetrat à patre filius, ac nobis ex animo bene uult, qui ſemetipſum impendit ſeruãdis nobis, módo nobiſipſi penitus atq̃ ex imis præcordijs diſplicuerimus, & rurſum ad meliora nitamur. Solus ille non habet quod ipſi condoneẽ, & ſolus quoq̃ interpellat pro peccatis membrorum ſuorum, ac patrem offenſum nobis reconciliat, propitiumq̃ reddit: neq̃ nobis ſolum, qui iam illius doctrinam ſumus amplexi, ſed uniuerſo mortalium generi, ſi modo pectore ſyncero ſeſe peccatores eſſe fateãtur, & innocentis uitæ propoſitum ſuſcipiant, de Chriſti meritis & iuſtitia fidant toto animo, ſuſceptũq̃ propoſitũ urgeant, ac mordicus quoad poſſint retineãt. Memorabilis hic locus contra contendentes neceſſariã ſanctorũ interceſſionẽ, & à Chriſto nos ad ſanctos ducentes, qui & ipſi indigent hoc interceſſore iuſto, & aduocato. Dicit eñ Ioannes, Habemus. Nõ enim ſancti habent quæcũq̃ merita, niſi Chriſti iuſti, qui ſolus ſine macula agnus tollit mũdi peccata. Is hic in terra pro nobis orauit Chriſtus, & ꝓ ſua reuerẽtia exauditus eſt. Vnica oblatione ſua perfectos effecit in perpetuũ, qui ſanctificantur, qui ſemetipſum dedit pretiũ redẽptionis pro omnibus ſanctis & nobis. Is quoq̃ dicit, Si quis ſitit, ueniat ad me: Venite ad me omnes. Hic quoq̃ nullo opus patrono, ſi quid patrem petieritis in nomine meo, dabit uobis. Ipſe altare noſtrum eſt, ſacerdos & hoſtia pro peccatis totius mundi: non illius qui Chriſtum odio habet, & in peccatis gloriari pergit, ſed totius eccleſiæ, hoc eſt, omnium qui ad ipſum bona fide confugiunt.

2 Et in hoc ſcimus quoniam cognouimus eum, ſi mandata eius obſeruamus. Qui dicit ſe noſſe deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt, &

& in eo ueritas non est.

Multa compendio præcepit, qui præcepit erga proximos, qualem ipse præstitit nobis. Non adigit ad se redamãdum, sed inuitat, sed prouocat, sed inflammat. Quisquis uere deum nouit, non potest illum non uehementer amare. Nec enim quisquis deum ore profitetur, deum nouit, sed qui charitatis euangelicæ flamma succensus, ex fide uera uolens & lubens præstat quod ille prior præstitit, ut & inimicis benefaciamus, ut pro salute proximi non dubitemus uitę subire discrimen. Is se declarat habere fidem, & nosse deum. Iudicium hic certum ponitur, quo ueram à ficta fide dignoscas, nempe ex obseruatione mandatorum, non hominum hypocritarum, sed illius, hoc est dei. Frustra enim deum colunt, qui traditionibus hærent humanis, non diuinis. Tantum quæ ego præcipio facite domino, neq; addas neq; minuas quippiam, Deut. 12. Dicit autem, Si seruemus: non, Si disputemus, scribamus, concionemur, contendamus. Et seruemus non ore solo, sed & opere. Nemo deum plene nouit uel didicit, nisi fidē imbuat charitas. Quisquis autem mentitur, in hoc non habitat Christus, qui est ipsa ueritas: & quisquis hunc non habet in se manentem, non est uiuum membrum corporis eius. Fides absq; charitate mortua est res & inanis. Porrò charitas otiosa non est, nihil obmittit eorum quæ nouit esse grata deo quem amat. Christus negauit se agniturũ discipulum, qui non sublata cruce se sequeretur perfectæ charitatis uestigijs ingredientem. Frustra aũt prorũpes in bona opera, nisi prius fidei ieceris fundamentũ, & animum sumpseris ultra non peccandi. Non enim cum Christo nouus homo resurges, nisi ueterẽ crucifixeris: opera tua nõ erũt bona, nisi ante tu bonus fueris, fide iustificatus, ut nihil tibi mali placeat. Declarat aũt quomodo mãdata serues.

Qui autem seruat uerbum eius, uere in hoc charitas dei perfecta est: in 3
hoc scimus quoniam in ipso sumus. Qui dicit se in ipso manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.

Christi domini sermonem qui seruat, is ipsa re declarat se tenere perfectã ueręq; euangelicam charitatem. Hoc experimento cognoscemus, q̃ in illius corpore sumus, q̃ illius spiritum hausimus. Quid tu te iactas ut Christi membrũ, quod per baptismum receptus es in gregem Christianorum? Non est otiosa, non est delicata professio. Non professio facit uerum Christi membrũ, sed imitatio. Qui profitetur ore se renatum in Christo, debet illius uestigijs ingredi. Non uixit ille sibi, non sibi mortuus est, totum se nobis impendit, in omnes benefícus fuit, nulli negessit conuitium, sed in cruce fixus pro ijs qui probra congerebant in ipsum, patrem deprecatus est. Hæc est euangelica perfectaq; charitas, quam factis oportet æmulari, qui se profitentur Christi discipulos, in quibus per fidem Christus habitat, & facit uitalia opera, nempe charitatis & fidei.

Charissimi, non mandatum nouum scribo uobis, sed mandatũ uetus 4
quod habuistis ab initio. Mandatum uetus, est uerbum quod audistis.

Respondet hoc loco dicentibus, Nouum & magnum mandatũ est, ambulare sicut Christus ambulauit: quandoquidem in Christo omnis gratiæ plenitudo est, nos autem puluis & umbra sumus. Illis respondet, Absit ut ego frater & æqualis nouum quiddã iniungam: nihil noui doceo, sed præceptũ uetus, quod ab initio habuistis inserti Christo. Non nouum est quod lex & prophetæ exigũt, & in quo recapitulantur omnia quæ in lege sunt scripta, quodq; Christus sic in euangelio renouauit, ut suum quoq; faceret. Hoc, inquiens, est prȩceptũ meum, ut diligatis inuicem, sicut dilexi uos. Neq; nouum est igitur, neq; meum præceptũ quod nũc

trado uobis: neq; uobis hactenus inauditũ, sed hoc ipsum est, quod uobis in ipso statim initio tradidimus ex authoritate Christi. Et hic quoq; locus est respondẽdi intempestiuis nugatoribus, abhorrẽtibus nunc ab euangelij prædicatione, quasi à noua fide, à noua lege, quasi nouũ deum docentibus, homines absq; omni fide, lege & deo. Proh pudor, adeóne doctrina Christi antiquata est in humanis pectoribus, ut cum apostolica tantũ docentur, noua quædã proponi uideantur? Quem deum nouum prædicamus, docentes, ut is habitet in cordibus nostris qui erat ab initio? Necesse est ut illum ignorent, nam si eum nossent, nobis neutiq; contradicerent. Nouos deos sibi faciunt, qui relicto uerbo dei, hominum zelant potiusq; seruant mandata: nouam fidem docet, qui euangelio aduersatur: imò fidem non docet, sed superstitionem & abominationem, qualia docens eradicabitur à patre, eo q; non est ex plantationibus quas plantauit pater. Ioannes autem dicit, Non mandatũ nouũ scribo uobis, sed uetus, nam illud sancti patres & propheræ dudũ habuerũt: tametsi ratione quadã nouum liceat appellare, quandoquidẽ malis nostris moríb. antiquatũ, innouatione opus habet. Quod & Christus renouãs illud suum mandatũ uocat, ac nouũ, in nostri scilicet condemnationẽ, quia id neglexímus, iuxta ueterẽ hominẽ uiuẽtes. Nouũ aũt q̃modo sit & fiat, dicit cõsequenter.

5 Iterum mandatum nouum scribo uobis, quod uerum est, & in ipso, & in uobis, quia tenebræ transierunt, & uerum lumen iam lucet.

Vetus erat mandatum, sed antiquatũ moribus hominũ. Iudæi memoriter tenebãt, Diliges dñm deum tuum, Diliges proximũ tuum, sed suis quiq; cõpendijs seruiebant. Christus hoc nobis renouauit, plus etiam nos diligens q̃ seipsum, & diligens non proximos, sed hostes, sed auersos ac malo dignos. Id tametsi scio uobis quondam auditũ, tamen crebra iteratione subinde renouandũ, ut altius infideat animo, quod est euãgelicæ professionis caput. Verum erat præceptũ hoc in Christo, qui quod docuit præstitit, sed uerũ non erat in uobis, donec laborabatis odio proximi, donec conuitiũ conuitio, iniuriã iniuria pensabatis. Nunc & in uobis uerum est, posteaq; exorta uera lux euangelicæ doctrinæ, dispulit tenebras uetæ prioris: docuitq; non esse deo gratũ, nisi qui bonos amaret ob Christum, & malos diligeret in hoc, ut conuerterentẽ ad Christũ. Sed nec uerũ in nobis est lumen, dum adhuc est ignis in silice clausus, uel tectus modio. Oportet ut luceat foras, excutiatur, extra appareat per opera, ut intelligatur intus in ueritate uigere. Nec putes esse in eis fidem, in quibus non operatur dilectionem proximi.

6 Qui dicit se in luce esse, & fratrẽ suum odit, in tenebris est usq; adhuc. Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est.

Non hic loquitur de conuitijs, contemptu, homicidijs, & externis malis, eorũ qui odiũt fratrẽ, sed de interno odio, q̃ caliginem offundit animo. Et cum illiqui solo corde persequuntur uel oderũt fratres, adhuc in tenebris sunt: quãto magis ubi odiũ in sæuitiã & furorem & cædem prorũpit? Et hoc probat quoq; à contrario, quia sicut qui diligit est in lumine, sic qui odit adhuc est in tenebris. Quid eñ amor q̃ flagrãtia & calor? Igitur odiũ frigus est & glacies. Et sicut calor à luce, sic frigus è tenebris. Vbi ergo odiũ, ibi tenebræ: ubi charitas, ibi lux & calor. Admonet aũt, ne quis fucatã charitatem fidei paruæq; iacturæ odiũ existimet. Felix est aũt & absq; scãdalo, nullaq; re lædítur qui fidẽ habet, & est charitas tam flagrãs, ut nullis iniurijs queat restingui, omnia in bonam quantũ fieri potest partem interpretetur, nullũ temere offendat, nullius etiam uita offendatur, ita ut sese relinquat: & si quos infirmari conspexerit, cum eis infirmetur, condoleat, cõmisereatur,

tur, excuſet, pro eis oret. Adeo enim neminem lædit uera charitas, ut omnia ſuffe
rat, omnia uertat in bonum: à contrario autem de inuidis docet.

Qui autem odit fratrem ſuum, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, 7
& neſcit quò eat, quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius.

Odium & inuidia præcipitant inuidos in uaria ſcelerum genera, ut ubiq; of-
fendantur, etiam in his quæ bona ſunt, & de operibus ſuis nequeant iudicare, ne
ſcientes q̃ grauis ſit peccati natura, uel quanta ſequant̃ ſupplicia. Ideo calumnia-
ri, obtrectare, perſequi & occidere non timent, tenebris enim obcæcantur, quia
deſtituti ſunt charitate, odijq; fraterni caligo excæcauit oculos eius.

Scribo uobis filioli, quoniam remittuntur uobis peccata propter no- 8
men eius. Scribo uobis patres, quoniã cognouiſtis eum qui ab initio eſt.
Scribo uobis adoleſcentes, quoniam uiciſtis malignum. Scribo uobis in
fantes, quoniã cognouiſtis patrem. Scripſi uobis patres, quoniã cogno-
uiſtis eum qui eſt ab initio. Scripſi uobis adoleſcẽtes, quoniã fortes eſtis,
& uerbum dei manet in uobis, & uiciſtis malignum.

Ego uos omnes materna etiã charitate proſequor, & ob id ſcribo, partim gra-
tulans felicitati ueſtræ, partim adhortans, ut ad meliora proficiatis. Omnibus uo
bis gratulor ut chariſſimis filijs, quos per ſemen euãgelicę doctrinę regenui Chri
ſto, quia nobis condonata ſunt peccata uitæ ſuperioris, & gratis condonata ſunt:
non ob aliud, niſi q̃ corde & ore factis q̃ profeſſi eſtis nomen domini Ieſu Chriſti,
ut memineritis huius exemplo, gratis item cõdonare ſuo quiſq; proximo. Scribo
uobis, quos non tam ætatis progreſſus, q̃ morum grauitas, & erga iuniores pia
ſolicitudo patrum uocabulo dignos reddit: gratulans uobis, q̃ non ſolum uulga-
ri prudentia præditi eſtis, qua ſenes ob uſum rerum ferè commendantur, & im-
peritis iuuenibus rectius conſulunt, ſed q̃ cognouiſtis Ieſum Chriſtum ſalutis au
thorem: qui non ſolum longæuus eſt, uerumetiam ſemper fuit apud patrem. Ae-
ternum nouiſtis longæui, & in quo plenius hunc noſtis, hoc diligentius eum præ
dicatis ætati rudiori. Multa uetera meminerunt ac tenent ſenes, uos eum tenetis
qui fuit ante tempus omne. Scribo uobis adoleſcentes, qui uigore fidei ſuperaſtis
ſatanam improbum & importunũ. Vulgus iuuenum hoc uidetur felix, q̃ robo-
re corporis nemini facile cedant: uos feliciores, quo robore mentis, nec uolupta-
tum illecebris, nec ullis mundi terroribus potueritis ſuperari. Aliorũ uirtus emi-
cat in bello, ueſtra uirtus clarius emicuit aduerſus inſultus dæmonum, carnis &
mũdi. Scribo uobis pueri, qui tametſi per ætatem nondum ſapitis, peritia rerum
mundanarum, tamen hoc iam eſtis aſſequuti, quod uobis æternam conciliet feli-
citatem. In alijs infantibus primum mentis ſpecimen eſt, ſi patrem agnoſcãt: uos
nouiſtis patrem cœleſtẽ, per quem eſtis cœlo renati. Tueatur quiſq; quod habet,
ut proficiat in eo quod habet. Ob hanc cauſam & gratulor ſingulis, & commone
facio ſingulos ordines ac ſtatus, ut agnoſcentes felicitatem ueſtrã, agatis gratias
authori deo, & memores quò peruenire oporteat, ſemp̃ enitamini ad perfectiora.
Repetam igitur, ne queat elabi, Scripſi uobis patres, quia noſtis eum qui nec ini-
tium habet nec finẽ, ne quid uos cõmoueat huius uitæ deſideriũ, ad æternã prope
rantes uitã. Scripſi uobis adoleſcẽtes, q̃ mollitiem ætatis animi robore ſuperaſtis,
quodq; conſtanti pectore ſermonẽ euangelicũ ſeruaſtis, & opitulante Chriſto, ſu
peraſtis diabolũ, peruicacẽ humani generis hoſtẽ. Perſeuerate in uictoria, pergi-
te cõtemnere q̃d hactenus contẽpſiſtis, magis ac magis amate q̃d amare cœpiſtis.

9 Nolite diligere mundum, neq; ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo: quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia uitæ, quæ non est ex patre, sed ex mundo est.

Solicitat mundus falsis bonorum fluxorum simulachris, territat inani falsaq; specie malorum. Vos ea terreant quæ uere mala sunt, nec unquã finem accipiũt: ea capiant quę uere bona sunt, & finem nesciunt, lucem euangelicam sequentes. Amate cœlestia, quæ pollicetur cœlestis ille pater, cui per Christũ estis renati. Fugite tenebras malarum cupiditatũ, per quas mũdus hic inescat fucatis bonis. Fieri non potest, ut utrunq; simul ametis, utriq; simul seruiatis. Nihil conuenit deo cum mundo, nihil luci cum tenebris. Quisquis amat mũdum, excidit à charitate dei patris. Non hunc mundũ dico, cuius opifex est deus, in quo uelimus nolimus uiuimus. Improbas cupiditates rerum inaniũ, in quibus hominũ uulgus constituit felicitatem, uerorũ bonorum oblitus, mundũ appello. Non uos locus quamlibet semotus, non uos cultus, non cibus, non uos titulus eximit à mundo, sed animus purus, ab his quas dixi cupiditatibus. Quid autem habet hic mundus, quod nõ sit exitiabile? Tria sunt quibus potissimũ imponit stultis & incautis, uoluptas carnis, irritamenta oculorũ, & fastus strepitusq; uitæ. Obijcit em̃ prestigias quasdam inaniũ uoluptatũ, quibus ad tempus corporis sensus demulceat, ut interim animus à cœlestium bonorũ studio auocetur: nam huiusmodi bonorum cupiditates suggerit spiritus ille cœlestis, quem deus pater impertit filijs suis uere per Christum renatis. Habet & satanas suum spiritum, per quem suggerit pernicios um amorem rerum, neq; uerarũ, neq; perennium, ijs qui sese huic mundo deuouerũt. Suggerit Veneris mala gaudia, quæ stulta fœdaq; prurigine membra corporis titillent: suggerit eduliorum ac potus cupedias, quæ gulæ palatoq; blandiãtur: suggerit otij somniq; dulcedinem, quo magis situ torpescat animus: suggerit lasciuas cantiones, & impudicas fabulas, quibus aures deliniat: suggerit formarum illecebras, & uaria spectaculorũ genera, quibus oculos oblectet: suggerit honorũ pompas, ac diuitiarum strepitus, ambitionis irritamenta. Denicq; nulla non parte mentes hominum à ueris æternisq; auocat, ad inania bonorum simulachra. Horum cupiditate qui capitur, sciat se non incitari spiritu patris cœlestis, sed spiritu mundi. Mundus ut constat elementis temporarijs, ita nihil præbet, nisi mox perituru. Deus ut est æternus, ita largitur æterna præmia.

10 Et mundus transit & concupiscentia eius, qui autem facit uoluntatem dei, manet in æternum.

Qui pendet à mundi præsidijs, euanidam quandam ac mox auferendam felicitatem sectatur, quam frequenter & hic aufert casus, præter opinionẽ exortus, aut senium eripit. Certe mors nulli non uentura, tollit totum illud falsorũ gaudiorum somnium. Subducta materia, perit uoluptas, & succedunt dolores: sublato homine, pereunt hæc omnia, & succedit cruciatus æternus. Cæterũ qui patri obtemperat, uocanti ad amorem uitæ cœlestis, huius felicitas nullum est habitura finem. Nescit enim finem qui illam largitur. Innoxijs huius mundi cõmodis utendum pro tempore, sed parce, sed moderate, ad necessitatem naturæ, non ad uoluptatem libidinis. Cæterum summum animi studium ad res æternas uertendũ est, ad quod etiam oportet referri cæterarum rerum usum.

11 Filioli, nouissima hora est. Et sicut audistis, quia antichristus uenit, & nunc

nunc antichristi multi facti sunt, unde scimus quia nouissima hora est. Ex nobis prodierũt, sed non erãt ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscũ, sed ut manifesti sint qm̃ non sunt omnes ex nobis.

Nondum apparet plorũ felicitas, sed ea patefiet in aduentu domini nostri Iesu Christi. Videntur interim hic suauiter agere impij, sed imminet illis æterna calamitas, idq; breui. Videtur enim adesse tempus illud extremũ, quo mutatis rerum uicibus, cum Christo regnabunt ij qui nunc ob Christum affliguntur: & ad nihilum redigentur, qui nunc Christo rebellant. Audistis uenturũ Antichristum, qui omnibus huius mũdi præsidijs ac præstigijs armatus, belligeretur aduersus Christum: moxq; Antichristo reuicto, liberabitur omnibus malis corpus Christi, & onerabuntur omnibus malis membra diaboli. Huius igitur Antichristi aduentus, de quo uobis prædictum est ab apostolis, haud longe uidetur abesse, in tantum enim inualuit hic mundus aduersus doctrinam euangelicã, ut iam nunc cõplures esse cœperint, qui uocabulum Antichristi mereãtur, quorum & uita & doctrina & studium omne Christo aduersetur. Quid enim aliud hi q; Antichristi illius antecambulones uidentur, & uenturæ tempestatis extrema præludia? Minus enim lædunt Christi populũ, qui prorsus à Christo sunt alieni, q; hi qui semel in Christi castris uersati, mox transfugæ facti, Christi præsidijs & armis Christũ oppugnãt. Simulant enim etiam ea quæ in Christianis declarant Christi uirtutẽ, sanctimoniam, doctrinã, authoritatem, miracula. Atq; hi quidẽ exierunt à nobis, uerũ nihil est quod uos magnopere perturbent: uersabant̃ inter nos, sed nostri non erãt, hostes erant Christi, etiã cum in illius castris agebant: q; si uere nostrarũ fuissent partiũ, perpetuò perseueraſſent nobiscum. Titulo, cultu uerbisq; Christũ profitebantur, cæterũ animo mundũ adamabãt: & idcirco cum uentum est ad tempestates persecutionũ, cum ad incendiũ afflictionũ, prodidere semet quales antea fuissent. Nunc à nobis semoti, subleuãt nos ueluti corpus grauatũ malis humoribus, ac minus lædent hostes aperti q; fucati socij. Sic uisum est Christo, quo palàm fiat, non oẽs pertinere ad Christi corpus, qui loti sunt in illius nomine, qui nomine illum profitentur, qui sacramentis ecclesiæ cõmunicant. Verus & constans mundi contemptus arguit Christianũ, animus aduersus omnes illecebras, aduersus omnes iniurias infractus & inuictus, arguit Christianũ: contraria aũt sectantes, appetẽtes, profitẽtes, Antichristiani dicunt̃ & sunt, quãlibet sese titulotenus uendicent pro Christianorũ summis doctoribus, & præsidibus uel etiã põtificibus. Qui aũt ad occasionem desciscit à doctrina Christi, simulabat Christianum, non erat.

Sed uos unctionem habetis à sancto, & nostis omnia. Non scripsi uobis quasi ignorantibus ueritatem, sed quasi scientibus eam. 12

Expedit hos quos Antichristianos dixi, palàm à nobis seiungi, ne specie boni magis etiam noceant incautis: etiamsi nobis ignoti non erant, etiam antecq; se palàm subduceret. Siquidẽ unctio Christi, unde et uobis est nomen, afflatus spiritus Christi, satis indicat uobis qui sint ueri Christiani, qui secus. Etẽ qui spiritualis est, oĩa dijudicat. Nõ erãt ignoti, sed tolerabant̃, si fortè resipiscerẽt. Quod dico uerum est: neq; hæc scribo uobis, qa uos latuerit ueritas, qui doctorẽ habetis Christi spiritũ, qui non patit̃ uos quicq; ignorare, sed in memoriã reuoco q̃d scitis, quo fixius adhæreatis ueritati, neq; perturbemini successu malorũ. Pauciores estis, sed saniores, sed purgatiores, sed trãquilliores. Nihil decessit corpori, si resecta est uomica, si pus extillauit. Quid aũt hæc spiritus diuini unctio nos doceat, subiungit.

Et quoniam omne mendacium ex ueritate non est, quis est mendax, 13

nisi is qui negat quoniam Iesus est Christus? Hic est antichristus, qui negat patrem & filium.

Scitis q̃ Christus est ueritas, ab hoc dissidet omne mendacij genus. Quisquis fucatus est, cum hoc nihil habet commercij, quantũuis illum ore profiteatur. Multæ sunt mendaciorum formæ. Quisquis quocunq; modo mendax est, Christũ negat qui ueritas est, nullius mendacij mixturã recipiens. Quisquis aduersatur ueritati, Christo aduersatur: quisquis aduersatur Christo, antichristus est. Nullũ autem sceleratius mendacij genus est, q̃ negare Iesum esse Christũ. Atq; id faciunt multi pseudoprophetæ Iudæorũ, qui negant illum fuisse, quem Moses & prophetarum oracula iam olim mundo polliciti sunt, uindicem ac salutis authorem, et alium nescio quem antichristum pro Christo promittũt. Nimirum quisquis est huiusmodi, palam est antichristus. Rursus sunt, qui licet ore profiteantur Iesum esse Christum, tamen sic uiuunt, quasi uana sit eius doctrina, quasi uana sint præmia quæ promisit. Ille docuit beatos esse pauperes spiritu, quod eos maneat regnũ cœlorum. Et alius huc toto incumbens studio, ut dilatet latifundia, ut extruat magnificas ædes, ut augeat reditus, ut expleat arcas nũmis, per fas nefasq; quæsitis, ut factione ualeat, ut inopes opprimat, ut tyrannidem exerceat. An non reclamat Christo, cuius doctrinam, quod in ipso est, mendacem facit? Docet Christus, illos beatos esse, qui esuriunt & sitiunt iustitiam: & alius in luxu, in gulæ uentrisq; uoluptatibus felicitatem ponens, nónne Christo refragatur? Docet ille, beatos esse mites, quod ij possessuri sunt terram illam cœlestem, unde rursus depelli non poterunt: & alius ita se deniq; felicem iudicat, si pauperibus oppressis suam stabiliat opulentiam. Docet esse beatos qui lugent in hoc mundo, quod his debeatur æterna refocillatio: & alius per omnia sectãs huius uitæ delicias, nónne Christo refragatur? Docet ille beatos, qui misericordes sunt in proximos: & hic sibi placet, q̃ malis ultro affligit meliorem se. Docet ille beatos, qui conuitijs & afflictionibus uexentur ob iustitiam euangelicã: & hic omni fucorum ac technarũ genere studet placere mundo. Agnoscit ille discipulũ, qui sublata in humeros cruce, sequatur ipsum: & alius nihilominus sibi Christianus uidetur, si omnem effugerit molestiã. Nónne qui sic uiuit, antichristus est, quia Christo refragatur? Nõ reclamat os, sed reclamat uita. Cum diuersa doceret filius, pater dixit, Hunc audite. Iste uero quid dicit? Non hunc audite, dura sunt quæ docet, mundum audite.

14 Omnis qui negat filium, nec patrem habet: qui cõfitetur filium, & patrem habet.

Is antichristianus & impius, quemadmodum obsistit filio, cui non credit nec obsequitur, ita repugnat & patri: & dum mundanæ factionis est, semouet se à grege eorũ, quos Christus selegit ab hoc mundo. Nihil Christo commercij cum hoc mundo. Huic qui sese agglutinat, Christo repugnat, & antichristũ agit, simul & patrem abnegans & filium. Siquidem cum patre & filio indiuidua societas est, & in trinitate cum spiritu sancto consubstantialis diuinitas. Hic mihi reclamabit Iudæus, Patrem agnosco, filium non agnosco. Atqui quicquid in filium cõmiseris, idem commiseris in patrem. Filius nihil neq; gessit, neq; docuit, nisi authore patre. Qui filio derogat, derogat patri: ergo qui se alienarit à filij consortio, is nec ad Christi corpus pertinet, quod est ecclesia catholica, nec cum patre deo cõsortium habet, cui per omnia conuenit cum filio. Videtis quanto cum periculo se stulti diuellunt à filio.

15 Vos quod audistis ab initio, in uobis permaneat: quia si in uobis permanserit

manserit quod audistis ab initio, & uos in filio & patre manebitis. Et hęc est repromissio quam ipse pollicitus est nobis, uitam æternam.

Perseuerate in euangelica ueritate, quam à probatis apostolis primum audiuistis, ne uos abducat pseudapostolorũ mendax oratio. Si perstiteritis in eo quod primum tradidimus uobis, permanebitis in consortio dei patris, ac filij eius Iesu. Si cui durum uidetur perseuerare in euangelica professione, propter afflictiones impiorũ, cogitate præmium. Rem arduam exigit deus, sed ingens est præmium quod pollicetur. Neq; enim pollicetur opes, aut regnum, aut uoluptatem huius mũdi, sed uitam æternam. Id paruo emit, quisquis emit etiã uitæ dispendio. Quis autem post tãtas promissiones non excitaretur ad nouam uitam? Verũ ut magis securus sis, adijcit, Ipse pollicitus est. Christus est ueritas, & in se credentibus tanta promisit, ne ambigamus igitur præstiturum.

Hæc scripsi uobis de his qui seducunt uos. Et uos unctionem quã ac- 16
cepistis ab eo, maneat in uobis: & non necesse habetis ut aliquis doceat uos, sed sicut unctio eius docet uos de omnibus, & uerum est, & non est mendacium: & sicut docuit uos, manete in eo.

Hæc tot uerbis refrico, & inculco uobis, solicitus ne uos fortè seducant præstigijs suis impij, qui à Christo desciuerũt. Quanquam uel citra nostram commonitionẽ, satis, ut arbitror, docet uos ipse spiritus Christi, quem habetis assiduum monitorem ac doctorem in cordibus uestris: is quandiu perseuerat in uobis, non est necesse ut quisquã uos doceat quid sit cauendum. Is doctor est arcanus, sed longe certissimus: is semel à uobis haustus, docet uos de omnibus, quemadmodum & filius promisit. Siquidem natura uerax est spiritus, neq; mentiri nouit. Proinde perseueretis in eo quod ille uos semel docuit: tenetis rectam doctrinam, memi nistis, nihil superest, nisi ut in ea persistatis usq; ad aduentũ Christi. Persistetis autem, si mundi uanitatem cogitabitis, si ueram Christi doctrinam fueritis imitati, si à mendacijs pseudapostolorũ & Antichristianorũ caueatis, ne ab eis decipiamini.

Et nunc filioli manete in eo, ut cum apparuerit, habeamus fiduciã, & 17
non confundamur ab eo in aduentu eius.

Iterum atq; iterũ rogo, persistite in doctrina spiritus, ut cum apparuerit princeps ac iudex ille noster, bonæ uitæ conscientia nobis tribuat fiduciam apud illũ, talesq; prodeamus, ut nec illum pudeat nos agnoscere suos discipulos, neq; nos pudeat in conspectum illius uenire. Nam quo ore compellabimus eum præceptorem ac dominum, si nec docenti auscultauimus, nec præcipienti paruimus? Quo ore deũ appellabimus patrem, si tota uita degeneres fuerimus ab illius institutis? Non simplex baptismus, sed seruata iustitia fide & uirtutum, facit nos filios dei & charos. Quid enim audituri sunt, qui in nomine Iesu eiecerũt dæmonia, qui prædixere futura, qui miraculis inclaruerunt? Nescio uos.

Si scitis quoniam iustus est, scitote quoniam & omnis qui facit iusti- 18
tiam, ex ipso natus est.

Pro alienis ducit omnes in quibus non uidet euãgelicam iustitiam, quæ fidei est, & in charitatis opera fructificat, non inanis. Quod si uobis persuasum est, deũ esse huius iustitiæ authorem, simul & illud scitote, quod quisquis non professione, sed studijs, factis ac moribus præstat iustitiam euangelicam, ex deo natus est: ad quem sibi bene conscius poterit ea fiducia accedere, qua solent obedientes filij ad patrem propitium, similes agnoscet, dissimiles non agnoscet.

CAPVT III.

1 VIdete qualem charitatẽ dedit nobis pater, ut filij dei nominemur & ſimus.

Vbi ſyncera charitas, ibi fiducia eſt, & metus abeſt. Videte igitur, nobis, qui contempto mundo cum ſuis & illectamentis & terriculamentis, perſe ueramus in euangelica doctrina, ꝙ inſignem dederit charitatem: ut non ſolũ ser ui fideles, non ſolum amici, ſed filij dei & nominemur & ſimus. Sic enim docuit Chriſtus, ut cœleſtẽ patrem appellemus, ſi qua re nobis opus eſt. Summus eſt ho nos appellari filios dei: ſumma felicitas eſt, eſſe filios dei. At ſi quis dicat, Si filius dei ſum, cur tam abiectus ſum in hoc ſæculo, & apud homines? Quanti mercena rij abundant in domo patris, ego autem eſurio? Non uidentur hæc indulgẽtis pa tris ſigna. Reſpondet Ioannes,

2 Propter hoc mundus non nouit nos, quia non nouit eum.

Illum dicitur mundus noſcere, quem proſperitate huius ſæculi fouet: ſed non eſt mirũ, inquit, filios dei huius mundi delicijs deſtitui, quibus antea & Chriſtus caruit. Non eſt maior ſeruus dño. Mundus perſecutus eſt Chriſtũ, ita permittẽte patre, neꝙ uos perſequi ceſſabit. Quod ſi Chriſto conſtãti pietate adhæremus, & ab illo agnoſcimur, mundus uos non agnoſcet, ſed ut diuerſæ factionis horret & execrat. Nec mirũ, ſi nos nõ agnoſcit filios dei, q nec ipſum quidẽ deũ cognoſcit.

3 Chariſſimi, nunc filij dei ſumus, & nondũ apparuit quid erimus. Scimus, quoniã cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniã uidebimus eum ſicuti eſt.

Ne quid perturbet animos ueſtros chariſſimi, ꝙ uos habet deſpicabiles & abiectos. Apud deum habemus etiam nũc hanc eximiam dignitatem, ꝙ ſumus filij dei, & gaudemus in ſinu, ſentiẽtes in nobis ſpiritum non ſeruitutis, ſed filiorum, cuius fiducia clamamus, Abba pater. Adeſt dignitas, ſed nondũ apparuit dignitas. Adhuc pugnæ tempus eſt, nondum uenit dies triumphi. Ille declarabit uniuerſis quanta ſit dignitas, quanta felicitas eorum, qui conſtanter ſeſe præbuerint filios dei. Nondum eluxit quod ſumus futuri in aduentu Chriſti, uerũ illud certa ſpe tenemus, ſimulatꝙ apparuerit ille, redditurus cuiꝙ pro ſuis factis præmia: nos qui fuimus hic conſortes afflictionum, erimus & gaudiorꝝ ſocij: quiꝙ fuimus illi ſimiles in mundi contemptu, erimus eidem ſimiles in maieſtate gloriæ. Vidimus hic illum afflictum, uidimus humilem: tunc uidebimus ſicuti eſt & ſemper fuit, excelſum ac ſublimem, & uidentes, ad illius ſimilitudinem transformabimur: & ipſi non ſolum animis, uerumetiam corporibus. Videmus & nunc illum, ſed ueluti per nebulam oculis fidei: tunc ineffabili modo uidebimus, ſed quod futuri ſumus perfecte. Id nunc interim pro noſtra uirili meditandum eſt, ut illi tunc ſimiles ſimus in gloria, hic puri ſimus ab omnibus ſordibus.

4 Et omis qui habet hãc ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt.

Tanta ſpei in deum uis eſt, ut ad ardua ſuauitate incredibili credentes rapiat. Credens enim & ſperans ad imitationem Chriſti, purificationemꝙ ſui, enititur ut ambulet ſicut & ille ambulauit. Nec mirum ſi quem in pectore gerit, illum & uita exprimat. Profectò ſi regnum dei intra nos eſt, fieri non poteſt, quin meditemur & cœleſtem uitã. Quæ res non ignauos ſed ſtrenuos docet eſſe fideles, quandoquidem fides per dilectionem operatur, & purificat per ſpem, ſecũdum illud, Fide purificans corda eorũ, mentem ſcilicet à tenebris, ut noſmetipſos uideamus nihili

nihili esse, & mendacium, Christum lucem, nos tenebrosos. Purgandi autem & nunc sunt oculi nostri, ne cum ille splēdidus apparuerit, nobis tamen formidabilis sit magis q̄ amabilis. Quisquis ergo habet hanc fiduciā in Christo, ut tunc consors sit illius gloriæ, interim pijs studijs purificat se à mundanis affectibus, quē ad modum in illo nihil erat inquinamentorum huius mundi, sed totus purus est ac cœlestis. Itaq; pro nostris uiribus huc enitendum est, ne quid in nobis resideat terrenæ fecis.

Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum est iniquitas. 5

Nemo sibi blandiatur, dicens, Mihi satis est ad innocentiam, si nihil horum admisero quæ lex Mosi uetat, quæq; Cæsaris etiam legibus puniuntur: quod genus sunt, furtum, sacrilegiū, adulterium, homicidium: imò prorsus omne peccati genus est fugiendum. Quisquis enim ullo modo peccat, etiamsi non peccet aduersus præscripta Mosaica, peccat tamen aduersus charitatem euangelicam, Mosaica sanctiorem. Habet autem fides perpetuò etiam hoc opus, ut faciat nos lugere, certare, purgare, carnem rebellem in seruitutem redigere. Cæterum sicut lugere nos facit, ita & consolatur per Christum, cui per fidem inserti sunt Christiani, ut eis nihil sit condemnationis, qui non ambulant secundum carnem, sed spiritum, secq; crucifigunt, quamuis non totum aboleant peccatum.

Et scitis quia ille apparuit, ut peccata tolleret, & peccatū in eo non est. 6

Christus hanc præcipue ob causam uenit in mundum semel, ut uiam ostenderet, qua reditus illius nobis fieret salutaris ac felix. Venit ut semel tolleret, non unum aut alterum peccatum, sed omnia peccata nostra, quum ille solus nulli peccato sit obnoxius, sed ipsa iustitia, qua nostra peccata tolluntur, non nostris operibus. Est em̄ nobis satisfactio in Christo propitiatioq; modis omnibus plusquam sufficiens: quia cum solus sit innocens & immaculatus, ideo dignus ipse sacerdos est, qui nostra delicta expiaret.

Omnis qui in eo manet, non peccat: & omnis qui peccat, non uidit eum, nec cognouit eum. 7

Semel nos Christus purgauit ab omni peccato, ut sui similes redderet, quod nec lex ulla, nec mortalis ullus præstare poterat. Per baptismū insiti sumus illius sacrosancto corpori, sed nostrū interim est adniti, ne excidamus à capite. Per gratuitam illius clementiā insiti sumus, sed excidemus, si in pristina uitia relapsi fuerimus. Quisquis in Christo manet, perseuerat in innocētia, et adeo cauet ab omni peccato, ut indies magis ac magis adolescat in uirtutibus, reddaturq; capiti suo similior. Quisquis non abstinet à peccatis, quanquam tinctus est, quanquam dedit nomen Christo, nondum plene uidit eum, necq; nouit eum. Quis enim si oculis sui dei uideret quanta sit dignitas cooptari in numerum filiorum dei, quanta turpitudo dedi patri diabolo, sustineat à tali corpore diuelli, à tali desciscere patre, & ad tam fœdam degenerare tyrannidem: à tantis præmijs ultro prolabi ad tantam calamitatem?

Filioli, nemo uos seducat. Qui facit iustitiam, iustus est, sicut & ille iustus est. Qui facit peccatum, ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit filius dei, ut dissoluat opera diaboli. 8

Ne quis uos seducat, blandiēs uobis de professione Christiani nominis, quasi id satis sit ad felicitatem. Non qui profitetur iustitiam, iustus est, sed qui uita ac

moribus præstat iustitiam, is iustus est. Quemadmodū & Christus se dictis & factis præbuit exemplum omnis iustitiæ. Huic qui uere ac totus adhæret, quod postest, ab omni uitiorū inquinamento temperat, & ipsa morum puritas arguit illum esse dei filium, qui natura bonus est, & peccatum nescit. Quisquis autem peccat, etiamsi Christi sacramentis est initiatus, tamen è patre diabolo progenitus est, & princeps est & author omnis peccati. Hunc quisquis imitatur, parentē suum refert, hoc ipso quod peccat, seq; filium illius esse declarat. Non admittit deus consortium suum cum uitijs, nam in hoc ipsum misit filium in hunc mundū, ut aboleat opera diaboli, hoc est, omnia quæ pugnant cum euangelica charitate.

9 Omnis qui natus est ex deo, peccatū non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex deo natus est.

Ex Adam nascimur omnes obnoxij peccato, ex deo renascimur per semen euangelicæ doctrinæ. Huius seminis uis quandiu manet in homine, non peccat, nec potest peccare, uidelicet, uetante diuina charitate, quæ rapit eum ad studium benefaciendi, & auocat ab omni cupiditate peccandi, eo quod uere sit filius dei, germane referens indolem atq; ingenium patris et capitis sui. Nihil autem minus expectandum à talibus dei filijs, q̄ quod mendacia & hæreses doceant, seditiones uel odia seminent. Toti eñ in hoc sunt, ut ueritas dei in toto orbe reluceat, & uno spiritu omnes deum laudantes, mutua inter nos fraternitate, tanquam alter alterius membra cohæreamus. Cæterū mentiri, inuidere, rixari, mutuum mordere, uera diaboli opera sunt, ad quæ diabolus instigat, & per ea filij eius dignoscūtur.

10 In hoc manifesti sunt filij dei, & filij diaboli. Omnis qui nō est iustus, non est ex deo, & qui non diligit fratrem suum.

Non titulus, non baptismus, non sacramenta discernunt filios dei à filijs diaboli, sed uitæ puritas, sed charitas exerens & explicans sese benefactis. Non est otiosa si adsit: quisquis hanc non declarat, nec re declarat sibi charum esse fratrem, is ex deo natus non est. Si uiuum est membrum corporis Christi, diligeret cætera membra, & adiuuaret promptissime, & in necessitate succurreret eis pro quibus mortuus est Christus. Hæc est Christianæ iustitiæ summa, hoc est quod in primis nobis tradidit Christus, hoc est, quod uobis ante omnia commendauimus, ut mutua charitate declaretis uos esse filios dei, ac discipulos Christi. Id aūt nō fit sine fide, quæ iustificat, & filios dei efficit. Charitati autem proprie non tribuitur iustificatio. Quamuis enim magna sit, nemo tamen tantum diligit quātum debet. Hæc est uera regula discernendi, Quotquot ex deo sunt, faciunt iustitiam, crucifigunt carnem suam cum concupiscentijs, studio perpetuo spectātes, qua in re proximo ualeant propter Christum esse utiles: quod qui negligunt, comprobantur esse falsi Christiani absq; fide, & nequaquam filij dei.

11 Quoniam hæc est annunciatio quam audistis ab initio, Vt diligatis alterutrū. Non sicut Cain qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera eius maligna erant, fratris autem eius iusta.

Christi doctrina est quam olim audistis, In hoc cognoscent omnes quod mei sitis discipuli, si charitatem habueritis inter uos mutuā. Eam quoq; ab initio deus à nobis requisiuit, quam & boni seruarunt, mali autem sunt præuaricati. Exempla habemus in Abel & Cain, quos hac de causa statim in principio Geneseos introducit scriptura, ut sciretur fides & charitas Abel, perfidia autē ac odium Cain.

Alioqui

Alioqui potuissent cum multis alijs filijs & filiabus Adæ omitti, quandoquidem ad genealogiam Noe non perducebant. Certum enim est etiam tum filios fuisse et filias Adæ multos, quamuis hi duo soli numerentur. Cuius utriusq; initium progressum & finem scriptura describit eleganter, & depingit graphice mores & fidem filiorum dei atq; diaboli. De Cain hic dicit quod fuerit ex maligno, non iuxta naturam, quasi eum deus malum condiderit, neque propter originale peccatum, sed propter perfidam & pharisaicam iustitiam, odio fraterno coniunctam. Vterq; deum esse fatebatur, non tamen uterq; fidebat: de quorum studijs & fine suo loco. Degenerabat Cain à bono conditore, ac referebat diabolum, odiens fratrem, cuius fuit causa præter perfidiam uitæ dissimilitudo & affectū uarietas, uterq; suum exprimebat parentem, Abel innocens ad benefaciendum propensus, Cain contra, fratris odio cōcepto, non de se corrigendo, sed de fratre occidendo sollicitus.

Nolite mirari fratres si odit uos mundus, nos scimus quia translati sumus de morte ad uitam, quoniam diligimus fratres. 12

Quemadmodum hic non ferebat impius pium, & diaboli filius filium dei: ita uobis mirum uideri non debet fratres si uos auersantur homines mundo dediti. Oderunt immerentes, ne quis illos oderit mutuo. Illi quoniam morti deuoti sunt, & seruiunt authori mortis, mortem alijs machinantur. Nostrum est illorum miserari, non uicissim lædere. Siquidem euangelica charitas nos abduxit à studio lædendi ad studium bene merendi. Et hoc argumento cognoscimus quod destinati sumus æternæ uitæ, & exempti à mortis tyrannide, quod diligimus fratres. Qui diligit, bene uult & bene facit. Corpus haliitu uiuit, anima uiuit spiritu Christi. Vbi non est fraterna charitas, ibi non est spiritus Christi, ibi nec spes & fides in Christum. Quisquis diligit fratres, iam non cum mortuis et mortalibus numeratur, sed translatus est de morte ad uitam. Fides enim uiuificat illum. Cęterum uis scire qui sint deplorandi, qui miseri?

Qui non diligit manet in morte. Omnis qui odit fratrē suum, homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet uitam æternam in se manentem. 13

Quisquis odit proximum suum, mortuus est, neq; uiuit intus. Nam & si fidem habet, mortuam habet, cum non adsit charitas. An ceu leuem culpam contemnitis odium fratris? Quisquis odit fratrem suum homicida est. Non strinxit ferrum, non miscuit uenenum, non adortus est, non maledixit, tantum male uoluit. Non damnat illum lex hominum homicidij, sed apud deum iam homicidij dānatus est. Qui semel admisit odium in pectus, quantum in ipso est homicida est. Multa sunt homicidij genera: qui ferro trucidat, etiam prophanis legibus dat pœnas: qui ueneno necat, punitur & ab impijs. Cæterum qui fratrem uirulentæ linguæ spiculo confodit, etiamsi legibus humanis absoluatur à parricidij crimine, tamen ad euangelicam legem homicidij reus est. Viuit adhuc ille, cui male uult osor, & tamen ip se iam mortuus est, illi uita est incolumis, & hic uitam amisit æternam, suijpsius homicida. Diabolica ergo doctrina est, dicere bella apud Christianos iusta, quandoquidem uere Christiani quoduis odium execrantur ut homicidium, aut da bellum quod charitate geratur. Milites igitur sanguine gaudentes, filij sunt Cain. Quid autem dicetur de his, quorum ars & uita tota est in sanguine effundendo, quiq; castra sequuntur? Et quod de sanguinis effusione dicimus, id de dolis quoq; pronunciare liceret. Sed contra Christus te potius urgeat, ut ex animo fratrem di-

ligas, & quacunq; occasione illum in Christo iuuare possis non omittas, propter hoc enim dicit,

14 In hoc cognouimus charitatem dei, quoniam ille animã suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui uero habuerit substantiam huius mũdi, & uiderit fratrẽ suum necesse habere, & clauserit uiscera sua ab eo, quomodo charitas dei manet in eo?

Vultis uidere fratres, quãtum uos abesse oporteat à cupiditate lædendi? Vertite oculos ad exemplum Christi. Ille sic dilexit nos nihil meritos, imò mortẽ commeritos ut uitam suam nobis impenderet: quanto magis debemus pro fratribus seruandis uitæ subire discrimen, si res ita tulerit? præsertim qui in Christi pastoris uices successimus. Non concredidit oues suas Petro, nisi ter amorem professo: ac mox illi mortis genus indicat, ut intelligeret & sibi gregis crediti salutem uitæ dispendio tuendam. An uero uitam impendet qui grauatur opitulari pecunia? An satis esse putat aliquis si non lædat fratrem, si benigne loquatur? Christus re declarauit quantopere nos amaret. Qui conspicatus fuerit fratrem suum cibo, uestitu, tectóue egentem, & habet facultates unde succurrat illius inopiæ, neque commouetur misericordia, sed uelut ad se non pertineat negligit eum, qui credi possit quod in hoc sit charitas dei? Succurrit Ethnicus Ethnico, & tu Christianus non succurris Christiano? Professus es fraternam charitatem, ea si uere adest, cur sic cessat ubi discrutiatur inopia frater? Fratrem appellas, & nullum argumentum æquis affectus fraterni. Hinc nobis sedulo attendendum quanta nobis præcipiuntur, & quanta est nostra ignauia. Iubemur animas ponere pro fratribus, inimicos pro fratribus ducere: at nos etiam eos qui nos nunquam agnouerunt, qui innocentes, qui bene de nobis meruerunt affligimus & occidimus. Et quum animas ponere debemus, quanto magis temporalia, si quis egeat, cõmunicare tenemur? alioqui ne mica quidem charitatis in nobis est. Vide hic in quàm damnoso statu sunt usurarij & tyranni, auari omnes. Est inuenire non paucos liberales dum luxu omnia profundunt, & indignis male parta distribuunt. At te deus dispensatorem non dominum fecit pecuniarum, illis tribue quibus dominus iubet.

15 Filioli mei, non diligamus uerbo, neque lingua, sed opere & ueritate, in hoc cognoscimus quoniam ex ueritate sumus, & in conspectu eius suadebimus corda nostra. Quoniam si reprehenderit nos cor nostrum, maior est deus corde nostro, & nouit omnia.

Non diligamus nos inuicem uerbotenus, in animo sit charitas potius quàm in lingua, & factis se promat potius quàm uoce. Sit fraternum uocabulum in sermone quotidiano, sed ut ueri simus, orationi facta respondeant. Quoties se dederit occasio, re declaremus in nobis esse uere fraternũ amorem. Ne desit fratri, quod nobis supersit, siue uestem desiderabit, siue cibum aut tectum, siue consolationem, siue doctrinam, siue admonitionem. Id si promptis animis præstiterimus, hoc argumento cognoscemus quod ueritatis filij sumus, quodq; non fucate sed syncere diligamus. Veritas autem est ipse Christus, cuius oculis probabimus conscientiam nostram, ut & deo probati simus & hominibus, & factis cognoscant homines non esse fucatam inter nos charitatem. Animi syncritatem intuetur deus. Succurremus egestati fraternæ, sed ita, ut necessitatẽ subleuemus, non ut luxum alamus, & succurremus ex animo, neq; mercedis ad nos redituræ spe, neq; inanis gloriæ causa. Animum non uident homines, sed ipse sibi conscius est, & oculis dei con-

conſpicuus. Quod ſi laudent nos homines, & condemnet animus ſibi male conſcius, ut homines fallamus, dei iudicium non licebit effugere. Abditos habet receſſus ac perplexas latebras cor humanum, ſed nihil eſſe poteſt tam reconditum tamq; abſtruſum, quod ille non penetret. Nouit ille omnia melius nobis, nouit cor noſtrum, qui fecit cor noſtrum. Nuſquam non habet oculos, qui nuſquā non adeſt. Nō nos tam nobis q̄ ipſi noti ſumus. Quod Petrus ſciens aiebat, Domine, tu ſcis quia amo te.

Chariſſimi, ſi cor noſtrum non reprehēderit nos, fiduciam habemus 16
ad deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius cuſtodimus, & ea quæ ſunt placita coram eo, facimus.

Si cor noſtrum non cōdemnauerit noſipſos apud deum, ſi ſyncerus eſt ac ſimplex animus, ſi ex mera puraq; charitate facimus quicquid facimus: quales nos præſtiterimus erga proximū, talem ſe deus præſtabit nobis. Si libenter & ex animo condonabimus fratri culpam, facile & nobis delicta noſtra condonabit deus: ſi prompte largiemur egenti fratri, quoties opem noſtram implorat, certa fiducia petemus & à deo, quod ad ſalutem ac neceſſitatem pertinebit: nec ille negabit petentibus. Quod ſi dixerimus illi, Remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris, & intus odio fraterno tenemur, nónne ſtatim reclamabit nobis noſtra cōſcientia? Qua fronte tu petis à deo, quod ipſe negas proximo? Quo ore poſtulas pactum, cum non præſtes cōditionem? Pollicitus eſt ille ſe condonaturum nobis admiſſa noſtra, ſed ſi fratri ex animo condonauerimus delicta ſua. Si ore dicimus, Cōdono, & tamen maleuolentiā retinemus in corde, animus ſibi male conſcius adimet nobis fiduciam impetrandi quod à deo petimus. Si fratrem blande ſalutamus, nec adſumus cum res ipſa poſcat ſubſidiū, non eſt q̄ ſperemus deum nobis auxilio futurum, qui fratri defuerimus. Si nos ſurdi fuerimus ad illius iuſſa, ſurdus erit ille uiciſſim ad preces noſtras. Impudentia eſt, non pietas, ab eo petere fauorem, cuius præcepta cōtemnas. Verum ſi præcepta eius ſeruamus, ſi quicquid placitū eſt illi facimus, & ita facimus, ut probemur illius oculis qui nihil non perſpicit, hinc nobis naſcetur impetrandi fiducia. Signanter autem dicit, Præcepta eius: non ut faciamus quæ nobis placent & recta uidētur, ſed quæ illi placent. Si igitur aliquod uitæ genus delegeris, de quo deus nihil præcepit, nihil inde fiduciæ habebis, niſi uane & pernicioſe. Illa placita deo ſcimus, quę iuxta uerba eius ſuſcipiuntur: quæcunq; uerbo eius repugnāt, planè impia ſunt. Abnega teipſum, & ſequere mandata dei. Decreta hominū nihil faciunt ad conſcientiam, ad placandum deum uel damnandū: hominibus illa poteſtas data non eſt. Animarum dominus ſolus deus eſt. Non ſunt miniſtri dei, qui aliud q̄ à domino acceperunt tradunt. Ne obijcias autem ſinuoſam legem ſupra ſexcenta continere præcepta, complectitur hic Ioannes euangeliſta & apoſtolus breui faſciculo totius legis ſummam, & dicit,

Et hoc eſt mandatum eius, ut credamus in nomine filij eius Ieſu Chri- 17
ſti, ut diligamus alterutrum, ſicut dedit mandatum nobis.

Hoc eſt unicum breuiſſimumq; dei ad nos mandatum, de quo loquitur, ut totam ſalutis noſtræ ſpem ac fiduciā collocemus in Ieſu Chriſto filio dei, per quem pater nobis oīa largiri uoluit. Iámne hoc ſatis eſt? Nequaq̄, quin ad illius exemplum amemus nos mutuo: ſic ille iuſſit: ſed quod iuſſit, ipſe prior præſtitit. Nondum uere diligit Chriſtum, qui membrū odit Chriſti. Nondū amat Chriſtum, qui male uult homini, pro quo mortuus eſt Chriſtus. Itaq; qui ſeruat unicū illud cha-

ritatis præceptum, omnia seruauerit: ita deus uult nos credere nomini filij eius, ut propter illum diligamus nos inuicem. Igitur ob eius amorem, qui pro me mortuus est, cupere mori debeo si res postulet. Et nūc sicut Christus mihi uixit, debeo & ego uiuere proximo: & ita unicam meam curam esse decet, ut nihil pro me cupiam, sed ut placeam & ministrem domino ut ipse uult. Est autem uoluntas eius, ut omnis qui uidet filium, & credit in eum, habeat uitam æternā. Et hoc est opus dei, ut credatis in eum quem misit ille: ut sic in deo maneamus, & ipse in nobis: & illa communio sit præcepti impletio, quod sequitur,

18 Et qui seruat mādata eius, in illo manet, & ipse in eo. Et in hoc scimus quoniam manet in nobis, de spiritu quem dedit nobis.

Hac communione agglutinabimur Christo, sic ut ille sit in nobis, & nos uicissim in illo. Ille per spiritū suum inhabitabit pectora nostra, si illic ferueat charitas. Spiritus Christi non est author odij, sed largitor fraternæ charitatis. Is per impositionem apostolicarum manuum infunditur baptizatis, sed idem resilit & auolat, si contingat extingui charitatem. Hoc igitur iudicio deprehendemus, donum spiritus in nobis manere q̄d accepimus in baptismo, si perseuerauerit in nobis fraterna charitas: quantū hæc refrixerit, tantū ille se subducet. Recte ergo impletur hoc præceptum, dum manemus in deo per fidem, ipsa autem operatur in nobis sua per charitatem: atq; hoc est certum indicium spiritus nobis dati.

CAPVT IIII.

1 CHarissimi nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex deo sint, quoniam multi pseudoprophetæ exierūt in mundum.

Bonus quidem & securus est is spiritus, qui nos ad fouendā charitatem, & ad dei mandata obseruanda impellit: sed sunt & alij spiritus, aliò ducētes. Igitur sicut parere illi uos uelim, ita ab istis ne subuertamini monuerim. Oīnibus enim & nulli credere, æque pernicioſum est. Nam leuiter credere, & agitari quouis uento, uti arundinem, inconstantem hominem, & qui facile pereat declarat: at nulli credere, & ueritati aures negare, desperatorum fuerit. Non est adeo graue periculum audisse impios, si non adhibeatur eis fides, sed in periculo sunt qui illis credūt. Non est in nobis situm quibus uentis afflemur, multa etiam inuiti audire cogimur, sed fidem illis adhibere, ut culpa non caret, ita & noxiū fuerit: tametsi etiam istud ipsum audire malum est, si libenter audias. Corrumpunt enim bonos mores colloquia praua. Iudicare autem spiritus, non intelligitur hic de apparitionibus spirituū, qui uisibili aliquando forma apparent, sed de inspirationibus solicitantibus ad eligenda opera uel doctrinas. Vt si uelis aliam rem aggredi, fungi sacerdotio, religionem ingredi, quærere solitudinē, obuiam ire hostibus, fugere periculum, uel si doceantur insolita, uel si quispiam surgat propheta, ibi uide ne leuiter credas, dijudica prius, & finem specta, num sit ex deo expende. Hic non est quod in alios rem hanc reijcias, etiam tuum fuerit probare. Probare quoque docet, non iubet damnare. Probare autem uult num ex deo sit, non si à patribus, Concilio, uel ab aliquo homine, sed ex scripturis: quas qui sequitur, aberrare non potest, quia diuinitus inspiratæ sunt. Quarum certum intellectum tūc habebis, si is te uere duxerit, ad credendum nomini Iesu, ad incrementum fidei et charitatis in proximum. Proprium autem est pseudodoctorū, à fide discedere, & ad opera ducere charitati non fructuosa, sed ad diuorū cultum, & hominū traditiones, ac ceremonias inutiles. Quibus omnibus iubemur non credere, mentientibus de proprio corde, sine scripturis & uerbo dei loquētes, sed spiritu mūdano.

In

In hoc cognoscitur spiritus dei, Omnis spiritus qui cõfitetur Iesum 2
Christum in carne uenisse, ex deo est.

Vultis certius argumẽtum spiritus diuini, audite profitentem & intelligetis. Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum, olim orbi promissum æternæ salutis authorem, assumpto corpore humano, iam uenisse sicuti per suos prophetas promiserat, is ex deo est, nimirum agnoscens filium dei. Sic Petrus recte confitebatur, Tu es Christus filius dei uiui: & audiuit, sibi non à carne sed à patre reuelatum. Qui ergo hoc spiritu aguntur, & sic Christũ confitentur, hi agunt etiam opera spiritus, omnem fiduciam ponunt in Christum, & non in suis operibus uel iustitijs. Confert autem spiritum Christi & Antichristi.

Et omnis spiritus qui soluit Iesum, ex deo non est. Et hic est Antichri 3
stus, de quo audistis quoniam uenit, & nunc iam in mundo est.

Qui filium dei Christum negat, quoniam mendax est, ex deo non est. Nullus enim iure profitetur filium, nisi afflatus à patre. Negant autem illum non tantum ij qui uerbis reclamant, uerumetiã qui sic uiuunt, quasi Christus nõ fuerit exemplar ueræ pietatis hominibus, aut quasi nõ fuerit author perfectæ salutis, eoq; fingunt alium quempiam Messiam expectandum, quod huius doctrina nimiũ dissideat ab ipsorum cupiditatibus. Si fauisset cupiditatibus carnis, si promisisset immensas opes, si donasset honores & imperia mundi, iamdudũ agnouissent suum Messiam. Nunc quoniam horum docet contemptum, & ad tollendum crucem inuitat, & felicitatem omnem in futuro sæculo expectandam ostendit, negant hũc esse promissum olim humani generis redemptorem, sed alterum expectari iubẽt, qui cõmoda corporis & huius sæculi bona polliceatur. Nec satis est cõfiteri Christum, nisi totum & integrum confiteamur: qui diuidit illum, uel diuinã naturam adimẽs, quam eandem habet cum patre, uel humanam quam accepit ab homine matre, hic spiritus ex deo non est, sed est spiritus Antichristi. De quo quidem spiritu iam audistis quod uenturus sit, imò iam nunc uenit, agitq; in his qui mundanis delicijs addicti pugnant aduersus Christi spiritum. Agit autem obliterãdo ueram doctrinam, gratiam & gloriam Christi, doctrina & uita mala. Et dum pudet eum euangelij lucis & uitæ Christianæ, ne & alij ad fidem accedant prohibet: perquem factum est, ut discessum sit à fide in Christum ad satisfactiones nostras, à diuina lege ad traditiones humanas, ut interim charitas quoq; refriguerit, & fides uera euanuerit.

Vos ex deo estis filioli, & uicistis eum, quoniam maior est qui in uo- 4
bis est, cq; qui in mundo. Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit.

Non adulantis sed amici uerba sunt, diligenter fungentis officio ad proximi utilitatem. Multi, inquit, Antichristi sunt, & multa seductionũ genera: at uos iure deo gratias agitis, qui uos seruauit à talibus, & declarauit uos esse filios dei. Dicit enim uobis ut illos uinceretis, attamen quod per gratiam estis assequuti, uidete ne per ignauiam iterum amittatis. Tribuit quidem eis uictoriam, ut laudibus excitati strenue insistant. Aufert quoq; eis, & deo tribuit eandem in eis habitãti. Nec perturbet Lectorem, quod nunc plurali numero dicit, Eos, quum antea singulariter dixerit, Spiritũ Antichristi: & mox subdat, Eum qui in mundo: unum enim corpus est malorum, de quo nunc tanquam de multis, nunc tanq; de uno dicit. Et est mos ille loquendi frequẽtissimus apud prophetas. Fides autem filios dei

efficit, ut ſicut Chriſtus per naturam, ita nos per adoptionis ſpiritũ filij dei ſimus, habitantis in nobis tanq̃ in templis ſuis. Tantum bonum eſt fidei. Quin & per fidem uincimus: ut infra, Omne quod natum eſt ex deo, uincit mundum. Hæc eſt autem uictoria quæ uincit mundum, fides ueſtra. Ipſa inuictum reddit cõtra potestas inferorũ, & caput ſerpentis, adeoq̃ contra omnes mundi tentationes. Sed unde hæc uictoria? Quoniam maior eſt qui in uobis, Deus ſcilicet per fidem inhabitans uictor, non nos noſtris uiribus uincimus. Sed Antichriſtiani, præter abominationes ſuas nihil ſciunt, nihil loquuntur. Quorum ſi uolueritis ſpiritus dignoſcere, diſcite, inquit, illorum mores, q̃ procul abſint à ueſtris: uos municipatũ habetis in cœlis, hi in mundo habitãt, cui ſunt addicti. Ibi enim eſſe dicimur, ubi corde uerſamur. In mundo eſt, qui præeſſe alijs cupit, uel plus poſſidere uel deliciari. Et habent impij hunc mundum intra ſe, tanq̃ ſuum theſaurũ, qui & ſermonibus proditur, & ſtudijs adeoq̃ tota uita, quæ talis eſt qualis eorũ animus. Et hos mundus amat, Chriſti diſcipulos amare non poteſt mundo crucifixos. Pios autem per ſua mẽbra impugnat diabolus, ſed ſuo ſpiritu propugnat deus. Illi quia ad mundi factionem pertinẽt, & mundanum hauſerunt ſpiritũ, mundũ ſapiunt, & mundana loquuntur: etiam horũ doctrina grata eſt ijs qui & ipſi mundo dediti ſunt.

5 Nos ex deo ſumus, qui nouit deum, audit nos: qui nõ eſt ex deo, non audit nos.

Nemo facile credit quod aduerſatur ijs quæ uehementer amat. Amant terrena, & horum doctrina terrã ſapit. Nos ex deo ſumus, hũc qui nouit, (nouit autem quiſquis amat) auſcultat nobis, qui cœleſtia deoq̃ digna docemus: qui nõ eſt ex deo, non audit nos, ſed abhorret ab euangelica doctrina, quæ iubet opus effunde re, uoluptates ſpernere, in afflictionibus gloriari, uitam etiam habere uilem pro iuſtitia, recte factorum omne præmium expectare in reſurrectione, quam iſti aut non credunt futuram, aut nollent accidere. Quæ iubet per ſynceram charitatem & uitam impendere proximo, cum homo mundani ſpiritus etiã cum fratris iniuria ſuis cõmodis ubiq̃ cõſulat. Satis itaq̃ hic obiurgantur contẽptores uerbi dei, utpote ingratiſſimi, qui neq̃ ex deo ſunt, neq̃ commerciũ habent cum deo, neq̃ deum audire dignantur. Conſolantur autem euangelij præcones, ſi paucos habeant auditores, quia ex deo pauci ſunt, maior ſemper pars ſequuta eſt mũdum.

6 In hoc cognoſcimus ſpiritum ueritatis, & ſpiritũ erroris. Chariſſimi, diligamus nos inuicem, quia charitas ex deo eſt. Et omnis qui diligit fratrem ſuum, ex deo natus eſt, & cognoſcit deum: qui non diligit, non nouit deum, quoniam deus charitas eſt.

Prius docuerat diſcrimen inter ſpiritũ ueritatis & ſpiritum erroris, à cõfeſſione quæ fidem & gloriam Chriſti euulgandã reſpicit: nunc à charitate iubet diſcerni, qua nos mutuũ diligimus, & mutuis afficimus beneficijs, idq̃ propter Chriſtum. Diaboli filij dicuntur phariſæi ob homicidiũ & mendacium ac odium. Filij aũt dei parati ſunt occidi etiam pro alijs, omnibus benefacere, odire neminẽ, ſciũt enim deo gratã eſſe charitatem. Ecce quantũ diſcrimen. Boni non ſolũ deum imitantur, ſed & charitatem ab ipſo accipiunt, & datorem propterea amant. Diligũt publicani & ethnici, ſed non propterea ex deo nati ſunt, quia ſeipſos quærũt, ſua ſectant cõmoda, non dei gloriã. Matres quoq̃ filios amant & uiros, ſed iubẽtur à Paulo amare in deo. Eſt aũt deus charitas, qa adeo eam amat, ut charitas & deus charitatis, pax & deus pacis dici uelit & haberi, ut eſt. Qui enim ſupra omnẽ modũ bonus, ſapiens & omnipotens, ſupra omnem quoq̃ modũ amat ſuam bonitatem,

tatem, ideo summam habet charitatem. Vt magno & ineffabili nexu unum sunt pater, filius & spiritus sanctus: ita quomodo nō & suam creaturā amaret, & quic quid à se factum diligeret? Nihil odit deus eorum quæ fecit, peccatum solum abo minatur, quia ab ipso non est. Itaq; qui dei est, deumq; nouit, amat deum, & quæ deus amat. Deus se nobis impertit, quoties impertit charitatē: declarauit ille suā in nos charitatem, ut nos uicissim nostram declararemus in proximum.

In hoc apparuit charitas dei in nobis, quoniam filium suum unigeni- 7
tum misit deus in mundum, ut uiuamus per eum. In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propitiatorem pro peccatis nostris.

Charitas uideri non potest, sed eius opus: ideo dixit, In hoc apparuit. Sic insignem Abrahæ charitatē uidemus in præclaro opere, dum unicū hęredē & filium promissionis ad sacrificiū ducit, ipsum ex obediētia immolaturus. Sed multo amplius est, q̄d de deo hic cōmemoratur. Quid habet pretiosius deus filio, qui lucis eius candor est, & omnē habet eius sapientiā, bonitatem, potentiā, gloriā &c. & solus est unigenitus in sinu, quē misit in mundū, quasi interim caritурus hoc sola tio, re uera aūt manens in filio, sicut & filius in patre. Et sunt hæc magni mysterij uerba, dignissimus indignissimo, rex seruo, creator creaturæ filiū mittit ut ministret: filiū mittit, nō angelū uel archangelū: mittit autem in mundū, nempe in uallem miseriarū & lachrymarū, imò in ipsam crucem. Et mors Isaac nulli proderat, Christi aūt mors quantū attulit meritorū & fructus? Pro nobis tradidit illū in nostrū usum, ut et inopiam nostrā releuaret, et peccata ablueret, ut ea nos uiuamus, & uita æterna. Mittitur in exilium, ut nos reducat in patriā: obijcitur exprobrantibus, ut glorificemur: occidit, ut uiuamus. Et multa Abrahā deo debebat, deus nobis nihil. Quid em̄ prętexemus illi oblatū à nobis, quod non prius accepimus? quin potius inimici eramus, & peccatores fuimus. Vulneratus est em̄ ꝓpter iniquitates nostras, & attritus est propter scelera nostra: posuit in eo dñs iniquitatē omniū nostrū, & pręuenit nos misericordia eius. Quicquid obtulisse, & eo te prouocasse deū dixeris, parū pie loqueris, & gloriæ dei detrahes. Cōstabit em̄ uerbū Ioānis, quod prius ipse nos dilexerit. Planè ante gratiā suam nihil tam sancte egimus, q̄d non mereatur damnationē, & adhuc aliquid nobis arrogare audemus? Aduenit enim Christus qui patrē placauit, nos illi cōciliauit, cuius iustitia nostra est iustitia, qui redemptor & sacerdos uno sacrificio pro peccatis satisfecit: non ut iterum ingrati peccemus, sed dono dei uitam æternā per Christum assequamur.

Charissimi, si deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere, 8
Deum nemo uidit unquam. Si diligimus inuicem, deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est.

Vides æquitatis legē, & quid à te charitas uicissim exposcat, quidue gratitudo requirat, nēpe ut dicas, Quid retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Et quid dabimus? Diligamus mutuum, cupiamusq; ante omnia ueritatis lucem innotescere omnibus, ut in nomine eius flectantur genua omnia. Christus propter nos seruus factus, fiamus & nos propter Christum aliorum serui. Christus nos dilexit, diligamus propter Christum nos & alios. Nefas est hic obijcere, Hic meus inimicus est: eramus enim & nos inimici. Nulla excusatio fuerit dicere, Hic peccator est: eramus et nos peccatores. Dicens autem, deum inuisibilem omnibus, docere nos uult, ut fratribus seruiamus, quandoquidem diuina natura superior est, quàm cui seruire possimus. Spiritus est, in spiritu seruiri sibi uult,

Abest nunc Christus, & uult interim, ut quicquid corporalis ministerij est proximo, sui nomine impendas, & habebit perinde gratũ, atq; in se collocasses. Queris pascere Christum, pasce eum in pauperibus: atq; hac ratione proprium corpus pascas, quo ualeat prodesse proximo. Sicq; corpus seruiat animo, ut ieiunijs et genuflectionibus, ut animus seruiat deo. Et hæc est indubitata coniectura fidei, per quam manemus in deo: & charitatis, per quam deus manet in nobis. Quia mutuum erga deum amorem non alio argumẽto testari possumus, q̃ si nos inuicem diligamus, quemadmodũ ille dilexit nos. Dilexit ille nos gratis, dilexit ad hoc ut seruaret. Si sic diligimus inuicem, deus qui charitas est, ut dixi, manet in nobis. Vulgaris est amor, beneuolentia prosequi benemeritũ, diligere qui possit referre gratiam, beneuolentiã cõmunibus officijs testari, sed perfecta est dei erga nos dilectio. Dilexit ultro, dilexit alienos, dilexit unde ad ipsum nihil possit redire gratiæ, dilexit usq; ad unigeniti filij iacturã. Si nos ad consimilẽ modũ diligimus proximũ, tunc perfecta dei charitas est in nobis, declarãs & ipsum deũ esse in nobis.

9 In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, quoniã de spiritu sancto suo dedit nobis. Et nos uidimus & testificamur, quoniam pater misit filium suum saluatorem mundi.

Quemadmodum idem spiritus membra corporis coniungit, unumq; corpus efficit: ita spiritus dei nos & cum illo, & inuicem quodammodo conglutinat connectitq;, & uelut in unum cogit. Quod si spiritus dei, qui mentibus nostris afflat amorem proximi, uiget in nobis, nimirum argumẽto cognoscimus, & quod nos maneamus in deo, & deus uicissim in nobis. Aduersarius est igitur charitati, qui negat Iesum esse filium dei, qui redimendo mortalium generi semetipsum impenderit: at huius rei nos spectatores etiam fuimus, oculis uidimus, auribus audiuimus, manibus contrectauimus, deq; re tot modis comperta testimonium perhibemus orbi terrarum, quod pater miserit filium suum, cuius morte mundus seruaretur, si modo resipiscens à pristinis erroribus, iuxta regulam euãgelicam uitam deinceps attemperaret. Non enim solum misit illum seruandæ nationi Iudaicæ, sed toti mundo seruatorem dedit.

10 Quisquis confessus fuerit, quoniam Iesus est filius dei, deus in eo manet, & ipse in eo. Et nos cognouimus & credimus charitati quam habet deus in nobis.

Sic Christum confessus nouit ueritatẽ, & amplectitur charitatem. Non agnoscit charitatem dei erga se, qui non exprimit in proximo. Nos autem experimẽto cognouimus, & animo credimus, & ore cõfitemur, factisq; exprimimus dilectionem quam deus exhibet nobis. Supereſt ut in eo quod cœptũ est perseueremus, neq; committamus, ut & deus diuellatur à nobis, & nos à deo distrahamur.

11 Deus charitas est, & qui manet in charitate, in deo manet, & deus in eo.

Tam grata deo est charitas, ut habẽtibus illam abesse nolit & communionem illam sæpe dictam præstet. Tales enim per fidem incorporantur deo, & manent in eo. Deus autem habitans in eis, concedit ut spiritualiter uiuant, & bonis operibus abundẽt: & sicut deum præsentem habent, ita socij sint sanctorum omnium. Solent quidam hanc lectiunculam in conuiuijs legere, ut simul & cœlestis & sensibilis mensæ sint participes. Quem morem quis non probaret, maxime hospitibus præsentibus? Breuiter enim admonemur totius legis, & quantũ abesse oportеat

teat à Christianorum conuiuijs, non solũ uerba detractoria, sed & pharisæorum scandala in cibo & potu. Quasi dicatur, Nihil præcepit nobis deus de hoc uel illo cibo, sed de charitate: quam si integrã seruauerimus, & mutuis nos obsequijs foueri-mus, alter alterius onera portãtes, deum ipsum simul hospitem & conuiuam habituri sumus, benedictiq; ac mũdi erunt cibi omnes temporibus omnibus. At nunc pergamus, & alia quoq; ratione probemus, num sit in nobis uera charitas.

In hoc perfecta est charitas nobiscum, ut fiduciam habeamus in die iu- 12
dicij: quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo.

Perfecta in nobis tunc est charitas, si nobis bene conscij sumus, nec formide-mus illum iudicij diem, quo separabũtur à Christo, qui Christum non sunt imita-ti. Hi trement, cum audient horrendam illam uocem, Discedite à me. Nos autem cum fiducia diem illũ expectamus, uidelicet nobis cõscij: quod quemadmodum ille uersatus est in mundo, ita & nos sumus in mundo. Ille nihil contraxit labis à mundo, sed eum purgauit à suis sordibus, & ad suam, quod in ipso fuit, pertraxit puritatem. Sic & nos pro uiribus adeo misceamur mundo, ut illum magis euan-gelica doctrina uitæq; castis exemplis ad Christum pelliceamus. Fortassis & hæc expositio cõgruat, Sicut Christus fiduciam habuit, dicens, Et ego sciebam quod me semper exaudias: ita & nos confidamus, & gratias agamus, & ita simus ut il-le. Quod si quis obijceret, sic perire timorem dei. Neq; hoc negat Ioãnes, dicens,

Timor nõ est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem, 13
quoniam timor pœnam habet: qui autem timet, non est perfectus in charitate.

Magna quidem est alicubi charitas, ubi parũ est timoris: ibi autem parua cha-ritas, ubi multum timoris. Est tamen timoris genus, charitatem commendans: de quo dicitur, Timor domini ipse est thesaurus: qui & filio dei tribuitur, Isa. 11. Nec angeli illo sunt destituti. Et nõ est nisi reuerentia quædã in rebus diuinis, ut agan-tur citra diuinã offensam. Hunc timorem docet charitas, urgens ut solicitus sim, & quotidie emẽdatior euadam. Ioannes autem hic loquitur manifeste de pœnis. Et nos amantes deum ut patrem, pro magnitudine amoris magnam habemus fi-duciam, quod non condemnemur ab illo propter Christũ: unde qui pium habent timorem, & à timore pœnæ etiam alieni sunt. Quamuis autem quoties nostra re-spicimus opera, non solum timoris, sed & desperationis habemus materiam. Ve-rum eam totam absorbet fiducia, quæ ex charitate manat: quandoquidẽ scimus quod Christus iustitia & propitiatio est nostra, & salua in illũ fide, nihil mali con-tingere nobis potest. Prodest tamen etiam timor seruilis, ut nonnunquam minus peccetur, & initium fiat aliquando sapientiæ. Verum quandiu depingimus ante oculos nostros deum terribilem, & bonitatem eius non diligimus, non est perfe-cta charitas in nobis. Timebat Israel dũ dicebat, Loquere tu nobis, & audiemus, quia uidebat tonitrua. Moses autem quia diligebat, fidẽter intrabat in caliginem, & dicere audebat, Vel dimitte eis hanc noxam, uel dele me de libro uiuentium. Vides dilectionem, & liberum accessum ad deum?

Nos ergo diligamus deum, quoniam deus prior dilexit nos. 14

Necesse est ut prior dilexerit, & uim sẽ diligendi nobis concesserit. Et quid est uis diligendi, nisi spiritus sanctus, & ipsa charitas? Ea datur nobis, ut habeamus fiduciã accedendi ad ipsum. Præterea per dilectionẽ omnia quæ uidemus uel au-dimus, omes minas & pœnas, omes ꝓmissiones et dona, ita interpretamur recte, ꝙ nos illis deus ad sui amorẽ pellicere nitat: et ita deus saluator omniũ, omes uult

ſaluos fierí: quod ſi ſecus cadat, noſtra culpa fuerit. Certe nos illũ amare non poſſemus, niſi ad ſe traheret amore ſuo: hoc ipſum igitur, quod illũ diligimus, illius beneficium eſt.

15 Si quis dixerit, Quoniam diligo deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. Qui enim nõ diligit fratrem ſuum quem uidet, deum quem non uidet quomodo poteſt diligere? Et hoc mandatũ habemus à deo, ut qui diligit deum, diligat & fratrem ſuum.

Dilectionem dei in nobis teſtamur amando proximum, in quo uult ipſe diligi. Si quis dixerit, Diligo deum, quum odio proſequatur proximum ſuum, mendax eſt. Etenim cum impíj quoq; , quorum plærique deum adeo non amant, ut nec eſſe credant, tamen affectu quodam amplectũtur proximum, uel quia cognatus eſt aut affinis, uel quia notus eſt aut familiaris, uel quia homo denique uidet hominem eſſe, quemadmodum & animantia ſuum quæq; genus amant inſtinctu naturæ. Quomodo deum diliget, quem non uidit unq; , cum oderit proximũ quem uidet? Deinde qui conſentaneum eſt, eum dilígere deum, qui præcepta dei neglígit? Si quis clamet, Amo Cæſarem, contemnẽs interim edicta Cæſaris, an inuenturus eſt qui credat? Nos ab imperatore noſtro præcipuum hoc habemus edictũ, ut qui diligit deũ, diligat & fratrem ſuum, ſiue bonus ſit ſiue malus. Si bonus eſt, amet in eo Chriſtum: ſi malus, in hoc amet ut conuertatur ad Chriſtum.

CAPVT V.

1 OMnis qui credit quoniam Ieſus eſt Chriſtus, ex deo natus eſt. Et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit & eũ qui natus eſt ex eo.

Quandoquidem fidei in Chriſtum index dictus eſt charitas, Iam primum cauſam ponit, propter quam fratres amandi ſint, nempe propter Chriſtum. Deinde qualiter affectos eſſe deceat, ne charitas ſit ſuſpecta. Quiſquis, inquit, credit Ieſum eſſe Chriſtũ, hoc eſt, illum unde oporteat omnia ſalutis noſtræ præſidia petere: idq; credit ex animo, is ex deo natus eſt, iamq; aſcitus in numerũ filiorum dei. Non poteſt autem nõ amare qui filius eſt. Porrò quiſquis ex animo diligit eum qui genuit, diligit & eum qui natus eſt ex eo, nimirum fratrem ſuum, quo cum habet patrem communem. Vis aũt probare an ſyncere diligas fratrem in dño, cõſidera quid in fratre ſpectes, ne teipſum ſed deum in illo quæras, qui te genuit & ipſum: nam niſi deus primas habeat partes, ex amico, uel ex eo quod in amico obſeruas, idolũ facis, & erit pro charitate idololatria. Alíj enim alíjs de cauſis amant. Chriſtianus autẽ qui angelicã uitam hic meditatur, dum oculo mentis puro uerſatur in deo, nihilominus hic fratri miniſtrat in terris. Sicut enim angeli qui ſemper uident faciẽ patris qui eſt in cœlis, miniſtratoríj ſpíritus ſunt, propter eos qui hæreditatẽ capient ſalutis: ita & nos ante omnia diligamus deum, & in eo omnia quæ eius ſunt, etiam minima: & omnia illa magis quæ ille magis dilígere iuſſit. Iuſſit autem ut fratres plurimũ diligamus. Duplici ergo ratione fratrem diligamus, tum quia gerit dei imaginem, ueluti filius dei, qualem & deus nominat: tum quia ad hoc præcepto dei adſtricti ſumus, ut omnes fratres ſine perſonarum reſpectu amemus. Omnes enim unum ſumus in dño, omnium noſtrum patre, à quo omnes geniti. Ex deo eñ nati dicuntur, qui non ex ſanguínibus, neq; ex uoluntate carnis nati ſunt, ſed qui crediderũt in unigenitũ dei. Eſt quoq; ex ſpíritu ſancto Ieſum habere pro Chriſto, hoc eſt habere eum pro iuſtítia, ſanctificatione, ſapientia, & redemptione ſui, & totius mundi redemptore. Illud ſi cordi perſuadetur, magnum eſt donum dei, proprium eis quibus pater reuelat. Qui & depoſita

ſita ueteri uita, nouam agere ſtudent atq; cœleſtem.

In hoc cognoſcimus quoniam diligimus natos dei, cum deum diliga- 2
mus & mandata eius faciamus. Hæc eſt enim charitas dei, ut mandata eius
cuſtodiamus, & mandata eius grauia non ſunt.

Hoc argumento deprehẽdimus, quod uere diligimus filios dei, ſi prius ex ani
mo diligamus ipſum deum. Nihil enim uere diligitur niſi quod illius cauſa diligi-
tur. Porrò quod deum diligamus ita liquebit, ſi ſeruemus illius præcepta, & ſerue
mus alacres ac lubentes. Eſt enim ſecundum, quod in charitate requiritur, ut præ
cepta quæ iuſta ſunt iuſte impleantur, & cum magna animi promptitudine. Man-
data autẽ dei alioqui uiribus noſtris imparia & impoſſibilia, charitas leuia & por-
tabilia reddit. Quàm grauia autem ſint, non ignoratur, à diuitijs tranſire ad ino-
piam, amare crucem, inimicis ex animo benefacere, quin & omnino affectus car-
nis legem dei præſtare non poteſt. Et Chriſtus, Facilius, dixit, camelum intrare
per foramen acus, quàm diuitem ingredi in regnum cœlorum. Grauitas ergo in-
eſt dei mandatis, ſed leuia tamen ſunt. Nam quod apud homines impoſſibile, deo
eſt poſſibile. Quod per ſe oneroſum, leue fit & facile impletur fide in Chriſtum. In
quem ſenſum & apud Matthæum inquit, Iugum meum ſuaue eſt. Et Paulus, Om
nia poſſum in eo qui me corroborat. Cumq; multa grauia percenſuiſſet, ſubdit,
In his omnibus ſuperamus in eo qui dilexit nos. Atque ita docet leuia mandata
charitate fieri & alacriter ſuſcipi. Vt aũt uideas Ioannem apoſtolum non omnino
negare difficultatem, & opus eſſe certamine, ut in re ardua, adijcit,

Quoniam omne quod natum eſt ex deo, uincit mundum. Et hæc eſt 3
uictoria quæ uincit mundum, fides noſtra. Quis eſt autem qui uincit mun
dum, niſi qui credit quoniam Ieſus eſt filius dei?

Terribiles malorum ſpecies obijcit mundus hominibus Chriſtianis, Pauper-
tatem, exilium, infamiam, carceres, flagra, mortes. Ingens eſt pugna, ſed parata ui
ctoria. Quicquid enim ex deo natum eſt, ut filius dei, uincit mundum. Quibus au
tem præſidijs uincit mundum? num opibus? num copijs? num machinis belli-
cis? num eruditione mundana? nequaquam: ſola fiducia qua ſe totos committunt
propugnatori deo uincunt mundum, quantumuis ſæuientem. Eripiuntur opes,
ſed quid obijcit fides? Habes theſaurum in cœlo. Ejiceris in exilium, ſed expectat
ſuum municipem patria cœleſtis. Admouentur corpori cruciatus, ſed his emun-
tur æterna gaudia. Intentatur mors, ſed hanc ſequetur immortalitas. Quis eſt igi-
tur qui uincit mundum? Non ſatrapes, non diues, non philoſophus, non rex, ſed
his quiſquis eſt qui uere credit quod Ieſus eſt filius dei. Crede quod ille pollicitus
eſt, & nihil te mouebit quicquid intentauerit mundus: uicit ille prior mundum,
& aſſequutus eſt immortalitatem: uenit in hunc mundum aſſumpto noſtro mor-
tali corpore, ut pro nobis uinceret, ut uincendi rationem oſtenderet, ut præmio-
rum fidem faceret.

Hic eſt qui uenit per aquam & ſanguinẽ, Ieſus Chriſtus, non in aqua 4
ſolum, ſed in aqua & ſanguine. Et ſpiritus eſt qui teſtificatur quoniã Chri
ſtus eſt ueritas.

Tribus teſtimonijs quamuis plurimis poſſet, probat Ieſum eſſe Chriſtũ, quaſi
hoc inſinuans, In ore duorum uel trium ſtat omne teſtimoniũ. Et hæc tria unum

sunt, hoc est, certius & clarius ad unum cõducunt demonstrandũ, nempe ad hoc unum, quod Christus sit filius dei. Habemus testimonia hominum fide dignissimo rum: ab initio manifestationis Christi: in medio, hoc est, in morte: & in fine, hoc est, postquam est assumptus in cœlum. Testimoniũ Ioannis Baptistæ primum, qui apud aquam testificatus est Iesum esse agnum dei, esse maiorem quàm ut eius cal ciamenti corrigiam solueret, cum à sacerdotibus ipse sanctissimus & Messias puta retur; esse quoq; eum cui pater testimoniũ præbeat. Magna testis illius authoritas est, neq; enim ad gratiam loquebatur. Vnde & à deo in hoc electus fuit & prepara tus, & à Iudæis ipsis refutari non poterat. Testimonium secundũ Centurionis in morte Christi de Christo eximium est, quũ ex latere eius lancea militari fosso, ma gno cum miraculo flueret sanguis & aqua, fierentq; alia signa multa in cœlo & in terra, aëre induente tenebras, sole se obscurante, terra tremente & mota, petris se scindentibus, & alijs contingentibus, dicebat: Vere hic homo iustus erat. Et ut a pud Marcum & Matthæum, Hic homo filius dei erat. Accedit ad hæc testimoniũ apostolorum, in die pentecostes, qui accepto spiritu sancto, uarijs loquebantur lin guis. Vnde & Iesum esse Christum ad primum sermonem Petri, mox tria millia te stimonium perhibuerunt. Atq; spiritus ille maxime idoneus testis est, ac minime fallax. Verus est enim & ueritas. Et his similia testimonia nunquã perhibita sunt. Videmur quoque hic & præcipuorum sacramentorum admoneri, quæ ad confir mandas conscientias nostras potissimum data, duobus enim sacramentis gratiam suam indubitatam nobis esse uoluit. Quorũ symbola hic nominantur aqua & san guis, quæ & ex latere Christi mortui effluxerunt, non absq; mysterio. Aqua baptis mi sacramentum, & sanguine synaxis, quæ fideles ad martyrium cohortatur, nobis commendatur, quibus & diabolo impugnanti nos insultare licet. Bapti zati in mortem Christi, salutem assequimur. Pane quoq; de cœlo fideles oblecta mur & incrassamur, ut præ desiderio cœlestium mori pro lucro habeamus, hoc pa ne & potu dum uegetamur in itinere deficere non possumus, tantum abest ut ipsi cum aliquo fideli diffidere uelimus, uel mutuum mordere. Sed & tertium additur præ alijs necessarium, spiritus scilicet. Nisi enim ex aqua & spiritu regenerati fue rimus, neutiquam intrabimus in regnum dei. Spiritus autem est fidei suppedita tor, qui testatur & persuadet cordibus nostris, non esse nos simulatores, quo spiri tu ut arrabone obsignati futuræ uitæ certitudinem tenemus.

5 Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cœlo, pater, uerbum & spiritus sanctus, et hi tres unum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua & sanguis, & hi tres unum sunt.

Tres sunt in cœlo qui testimoniũ perhibent Christo, pater, sermo & spiritus. Pa ter, qui semel atq; iterũ uoce cœlitus emissa palàm testatus est, hunc esse filiũ suum egregie charum, in quo nihil offenderet. Sermo, qui tot miraculis æditis, qui mo riens ac resurgens, declarauit se uerum esse Christum, deum pariter atq; hominẽ, dei & hominum conciliatorem. Spiritus sanctus, qui in baptizati caput descẽdit, qui post resurrectionem delapsus est in discipulos. Atque horum trium summa est unitas, in essentia, cum personarũ trinitate incõprehensibili. Tria sunt item in ter ris, quæ attestantur Christum: Spiritus humanus, quem posuit in cruce: Aqua, & sanguis qui fluxit è latere mortui. Et hi tres testes cõsentiunt, illi declarant deum, hi testantur hominem fuisse. De uario textu apud Græcos & Latinos, ueteres & recentiores, satis admonuit diligentissimus Erasmus, quæ uideas in suis Anno tationibus.

Si

Si testimonium hominũ accipimus, testimonium dei maius est: quo- 6
niam hoc est testimonium dei, quod maius est, quoniam testificatus est de filio suo.

In alijs rebus satisfaciunt nobis hominum testimonia, qui tamen fallere norunt & falli, de Christo autem, non tantum istorum quos dixi, sed & prophetarum testimonia & cõsensum omnium hominum habemus, & credimus: quanto magis dei & spiritus, qui in nobis est euidens, ut iam non propter homines credamus, sicut Samaritanæ dicebant ciues, sed quia ipsi audiuimus, & loquutus est in cordibus nostris. Iam nõ opus est chartis & libris, maior est qui nobis suggerit & adstipulatur, Christum esse uerum deum ac saluatorem mundi: etiam ipsi in cellam uinariam introducimur, & ad sermonem dilecti liquescit anima nostra. Ioan. 3. Qui accepit eius testimonium, is nimirum obsignauit, quod deus uerax est: quasi diceret, Testimonio dei plus credit quàm omnibus sigillis. Vere maius & maximum testimonium dei est. Quid enim certius, maius, inuictius, uerius ueritate dei est? Homines fallere possunt, deus fallere non potest: cœlum & terra transibunt &c. Manifestum autem est dei patris testimonium, Hic est filius meus dilectus, in eo complacitum est mihi, ipsum audite. Quid dici potuit apertius, aut plenius?

Qui credit in filium dei, habet testimonium dei in se. Qui uero non 7
credit filio, mendacem facit eum: quia nõ credit in testimonium, quod testificatus est deus de filio suo.

Qui uere credit filio dei Iesu Christo, & sic omnia uitæ præsidia in illo collocauit, ut huius promissis fretus, contemnat omnia quæ mundus hic ostentat, uel amabilia uel terrifica, testimonium habet in seipso, ac testimonium perhibet filio dei. Etenim dum afflatus spiritu Christi mortes etiã illius amore contemnit, non leue testimonium ædit apud homines, non esse uana quæ Christus docuit ac promisit. Qui non credit deo, sed fidit mundo, hic, quod quidem in ipso est, deum facit mendacem: qui felicitatem promisit ijs qui filio suo Iesu Christo auscultarent: cum is à mundo petendam felicitatem ipsa sua uita doceat, & huius uitæ commodis sic adhæreat, quasi nihil homini supersit à morte corporis. Quod autem sit testimonium illud quod habent boni & quo carent increduli, sequitur,

Et hoc est testimonium, quoniam uitam æternam dedit nobis deus: 8
& hæc uita in filio eius est. Qui habet filium dei, habet uitam: qui non habet filium dei, uitam non habet.

Compara hoc loco fidelium & infidelium uerba, & ex uerbis quale testimonium intus habeant cognoscito. Infideliũ uox est, Edamus & bibamus, cras enim moriemur: hoc unum homini datum est, exiguum & fastidio plenũ est uitæ nostræ tempus: ex nihilo nati sumus, & posthac erimus quasi nati nõ fuerimus &c. Venite fruamur bonis quę sunt &c. Sap. 2. & Zachar. 11. reclamant mali contra prophetas. Et Iohan. 8. dicunt, Abraham mortuus est, & prophetæ, & tu dicis, Si quis sermonem meum seruauerit, in æternum non gustabit mortem. At fideles, qui habent arrabonem uitæ, dicere audent, Vitam æternam dedit nobis deus. Dedit enim Christum, qui natus est nobis, ut renascere mur in uitã æternam: mortuus est, ut uiueremus: resurrexit, ut resurgeremus: longitudine dierum replebit nos, ostendet nobis salutare suum: Christus nobis uia est, ueritas & uita: Christus panis uitæ est, & uera uita. Et non solum talia ore loquuntur, sed & nunc experiuntur, & uiuentes non moriuntur, & mortui uiuunt, Iustorum enim animæ in manu dei sunt &c. Et si coram hominibus tormenta passi fuerint, spes illorum immortalitate plena est. Qui habet filium, inquit, non solum habebit in futuro, sed habet in præsenti. Per fidem uiuere nunc incipiunt iusti, & moriuntur nunquam. Audientes enim & credentes Christo, uitam æternam habebunt, imò iam nunc habere incipiunt,

felices in Christo. Dedit pater nobis uitam æternam, commonstrans à quo foret petenda: nimirum à se, sed per filium ipsius Iesum Christum. Huius doctrinam quisquis amplectitur, huius exemplum quisquis imitatur, huius promissis qui fidit, hic & filium possidet, & in se uitam habet, cuius arrabonem interim tenet, spiritum dei, cuius fiducia deum non ueretur appellare patrem. Qui à filio est alienus, is & à uita est alienus.

9 Hæc scribo uobis, ut sciatis, quoniam uitam habetis æternam, qui creditis in nomine filij dei.

Hæc ideo tot uerbis uobis repeto & inculco, ne quis uobis diuersum persuadeat. Sed certum & indubitatum habeatis, uerum esse quod credidistis, uobis esse paratam uitam æternam per Christum, cuius estis ascripti cohæredes: ius & arram iam tenetis, rem suo tempore possessuri. Vult nos esse certos, & scire nos esse in gratia, modo fideles simus: contra eos, qui dicunt nos ignorare quando simus in charitate. Isti summum nobis bonum auferunt, pacem quam se daturum promisit Christus: quę nimirum est, si pacatæ fuerint conscientiæ de gratia dei, etiam dum sese peccatores agnoscunt & confitentur. Quandiu autem de Christi gratia & beneuolentia dubitamus, ubi nam pax illa erit? Quid aliud in corde hominis relinquitur quàm fluctuatio? Quid ita parit ignauiam & odium dei, quàm suspicari te deo inuisum? Quæ gloriatio ait nostra erit? At periculum est, aiunt, ne fallamur. Verum, falli potest impius, sed fidelis minime: habet enim probationem spirituum. Proinde dixit, Vt sciatis. Et ut adhuc certius doceret, addit, Vitam æternam habetis. Et tanta quidem nobis promissa sunt. Opus autem nostrum quod? Vt credamus in nomine filij eius. Ioan. 6. Hoc est opus dei, ut credatis in eum, quem misit ille. Hæc Christianorum iustitia est, fide iustificari, fide iustificatos uiuere, & pacem habere. Itaq; qui filio dei creditis, instăter credite, eiq; indies magis ac magis fidite: non fallet in promissis æternæ uitæ, qui non deest uobis etiam in hac uita. Siquidem hanc fiduciam præbet uobis spiritus Christi, ut quicquid à patre petieritis in nomine filij, impetretis, si modo petatis iuxta uoluntatem illius.

10 Et hæc est fiducia quam habemus ad deum, Quia quodcunq; petierimus secundum uoluntatem eius, audit nos. Et scimus, quia audit nos, quicquid petierimus, scimus quoniam habemus petitiones quas postulamus ab eo.

Fiducialiter ad deum accedere poterimus, si iuxta eius uoluntatem petamus, si tales accesserimus ad orandum quales ille uoluit accedere: nimirum puros ab omni fraterno odio. Nihil enim impetrat à deo, à quo proximus non impetrat ueniam delicti. Si ea petieritis quę conducunt ad uitam cœlestem, quę faciunt ad gloriam Christi: alioqui nos plerunq; nescimus quid postulandum sit à deo, ac pro salutaribus sæpe noxia postulamus, nisi Christi spiritus nobis suggerat quid expediat petere. Sed hunc ad modum quoties petimus, certi sumus quod deus audit uota nostra, certi sumus illum largiturum nobis quicquid petierimus. Sic ille pollicitus est nobis, & potest præstare quicquid pollicetur, & uult quicquid nobis est salutiferũ. Neq; solum augebit in nobis sua bona, subinde sollicitatus nostris precibus, uerumetiam condonabit nobis quotidiana delicta, sine quibus imbecillitas humanæ naturæ uix potest durare diu. Ac non tantum condonabit sua cuiq; commissa, si ueniam petierit, uerumetiam audiet fratrem pro fratris sui delictis precantem.

11 Qui scit fratrem suum peccare, peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei uita, peccanti non ad mortem.

Sanctum & pium opus est orare pro fratribus peccantibus, tanto q̃ sanctius, quanto frater infirmior, & nobis magis aduersarius. Nam & Christus pro nobis, qui tales eramus, precatus est. Sed de peccato ad mortem uarie loqui solemus, secundum scripturas. Mortale nominamus primum, quod sui natura meretur mortem, si ad seueram diuini iudicij regulã iudicetur, etiamsi non imputetur semper ad mortẽ, sed condonetur: &

& nonnunquam etiam remunerari, propter adiunctam fidem, soleat. Et plane nullum est opus, quod homo ex fermento originalis peccati proferre queat, quod in conspectu æterni iudicis condemnari non mereatur, quod & Dauid sensit, dicens, Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis caro. Et Iob uerebatur omnia opera eius. Et Isaias iustitias nostras immundas uocat. Et sicut hic dicit, Omnis iniquitas est peccatum, hoc est, in omni transgressione legis est peccatum. Et quis unquam suis operibus impleuit unam legem? Nulla enim non etiam cõcupiscentiam prohibet, qua non caremus, quã diu hic uiuitur: nulla nõ omnes uires exigit. Et sic peccata mortalia à uenialibus distingui nequeunt, quamuis satis perspicuũ sit alia grauiora aliis. Mortale item dicimus, quod non solum meretur, sed & affert mortem, quamuis condonetur nonnunq; sic mortale est omne peccatum, factũ extra fidem. Veniale quicquid fit in fide, ut est Ro. 8. ca. Nulla nunc cõdemnatio est his qui insiti sunt Christo, qui nõ iuxta carnem uersantur, sed iuxta spiritum. Vbi fides per dilectionem operatur, ibi nihil periculi: ubi incredulitas, ibi manifesta condemnatio. Iustitia Christianis fides est, incredulitas peccatũ. Pro his aũt fratribus diligenter orandum, quandoquidem uel ignorantia uel imbecillitate cadunt.

Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis. Omnis ini- 12
quitas peccatum est, & est peccatum ad mortem.

Est autem peccatum, quod non possit imbecillitati imputari, neq; leuibus paratisq; sanari remedijs, ueluti cum quis destinata malitia persequitur sodalitatẽ Christianam, cum ipse sit Christum professus, & religionis prætextu subuertere nititur religionem. Huius deplorata peruersitas, nõ meretur piorum hominum intercessionem: & tamen pro his etiam orat perfecta charitas, optans etiam illa quæ fieri non possunt. Pro satana nullus orat, quod sciens per inuidentiam oppugnat eos, quibus bene uult deus. Fortassis nec pro his orandum, qui in huius affectum transierunt: ac uitãdi sunt potius, ne quid lędant, quàm precibus subleuandi ut uiuant, nisi spem præbeant resipiscentiæ. Talis morbus ualidioribus eget remedijs, ac maior est, quàm ut quotidianis precibus tollatur, quibus delentur admissa leuiora, quæ committit infirmitas, non quæ designat peruersitas. Quicquid recedit à summa iustitia, peccatũ est: sed peccatorum multa sunt discrimina. Est enim, ut dictum est, admissum aliquod, quod etiam si minuat ac uitiat innocentiam, non tamen extinguit prorsus Christianam charitatem: ueluti cum effutimus per leuitatem, quod mox pœnitet effutisse: cum ira subita extorsit uerbum, quod mox optemus reuocari posse: cum capti cibi potusq; dulcedine, paululũ ultra necessitatem sumimus. Ad hæc ignoscenda facilis est deus, si mutuis precibus interpelletur, ad huiusmodi lapsus filiorum plerumq; cõniuent & parentes propitij, qui grauiora commissa non ferrent. Quanquam nulla est culpa tam leuis, ut sit negligenda. Malum ac fugiendum est pijs, quicquid peccatum est: ac neglectum paulatim pertrahit ad mortem. Sed ut his leuioribus, quæ uix ab hominibus uitari possunt, statim est adhibendum remedium: ita dominus auertat, ut qui semel abdicarit mundum, secq; deo dicarit, reuoluatur in capitale crimen aliquod. Non quod ullum peccatum sit, quod diuinam bonitatem uincere possit, sed quod nec spes nec fiducia de his sit, quibus omnia iam cedunt in malum, quandoquidem impœnitentes manent, & spiritui agnitæq; ueritati contradicere non uerentur. Item Iere. 7. Tu noli orare pro populo hoc &c. Non poterat Ieremias cum fiducia orare deum pro populo, nullam agente pœnitẽtiam: addit & causam, quia & ipsorum uictimæ ac ieiunia non proderant, quia non desistebant à uitijs. Et Isa. 22. Si dimittatur iniquitas hęc uobis donec moriamini. Vix pro illis magna fiducia oramus, qui uitam ita misere produnt. Rarissimum est redisse, qui ex malitia peccauerunt in spiritum sanctum. Nam qui exierunt, si redierint post agnitam ueritatem, cõprobantur ignorantia & imbecillitate peccasse: & pro his orandũ est, nam & pro illis orauit Christus, & pro reuerentia sua exauditus est.

Scimus quoniam omnis qui natus est ex deo, nõ peccat: sed generatio 13
dei conseruat eum, & malignus non tanget eum.

Sciunt se philosophi nihil scire, qui sunt eorum doctissimi. Nos, inquit Ioannes, scimus & facti sumus docti à deo, neq; opus est ut quis de hoc doceatur à proximo, testimonium dei habemus intra nos. Indignum autem & magnæ ingratitudinis indicium est, donum dei dissimulare, idq; nõ testari præsertim si postulet opportunitas. Quę sunt autem quæ scimus? Primum scimus filios dei non peccare, similes patri non peccanti. Dicit autem, non unum & alterum, sed omnem qui natus est ex deo, qui scilicet credit in nomine filij eius. Quomodo autem non peccant, per recapitulationem dictorũ ostenditur. Vincunt filij dei peccatum, quæ sanè magna est dignitas, quod uictores sint mundi & peccati. Nam licet continuo sint in pugna, non tamen profusi succumbunt, neque pugnandi animum abijciunt, neq; peccatum probant. Certant quandiu sunt in palæstra, semper crucifigunt carnem, semper ueterem deponunt hominẽ, semper resurgentes, semper induentes nouum hominem. Quod uero dicitur, Generatio dei conseruabit eum, idẽ est quod, Qui genitus est ex deo seruat seipsum, ne malignus tangat, hoc est, offendat eum, ne proficiat inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponat nocere ei. Quomodo autem conseruabit se? Omni studio incumbet ut se seruet, non hoc ut ex Adam natus, sed ut ex deo. Sãctificat enim seipsum sicut ille sanctus est. Sequitur & alia dignitas natorum ex deo.

14 Scimus quoniã ex deo sumus, & mũdus totus in maligno positus est.

Qui semel per baptismum mortuus est mundo, & ad uitæ nouitatem resurrexit cum Christo, non decet iterare, propter quod Christo fit iterum moriendum. Sibi autem à mundo metuant qui non sunt uere renati ex deo, qui non totis animi medullis receperunt semen euangelicæ doctrinæ. Nos scimus quod uere simus ex deo, quos nec mala nec bona huius mundi separant à Christo. Mundus totus in malo constitutus est, quocunq; te uertas offerunt sese, quæ nos auertant ab innocentia uitæ. Super faciem uniuersæ terræ sunt tenebræ, at nobis lux est. Totus mundus periclitatur, nos securi sumus in Christo. Totus mundus perit cum omnibus concupiscentijs suis, et ruit quocunq; impulerit malignus, imò iacet prostratus & captiuus est, adeò ut ne pueri quidẽ excipiantur: & quicquid non pertinet ad natiuitatem dei, addictũ est natiuitati diabolicæ. A qua misericorditer eligit deus suos, & eripit de potestate tenebrarum, transferẽs in regnum charitatis filij dei, pro quo magnopere deo gratiæ sunt agendæ à fidelibus.

15 Et scimus quoniam filius dei uenit, & dedit nobis sensum ut cognoscamus deum uerum, & simus in uero filio eius.

Ab huius improbi mundi incantamentis semel liberauit nos filius dei, qui hac de causa uenit in mundum, ut nos eximeret à contagio mundi. Is dispulit caliginem ignorantiæ prioris, ac dedit intellectum illustratum luce euangelica, ut cognoscceremus uerum illum deum & omnis iustitiæ largitorem, cui uni nihil fuit commertij cum mundo. Et nos sumus in illo uero, qui syncero pectore doctrinam illius ac promissa sequimur, quandiu sumus in filio eius Iesu Christo, quem hac de causa misit in mundum. Et qui sęculi conditor fuit, uenit in mundum, & omnium bonorum nobis author fuit. Ipse dedit nobis mentem patrem cognoscendi, quem natura deum cognoscere non potuimus. Quamuis enim ex his quæ conspiciuntur cognoscatur diuinitas, non tamen tantum lumen in nobis est, quod sufficiat ut fides, quæ ubi deest, uanæ sunt & incertæ omnes hominum cogitationes. Quia autem Christus dator est mentis, qui indiget scientia uel sapientia uera, petat à Christi doctrina.

16 Hic est uerus deus & uita æterna.

Vult dicere, Quãuis sit homo propter nos factus, nihilominus tamẽ est uerus deus, & quamuis sit pro nobis mortuus, est tamen uita æterna. Ei & non alij debetur omnis gloria, honor & magnificentia. Omne genu in eius nomine flectatur, cui pater omnia subiecit: illius uoluntate & imperio qui omnia potest nemo resistat: illius uerbis qui neminem seducit credamus: seruatori nostro fideliter adhæreamus. Hic est de quo in principio epistolæ dixi, Quod erat ab initio, quod uidimus, &c. Vnum adhuc moneo quo finem facio epistolæ.

Filioli,

Filioli, custodite uos à simulachris. Amen. 17

Hoc est, ne conuertamini ad alium quàm ad illũ. Certe quicquid deo prætuleris, siue sit aurum, siue honor, siue amicus, siue uenter, siue sapientia, tuæ rationis idolum est, & huiusmodi idolis mundus est plenus. Omnium autem simulachrorum cultum abolere uenit dominus. Isa. 2. Eleuabitur dominus solus in die illo, & idola penitus cõterentur. Et ruerunt quidem ad aduentum uerbi eius. Sed uere dicunt hostes fidei, Lateres ceciderunt, & quadris ædificabimus. Siquidem pro Iouis, Veneris, & Mineruæ, & Herculis imagnibus ac statuis sexcentæ aliæ sunt inuectæ. Noluit nos Christus tam humiles, qui ante lapides & ligna incuruaremur, proinde & olim, quũ adhuc crassa plebs esset, permittebanturq; multa alia, imagines tamen non admittebantur: quanto magis nunc agnito Christo, qui uult cultores in spiritu & ueritate, adq; altiora subuehit, indignum fuerit, aliò quàm ad deum ipsum conuertere cogitatus? Id si fieri æquum est, quomodo non iniquum habeatur prostituere tot imagines hominum, quamlibet sanctorum, in locum diuino tantũ cultui consecratum? Id quod damnauerunt nõ solum patriarchæ omnes, & prophetæ omnes, sed & apostoli omnes, sed & sancti omnes, iuxta uerbum dei.

FINIS.

COMMENTARIVM IN EPISTOLAM D. IOANNIS APOSTOLI SECVNDAM.

ARGVMENTVM.

QVANDOQVIDEM similes uidentur hæ duæ sequentes epistolæ, primæ quę est Ioãnis apostoli, in uerbis & assertione fidei et charitatis, aduersus hæreticos, non improbari possunt esse apostoli, non Ioannis presbyteri. Scripsit autem ad quandam Babyloniam, quæ proprio nomine Electa uocabatur: monens ipsam & natos eius, ne propter hæreticos discedant à proposito fidei. Per hanc uero Electam significatur uniuersalis ecclesia: per filios eius, minores quiq; in ecclesia, geniti per fidem Christi. Scribit ergo uniuersali ecclesiæ, non esse fidei perfectionem extra charitatem: hęreticos quoq; detestatur, qui Christum diuidunt. Et hanc ego simplicitatem sequi malui, post ordinariũ scriptorem, saluo cuiq; suo iudicio, quod tamen cupio in talibus definiendis passim modestius.

SENIOR electæ dominæ, & natis eius, quos ego diligo in ueri 1
tate: & non ego solus, sed et omnes qui cognouerunt ueritatem, propter ueritatem quæ permanet in uobis, & uobiscum erit in æternum. Sit uobiscum gratia & misericordia, pax à deo patre, & à Christo Iesu filio patris, in ueritate & charitate.

Solidam fidem ac ardẽtem charitatẽ necessario sequebatur in sancto uiro Christoq; dilecto apostolo insignis modestia, qua se siue ecclesiæ scribens, siue priuatim honestissimæ matronæ, Seniorem tantũ appellat, cõtra nostrorum presbyterorum fastũ, in effingendis epithetis suis, quibus pastoris et legati nomen displicere cœpit, ut tandem Papa dicerẽtur, & Pontifices, ac summi monarchæ pietatis Christianæ, quibus tamen Christus ipsorum dominus dixerat, Vos autem nõ sic. Et erat iam senior per antonomasiam inter omnes apostolos, quorũ nemo tandem supererat, præter hunc electũ discipulum & à Iesu dilectum. Et regebant tunc quoq; ecclesias seniores profectęq; fidei, & maturitate honoranda illustres uiri spiritu sancto pleni, qui uerbo et exemplo regebãt ecclesias. Quorum eo tempore in Asia Ioannes erat celebrior, & principalior, plenus tamen charitate, quam didicerat à magistro. Dominam uocat cui scribit, honoris gratia, & pro ingenio modestissimo, omnibus in exemplum. Scribit quoq; eiusdẽ filijs, quos, inquit,

ſyncere & exanimo diligo: qui aliud à Chriſto nihil didicerat, quàm diligere fratres, & mitem eſſe. Nec id facio ſolus, ſed omnes mecum qui colunt ueritatem euangelicam: nec ob aliud diligunt, niſi quod intelligunt euangelicæ profeſſionis ſynceritatē, quam ſequimur, manere in uobis, ac manſuram ſemper. Gratia, miſericordia & pax ſemper uobis augeatur à deo patre, ac domino Ieſu Chriſto, perſeuerantibus in ueritate doctri næ euangelicæ, ac mutua charitate. Hoc eſt ueram, uiuam, ſolidam ac perfectam fidem, ornatam officijs charitatis, & pietatis fructibus.

2 Gauiſus ſum ualde, quoniam inueni de filijs tuis ambulantes in ueritate, ſicut mandatum accepimus à patre.

Charitas congaudet ueritati pro modo ſuo, quæ cum eſſet in apoſtolo ingens, ideo uehementer ſe gauiſum teſtatur. Quod compererim, inquit, liberos tuos matris pietatem imitantes, perſeuerare in ueritate euangelica, quam ſtudio & opera mea didicerūt, quam & ego didici à magiſtro: nec eos auſcultare falſis doctoribus, qui conantur multos ab hac auertere, ſtudentes legis ceremonias ſuperinducere libertati, quam in Chriſto ſuſcepimus, ſuam cupientes ſtatuere iuſtitiam, quam ex lege uenantur adhuc, quam libet ægre ſtante templo & ſacerdotio Hieroſolymis, iuſtitiæ autem fidei, quæ in Chriſto ſaluat, nolentes eſſe ſubiecti. Cum pater hoc nobis per filium Chriſtum dominum & magiſtrū noſtrū præceperit nobis, ut doctrinæ filij ſui audientes eſſemus, & ab illius ueſtigijs non recederemus.

3 Et nunc rogo te domina, non tanquam mandatum nouum ſcribens tibi, ſed quod habuimus ab initio, ut diligamus alterutrū. Et hæc eſt charitas, ut ambulemus ſecundum mandata eius.

Non eſt iam opus domina, ut nouis præceptis inſtruam pietatem tuam, tantū in eo perſeueremus, quod ab initio traditum eſt in lege et prophetis, quorum omnes ſcripturæ recapitulantur in charitate noſtra ad deum, in fide, & ad proximum, quem ut noſipſos diligamus: quod & ſcopus eſt totius quoq; euangelicæ & apoſtolicæ doctrinæ, ne nouum putetur quod dicimus, ut ſcilicet nos mutuo uereq; Chriſtiano amore proſequamur. Conciliet autem hanc beneuolentiam inter nos piæ uitæ conſenſus, ac ſimilitudo, ut concordibus ſtudijs uiuamus iuxta dei præceptum, qui nihil æque diligenter nobis iniūxit, quàm mutuam inter nos charitatem. Ea autem nos docet ac impellit ad ambulandum, ad conuerſandum iuxta mandata dei, quando charitas otioſa eſſe non poteſt, ſecundùm illud Chriſti domini, Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in eius dilectione. Et cum emphaſi quoq; Eius accipiamus, ut non ſecundum humanas traditiones, ſed ſecundū eius, hoc eſt domini mandata conuerſemur in hoc mundo.

4 Hoc eſt enim mandatum, ut quemadmodum audiſtis ab initio, in eo ambuletis, quoniam multi ſeductores exierunt in mundum, qui nō confitentur Ieſum Chriſtū ueniſſe in carne. Hic eſt ſeductor & Antichriſtus.

Non autem inter impios locum habet aut uerſatur uerus amor, nec inter diſſimiles. Ni hi igitur adfero noui præcepti, ſed etiam atq; etiā admoneo, ut in eo quod iam olim accepiſtis, perſeueretis, nec inde uos ullis artibus aut dogmatibus pſeudoprophetarū auelli patiamini. Siquidē extiterunt multi ſeductores in mundo, qui negant Ieſum eſſe Chriſtum, qui erat uenturus in mundum, iuxta prophetarum oracula. Quiſquis hoc docet, ſeductor eſt, & ille Antichriſtus Chriſti aduerſarius. Quales eo tempore multi erant ex Iudæis, qui de aduentu & conditione Meſſię, quem in annos expectabant, multa mentiebantur, falſa docebant, & de obſeruantia legalium erant ſuperſtitioſe ſoliciti.

5 Videte uoſmetipſos, ne perdatis quæ operati eſtis, ſed ut mercedē plenam accipiatis. Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Chriſti, deum non habet: qui permanet in doctrina, hic & patrem & filiū habet.

Caueat

Caueat sibi quisq;, ne si relinquat quod bene cœpit, perdat omnem fructum eorum quæ hactenus bene gessit, uel pro Christo & ueritate est passus. Sed demus operam ut plenam mercedem recipiamus, quæ non contingit nisi perseuerantibus in finem. Qui neglecta catholica & apostolica doctrina, quam accepistis diuertit à ueritate, nec perseuerat in charitate Christi & eius doctrina, is & à deo patre est alienus cum descíuerit à filio. Cæterum qui constanter sequitur huius doctrinam, is eadem opera & patri charus est & filio. Alter enim sine altero nec haberi potest nec relinqui.

Si quis uenit ad uos, & hanc doctrinã non affert, nolite recipere in do 6
mum, nec aue ei dixeritis: qui enim dicit illi aue, cõmunicat operibus eius malignis. Ecce prædixi uobis, ut in die domini non confundamini.

Hæc est illa uera doctrina quam à ueracibus testibus accepistis ab initio, à sanctis domini nostri Iesu Christi apostolis & meipso. Quod si quis uenerit ad uos, qui diuersam ab hac doctrinam afferat, ut uos abducat ab euangelica ueritate, & à libertate quam habent Christiani in Christo, huic adeò non debetis auscultare, ut nec in domum sit admittendus si quærat hospicium, nec aue dicto, salutandus si fortè sit obuius in uia. Periculum est enim ne familiam suo conuictu inficiat, & pro officio communicati tecti rependat maleficium, atq; è salutatione nascatur colloquium. Corrumpunt enim bonos mores colloquia praua. Porrò qui salutat & congreditur cum impostoribus huiusmodi, consors esse uidetur malefactorum illius. Addit enim animum improbo, dum se uidet esse alicuius pretij apud eos, quos nititur subuertere, & alijs speciem mali præbet, quasi fauere uideatur illius malitiæ, cuius non horret familiaritatem. Quod sequitur, Ecce prædixi, &c. in Græcis non habetur exemplaribus.

Plura habens uobis scribere, nolui per chartam & atramentum, spe- 7
ro enim me futurum apud uos, & os ad os loqui, ut gaudium uestrum plenum sit. Salutant te filij sororis tuæ electæ. Gratia tecum, Amen.

Erant multa quoq; alia quæ cupiebam uobis scribere super hisce rebus, uerum ea malo præsens explicare quàm calamo chartisq; committere. Nam spero fore ut breui uos inuisam ac præsens cum præsentibus colloquar, ut gaudium quod ex uestra constantissyncerítate concepi, fiat uberius ac plenius, dum & coràm intuebor in uobis, quod nunc absens audio de uobis, & uos uicissim meum erga uos affectum oculis cõspicabimini. Saluere te iubent nepotes tui, filij sororis tuæ electæ. Dubia loquutio quidem, sed quæ nihil incommodat. Suspicantur sororis filios apud apostolum, quæ & ipsa Electa dicta sit renunciasse salutem. Et fœmina electa dici potest etiam Christiana, quemadmodum & Augustini temporibus baptizandi dicebantur electi.

COMMENTARIVM IN EPISTOLAM.

D. IOANNIS APOSTLI TERTIAM.

SENIOR Gaio charissimo, quem ego diligo in ueritate. Charis- 1
sime, de omnibus orationem facio prospere te ingredi, & ualere, sicut prospere agit anima tua.

Intelligimus hunc Gaium primarium aliquem uirum Christianissimumq; fuisse, & simul locupletem qui non solum euangelij præcones illius temporis & apostolicos uiros hospicio receperit, sed & de necessitatibus alijs etiam pro uia prouidit. Quẽ & Paulus suum quoq; uocat hospitem & totius ecclesiæ, Rom. 16. Haud ergo immerito charissimus dicitur apostolo, qui charitate feruebat, ut erat fide solidissimus & Christi seruus sedulus & fidelis. Omnia in ueritate agit & loquitur, quin & scribit ex animi sui sententia, omnia candide. Optat autem in primis dari sibi à Christo, ut quemadmodum prospere agit & ex animo deuotus est à deo, perseuerans in euangelica doctrina modis

omnibus promouenda. Ita & in cæteris omnibus prospere agat, bene fortunanta Christo.

2 Gauisus sum ualde uenientibus fratribus, & testimonium perhibentibus ueritati tuæ, sicut tu in ueritate ambulas. Maiorem horum non habeo gratiam, quàm ut audiam filios meos in ueritate ambulare.

Non mediocrem cepi uoluptatem ex oratione fratrum, qui uenerunt ad nos, actestimonium præbuerunt tuæ synceritatis tam ueri testes, quàm tu uere sequeris euangelicam ueritatem, non modo professione, uerumetiam actione & studijs, totaq; uita. Nequeenim ulla res animum meum maiori afficit gaudio, quàm si contingat, ut audiam filios meos, quos per euangelium genui Christo, sequi ueritatem à nobis traditam. Quanto enim magis Christum diligebat Apostolus, tanto de profectu gloriæ Christi & salutis animarũ, pro quibus Christus mortuus fuerat, effusius gaudebat. Id quod & omnes sancti in uotis habent.

3 Charissime, fideliter facis, quicquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos, qui testimoniũ reddiderũt charitati tuę, in cõspectu ecclesię, quos benefacies, deducens digne deo. Pro nomine enim eius profecti sunt, nihil accipientes à gẽtilibus. Nos ergo debemus recipere huiusmodi, ut cooperatores simus ueritatis.

Quod officiosus es erga Christianos, qui isthic agunt, aut isthuc hospites commeant, rem facis dignam eo qui uere credit euangelio ac diligit Christum, & exempla hospitalitatis sequitur in Patriarchis & Prophetis. Nam & fratres quos humaniter tractasti, testificati sunt de tua synceritate, coram omni cœtu Christianorum. Recte facies autem, si quos humaniter excepisti uenientes, pari humanitate deducas, quò uoluntprosicisci, sicut merentur tractari qui dei negotium agunt, non suum, ab ijs qui deũ ex animo diligunt. Non enim profecti sunt ad mercatum, quo rem familiarem augeant, sed ad prædicandum nomen domini Iesu Christi. Cuius doctrinam sic impartiunt gentibus, ut ab eis tamen nihil accipiant, quo plus fructus referant Christo, cui laborant, si quod faciunt, abfit ab omni suspicione captati quæstus. Decet autem, ut nos tales excipiamus hospitio, curemusq; ne quid desit ad uitæ necessitatem, ut aliqua ex parte participes simus eorum quæ per illos geruntur in gloriam dei. Sic enim promisit Christus, Qui prophetam acciperet, ut prophetam, hunc habiturum prophetæ mercedem. Apparet autem & ex hoc loco tum temporis fuisse uiros bonos, exemplũ Pauli sequentes, ut de manuum labore uiuentes, uel aliunde adiuti à sanctis opulentioribus, gratis euangelium prędicarent gentibus. Et ex conuersis, certatim quibus suppetebant facultates, promouebant Euangelistas, & diuitias suas faciebant seruire pietati & gloriæ Christi, salutiq; fidelium multorum. Ne quis opes putet obesse saluti, & perfectioni Christianæ: non enim omnes omnia possumus, præstat iuuisse eos, qui possunt in gradu suo. Sic impie quoque agunt, & sese fideles esse facto negant, qui euangelij doctorem, fideliter laborantem, necessarijs indigere permittunt: & non potius secum egeant superfluis, quo succurrant necessitate constrictis. Vel fic necessitatis modum arctant, quem ipsi ferre pro Christo nollent, & ad proximi, imò doctoris & patris perniciem, & mentis deiectionem, ob ingratitudinem ecclesiasticorum, urgere & opprimerenon uerentur corã hominibus, ne dicam in conscientia cõscelerata maximo ingratitudinis crimine.

4 Scripsissem forsitan ecclesiæ, sed is qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes, non recipit nos. Propter quod si uenero commoneam eius opera, quæ facit, uerbis malitiosis garriens in nos, & quasi non ista sufficiant

sufficiant, neq; ipse suscipit fratres, & eos qui suscipiũt prohibet, & de ecclesia eĩcit.

Scripsi iam ante congregationi quæ isthic est, ut idem facerent quod te admoneo: uerum obstat Diotrephes, haudquaquam recipiens monita nostra, malens esse primas inter suos, quàm humilis ac purus discipulus Christi: malens esse author nouæ hæresis, quàm ueteris euangelicæ doctrinę syncerus sectator. Quapropter si uenero ad uos, commonefaciam illum factorum suorum, quæ fortassis credit me latere, dum ipse malus, dictis malitiosis garrit in nos, quo nobis adimat fidem & authoritatem apud uos, qui uos hortamur, ut perseueretis in euangelica doctrina. Nec his contentus, non solũ non recipit fratres, uerum & impedit cupientes suscipere. Sic intelligimus etiam apostolorum temporibus fuisse euangelĩ persequutores acerrimos, ex Iudæis quàm maxime, qui semigentiles iam euaserant, & Græci, unde & sibi nomen Græcum elegerat, ut erat talibus mos: & nec uetus testamentum recipiebant neq; nouum. Commẽdabant autem sese Iudæis cæteris, persequutione illata fidelibus, quo minus euangelium dilataretur inter Iudæos dispersos, & in gentilium urbibus. Exempla huius nostra quoq; habent tempora nimis multa.

Charissime, noli imitari malum, sed quod bonum est. Qui benefacit, 5
ex deo est: qui autem malefacit, non uidet deum.

Non quod in hoc malo exemplo cernis malum, imiteris, sed quod bonum est. Nostrum est malos perpeti, non imitari. Non omnes sunt filĩ dei qui baptismum acceperunt. Qui pĩs factis declarat fidem suam, is ex deo natus est, & esse uidetur, refert enim ingenium ac doctrinam patris sui. Qui impie agit, etiam dictis deum profitetur, deum tamen uere non uidet: uidetur enim oculis fidei purgatissimis, quos obcæcant tenebræ uitiorum.

Demetrio testimonium redditur ab omnibus, & ab ipsa ueritate, sed 6
& nos testimonium perhibemus, & nosti quoniam testimoniũ nostrum uerum est.

Exemplum uitabis Diotrephis, ac Demetrium tibi propones. Huius enim pietati testimonium redditur ab omnibus: qui tametsi silerent, tamen ipsa res testatur hominis uirtutem. Quin & nos experti eius uirtutem & synceritatem, testimonium de illo ferimus, cui scio creditis firmiter, quia oĩnibus comperta loquor, & nihil dico ad gratiam hominis, uel ex odio, sed ut didici ex ueritate & certitudine. Mirę uero integritatis fuisse uirum Demetrium necesse est, cui testimonium perhibebant omnes boni de ecclesia. Longe alterius ingenĩ & fidei ei Demetrio argentario Dianæ in Epheso, qui pręstabat artificibus non modicum quæstum, Paulo autem & sanctis ibidem seditionem grauissimam, & negotium periculosissimum, Act. 19.

Multa habui tibi scribere, sed nolui per atramentum & calamum scri- 7
bere tibi: spero autem protinus te uidere, & os ad os loquemur. Pax tibi. Salutant te amici. Saluta tu amicos nominatim.

Similibus ferè uerbis claudit hanc quoq; ut priorem, ne quis copiã infignem & eloquentię studium in Christi discipulis exquisitum requirat, qui ueritatis rationem diligentiorem sequuntur quàm eloquĩ.

FINIS.

COMMENTARIVM IN EPISTOLAM BEATI IVDAE APOSTOLI.

ARGVMENTVM.

DESTOMACHATVR in eos, qui cupiditatibus ſuis excęcati, aduerſantur euangelio. Quod tamen nouum uideri non debeat, cum iam olim in hoc deſtinati ſint, & ab apoſtolis prædictum ſit, id genus homines irrepturos in gregem Chriſtianorum. Aduerſus hos, ſic armat eos, ut ſtudeant & illos uel increpatione coercere, uel admonendo ſeruare. Quod ſi non queant, certe ipſi ſeſe parẽt in aduentum Chriſti. Fuit autem is Iudas cognomento Thadeus & Lebbeus, frater Iacobi Alphei, & Simonis Chananei. Quia autẽ de libro Enoch teſtimonium aſſumpſit, ideo à pleriſq; reȷcitur, quaſi non etiam Paulo apoſtolo licuerit ex Ethnicis authoribus allegare opportuna teſtimonia, quaſiq; apud Hebręos nulli fuerint authores, quàm Canonici, unde licuerit priſcorũ ſentẽtias quondã dictas citare, cum nemo negarit, pręter legem Prophetas & agiographa, multas apud iſtam gẽtem fuiſſe ſcripturas, quãlibet authoritatei inferiores, utiles tamẽ, & ſpiritu pio conſcriptas pijsq; in uſu habitas ſemper.

1 IVdas Ieſu Chriſti ſeruus, frater autem Iacobi, his qui ſunt in deo patre dilectis, & Chriſto Ieſu conſeruatis & uocatis. Miſericordia uobis & pax & charitas adimpleatur.

Iudas Thadeus ſeruus Ieſu Chriſti, in hoc redẽptus à ſeruitute peccati, ut iuſtitiæ ſeruiam, & euangelio prędicando, ad quod uocatus ſum, frater Iacobi apoſtoli, & ipſe Apoſtolus, notæ quidem inferioris q̃ Heroſolymorum epiſcopus, electus ab Apoſtolis: tamen nõ ille Iſcarioth Iudas, ne quis erret in nomine, ſpernatq; epiſtolam, quam ſcribo, non ſolum Iudæis aut proſelytis, ſed in cõmune omnibus: quos clemẽtia dei patris ul ſanctificauit, & citra legis adminiculũ, eximpijs pios, ex idololatris uere religionis cultores fecit, quos in hoc ipſum diuina benignitas ſeruarat Ieſu Chriſto, ne cum cæteris irent in baratrum æternæ damnationis: quos eoſdem nunc ſua gratuita bonitate & munificentia uocauit ad ſalutem euangelicam. Nihil uobis precari queam in hac uita felicius, quàm ut diuina bonitas, ſua munera ſemper in uobis multiplicet, miſericordiã, pacem, & charitatem. Miſericordiam, ut indies magis ac magis abſitis à uitæ priſtinæ uitijs. Pacem, ut pietate uitę concordiã alatis, quam habetis cum deo, & in conſcientia ueſtra quieti per fidẽ. Charitatẽ, ut mutua cõcordia ſitis unanimes, et alij in alios beneficii.

2 Chariſſimi, omnem ſolicitudinem faciens ſcribendi uobis de communi ueſtra ſalute, neceſſe habui uobis ſcribere, deprecans ſupercertari ſemel traditæ ſanctis fidei.

Aliter ſic, Obſecrans ut ueſtris laboribus adiumento ſitis fidei, quæ ſemel data eſt ſanctis. Quoniam euangelica charitas facit omnia communia, ſiue quid accedit boni, ſiue quid mali, præſertim in his quę ad æternam ſalutem pertinent, tantũ mihi ſtudium fuit ſcribendi uobis de ueſtra ſalute, quæ me nõ aliter habet ſolicitũ, quàm ſi mea eſſet huc uidelicet extimulante fraterna charitate, ut mihi nõ quiuerim temperare, quin hac epiſtola uos exhortarer, ut pro tuenda ſyncera fide, quæ ſemel ab Apoſtolis tradita eſt ſanctis, decertetis aduerſus pſeudapoſtolos. Neque ſolum in hoc laborate, ut perſiſtatis in fide uera, uerumetiam ut alijs opitulemini, ne ſeducantur ab impoſtoribus, utq; operibus uere bonis, oſtẽdatis ueram fidem, quam dominus ſanctis, id eſt, fidelibus reuelauit: ne fidem & Chriſtianam libertatem putent eſſe peccandi licentiam.

3 Subintroierunt enim quidã homines, qui olim præſcripti ſunt in hoc iudicium impij: domini noſtri gratiã transferentes in luxuriam, & ſolum dominatorem & dominum noſtrum Ieſum Chriſtum negantes.

Inæſti-

Inæstimabilis est fidei thesaurus, eoq; impensius aduigilandum, ne nobis interuertatur. Cum enim uobis pure syncereq; tradiderimus euangelicam doctrinam, sicut accepimus à Christo, tamen sub prætextu religionis obiter admiscuerunt se quidam impij, ac ceu lupi in ouile domini irrepserunt, pietatis specie uenditantes se, cum hostes sint ueræ pietatis. Ne quid autem hæc res ceu noua perturbet animos uestros, sic olim decretum est, arcano dei consilio, sic prædictum est, exorituros, qui suis flagitijs & uestram exercerent pietatem, & sibi condemnationem accerserent: gratuitam beneficentiam dei nostri, qua nobis semel gratis peccata condonauit, & à legis asperitate liberos reddidit, uertunt in occasionem lasciuiæ, cum illius beneficio magis inuitari debuerint, ut innocentiam gratuito datam, pijs studijs & tuerentur & ornarent, atq; inflãmati charitate euangelica, copiosiorem etiam atq; exactiorẽ iustitiam præstarent uolentes, quàm Mosaica lex præscripserat. Nunc isti data libertate abutuntur ad turpitudinem ac peccandi licentiam, & ultro recidunt in ueterem seruitutem, unde suo sanguine redemerat illos Iesus Christus, abnegantes deum, quem semel professi sunt, cũ solus sit herus omnium quæ in cœlis sunt & quæ in terra: abnegantes & dominum nostrum Iesum Christum, qui nos sibi sacri cruoris sui precio asseruit. Nihil profuerit esse redemptos, nisi perseueremus in his ad quæ sumus uocati.

Commonere autem uos uolo, scientes semel omnia, quoniam Iesus 4
populum de terra Aegypti saluans, secundo eos qui non crediderunt perdidit. Angelos uero, qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni dei, uinculis æternis sub caligine reseruauit. Sicut Sodoma & Gomorra, & finitimę ciuitates, simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram (hoc est, quæ ad similem modum cum illis stupris inquinatæ fuerant, ac sequutę fuerant carnem alienam) facti sunt exemplum ignis æterni pœnam sustinentes.

Non opinor opus ut uos doceam, cum nihil uos fugiat: tantum illud in memoriam redigam, ne quod scitis, excidat. Olim nihil profuit Hebræis, quos Iesus in typum horum temporum, è dura miseraq; seruitute Aegyptiorum, per mare rubrum traduxit in libertatem. Imò quos ad se clamantes, miseratus seruauit, hos in deserto diffidentes & obmurmurantes deo, denuo peius perdidit. Quod illis erat seruitus Aegyptiaca, hoc nobis erat seruitus uitiorũ: quod illis erat Pharao, durus & intolerabilis dominus, hoc nobis erat diabolus: cuius tyrannidi nostris uitijs eramus obnoxij. Illi fisi deo, per medias maris undas incolumes euaserunt in libertatem, nos credentes euangelio, per baptismum euasimus ius satanę. Sed quemadmodum ex illis quidam non eadem fide prò perabant ad terram promissam, quibus dei beneficium adeo nihil profuit, ut etiam uerteretur in cumulũ damnationis: ita nobis nihil profuerit in baptismo semel deposuisse peccata, nisi cõstantibus animis semper proficientes ad meliora, tendamus ad hæreditatem uitæ cœlestis. Quin & illud meminisse uos uolo, quod ne angelis quidẽ profuit sic conditos esse, ut diuinitatis essent consortes. Verum simulatq; felicissimam naturam suã prauitate mutassent, neque persisterent in sua conditione, præcipites dedit è cœlis, ac luce cœlesti priuatos, ęternis tenebris damnauit apud inferos: ubi uinculis insolubilibus seruãtur in diẽ iudicij supremi, quo damnati meritis pœnis addicentur. Iam et Sodoma & Gomorra reliquæq; ciuitates his finitimæ, quũ omnium rerũ opulentia florerẽt, quo niam dei benignitate abusę sunt ad luxũ & libidinẽ, inquinantes sese nefandis & abominandis turpitudinũ generibus, subita ira diuina extinctæ sunt, cœlesti igne consumptę, quo uidelicet alijs essent exẽplo, qui Christi beneficijs ad uitæ turpitudinẽ abutuntur. Prospiciant ergo sibi qui Christiano nomine cẽsentur, & sub hoc tamẽ titulo gratiã dei

uertũt in impudicitiam, ne id eis accidat quod Israelitis. Et profecto, ab eo tempore quo discessum est à scripturis sacris, & de euãgelio tacitum est, magister autem Sentẽtiarum regnauit, uel fastuosus episcoporũ status, una plaga aliam urfit, de quibus non credentibus uerbo uitæ deus ultionem sumpsit, ipsos q; satanæ in fauces abiecit.

5 Similiter & hi, qui carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, maiestatem autem blasphemant.

Non effugient similem pœnam qui similiter peccarint. An non similiter peccant, qui delusi insomnijs falsarum uoluptatum, nõ solum corpora sua cõspurcant, uerumetiam præfectos suos, & authoritate præditos, aspernantur: & in eos, quibus ob potestatẽ qua præminent, debebant reuerentiam, non uerentur maledicta congerere? Et isti quidem falsitatis prædicatores, & libertatis carnis assertores, facto impudice uiuunt, fine uxoribus: castitatis tamen gratiã non habentes, quibus miraculo nõ succurrit dei potentia, ut sint interim in concupiscentia fœminarum. Sed & contra apostolicã doctrinam, pro phanæ potestati nolunt esse subiecti, cum externam politiam fides Christi non uiolet: quare nemini licet à legitimorum magistratuum obedientia sese eximere, sed quandiu in terra uiuimus, magistratibus obedire debemus.

6 Cum Michael archangelus, cũ diabolo disputãs, altercaretur de Moy si corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit, Imperet tibi deus. Hi autem quæcunq; quidem ignorant, blasphemant: quæcũq; autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur.

Ex non canonicis Iudęorum historijs Iudas hic trahit exemplum, pro suo proposito persuadendo eis, qui huiusmodi scripturas norant, cum iudicio colligens ex communibus electiora, quando uera pietas nihil aspernatur, quod cooperari potest ad uerum, quamuis sit obscurum & humile. Sic ergo dicit, Michael archangelus cum illi esset disceptatio cum diabolo de corpore Mosi, fortassis exquirendo ad cultum uel translationem, tamen ueritus est illi palam dicere conuitium. Sed cum illius impium sermonem ferre non posset, moderatus est maledictum, hunc in modum, Increpet, inquiens, te dominus. Si Michaeli religio fuit maledicere diabolo, quãto intolerabilius faciunt, qui uiris authoritate dignitate q; prẽminentibus, non uerentur maledicere? At istorum tanta est peruersitas, ut cum nullã habeant causam, tamen ea maledictis insectentur, quæ non intelligunt. Contra adeo luxu libidine q; corrupti, ut in his rebus, in quibus animantia rationis expertia probe moderate q; degũt, ueluti cibo, potu, coitu q;, in his perditissime se gerant. Eiusmodi blasphemi sunt, nihil scientes quàm excommunicare, & satanæ trædere, non reges solum & maiestates, sed sanctos uerbi dei prædicatores, dum ipsi nihil doceant, prẽterq; quod ad pompam & quæstũ suum facit. Nescire enim uolunt, salutem nostram fitam in fide & charitate, sed ceremonias suas faciunt peccatorum remissiones, quasi non tantum Christi sanguine, sed illorum quoq; authoritate, & meritis constet animarum salus.

7 Væ illis qui in uia Cain abierunt, & in errore Balaam mercede effusi sunt, & in contradictione Core perierunt.

Vę illis quibus cõtinget præmium cõmune cum his quorum scelera imitantur, neq; enim sibi proponunt Iesum Christum, sed Cain fratricidam, cui primo liuor inuidiæ persuasit homicidiũ. Sed Balaam, qui corruptus quæstu, conatus est maledicere populo, cui benedixerat dominus, contra conscientiam, munerum desiderio instigatus & auaritia. Sed & Core, qui conspiratione facta, coortus in Mosen, cum suis coniuratis horrendo exemplo extinctus est. Terra enim eos absorpsit, & operuit uiuos ac occidit: sic illi falsi prædicatores euangelicæ doctrinę hostes, terrena cõuersatione & diuitiarum amore demersi, planè sepulti iacent in terra, nihil q; sunt nisi ipsissima terra, & mundus.

8 Hi sunt in epulis suis maculæ, conuiuantes, sine timore semetipsos pascentes:

pascentes: nubes sine aqua, quæ à uentis circũferuntur: arbores autumnales infructuosę, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus ferí maris, despumantes suas confusiones, sidera errantia, quibus procella tenebrarum conseruata est in æternum.

Illi improbi euãgelicæ doctrinę peruersores sunt, qui uobis pure cãsteq; uiuentibus, & euangelicam amplectentibus charitatem, ueluti maculæ sunt, dehonestantes gregem uestrum: ac uobis ieiunantibus, luxuriosis commessationibus inter sese indulgentes, nec ullius reuerentia metúue à turpitudinis licentia cohibẽtur, sed quicquid animo collubitum est, id temere sequentes. Et cum his factis profitentur sese doctores euangelicos, ac duces ad ueram uirtutem. Verum istí nubibus similes sunt, quæ in sublimi pendentes, cum terrę sitienti uideantur polliceri pluuiam, tamen aridæ sunt, nec aquam habent: qua telluri subueniant, sed inanibus cupiditatibus suis, huc atq; illuc temere circumaguntur, similes arboribus, quæ sub finem autumni proditis floribus, mendacem fructus spem faciunt, cum mox emarcescant, nõ solum infrugiferæ, sed bis mortuæ: quũ ne ipsi uotum habeant ad euangelicã pietatem, & alios secum imperniciem trahant, neque secus deplorati, quã arbores radicitus euulsæ, quibus iam nulla spes est reuirescendi. Qui cũ irrequieti sint ac factiosi, semper aliquo nouo tumultu turbant ecclesiæ tranquillitatem suis hærefibus, simul peruicacibus undis maris, sese subinde in altum tollentibus, nec aliud interim efficiunt, nisi ut sua probra, suaq; dedecora alijs, quantum in ipsis est, aspergant: similes stellis, quæ cum lucis specie promittant se fore uiæ duces, tamen quoniã erraticæ sunt, neq; constanter sequuntur quod rectũ est, sed affectibus suis nunc huc nunc illuc abducuntur, simplices & incautos inducunt in naufragium. Hæ stellæ quæ nunc falsa luce sese uenditant apud homines, non effugient iudicem deum, etiamsi in præsentia non punit illos, sed seruat eos æternæ tartari caligini.

Prophetauit autem de his septimus ab Adam, Enoch, dicens: Ecce uenit dominus in sanctis milibus suis, facere iudicium contra omnes: & arguere omnes impios, de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, & de omnibus duris, quæ loquuti sunt, contra deum peccatores impij. Hi sunt murmuratores queruloſi, secundum desideria sua ambulantes, & os eorum loquitur superbiam, mirantes personas quæstus causa. 9

Isti, ait, quanquam nostris temporibus exorti sunt, tamen ne quid noui uobis uideatur, de his olim uaticinatus est Enoch, qui fuit ab Adam septimus, deq; horum supplicio, quo sunt olim afficiendi. Loquitur enim hũc in modum: Ecce uenit dominus cum innumera multitudine sanctorum suorum, ut exerceat iudicium aduersus omnes, & redarguat omnes, ex eis qui sunt impij, de factis omnibus quæ impie patrarunt, deq; omnibus quæ dure ac ferociter loquuti sunt aduersus ipsum: non solum peccatores male uiuentes, uerumetiam impij, & contumelioſi in deum. Siquidem hi, quoniam huius uitæ felicitatem corporis felicitate metiuntur, impotenter ferunt si quid incidat afflictionis aut incommodi, neq; uerentur obmurmurare deo suis querimonijs, quod sic condiderit hominẽ, ut breuis esset ęui, ut morbis obnoxius, optantes hanc uitam, quam maxime longã, minimeq; malis obnoxiam, uidelicet de futura uita diffidentes. Hæc tam sordida atq; abiecta cum sentiant in animis suis, tamen os loquitur magnifica quædam, ac mirabilem quandam philosophiam profitetur: cum non solum abiectissime interim seruiant uoluptatibus, uerumetiam quæstui: quæ res cum primis uitiat doctrinam Christi, neque enim loquuntur ea quæ docet euangelica ueritas, sed quæ blanda grataq; sint his, unde sperent aliquid compendij. In pauperes tyranni,

erga diuites agũt palpones, horum malitia hoc minus turbabit uos chariſſimi, ſi memi
neritis id olim eſſe uobis prædictum ab aliꝭ apoſtolis domini noſtri Ieſu Chriſti, nomi
natim à Paulo Petroq;. Dixerunt em̃ uobis, extremis temporibus exorituros illuſores,
qui ſuis prauis cupiditatibus uitiarent puriſſimã Chriſti doctrinam, haudquaq; uiuen-
tes iuxta regulam euangelicam, ſed iuxta affectus ſuos impios ac nefarios. Hoc agno-
ſcere licebit hac nota, cęteris qui iuxta ſpiritum Chriſti uiuunt, & contemptis terrenis
curant cœleſtia, concorditer agentibus, iſti mouent diſſidia, eo quod animales ſint, &
obſeruientes mũdanis affectibus, ac uacui ſpiritu uenẽtur uoluptates, ambiant regna,
captent lucrum. His qui ſtudent, non ſunt apti Chriſtianæ cõcordiæ. Malunt enim tur
bare gregis tranquillitatem, quàm in ordinem cogi. Nihil autem miremur prophetiam
fuiſſe de extremo totius mundi iudicio aliquando futuro, etiam Enoch temporibus, et
ante diluuium, ſtatim à principio mundi. Semper enim uerbum dei annunciatum eſt
mũdo: ſemp uiguit prophetia: ſemper articuli illi principales, de creatione, de fine mun
di, de uenturo ſaluatore mundi, de reſurrectione mortuorum, de extremo iudicio, cre-
diti ſunt à pijs & electis. Idq; tanta fidei certitudine ac firmitate, ut eorum nemo ambige
rit, ſicut & uſq; modo impiorum illa nemo credat uel uereatur, niſi pœnis adactus à di-
uino iudicio partiali. Semper fuit credentibus & deum timentibus promiſſa gratia atq;
ſalus, incredulis autem iudicium ac damnatio comminata eſt, & ſignis multis oſtenſa.
Sic ergo ſemper quidem prædicatum eſt euangelium in mundo, non tamen tam multi
pliciter, & tam aperte, ut à tempore Apoſtolorum, & nunc quoq; diffuſius per donum
dei, quo facile quod uerum eſt, & ipſiſſimum uerbum dei, per impreſſoriam artem diſſe
minatur in orbem, in iudicium quidem impijs, electis ad ſalutem.

10 Vos autem chariſſimi, memores eſtote uerborũ, quæ prædicta ſunt
ab Apoſtolis domini noſtri Ieſu Chriſti, qui dicebant uobis, Quoniam
in nouiſſimis temporibus uenient illuſores, ſecundum deſideria ſua am-
bulantes in impietatibus. Hi ſunt, qui ſegregant ſemetipſos, animales, ſpi
ritum non habentes.

Leuiſſimum & hoc argumentum ſit contra authorem huius epiſtolæ, ut Apoſtolus
non fuerit, quia ſeſe inter cęteros Apoſtolos non numeret. Cum iuxta morem ita hic lo
quatur de Apoſtolis ſenex, ſicut & Ioannes: ut qui diu ante ſe prædicarint, ut exiſtima-
ri non iniuria queat, hunc ſcriptorem Apoſtolum etiam aliorum mentionem habere
debuiſſe ex inſigni modeſtia, qua uoluerit nõ ſolum ſibi, ſed aliꝭ quoq; Apoſtolis credi
debere, dudum ſimilia & eadem prædicantibus, de futuris in mundo falſis prædicato-
ribus & pſeudapoſtolis. Qui ſint igitur illuſores, & ſecundum propria deſideria ambu
lantes &c. iam dictum eſt: qui ſcilicet carnalia & impia ſectantes, pro ſua uiuunt libidi-
ne, nec uerbum dei nec prophanũ magiſtratum uerentur, leges contemnunt, tam diui-
nas q̃ humanas. Iſti ſunt factioſi, ſectarij contra fidei unitatem. Qui & ſequuntur iudi-
cium naturæ, & ſenſum carnis, nullũ curantes uerbum dei, ſecũdum quod uitam ſuam
inſtituant, qui non plus de ſpiritu habent uel intellectu ſpiritualium, q̃ equus & mulus.

11 Vos autem chariſſimi, ſuperædificantes uoſmetipſos ſanctiſſimę no
ſtræ fidei, in ſpiritu ſancto orantes, uoſmetipſos in dilectione dei ſeruate,
expectantes miſericordiam domini noſtri Ieſu Chriſti in uitam ęternam.

Vos qui ſpirituales eſtis, date operam, ut magis ac magis ceu uiui lapides, coagmen-
temini in ſtructuram dei, innitentes ſolido fundamento ſanctiſſimę fidei ueſtræ. Semel
uobis perſuaſum eſt, non defutura pijs ſua pręmia, quantumuis hic affligantur, ne mer
cedem requiratis in hoc ſæculo: non defutura impijs merita ſupplicia, ne uos uelitis ul-
ciſci. Proinde pijs ac ſpiritualibus precibus iugiter implorantes opem dei, uos inui-
cem mutua concordia mutuaq; charitate ſeruate. Non enim audit deus niſi concordes.
Neq; diffidatis, ſi hic pro Chriſto uarijs modis affligimini, ſed expectetis dei miſericor
diam

diam exhibendam, non in hac uita, sed in uia æterna. Complexus est autem paucis his uerbis Christianismũ ferè totum, ut fundamẽtum est fides, cui superstruatur cognitio dei, in diem proficiens, operatione spiritus sancti: nihil tribuendo quibuscunq; nostris meritis, sed in proximum charitatem exercẽdo. In qua charitate perseueremus semper, amplectiendo, si quam deus crucem immiserit, ut nostri non obliuiscamur, sed recordemur auxiliatoris dei & saluatoris, ut nihil nisi suspiratio & expectatio sit uitæ futuræ.

Et hos quidem arguite iudicatos, illos uero saluate de igne rapientes. 12
Aliis autẽ miseremini in timore, odientes & eam quæ carnalis est macula tam tunicam.

Sic comparata sit uita uestra, ut doleat uobis quosdam ita miseros esse, cæcos atq; obstinatos, ut nequaquam malo ipsorum delectemini aut gaudeatis, sed finite ualere eos, separamini ab eis, nec commertij aliquid cum eis habeatis. Alios autem quos poteritis tanto malo eripere, eos saluate cum timore, humane ac blande eos tractantes, quemadmodum deus uobiscum egit: non impetu quodam, & tumida asperitate ipsos terreatis aut cõfundatis, sed ita agite cum eis, ut qui in igne iaceant, quos extrahere atq; eripere, omni cum sollicitudine prudentia atq; diligentia debeatis. Si non sustineant se inde recipi, mittendi sunt, atq; misericordia prosequendi. Odio interim habentes non homines ipsos pereuntes, sed corpus hoc nostrum, terrenis affectibus inquinatum, qua ceu tunica polluta grauatur & inquinatur humanus animus, quandiu hic uiuimus, libidine carnis & sanguinis nunquam uacamus.

Ei autem qui potens est uos conseruare sine peccato, & constituere an te conspectum gloriæ suæ immaculatos, in exultatione, in aduentu domini nostri Iesu Christi: soli deo saluatori nostro, per Iesum Christũ dominum nostrum, gloria & magnificentia, imperium & potestas, ante omnia sæcula, & nunc & in omnia sæcula sæculorum, Amen. 13

Et hoc clementius decet alienis erroribus mederi, quod nemo uersans in hoc corpusculo, non possit nõ inquinari. Nam id humanarũ uirium non est, ne quis sibi gloriam arroget. Sed omnis gloria, magnificẽtia, imperium ac potestas, sit soli deo seruatori nostro, per Iesum Christum dominum nostrum, non solum in hoc sæculo, sed ante omnia sæcula, & futuris sæculis omnibus in æternum. Siquidem solus deus potest hoc præstare conantibus, ut quanquam fragili corpusculo circundatos, undiq; mundus tot rebus auocet à propositio pietatis, tamen perpetuam innocentiam seruetis usq; in finem, ut non solũ homines nihil reperiant in moribus uestris, q̃d reprehendant, uerumetiam tales statuamini in conspectu maiestatis dei, ut illi nihil in uobis displiceat, qui uidet intimos mentium recessus. Quod cum fiet, exultabitis, & gaudebitis in aduentu domini nostri Iesu Christi: mœrentibus alijs, qui interim uidentur suauiter uiuere.

Quod ut fiat, uotis omnibus comprecandum est.

TOTIVS OPERIS
FINIS.

A 139 7579